VERITATES
AVREAE
Super Numeros,
TVM LITTERALES,
TVM MYSTICAE.

PER MODVM CONCLVSIONVM,
è Sacro Textu mirabiliter exculptæ;

Vbi, velut in totius legis parte, habentur partim ea; quæ in operis FRONTISPICIO poſita fuere.

Hæc, nè repetantur, inibi videnda ſunt: & ſufficiet,

PER F. SERAPHINVM &c. vtibi.

Elencho illo duplici connexo.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Apud Marcum Antonium Zalterium.
M D X C.
Cum licentia Superiorum.

INDEX CONCLVSION.
SVPER LIBRVM
NVMERORVM.

Ex Nume. cap. I. Concl. 4.

1 MOs ſacrarum ſcripturarum eſt in numerando non ſupputare fœminas, ſed maſculos; & hos tantùm à uigeſimo anno, & ſupra 3
2 Eſſe uirū ſequitur immediatè ad eſſe paruulum & conſequenter eſſe paruulum ſumitur ſæpè in ſacro eloquio largè; id eſt ita quòd ille dicatur paruulus, etiam quòd 19 annum ageret, qui nondum habet uiginti annos. ibid.
3 Clerici non debent pugnare manu propria. 4
4 Clericorum officium proprium eſt attendere cultui diuino, ſeruare illius ceremonias, dilatare illum populum circumquaque uallare orationibus ſuis. ibid.

Ex Num. cap. II. Concl. 10.

1 BRachium temporale debet ordinari de facto, ſicut ordinatum eſt de iure, ad defenſionem cultus diuini, i. rerum omnium quæ honorem diuinum concernunt. 5
2 Cuſtodia armatorum ad ſepulchrum Chriſti fuit à Deo figurata hic. ibid.
3 Clerici ſunt nobiliſſima pars omnium populorum. ibid.
4 Volens aggredi uitam ſolitariam debet prius in uita communi ſe exercere: alioquin periculis multis patebit 6
5 Variæ, id eſt multæ uiæ ſunt ad ſalutem; ſed tamen unus tantùm ſinis intentus ibid.
6 Rectiſſimè Eccleſia dicitur catholica 7
7 In uocatione, in qua quis à Deo uocatus eſt, debet permanere in Domino 8
8 Mali, & quidem multi, ad Eccl. Num. pertinent ibid.
9 Mali in Eccl. utilitatē afferunt Eccl. licèt præter intentū 9
10 Vnuſquiſque fidelis debet æmulari bonas uias Apoſtolorum, & ſanctorum ſuorum prædeceſſorum; & non ambulare ſecundum caput proprium. 10

Ex Num. cap. III. Concl. 11.

1 CLerici ſunt perſonæ cōmunes, id eſt in utilitatem totius communitatis Deo ſeruientes 12
2 Clerici noui teſtamenti in gratiam beneficij, quo Deus nos redemit à diabolo per mortē ſui unigeniti, ſuccedunt. ibid.
3 A Clericatu repelluntur mulieres ex inſtitutione diuina. ibid.
4 Licitè pueri innocentia inducuntur ad ſic, & ſic ſeruiē dum Deo: licitè aſſueſiunt ad opera religionis: licitè ad religionē ſuadentur 13
5 Magis deditus eſſe debet homo ad ſeruiendum Deo; quàm cuicunque alteri officio. ibid.
6 Naturale quodammodo eſt homini ſeruire Deo. ibid.
7 Officium proprium eſt ſeruire Deo 14
8 Clerici nouæ legis non erant futuri unius ſtirpis, nec in uno tantùm loco miniſterium Domino exhibentes (ut olim antiqui); ſed ex omni genere aſſumendi & ubilibet miniſterium ſuum exercituri. ibid.
9 Clericorū aliq figurati fuer futuri mali in ſancta Eccl. ibid.
10 Clericatus in ſancta Eccleſia nunquam deficiet. ibid.
11 Res, facultates, poſſeſſiones, clericorū ſunt magis cordi Deo; quàm res aliorum chriſtianorum. 15

Ex Num. cap. IIII. Concl. 8.

1 OMnia ad cultum Dei externum antiquitus pertinentia erant figura noſtri temporis, ſiue erant umbra ueritatis: & myſterijs cæleſtibus plena ibid.
2 qui Eccleſiæ ſancta dogmata curioſè id eſt pluſquam oportet, inueſtigare uoluerit, ad mortem ſpiritualem per hoc diſponitur, moriuntur, ac in uarios incidunt errores 16
3 Maiorum ſanctis traditionibus firmiter inhærendum eſt, nec ſecreta fidei ab eiſis tradita curioſius inueſtiganda; ſed ſimpliciter illis parendum. 16
4 Maiores hus multa explicitè reuelantur circa fidem, & diuinum cultum; quæ minoribus occultantur tanquam non capacibus, uel indignis; ſed à minoribus ipſis implicitè tamē, in fide maiorum, tenenda ſunt, atque tenentur. 18
5 Fides eſt rerum non apparentium ibid.
6 Non omnes clerici habere debent eadem officia in ſancta Eccleſia; ſed diuerſi diuerſa. 19
7 Illi non ſunt promouendi aliquo modo in clericos tales, uel tales, qui ſunt ignorantes (per ignorantes, non quoſcunque inſcios intelligo; ſed tantùm eos, qui neſciunt ea, quæ ad ſuum illud clericatus officium pertinent ibid.
8 Clerici quicunque debent magis attēdere ad onus, quàm ad honorem, in dignitate ſua. 20

Ex Num. cap. V. Concl. 10.

1 SVperiores debent inueſtigare diligenter, etiam per uiam orationis, illud: de quo circa aliquam perſonam ſuſpicantur. 21
2 Peccato proprio, et alieno, inuoluuntur ſuperiores: quando habita ſuſpitione probabili de alicuius errore, nolunt inueſtigare, uel non inueſtigant, ueritatem. ibid.
3 Probabile illud argumentum, uel poſitio, dicitur; quod, uel quæ, falſitatem, etiam continere poteſt; licèt indicia pro ueritate habeat ibid.
4 Veritatem rei probabilis inueſtigare debemus per uiam orationis, etiam per aliam perſonam ad noſtram inſtantiam facienda. 22
5 Vbi deficit uia humana ad faciēdum; aliquid tunc ad uiam diuinam, ſcilicet ad orationem, conuerti debemus totaliter, & fiducialiter ibid.
6 Humana uia non eſt deſerenda ſi habeatur; & conſequenter ad diuinam ſolam non eſt tunc recurrendum ibid.
7 Deus caſtigat aperta caſtigatione malefactores; ut alij indè exemplum ſumant & benè uiuendi, & mala uitandi ibid.
8 Superiores delicta publica publicis caſtigationibus non punientes bonum totius populi magnum impediunt 23
9 Licitum eſt ſuperioribus, ſuborta infamia, ſuſpicari de aliquo probabiliter; & ex tali ſuſpitione procedere faciendo proceſſus, ad ueritatem inquirendam 24
10 Licitum eſt marito eſſe Zelotypum, ſeu habere Zelotypiam, uxoris ſuæ: & licitum eſt uxori illud idem reſpectum mariti ſui. ibid.

Ex Num. cap. VI. Concl. 17.

1 CHriſtus Dominus nunquam inebriatus eſt 25
2 Nunquam raſorium, ſeu nouacula, ſuper caput Chriſti aſcendit. ibid.
3 Nullus in præſentia corporali Chriſti in mundo uiuentis mortuus eſt, immò nec mori potuit ibid.
4 Quemcunq; mortuum Chriſtus inuenit corporaliter, ipſum reſuſcitauit. 26
5 Saluator noſter unctus eſt oleo præ omnibus nazaræis, & conſequenter præ omnibus participibus ſuis ibid.
6 Saluator noſter omni tempore uitæ ſuæ fuit à cuiuſcunq; peccati labe immunis. 27
7 Chriſtus, completo conſecrationis ſuæ tempore, à ſacerdotibus offerendus erat domino; extra tamen ſed propè Hieruſalem. ibid.
8 Paſſio Chriſti fuit, & meritoria, & ſatisfactoria. ibid.
9 Chriſtus tempore ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis fuit toto capite depillatus. 28
10 Chriſtus ex magna ſuæ uoluntatis auiditate motus eſt ad exequendam noſtram ſalutem per tot ſuas laboreſ grauiſſimas paſſiones. ibid.

11 Apoſtoli,ac ſimiles, nunquam inebriati fuerunt; Caſtitatem nutriebant; mortuos ſuſcitabant; & conſequenter maiora alia miracula faciebant: nobis à ad utilitatem noſtram, ſuam uitam uſque ad finem conſecrarunt; paſſiones pro noſtra utilitate libenter à ſacerdotibus, & alijs primatibus, ſuſceperunt: ac tandem libentiſſimè pro nobis animam ſuã poſuerunt; & Dei gratiam plenius habuerunt. ibid.
12 Tantum obligat uotum, quantum intendis te obligare ex uoto; non plus, nec minus. 29
13 Exiſtentes in gratia Dei ac ſic, & in gloria, pace undique perfruuntur maxima ibid.
14 Inuocato nomine Dei noſtri cauſat benedictionem ſuper illum ſuper quem inuocatur ibid.
15 Actio miniſtrorũ Eccleſiæ facta in perſona Dei, ab ipſo Deo ratificatur in cœlo. ibid.
16 Primaria Dei, & conſequenter miniſtrorum eius, intentio eſt nos benedictionibus replere; non autẽ maledictionib 30
17 Nullus eſt adeò malus: qui à Deo beneficium aliquod non habeat. ibid.

Ex Num. cap. VII. Concl. 3.

1 Templorũ dedicationes ſūt à Deo ſolẽniter inſtitutę. 30
2 Orationes factæ in loco conſecrato ſunt magis exaudibiles; quàm in loco non conſecrato ibid.
3 Per ſanctos Angelos multum pro noſtrarum orationum exauditione iuuamur. 31

Ex Num. cap. VIII Concl. 9.

1 Illa, quæ Deus operatur in nobis, tanquam à nobis operata ſint recognoſcit 31
2 De beneficijs à Deo ſuſceptis grati eſſe debemus ea recolendo; & quantum poſſumus, magnificando ibid.
3 Chriſtus in multis antiqui teſtamenti locis primogenitus appellatus eſt: ſed reſpectu præcedentium fratrum, non ſubſequentium. 32
4 Lex primogeniture denominat à negatione præcedentium: non autem à poſitione ſequentium. ibid.
5 Leuitæ non ſunt ſanctiores, digniores, aut diuinis miniſterijs mancipati magis, quàm Chriſtus. 33
6 Oratio ualet ad tollendum pœnas ab illis; qui eas de ſe meruerunt. ibid.
7 In ſacerdotibus requiritur ætas profecta, uel circa, antequã miniſtrent in officio ſuo ibid.
8 Seruitia Deo exhibita cum tepore, & inconſideratione, ſeu indiſcretione minus et accepta ſunt Hoc autem in ſacerdotibus maximè abhominabile eſt 34
9 Spiritusſanctus eſt in ſancta Eccleſia ipſam illuminans, & diuini amoris calore inflammans: & hoc facit per gratiam ſuam. ibid.

Ex Num. cap. IX. Concl. 6.

1 Magnis peccatoribus imponẽda eſt (ſecundum quòd cõfeſſor à Domino inſpirabitur) dilatio ad Eucharistiam ſumendam. 35
2 Antequã Euchariſtia ſumat quis debet quieti uacare, ideſt orationi, meditationi, ſeu contemplationi. ibid.
3 Sex conditiones illæ circunſtantes agni comeſtionem, quomodo iuſtè, & dignè communicandum ſit, oſtendunt ibid.
4 Effectus ſacramẽti altaris nõ minimus eſt De effec. Euchar. uide Concil. Tri ſeſſ 13. cap 2 & cano 5 promptæ facilisq; in omnibus obedientia. 37
5 Eodem modo ad Dei regnum cõducti ſunt iudæi antiquitus, quo gentiles noſtris temporibus; niſi quòd clariore modo gentes nunc, quàm iudæi tunc. ibid.
6 Dignè communicantibus, ſeu cum Paſchatis inſtificationibus Paſcha celebrãtibus, datur ſpecialis ductus Spiritusſancti; tempore tũm proſperitatis, tũm aduerſitatis. 38

Ex Num. cap. X. Concl. 6.

1 Clangor tubæ in die Iudicij tria ſecunda ſignificat, ſcilicet congregationem uniuerſorum ante Dominum Deũ punitionem uniuerſalem impiorum uniuerſalem bonorum retributionem 39
2 Campanarũ uſus, & ſonus ſonusq; diuerſus, eſt à Deo; atque ad tria ſonus illarum ordinatur, ſcilicet ad conuocandum populum in templum ad poteſtates aduerſas cohercendas, ad aliquem diem feſtum ſignificandum. ibid.
3 Campanarũ ſonus, ſeu pulſatio, ad impetrandum, impetrandumq; auxilium diuinum ualet. ibid.
4 Campanarũ ſonus ordinatur ad hoc; ut nos recordemur beneficiorum Dei. ibid.
5 Spiritusſanctus non tantum oſtendit nobis uiam per quam incedamus: ſed etiam, dum per uiam illam incedimus refrigerat nos; conſolatur nos; quodam mirabili modo a defatigatione nos ab omnique peccato, ac aduerſitate, cuſtodit. 40
6 Situs corporales Deo attributi importat eius effectum. 40

Ex Num. cap. XI. Concl. 12.

1 Benefaciunt, qui ad Deum recurrunt per interceſſores medios. 41
2 Ingrati, ac de beneficijs diuinis, aut nullas, aut incompactas gratias agentes, miranda cæcitate mentis, percutiuntur. 42
3 Malæ ſocietates multum nocent. 43
4 Non niſi quietis mentibus, & in ſe conſiſtentibus, datur cœleſtium dulcedo atque ſapor. 44
5 Impios conceptis temporalibus a Deo donari eſt ſignum diuinæ uindictæ, & conſequenter eſt ſignum malum, imò eſt ſignum diuinæ uindictæ ſatis magnæ; & conſequenter illud eſt non tantum ſignum malum, ſed etiam pluſquam malum. ibid.
6 Deus punit malos, tunc, quando minus timent id, ſeu credũt, & quandoque non punit eos tunc, cum magis apud homines credibile eſt. 45
7 Superiores debent inquirere utilitatem ſubditorum, non ſuã principaliter; plus amari ab eis debent appetere, quàm timeri cõpaſſionem erga eos, ſi delinquerint, debent habere; attente curare nè ll a quoquam offendantur, & eos pro poſſe ſuo, ubiq; defendere, eis de inſtructione, de uita corporalis (magis ergo ſpiritualis) neceſſarijs providere, eis recreationes aliquas, & (etiam q non poſtulent) conſolationes honeſtas concedere; eos in deſolationibus, uel alias cum oportuerit, conſolari; eorum miſerias inquirere, ac eas ſubleuare; bonum eorũ ſtatum ſemper habere cordi, ac ipſum pro uiribus ſua procurare tum corde orando, tũm ore monendo, tũm opere faciendo; eorum defectus, calamitates, imperfectiones, ac huiuſmodi reputare ſuas proprias, nulli labori, nulli incommodo parcere, ut ſalutem ubique promoueant ſubditorum. 46
8 Non omnes ſenes populi ſunt ſenes populi, nec omnes magiſtri ſunt magiſtri; & ſic de huiuſmodi 47
9 Ad ſenes populi pertinet inſtruere minores. 48
10 Plures cultores ſunt ſecundum Deum benè ſubditos gubernant quando ſibi inuicem uoluntate, ac intelligentia, concordant. ibid.
11 Virorum ſanctorum eſt magis amare gloriam Dei, quàm gloriam propriam; etiam quod in maiori gloria Dei uideatur importari apud homines minoratio gloriæ propriæ. 49
12 Bonitas Dei cum malitia hominum certatim pugnat: cum bonitatis diuitias ſi contemnant, theſaurizant ſibi ipſis iram in die iræ. 55

Ex Num. cap. XII. Concl. 11.

1 Deus maximè zelat pro ſanctis, uel ſeruis, ſuis etiam uiuentibus contra murmurantes de illis, uel detrahentes illis. 53
2 Superbia non parcit conſanguineis, nè ſcilicet illos lædat in fama; & conſequenter in rebus, atque perſonas. 54
3 Deus pro illis maximè facit uindictam, qui ſe ipſos per ſe defendere per uindictam nolunt. 55
4 Propter maledicta hominum de aliquo proximo uel ſancto, Deus multotiens gloriam illius proximi, uel ſancti, manifeſtat. ibid.
5 Detractio facta in ſanctos eſt deteſtabilior, quàm in communes. 56
6 Deus pro ſeruis ſuis, etiam quòd nihil illi dicant, pugnat, ſe q ſerui prædicti offendantur in minimis. 57
7 Sanctitas eſt de ſe ueneranda, & timoris eiuſdem in alios inductiua: & conſequenter ſanctitas hominis facit ipſum uenerandum, timendum, admirandum. ibid.
8 Receſſus uirorum bonorum, ſeu hominum bonorum, eſt ſignum quod Deus uult punire illos, a quibus talis fit receſſus, ſeu a quibus ſic recedunt. 58
9 Prælati rarò à Deo publicè caſtigantur, & conſequenter ab Eccleſia cum difficultate caſtigari coram corpore ſubditis debent. ibid.

10 Quam-

10 *Quando offendimus alios, nos facimus illos nobis ſuperiores; & noſtros iudices.* 62

11 *Iudicium dominum eſt ſecundum rectam rationem humanam: non contra illam.* 63

Ex Num. cap. XIII. Concl. 7.

1 *DEus uult, capitaneos exercitus, & conſequenter omnes primates, facere quod recta ratio ſuadet ad alicuius ciuitatis uel &c. expugnationem; etiam quòd uictoriam ſibi diuinitus impertiendam certiſſimè ſciant.* 64

2 *In bello iuſto licitum eſt, facta hoſtium inquirere diligenter ac ſingillatim: ut deinde quid nobis iuſtè bellantibus agendum ſit ſcire poſſimus.* 65

3 *Qui de aliquod dubitare uidetur, non ſemper in ſeipſo dubitat; & qui de aliquo quærit, non ſemper pro ſeipſo quærit; licet nil aliud exprimat: ſed quandoque pro aliis dubitat, id eſt dubitationem exprimit; ac pro ipſis quietandis ſolutionem quærit.* 68

4 *Eorum, qui guſtauerunt donum cæleſte, multi retrocedunt: & hi ruinas maximas in aliis excitant.* 68

5 *Inferiores ad præceptum ſuperioris non debent unquam abſolutè Non poſſum: & ſic dicentes non totaliter excuſantur ſemper à peccato* 73

6 *Non cõſiſtit perfectio fidelium in cõſolationes diuinas habẽdo, guſtando; ſed in uoluntaria obſeruatione, nullis impedimẽtis in contrarium facientibus quibuſcunq; mandatorũ Dei.* 74

7 *Pugnaturi ſpiritualiter debent & patres ſpirituales, & ſanctos Doctores, & libros ſanctos conſulere; tanquam exploratores ſagaciſſimos: ut ſcire poſſint, quomodo ambulandum, quomodo feriendum, quomodo ſe habendum, ad hoſtes propulſandos; ac intrandum in terrã cæleſtem toties promiſſam ueris Iſraelitis. talis in quibus dolus nõ eſt* ibid.

Ex Num. cap. XIIII. Concl. 15.

1 *PLus poteſt mala ſuaſio in ruinam: quàm bona in ædificationem.* 79

2 *Diuina miracula manuducunt nos ad fidem, licet nõ infundant nobis fidem: & non credentes Deo per miracula uiſa ſunt meritò caſtigandi* 80

3 *Miracula Dei ſunt irreprehenſibilia; & uera.* 81

4 *Non quicunque exponunt ſcripturam ſacram, ipſam ſalubriter exponunt ſed ſoli hi, qui cum Moyſe & archa in exponendo illam, aſſociantur* 82

5 *Miracula fiunt ad hunc finem; ut credamus.* 83

6 *Deus aliqua facit quãdoq; in fauorẽ fidelium, q non faceret, ſi nõ timeretur de blaſphemia nominis Dei inter gẽtes* 84

7 *Deus nos exaudit ſemper ſuprà quàm petamus; ſi ſit in ſalutem noſtram: et iam quòd quandoque credamus propter ea, quæ ſuccedunt nos non exaudiri* 86

8 *Illa diſplicet re uera finis, cui media ad finẽ illũ diſplicẽt.* 88

9 *Operari recuſantes ad hoc, ut ſaluentur, nunquam ſaluabuntur: imò etiam ſi ſalutem uiciniſſimam haberent, ſalute demum priuabuntur.* 89

10 *Prædeſtinati, ſi non operari uellent non ſaluarentur: id quod & de religioſis, & de quibuſcunque in gratia qualibet conſtitutis, ſi opera renuerent, intelligendum eſt* ibid.

11 *Non proficere, ſed deficere, ex beneficiis Dei habitis, eſt ſignum magnum reprobationis* 90

12 *Non omnis luctus pœnitentiam ueram de peccato dicit* 92

13 *Quicquid agitur ab aliquo de proprio capite contra ſuperioris iudicium, licet bonum uideatur, malum exitũ habebit; & contra ſeipſum ſic agentem conuertetur, licet pro ſe futurum uideatur.* 93

14 *Vnus ſuperior melius cognoſcit ueritatẽ de his, quæ ſuis eueniunt ſubditis quàm multi ſubditi de eiſdem* 94

15 *Adeò peccator non poteſt de ſe pro peccato ſatisfacere: ut ſi quando putat ſe de ſe ſatisfacturum pro peccato præterito, tunc cadat plerunque in nouum peccatum.* 95

Ex Num. cap. XV. Concl. 10.

1 *VOtum obligat ad redditionem ſui* 97

2 *Poſt pœnitentiam dignè peractam Deus peccatores non ſpernit: ſed in gratiam priſtinam recipit* 101

3 *Quãdo Deus nos ex una parte affligit, ex alia conſolat.* 101

4 *Qui prius non benedicit, comeſturus aliquid domino peccat, & in ſubſtantia temporali minoratur.* 102

5 *Si ſuperbia, rebellio, contemptus, eſſe ſpontaneum facere præceptum irritum reperta in peccato malitia comparentur ad ſuperbia, rebellionem contemptum, eſſe ſpontaneum facere præceptum irritum, reperta in peccatis uel ignorantia uel fragilitatis ſi unquam taliter comparentur; tũc illa quinq; in his peccatis non uidentur eſſe, ſed tantum in illo peccato; cum tamen & in iſtis abſolutè ſint.* 103

6 *Licitum eſt arreſtare aliquem, ſiue in carcerem ponere, donec plenius cognoſcamus, quid de eo faciendum ſit: modò ſufficientia indicia ſint ad arreſtandum eum pro ueritate ampliori inquirenda.* 104

7 *Peccat non eſt non doctor aliquis, ſi aliquando in ſua facultate occurrat ſibi caſus aliquis ignoratus ab eo: & conſequẽter doctor non dicitur quis eo, q in tali ſua facultate ſciat quicquid circa illam dubitabile eſt.* 105

8 *Recordatio crebra mandatorum Dei eſt uia, & ad reprimẽdum peccata, & ad aſſequendum ſanctitatem ueram.* 106

9 *Mandata diuina debemus obſeruare cum perſeuerantia, cũ affectu magno, cum intentione cæleſtium, cum reſtrictione noſtrarum uoluptatum.* 107

10 *In ſeruitio Dei cum Dei adiutorio poſſumus ſemper proficere: & Deus deſiderat hoc, & ob hoc, ut proficiamus in ſuo ſeruitio, dat nobis beneficia ſua.* 109

Ex Num. cap. XVI. Concl. 11.

1 *AMbitioſorum eſt laudare populum in eius præſentia; & conſequenter oſtendere, ſe ſtare pro populo: cum tamẽ re uera ſtent contra populum.* 110

2 *Hæretici nobis imponunt falſo illa, quæ de ipſis nos catholici ueraciter dicimus: ſed ad cognoſcendum inter tantas turbas, quæ uera, uel falſa de aliq loquatur, canonicas litteras cõſulere oportet; alioquin ſemper in ancipiti ſtabimus* 112

3 *Rebellare contra ſuperiorem eſt peccatum maximum & ratione ſui, & ratione ſcandali.* 114

4 *Tyrannis multum dedecet principem Chriſtianum: ac multorum malorum cauſa exiſtit.* 121

5 *Nullus eſt adeò amatus princeps a populo ſuo: quin ab eodẽ populo, ſi ad tyrannidem princeps ipſe formaliter declinauerit, rebellionem patiatur, uel de facto, uel ſaltem quantum eſt ex uoto populi.* ibid.

6 *Quandoque ſubditi tyrannidem falſò opinantur de principe rectoreve ſuo; ac propter talem opinionem falſam ipſi contra rectorem audent rebellare de facto.* 122

7 *Deus, dum unum punit, alium erudit; hoc eſt Deus caſtigationes aliquorum ordinat ad correctionem aliorum.* 123

8 *Præſentia bonorum inter eos eſt cauſa; q mali quandoque non puniantur.* ibid.

9 *Flagella quantacunque, non ſunt ſufficientia ad retrahendũ nos à malis, niſi dominus per internam attractionem operetur.* ibid.

10 *Orationes ſacerdotis publicè facta, & cæremonia ipſius, & ſacrificium, multum ualent pro populo etiam peccatore, & actualiter pro peccatis caſtigato* 126

11 *Præſentia corporalis ſacerdotis multum facit ad orandum pro indigentibus: ita q magis (cæteris paribus) prodeſt populo præſentialiter coram ipſo orans, quam non præſentialiter.* ibid.

Ex Num. cap. XVII. Concl. 6.

1 *CHriſti ſacerdotium manifeſtandum erat per crucem, & ibi conſumandum, & per crucem oſtendendum toti populo uniuerſi mundi, quòd Ieſus Chriſtus ſolus eſt à Deo ſacerdos electus: & per hoc confundendi erant oẽs rebellantes Chriſto, ſacerdotiũq; eius alteri aſcribentes, & crux Chriſti flores emiſſura erat, & fructus in toto mundo.* 127

2 *Super crucem Chriſto ſcribendus erat titulus nomen eius ſignans.* 134

3 *Crux Chriſti continuè floritura eſt, ac fructificatura in mũdo.* 135

4 *Chriſtus in cruce ponendus erat aſſociandus aliis crucifixis* 136.

5 *Tribulationes non pro ſunt nobis, niſi quæ pro Chriſto perferuntur.* 137

6 *Si homo uult in ſpiritualibus proficere, debet ſeipſum ab exterioribus omnibus ſeiungere; & quantum poteſt, Deo coniungi, Deum ſemper præ oculis habere.* 138

Ex Num. cap. XVIII. Concl. 6.

1 *ONus maximũ annectitur honori maximo.* 139

2 *Deus multum curat, ſeu zelat de his, quæ circa altaris miniſteria fiunt, & de cæremoniis eius, ut de ſimilibus ad templum attinentibus.* 141

3 *Primogenitum in templo offerẽdum ſimiliter pro primo egrediente ex utero materno, non autem pro illo poſt quem alii ſequen-*

ſequentur. 142
4 Ideò a Domino electi ſunt aliqui pro ſacerdotio fungendo, ne omnes paſſim, ſeu alij, accedãt ad officium ſacerdotale, ſeu clericale exequendum. 143
5 Nihil deperit toti populo, etiam quod ſoli, ſacerdotes miniſtrent altari. ibid.
6 Clerici non exequentes miniſterium ſuum priuari debẽt ſtudiis ſeu ſtipendijs. 144

Ex Num. cap. XIX. Concl. 9.

1 HOmo, qui non ſtat ſuper cuſtodiam ſuam citò corruet, & maculabitur. 144
2 Ex ſanguine Chriſti effuſo cauſata ſunt omnia Eccleſiæ ſacramenta, & ſpiritusſancti dona nobis pro merita, & conſequẽter uita æterna. 145
3 Tutum non eſt habitare cum peccatoribus. 146
4 In peccato importantur duo ſ. inhonoratio Dei, & macula animæ noſtræ. ibid.
5 Non citò pœnitere aggrauat peccatum, & pœnam magis meretur. 147
6 Antiqua ſanctificatio non ſanctificabant hominem ex ſua ipſorum uirtute. 148
7 Chriſtus paſſurus erat coram toto populi frequentia: & conſequenter tempore paſchali. ibid.
8 Nemo ſemetipſum baptizare poteſt. 150
9 In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis explicitè debere dari Chriſti baptiſma figuratum eſt. & quod per ipſum baptiſmum gratia Spiritus ſancti erat habenda. 151

Ex Num. cap. XX. Concl. 8.

1 SVbditi ſunt plerunque occaſio ruina prælatorum ſuorum, & in ſpiritualibus, & in temporalibus. 152
2 Deus nulli, quantumcunque familiari amico, parcit peccanti in hoc, quod eum, etiam acerbè ſecundum iuſtitiæ requiſitionem non caſtiget. 153
3 Totiſſima perſeuerantia in bono uitæ mirabilia facit, quæ ipſamet tentatio non faceret aliàs. 155
4 Nullus quantumcunque perfectus debet eſſe ſecurus, uel quaſi ſecurus de non cadẽdo ante mortem incluſiuè. 156
5 Multi ſerium, quæ perfectione multo etiam tempore operibus exercuerunt, in fine deficiunt à uita æterna, & multi, qui tãtæ perfectionis non erant, in illam intrabunt. 157
6 Animus perturbatus facilè mouetur à malo. 158
7 Aduerſitates ſe inuicem ſæpè ſequunt. ibid.
8 Iudæorum populus expectaturus erat uerum Meſſiam uſque ad eius aduentum: At in eius aduentu ad eum per fidem ingreſſurus non erat. ibid.

Ex Num. cap. XXI. Concl. 13.

1 GRatum rem facit Deo uehementer, qui infideles, infidelium loca, delent: & qui ipſos, ipſaque, dolore proponunt. 159
2 Dominus, uinci Iſraelem ab hoſtibus infidelibus, faciebat, ut Iſrael magis domino ipſi per ex... ſpiri. ualia, quaſi compulſus, adhæreret. 161
3 Tribulationes externæ ſunt maximæ utilitatis ad uitanda peccata: & conſequenter carentia huiuſmodi tribulationũ eſt uia facilis ad cadendum in peccatum. 162
4 Omnia exteriora, quamuis bona, uideri facit mala animus tædium, & quantumuis pretioſa, in uiles, ... conuertit, ac quantumuis miranda, efficit in animo faſtidientis nulla eſſe. ibid.
5 Diminutio guſtus Eucharistiæ eſt ſignũ appropinquationis ad portas tentationum mortiferarum. ibid.
6 Chriſtus futurus erat patientia inſuperabilis. 163
7 Chriſtus elegit uincere diabolũ ex illius poteſtate hominem iam ſauciatum eripere, per prudentiam patientiamque, magis quàm per potentiam. 164
8 Figuras, ſtatuas, imagines, erigere, ipſas fidelibus apponere, ut indè aliquod ſalutis remedium obtineant, licitum eſt: ac a ſpiritu ſancto manans. ibid.
9 Si homo non peccaſſet, filius Dei crucifixus non fuiſſet. 165
10 Chriſtus ex iudæis naſciturus erat ſine peccato, & à iudæis crucifigendus. 166
11 Mirabilis Deus eſt in figura ænei ſerpentis de filio ſuo. 167
12 Facilitati ma, quia docent Chriſtus homines attrahere uult ad ſemetipſum. 169
13 Peccata noſtra inimicum noſtrum debilem reddant fortiſſimum, maximumque, contra nos ipſos, & conuerſio noſtra ad Chriſtum inimicos noſtros maximos, atque fortiſſimos reddit debiliſſimos, atque paruiſſimos. 170

Ex Num. cap. XXII. Concl. 8.

1 RAtio naturalis dictat, & quod à Deo benedictus non poteſt non proſperari in prælio, & quod a Deo maledictus non poteſt non ſuccumbere in bello, loquendo de populo fideli. 172
2 Secundum Deum uiuere eſt unicuique contra quoſcunque hoſtes firmiſſimum propugnaculum. & contra Deum uiuere eſt unicuique contra quemcunque inimicum infirmiſſimum ſubſidium, imò ſibi ipſi hic inuenit perpetuum nocumentum, & pugna continua. 174
3 Simonia antiquitus ante Chriſti aduentum exercebatur. ibid.
4 Homines malis aſſueti citò ad mala, niſi magnam ſibi uim faciant, reuertuntur. 133
5 Non omnes obedientiam uerbis ampliùs promittentes ipſam dià cuſtodiunt corde, & licèt montis, ipſam quoque opere tranſgrediuntur. 174
6 Pecunia, munera, honores mundani, maximam uim habẽt ad trahendum cor hominis a mandati ſuperni, quamuis communicationibus ... obedientia, & ad trahendum ... ad ſatisfaciendum contra conſcientiam, contra proximum, contra Deum. ibid.
7 Loramo, qui a ſuperioribus indebitè grauantur, Deus ad uindictam ... faciet: & de talibus grauaminib. ad amuſſim à ſuperioribus rationem requiret. 175
8 Deus inſipientiſſimos poteſt ſtatim abſque ullis eorum meritis facere ſapientiſſimos: et uice uerſa ſapientiſſimos facere ab illis primo in ſapientiſſimos ita rationibus ſuperari, ut ipſimet ſuperati ſe ſuperatos fateri cogantur. 179

Ex Num. cap. XXIII. Concl. 5.

1 NOn debent prælati excommunicare illos: quos neſciũt modo ſibi condecentes apud Deum maledictos, adeſt quos neſciunt eſſe contumaces. 86
2 Bonitas tantæ uirtutis eſt; ut etiam mali (mirabile dictu) eam, & conſequenter eã habentes, commendare cogant. 187
3 Mali uellent poſtquam ad libitum peccaſſent mortem iuſtorum habere communem: ſed uitam non uellent. 188
4 Crucifixum adorare, in ipſum ſperare, in eo ſua ſalutis refugium ponere, in ipſum credere & (à ſimili) ſigno crucis ſe munire, non eſt idolatrare (ut infideles blaſphemant). ibid.
5 Malis hoc familiare eſt ut ſuperiora metiri uelint per inferiora. ibid.

Ex Num. cap. XXIIII. Concl. 2.

1 MIſcere bonis mala malorum eſt. 192
2 Mali perſequentes bonos faciunt illos, nolendo, clariores: etiam quandoque hic. 192

Ex Num. cap. XXV. Concl. 4.

1 PEccata populi ſæpè naſcuntur à malis exemplis principũ, adeòque magis à Deo principes ob præmiſſa delicta puniuntur, quàm populus ipſe. 193
2 Per aliquorum punitionem ac multitudine parcit quandoque Deus toti multitudini. 194
3 Sacramentum Eucharistiæ ſumptum à nobis Deum maximè placat. ibid.
4 Punitio, quæ fit à ſacerdotibus Dei in nos, eſt quædam placatio Dei erga nos. 197

Ex Num. cap. XXVI. Concl. 3.

1 ECcleſia ſancta Dei in, Numerum mirabilem augmentanda erat; ſiue excreſcere breui tempore mirabiliter debuerat. 198
2 Multum cauendum eſt (& hoc, quantum fieri poteſt) ne malè coëant cum bonis melioribus. 199
3 Quandoque filij pro peccato parentum non puniuntur, nec in corporalibus, ſed ſoli parentes: At hoc rariſſimũ eſt. 200

Ex Num. cap. XXVII. Concl. 3.

1 SEcularis poteſtas, atque principatus, eſt dependens à ſpirituali; ac ei in omnibus obedire tenetur. 201
2 Charitas, adeò non quærit quæ ſua ſunt; ut etiam mortis propria dolorem obliuiſcatur propter ſalutem proximi ſpiritualem. 202
3 Eccleſia, ſi ſapienter gubernanda ſit, opus eſt, ut habeat uiſibile caput. ibid.

Ex

Ex Numer. XXVIII. concl. 4.

1 NOn tantū ſubſtantia diuini officij penſanda, eſt uerū ſ. dicatur officium: ſed etiam tempus & modus officij, quo ſ. horæ & quomodo dicatur, penſandum eſt: & ſimiliter de alijs in honorē diuinum ordinatis (puta miſſis, feſtis &c.) dicendum eſt. 203
2 Bis quotidiè, ſ. mane ac ueſpere debemus nos per orationem offerre Deo, in unionem uoluntariæ paſſionis D. N. I. Chriſti, qua ſe patri ſuo obtulit pro nobis. 204
3 Sacramentum altaris, etiam quoad nini ſpeciem, figuratū eſt antiquitus. ibid.
4 Feſtiui dies ad duo inſtituti ſunt, ſcilicet ad ceſſandum ſūc ab operibus ſeruilibus, & ad magis inſiſtendum diuinis obſequijs. ibi.

Ex Num. XXIX. Conclu. 1.

1 QVæ ſunt neceſſitatis prius ſeruari debent, quam quæ ſunt liberalis. 206

Ex Numer. XXX. concl. 3.

1 VOuere poſſunt ſubditi licitè abſque licentia ſpeciali prælatorum ſuorum. 206
2 Quæcunque à Deo ſunt, ordinata ſunt. 207
3 Poſſunt prælati irritare uota ſubditorum ſuorum. 208

Ex Numer. XXXI. concl. 4.

1 VLciſci ſuam patriam, uel honorem domini, de inimicis licitum eſt: authoritate principis accedente. ibid.
2 Sine conſenſu ſacerdotis ſummi non debent aliquid attentare principes Chriſtiani. 209
3 In diſtributionibus, etiam rerum corporalium, fideliter prima pars debet eſſe ſacerdotum, max clericorum, deinde laicorum. 210
4 In prælio ſpirituali non debemus uerbis contendere cum hoſtibus ſpiritualibus, quoniam impoſſibile fere eſt quod ex illa uerborum contentione, etiam quod tandem uinceremus, maculam aliquam non contrahamus. ibid.

Ex Numer. XXXII. concl. 4.

1 PRo inconuenienti magno habetur: quòd aliqui de una ſocietate uelint non participare de tribulationibus, laboribus, iuſtis guerris, cum ſocietate illa. 211
2 Vnius, uel paucorum, defectio ab aliquo negotio eſt cauſa, quare multi deficiunt ab illo negocio 212
3 Peccatum certiſſimè eſt, promittere aliquid momenti notabilis, maximè prælato (per hoc, etiam confeſſarium, intellige) & poſtmodum non adimplere. ibid.
4 impoſſibile eſt effugere pœnam peccati ei, qui peccauit. ibid.

Ex Numer. XXXIII. concl. 2.

1 DOminus ordinariè extrahit aliquem à peccati obedientia cauſa ſecunda ducem 213
2 A ſcandaloſis hominibus, & malis ſocietatibus, debemus totaliter abſtinere, aut eos, eaſque, ad bonam frugem reducere: Alioquin erunt ruina noſtra & corporalis & ſpiritualis. 214

Ex Numer. XXXIV. concl. 2.

1 PRæuiſio meritorum noſtrorum non eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ 215
2 Et principium boni operis, & eius conſummatio, eſt à Deo in nobis. 216

Ex Numer. XXXV. concl. 4.

1 POpuli tenentur, de temporalibus prouidere his: qui ſpiritualia eis largiuntur: & non ſolum de mobilibus ſed etiam (ſi opus fuerit) de immobilibus. 216
2 Prouentuum Cleri una pars pauperibus erogari debet, maximè deſolatis. Vel aliter Dantur prouentus clericis, ut intendere ſtudio ſancto poſſint quò poſt ad conſolandum deſolatos, & huiuſmodi, ualeant. 217
3 Mors Chriſti aperuit nobis regna cœlorum: et conſequenter non ex Chriſto, ſed ex nobis, eſt ſi in paradiſum non ingrediamur. ibid.
4 Iudices, uel huiuſmodi, qui propter pecuniam datum dimittunt de iuſtitia puta, non occidunt occidendum &c. faciunt contra iuſtitiam, cum Dei mandatum præuaricentur. 218

Ex Numer. XXXVI. concl. 2.

1 B. Virgo Dei mater fuit de tribu Iudà. 218

Expliciunt ſuper librum Numerorum concluſiones litteales ut plurimum, quæ in totum ſunt. 243.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

AVctio primi numeri in deſerto unde facta. 3
Apoſtolus quid intellexerit dicens, aſſumptus ex hominibus. 6
Aquilonis pars quod malum ſonet 8
Aquilonis pars quòd ſit, eademque ſeptentrionalis. 14
Attendendum quid ſit, in exhibenda obedientia. 18
Affectantes honores quæ mala incurrant. 20
Auctoritas Eccleſiæ quomodo amanda, & timenda. 30
Angelis Sanctis quam obligati ſimus. 31
Angeli quòd repreſentent orationes noſtras Domino. ibid.
Ad aperiens uuluam quid importet. 32
Ætas cur non tanta requiratur in clericis minoribus quanta in ſacerdotibus. 34
Annum uigeſimum quintum qui nam non habeant, & qui nam habeant. 34
Auſter quid denotet, ſiue auſtralis plaga. 35
Aaron quomodo Chriſtum ſignificet. 39
Aue Maria cur profertur. 40
Arca quomodo Deum repreſentarent. 41
Æmulationem Ioſue quomodo habuerint Chriſti, & Ioannis Baptiſtæ Diſcipuli. 51
Apoſtolus quantum Dei gloriam ſuæ anteponeret. 51
Animus ſanctorum quantum diſtet à uanægloriæ appetitu. 51
Appetitus uanægloriæ quantæ ruinæ ſit cauſa. ibid.
Amico nulli ſine orationis diſcuſſione credendum. ibid.
Aaron & Maria quomodo detrahendo Moyſi ſe ipſos exaltaret, & Moyſen deprimerent. 53
Aaron & Maria cur murmurarint contra Moyſen, 54. & in qua ſpecie ſuperbiæ peccarint. 54
Amicitiam cum ſuperbis habere quomodo non ſit tutum. 55
Aaron quomodo, licet non publicem, tamen punitus ſit 58
Abyſſus quomodo abyſſum inuocet. 67
Aſcendentium montes quomodo aliqui illuminati aſcendant, alij contenebrati. 71
Archa teſtamenti Domini quid. ibid.
Agendum quid ſit inter uariè loquentes exploratores. 76
Aſcendentem ad ſenſum ſcripturarum debere eſſe illuminatum. 82
Aſcendere nolle ad terram promiſſam quid ſit 8.9
Areſtantes aliquem in carcere ſine ſufficienti cauſa quòd maleſaciant. 104
Abducentia nos à diuinorum memoria quomodo fugienda. 107
Affectus duplex. ibid.
Abrogare ſe ipſum quàm utile ſit homini. 108
Ambitioſus quomodo ſtet contra populum, dum pro ipſo ſtare uidetur. 110
Ambitioſos falſitatem ſub uero palliare. ibid.
Ambitioſos multum uitandos 111
Appetere maledictam intelligi dupliciter. 116
Ambulare coram facie ſua quid ſit. 119
Amor propinquorum quantum poſſit. 124
Apoſtoli, quomodo in tabernaculo teſtimonij poſiti. 128
Auguſtinus quomodo ad uirgæ floritionem fructificationemque reſpexerint. 130
Accedentes ad tabernaculum cur morerentur. 135
Attributio indignationis Deo quid importet. 141
Auxilium diuinum cur detur, uel non detur aliquibus. 144
Auerſio a Deo in peccato mortali, quæ principalius odiunt à Deo. 148
Aquæ expiationis immundorum quomodo baptiſmum figurarint. 151
Attribuere Deo partialitatem quantum ipſi diſplicent. 153
Aaron cur publicè caſtigandus morte puniatur, 154
Antichriſtus cur ab Archangelo occidetur. 156
Aduerſa multa uno tempore Moyſi occurrunt. 158
Aduerſa malis deſiderare non eſt malum 161
Accidia cur a S. Patribus ſit tantopere deteſtata. 162
Accidia qualiter fugienda. ibid.
Aperire oculos & in ſerpentem figere quid ſit. 166
Amor ad mercedem iniquitatis quid efficit. 174
Addiſcendum a malis in faciendo bono. 175
Aſina Balaam quid figurarit. 180
Angelus Balaam loquens quid figurauerit. 183
Augurium quòd ſit peccatum mortale. 191
Augurium quid ſit. ibid.
Actio phinees unde tantam uirtutem habuerit. 198
Agnus anniculus immaculatus quomodo Chriſtum ſignificabat. 204
Animæ cura quomodo corporis ſolicitudini anteponenda. 204
Animæ cura nunquam dimittenda propter quamcunque corporalem ſolicitudinem. 205
Apprehendi à peccato quid importet. 213
Ambulandum eſſe ſimpliciter in Dei ſeruitio. 214
Acceptio perſonarum reprobatur. 215

B

BArba Chriſti quomodo expilanda figurata ſit. 28
Bonitas Dei ſicut oleum. 30
Bonitas Dei magna. 31.51.71.82.86.87.128.153.169.197.
Baculorum tentio in manibus quid deſignet. 36
Baculum in manus quis teneat. 36
Beneficia diuina quomodo accipienda. 43
Beneficium indigeſtè tractare quid ſit. 52
Beatos eſſe quos homines oderint quo intelligatur. 56
Bonum magis de duobus bonis probabiliter quodnam ſit. 60
Bonitas intellectus in quo conſiſtat. 78
Beati qui non uiderunt, & crediderunt quomodo intelligantur. 80
Bonitas finis quantam uim habeat ad mouendum animos. 88
Beneficia Dei quomodo ſemper aliquid cauſent in homine. 91
Beneficia a Deo alicui donata quomodo ſiut admonitiones quædam. 109
Boni quomodo per cohabitationem malos iuuent. 123
Bonos ponere inter malos quomodo bonum. ibid.
Bonis quantam reuerentiam deferat Deus. ibid.
Beneficijs acceptis abuti omnia mala cauſare. 158
Benehabituatus, quòd ſi ceciderit, faciliter ſurgat. 166
Balaam quomodo ualdè peccauerit, in populum domini ſcandalum mittendo. 173
Balaam quid figurauerit. 174.188
Balaam cur ab aſina correptus. 174
Balaam quomodo conſtantiam martyrum figurarit. 187
Balach quomodo hęreticos figurarit. 189
Benedictionem fidei catholicæ ſemper duraturam. 189
Balaam quomodo nihil meruerit benedicẽdo Iſraeli. 190
Balaam quomodo de Chriſto prophetarit. 191
Benedictio Balaam tertia quomodo fuerit maior alijs. 192
Benedictionis Iſraelis, & alia bona cur de ipſo dicantur. 193
Bonitas paucorum quomodo quandòque operiat malitia multorum. 197
Blaſphemia continua omnium damnatorum unde procedat. 212

C

COnuictus mutuus quid ſignificet. 1
Clericorum officium quodnam ſit 4
Clericis cur non liceat pugnare in bello. 4.6
Conſtitui ſuper tabernaculum quid ſit. 4
Clerici cur, dicantur agricolæ. 4
Clerici quomodo figant tentoria per girum tabernaculi. 4

Clerici

Clerici q̃uo teneantur uigilare ſuper gregem Domini. 4
Clerici quòd debeant intelligere ceremonias quas faciũt. 4
Campanæ in Eccleſia cur conuenienter dentur. 5
Chriſtus cur prius ſuſcipiatur a Marta, q̃ a Magdalena. 6
Catholicum eſſe quid ſit. 7
Calues Dei cur dicatur a Moyſe caluus multitudinis. 11
Clericis offenſis quomodo tota multitudo ſit offenſa. 12
Clerici quod ſint in ſignum redemptionis noſtræ. ibid.
Clerici noſtri quomodo ſint digniores antiquis. ibid.
Clerici Eccleſiæ quomodo ſint catholici. 14
Clericorum bona in malum ruera inuentes quò dãnabiles.
Clericorum bona cur uocentur patrimonium Chriſti. 15
Clericorum bona quomodo primum locum teneant. 15
Caſtitas ubi ſit. 16
Clerici quòd examinãdi antequam ad ordines promoueã-
tur. 19. & de quo examinandi. ibid.
Caſtigatio qua Deus caſtigat quomodo non tam caſtiga-
tio, quàm doctrina ſit. 22
Computatio ſæmoris quid denotet. 24
Chriſtus quomodo fuerit Nazaræus figuratus. 25
Chriſtus quòd habuerit cæſariem. ibid.
Chriſtus cur noluerit ad Lazarum moriturũ accedere. 26
Chriſto præſente neminem mortuum fuiſſe. ibid.
Chriſtus ad quemcunque peccatorem ſit ingreſſus, quòd
ipſum ſanarit. ibid.
Chriſtus cur nõ curarit omnes infirmos, quos inuenit. ibi.
Chriſtus quo dicatur oblatus Domino à ſacerdotibus. 27
Cæſaries Nazaræi cur auferretur ad cutem uſque. 28
Capilli Nazaræorum raſi cur ponerebtur ſuper ignem. 28
Cognitio, qua Deus cognoſcitur, duplex. 29
Claues regni cęlorum quænam ſint. 30
Conſecrationes ſacerdotum quam Deo gratæ. 32
Commẽdare ſe aliorum orationibus quantũ ualeat 33. 42
Candelabrum cum ſeptem lucernis quid ſignificaret. 35
Ceremonię circa manducationem agni quæ ſint. 36
Calciamẽtorum habitio in pedibus quid importaret. 36
Comeſtio feſtinata agni quid deſignet. 36
Communicaturus digne quòd debeat habere omnes cere-
monias comeſtionis agni. 36
Circũſtantię comedendi agnũ cur dicãtur iuſtificationes. 36
Coniecturari quomodo poſſit profectus uel defectus com
municantium. 37
Communicare quotidie cur non laudetur, nec uituperetur
a D. Auguſtino. 37
Campanæ a quibus pulſandæ. 39
Communicantes minus digne qui ſint. 43
Carere corporalibus concupitis in hoc mundo quòd ſit
magnum ſignum miſericordię Dei. 45
Congregationis alicuius filios non oẽs eſſe eius filios. 48
Charitas quid ſit. 50
Coniecturari quomodo poſſit an aliquis ſit in charitate. 50
Carnes cur exire dicantur per nares. 52
Culpa quomodo tollatur. 55
Culpa Cain quænam fuerit, & pœna. 59
Cain quomodo hæreticos figurarit. 59
Chriſtus cur conſtitutus ſit a Deo iudex uiuorum & mor-
tuorum. 63
Conſcientiam erroneam à peccato non excuſare. 65
Chriſtianos magis in Deum confidere debere quàm anti-
quos Iſraelitas. 66
Charitas potentiarum animę ad inuicem. 67
Confeſſio multiformis peccatorum. 70
Caput uiſibile cur a Deo Iſraeli datum fuerit. 76
Caput uiſibile datum eſſe etiam Eccleſiæ. ibid.
Caput ſuum non ſaluans quòd ſit peius beſtijs. 77
Caput ſaluare quid ſit. ibid.
Chriſtum quomodo, & quid pati oportuerit. 78
Chriſtianus quid agnoſcere debeat. ibid.
Chriſtus cur ſua miracula coram hominibus faceret. 81
Concilia cur ſæpe fiant in confuſio infidelium. ibid.
Ciuitas Hieruſalem de cælo deſcendens quomodo ſit ſcri-
pturarum ſenſus. 82
Credere nolẽtes uiſis miraculis quãtã iniuriã Deo faciãt. 83
Chriſtus cur corã Herode nullũ mirac. facere noluerit. ibi.
Credat in Deum oportet qui uult ſaluari. ibid.
Credere Deo, & credere in Deum quomodo differant. 84
Chriſtus cur ſoluerit didragma. 85
Confidentia in ſeipſo quanta mala faciat. 90
Chriſtianos debere magis laborare, quàm antiquos. 96
Cauſa in actibus uirtutem quomodo mouere debeat. 97
Contradicere Chriſto uerbis q̃ conſtituat Antichriſti. 98
Cordis humani quanta ſit dignitas. 99
Conſuetudo benedicendi menſe quomodo antiquitus figu
rata 102
Chriſtus quomodo dicatur nobis iuſtitia factus. 103
Certum inueniendum in rebus dubijs ante plationem ſen-
tentiæ. 105
Confeſſor quanta ſcientia pollere debeat. ibid.
Chriſtum in illo triduo uerè mortuum extitiſſe. 106
Color hiacinthinus qualis. 107
Charitas quomodo conſeruetur in nobis. 108
Chore cur populum falsò laudauerit. 110
Chore quomodo contra populum ſteterit. ibid.
Chore quomodo fuerit diabolo ſimilis. ibid.
Chore quomodo interpretetur. 111
Catholicus quomodo diffiniatur. 112
Credentes hæreticis quomodo ſint inexcuſabiles. 113
Cæcitas hæreticorum ac ipſis fauentium quanta ibid.
Chore quomodo peccauerint in Moyſen. 114
Compaſſio quomodo erga aliquos rebelles habenda. 118
Conſuetudo mala quantam uim habeat. 124
Ceremoniæ quantum ualeant apud Deum. 126
Ceremoniæ Eccleſiaſticorum quomodo differant à nõ Ec-
cleſiaſticorum ceremonijs. ibid.
Xps ab inſtanti ſuę cõceptionis incepit pro nobis pati. 127
Crux Chriſti quomodo flores & fructus produxerit. 127
130. 136.
Crux Chriſti quomodo reſpicienda. 129
Crucem nullam ſeu legem aliam quam crux & legẽ Chri-
ſti duraturam. 135
Crux Chriſti cur a ꝓpheta uocet, iudicia dñi uera, &c. 135
Crux cur uocetur ſignum filij hominis. 136
Chriſtus quomodo torcular calcauerit ſolus. ibid.
Clerici magis hippocentauris ſimiles. 138
Conſideratio periculorum fœlix. 139
Chriſto quomodo peccata fuerint aſcripta. 140
Clerici in tribulationibus ſe Deo committere debent. 143
Clerici negligentes ſuum officium & oblationibus populi
ueſcẽtes ſunt ueluti fures. 144. item tenẽtur ad reſtitutio
nem fructuum, ſeu decimarum ibid. & quòd maximè
offendũt Deum, & proximum. ibid.
Cauſa peccatorum quæ. 144
Cor hominis quomodo cuſtodiatur. 145
Chriſtum non potuiſſe peccare. 149
Certum tenendum incertumque dimittendum. 151
Conſuetudo quomodo liget. 155
Chriſtus quomodo pro ſigno poſitus. 163
Chriſtum tantum propter homine crucifixum. 164
Chriſtus quòd in omnibus factis ſuis ſerpſit. 166
Chriſtus q̃uo conſilia iudæorum contra ſe neſciuerit. 167
Chriſtus cur uocetur uermis in ſcripturis. ibid.
Chriſtus quomodo ſerpens. 169
Chriſto non credens quomodo inexcuſabilis. 169
Chriſtianis nihil melius aut æque patrocinari in bello quã
bene uiuere. 171
Conſilia uariare quomodo licitum. 172
Conſuetudinis malæ uis. 174
Cordis inſcrutabilitas. ibid.
Caſtigatio inferioris quid requirat. 176
Clamor ſanctorum contra ſuos oppreſſores quomodo in-
telligatur. 179
Crudelitas in irrationalia quomodo uituperabilis nec ne
in homines uero ſemper. ibid.
Commoditates addiſcendi, quas alicui Deus parat. 180
Conferre ſcripturam ſcripturæ cuius ſit. 187
Clangor uictoriæ quid importet. 189
Chriſtus quòd ut leo ſurrexerit. 191
Chriſtiani cur debeant audire miſſam, & conciones etiam
diebus ferialibus. 205
Clericis quomodo debeatur præbenda. 210. 216
Clerici quòd debent tẽpore belli propugnãtibus orare. 210
Chriſtianos nolle paſſioni Chriſti communicare quàm da
deceat. 211. & quantum Deo diſpliceat. ibid.
Clericis licitum eſſe poſſeſſiones habere. 217
Clericis cur temporalia dentur. ibid.
Clero temporalia non tradens aſſimilatur crucifixoribus
Chriſti. 217. & penuria temporalium caſtigatur. ibid.
Clerici cur teneantur uacare ſtudio legis domini 217

D

Dicta filijs Leui quæ, & quòd magis clericis noui teſtamenti dicantur. 4
Denominatio unde fiat. 5
Duratio ſpeciei ex quo attendatur. 14
Dilapidator bonorum Eccleſiaſticorum quòd ſit dilapidator Chriſti. 15
Docti in logica, philoſophia quomodo non ordinandi. 19
Deus quomodo ſaluti ſuperiorum conſoluerit. 21
Donatio hominum quid ſignificet. ibid.
Deus ex quo moueatur ad puniendum. 22
Detinens quomodo quis poſſit habita de eo ſuſpicione probabili. 24
Deus quomodo ſemper peccatores conuertat. 26
Dicta de Nazaræis quomodo uerificentur de Apoſtolis. 28
Deus quomodo conuertat uultum ſuum ad nos. 29
Dicere miniſtrorum Dei quomodo ſit quoddã facere. ibid.
Deus quomodo omnibus benedicat. 32
Deus quomodo uincat in bono malum. 30. 52
Deus quomodo ſit in inferno etiam. 30
Dedicatio templi quantæ ſolemnitatis debeat eſſe. ibid.
Deus cur, dimiſerit caſtigationes multas propter orationes. 33
Dies, & nox quid ſpiritualiter deſignent. 38
Ducatus Spiritus Sancti effectus. ibid.
Deus quando dicatur recordari noſtri. 39
Deus dicens ſe cito mundum conflagraturum, uel indicaturum quomodo intelligendus. 42. 45
Deus quomodo dicatur abſconditus. 44
Deus quod non tardet promiſſiones ſuas. 46
Deus quomodo abſtulerit de ſpiritu Moyſis, & dederit alijs ſeptuaginta. 48
Dominium cuiuſuis creati nullo modo poſſe æquiparari diuino. 49
Deus cur dicatur Deus exercituum. 52
Detractio quid ſit. 53
Deus quomodo iratus contra obloquentes in Moyſen. ibidem.
Deus quomodo zelet pro ſanctis ſuis. 54
Deus cur caſtiget culpas omnes. 55
Detractio in ſanctos quam magnum peccatum ſit. 56
Delinquentes in nos cur nocemus debitores noſtros. 61
Deum nũquam diſpenſare hominem ab eo faciendo quid recta ratio humana dictat. 65
Diabolus quomodo debilior, & fortior nobis. 66
Deus quid nobis aliqua difficilia imponendo intendat. 67
Dubitantem non ſemper eſſe quicunque dubitare uidetur. ibidem.
Diabolus quam fortis, quàm debilis. 75
Doctrina aliqua quomodo acceptanda necne. 76
Diabolus cur bona opera permittat in hæreticis. 77
Diabolus quam ad pugnam aſſiduus. ibid.
Diabolus quomodo Goliæ ſimilis. ibid.
Diabolus quod ſolertiſſimus in modis certandi inueniendis. 77
Deſiderant intrare ciuitatem cœleſtem ꝙ bonum opus deſideret. 78
Dominus quomodo dicatur decorem, uel fortitudinem indutus. ibid.
Decorem magnum, Magnam decere fortitudinem. ibi.
Dignitatem magnam non acquiri ſine magnis laboribus, ibidem.
Diabolus unus cur tantam ruinam in cælo fecerit. 79
Deus cur modo non agat tot miracula ſicut in primitiua Eccleſia. 80
Defectus intellectus & uoluntatis qualis. ibid.
Dubitari de magicis artibus cur poſſit. 81
Diſputare de fide coram ſimplicibus cur prohibitum. ibid.
Diffidentiam multorum peccatorum eſſe radicem. 84
Deus cur faciat mirabiliora facta. ibid.
Diffidere de Deo in quibus peſſimum ſit. ibid.
Deus quomodo dicatur uiſitare peccata patrum in filios. 85.
Deus quomodo in exauditione Moyſis correſponderit orationi eius. 86
Deus quomodo manifeſtauerit fortitudinem ſuam, & cõ laude. 87
Deus cur uelit nos orare. 87
Deſiderare aliquid antecedenter uel conſequenter quid ſit. 88
Deum ſe noſſe quomodo quidam confiteantur, factis uerò negent. ibid.
Deficere peius eſſe religioſo quam ſeculari. 90
Dicens, peccaui, non omnis ueniam peccati ſui cõſequitur. 93.
Dilectio Dei uera quænam includat. ibid.
Duo quomodo melius intelligantur uidere, quàm unus. 94.
Deus quomodo nobiſcum ſit, & fuerit cum antiquis. 96
Diabolus cur uocetur demonium meridianum. ibid.
Deus quomodo fecerit nos patronos animarum noſtrarum. 100
Deus cur afflictis conſolationem admiſceat. 101
Denominatio in uitijs unde fiat. 104. 118
Dominicæ diei obſeruatio quomodo diſpenſari poſſit. 106
Deum poſt ſeptimam diem nullum opus totaliter nouum feciſſe. ibid.
Deus quantam curam habuerit de ueritate figuratum. ibid.
Deus quòd zelet magis pro Eccleſia, quam pro ſynagoga. 106. 114.
Deus cur uelit Iſraelitas recordari egreſſionis de Aegypto. 107.
Deus cur Iudæos eduxerit de Aegypto. 109
Deſiderium Dei de noſtra ſalute, quale. ibid.
Diffinitio quòd ſit uia certior omnibus alijs ad cognoſcendum aliquid. 112
Deus ſolus infallibiliter uerax. ibid.
Deſcriptiones hæreticorum, & aſtutorum. 114
Dathan & Abiron quomodo fuerint Moyſi rebelles. 115
Dathan & Abiron quomodo Moyſen de inuidia taxauerunt. 115. item de tyrannide. ibid.
Diffinitio non poteſt a diffinito remoueri. 116
Damnatos aliquos etiam nunc cum corporibus in inferno cruciari. 118
Deus eſſentialiter bonus. 119
Delinquens ſi paruam pœnam nolit admittere in magnam incidit. ibid.
Deus quod iudæos male perdidit. 120
Dominium uerum ſiue regimen quid ſit. 121
Dominium uerum ad utilitatem ſubditorum ordinari. ibidem.
Deus quomodo deſideret in nobis ſeruilem timorem. 123
Dominus quod pugnet pro S. Inquiſitionis officio. 124
B. Dominici charitas. 125
Deus cur nobis peccantibus à plaga indulgeat. 126
Deus quomodo uelit fugare ambitionem a noſtro capite. 139
Deus quomodo ſuperbiam à prælatis tollat. ibid.
Deus quomodo uelit per prælatum duobus dare ſalutem. ibidem.
Deus quomodo uelit prælatum eſſe miſericordem. ibid.
Deus uult ſubditos pro prælatis orare. ibid.
Deus uult mandata ſua à prælato cuſtodiri. 139
Diſparitatem in clericatu dari. 140
Deus cur ob cleri defectum ſeculares quoque puniat. 142
Deum plus quandoque iraſci contra pœnitentiam differentem, quàm contra actu peccantem. 147
Deum magis de honore ſuo curare quam de ſalute noſtra, idemque nobis faciendum. 148
Deus ſine ſacramentis poteſt conferre ipſorum effectum. 151.
Deo nos ſemper committere debere. 153
Deum omnem occaſionem partialitatis ſibi attribuendæ amputaſſe. ibid.
Diligentia magna opus eſſe cõtra diuturnitatem cuiuſque mali. 155
Deſiderare deſtructionem, errorum infidelium quam ſit Deo gratum. 159
Diſciplina quomodo in præſenti uideatur eſſe mœroris, & poſtea habeat fructum pacatiſſimum. 161
Deus cur uoluerit primum hominem in paradiſo operari. 162
Diuites intrare in regnum cœlorum cur difficile. 175
Deus quod ſeueriſſimè caſtigatorus ſit ſuperiores irrationabiliter erga inferiores ſe habentes. 176

Deus

Deus quam magnam curam habeat de ſubditis iniuſtè afflictis. 156
Deum nō dormire in ſua iuſtitia licet uideatur hominibus dormire. 179
Deus cur dicatur non tardare ad puniendum peccatores. ibidem. 179
Deus cur modo ignorantis loquatur. 183
Deus à quo practicè cognoſcatur. 183
Deus cur permiſerit, ut Balaam ſemper conuerteretur in maledictionem. 187
Deus quomodo ponat nobis malos in exēplo uirtutis. ibi.
Deus quòd non indigeat bonitate noſtra. ibid.
Deus quomodo peccata noſtra ordinet ad bonum. ibid.
Deus quomodo nellet nos uoluntatem ſuam agere. 190
Deus quod ſe habeat per oppoſitum ad punitionem humanam. 194
Deus puniendo quòd multa bona faciat. 194
Diabolus quomodo uoluerit circa idola aſſimilari altiſſimo. 195
Deus quòd remunerator ſit non nominum, ſed aduerbiorum. 196.209
Dilectio quomodo fortis ut mors. 204
Deus quòd plus uoluerit honorari diebus feſtiuis quam alijs. 204
Diminuens propter precium iuſtitiam iniuſtitiam committit. 218

E

EXplolatores terræ promiſſionis quoſuam figurarint. 79.24.79.89.
Exploratores quomodo nobis neceſſarij. 75. & quinam ſint. 76
Exploratores de quibus interrogandi. 78
Exploratores terræ ſanctæ quibus facti ſunt in malum, & quomodo. ibid.
Eccleſia cur dicatur catholica. 81
Exponere ſano modo ſcripturam ſacram quòd ſit maximū donum Dei. 83
Exauditiones quibus exauditus eſt Moyſes quid figurarint. 87
Exploratores uiciniſſimi terræ, cur eam non ſint ingreſſi. 89.
Errantes corde quinam ſint. 91
Effectus ſanguinis agni quis. 96
Eccleſiam debere recipere peccatores. 100
Eccleſia cur poſt primam uicem hæreticos non recipiat. ibidem.
Euangelium quomodo antiquo tempore à Deo prænunciatum. 108
Eccleſia quomodo una. 7
Eccleſiam fore catholicam quomodo prophetatum. ibid.
Exercitus Iſraelitarum cur a Deo ita diuiſus. 8
Eccleſia cur magis curet de rebus clericorum quam de alijs. 15
Eccleſia quomodo ſit regula infallibilis in fide. 18
Epiſcopatus quomodo uocetur opus ab Apoſtolo. 20
Excommunicatio maior & minor memoratur & eius malignitas. ibid.
Eccleſia cur prohibuerit aliquem ad ſacerdotium ordinari ante uigeſimum quintum annum. 33
Eucharistia ſumenda cur maiorem ætatem requirat, quam confeſſio. 34
Et, quòd quandoque accipiatur pro ideſt. 41
Exiſtens in feruida charitate quid uellet. 50
Eccleſia cur quò magis affligitur, eo magis à Deo exaltetur. 56
Euangelij monita quomodo ſeruanda. 59
Exploratores terræ promiſſionis quoſnā importarent. 67
Excuſatio peccatorum quanta mala cauſet. 68
Exploratores quomodo de caſu in caſum peiorem abierunt. 69
Eccleſiam Chriſti miraculoſe creuiſſe. 139
Eccleſiam tempore quoque Antichriſti augmentandam. ibidem.
Eccleſia de Chriſti dormientis latere quomodo formata. 145.
Eccleſia cur dicatur ſancta. ibid.
Errores infidelium quomodo deſtruantur. 159
Euchariſtia omnis boni contentiua. 163
Excommunicatio latæ ſententiæ propter quid, & in quem, ferri debeat. 186
Euchariſtia ſacra, quòd, dum offertur in altari Deo immolatur. 195
Euchariſtiam debere à Chriſtianis in templo mandocari. ibidem.
Euchariſtia quod cauſet oppoſita idolotitorum. ibid.
Eccleſia cur terminet orationes dicendo, Per Chriſtum Dominum noſtrum. 204
Euchariſtia quomodo lætificet cor hominis. ibid.
Euangeliſta quomodo ſufficiēter narrauerit genealogiam B. Virginis. 218

F

FIdem defenſare quomodo licitum, & Deo gratum. 5
Fœdus quidnam ſit. ibid.
Filij Dan cur nouiſſimi proficiſcerentur. 9
Felix quem faciunt aliena pericula cautum. 16.23
Fidei formale obiectum quid ſit. 18
Fideles quod non omnes ſint clerici. 19
Fermentum quid denotet. 36
Filij Aaron qui ſint. 39
Ficus bonæ uitæ a Hieremia iuxta templum cur eſſent bonæ ualdæ, & malæ malæ ualde. 43
Furorem iraſci quid ſit. 45
Filij hominum quomodo mendaces in ſtateris. 56
Finem & cauſam eſſe & effectum. 66
Fiducia in Deo, & in ſemetipſo quid. ibid.
Fortitudo diaboli quam magna. 75
Fideles, & infideles quomodo ad miratione digni. 81
Fidem Chriſti eſſe irrepræhenſibilem. ibid.
Fidem nobis non apparere. ibid.
Fideles non debere quærere miracula. 83
Fiduciam maiorem habendam in Deum ex beneficijs habitis. 84
Famam ſuam negligens eſt crudelis. 85
Fortitudo domini quid importet. 86
Finis quibus placeat. 88
Filij Iſrael quomodo pro nihilo habuerint terram deſiderabilem. ibid.
Fructus qualis ex Dei beñficijs reportandus. 91
Fletus quomodo quadruplex. 92
Fletus ueram pœnitentiam dicens. 92
Faciens contra rectoris iudicium, quomodo cōtra ſe ipſum faciant. ibid.
Filij propter peccata parentum qua pœna puniantur. 100.200
Fugiens unam crucem quomodo duas inueniat. 108
Felicitas a Chore Iudæis promiſſa in quo conſiſtebat. 111
Fructus & ueſtes quænam ſint. 112
Fauentes hæreticis mereri comburi. 113.124
Flagella non cohibere à uitijs quid importet. 124
Fautores hæreticorum. 124
Fructus Apoſtolorum quòd fuerint amigdalæ. 128
Floritio ſedis Apoſtolicæ cur a Deo facta. 131
Flores & fructus eſſe tantum in lege Chriſti. 135
Figuratum uirgarum cū uirga Aaronis in tabernaculo poſitarum, quando impletum. 136
Foliæ tribulatione producta quid ſint. 137. & quomodo dilatentur. ibid.
Florum emiſſio à tribulatione quid ſit. 137
Figuram & figuratum non tenere in omnibus. 159
Fideles cur pugnando cum infidelibus ipſis ſuccumbant. 160. 161.171.199.209.
Filios Dei cur potius datum eſt præ nobis crucem aſcendere, quàm alij perſonæ diuinæ. 164
Finis quòd moueat ad amandum ea quæ ſunt ad finem. 174.
Filij quod debeant parentibus ut bene uiuāt ſuadere. 200
Filios parentibus in moribus aſſimilari quòd ordinarium ſit. 200
Feſtiuitates qua ratione inſtitutæ ſint. 204
Fideles pugnantes contra infideles qua intentionem habere debeant. 208

Gratia

G

Gratia Dei quomodo dicatur unctio. 27
Gratia Dei quod detur per merita Chriſti. ibid.
Gratia quomodo intelligatur Chriſto data non ad menſuram. ibid.
Gratiam Dei habentibus quomodo adſit pax. 29
Gratia Dei quid ſit. ibid.
Gratias incompactas Deo reddere quis dicatur.
Gloria Dei quomodo appareat in homine. 50
Gloria ſanctorum quomodo habeat teſtimonium à Deo. 56
Guſtus male diſpoſitus quomodo non reſpiciendus. 61
Gratiæ Deo ſemper poſt orationem agendæ ſunt. 86
Gloriam Domini dicere quid plus quam fortitudo. ibidem.
Gloria quid importet. ibid.
Gentiles quomodo coacti ſint laudare fortitudinem domini. 87
Germiuare nolle quid ſit. 91
Gratia Dei quomodo non ſit in uacuum recipienda. ibidem.
Gloriam Chriſti inferentia quòd magnam uim habeant ad conuertendos peccatores. 136
Grauamen ſummi ſacerdotis quam magnum. 139
Gloria bonorum & cõfuſio malorum coram Angelis exercenda. 178

H

Horæ canonicæ, quòd rectè clericis ab Eccleſia præceptæ. 4
Hæretici quomodo omnibus hominibus aduerſentur. 18.59
Hæretici quomodo deridendi. 19
Homo ſolitarius aut Deus, aut beſtia. 27
Habens ſemen Dei in ſe quomodo intelligatur nec peccare, nec peccare poſſe. 29
Hæretici quomodo minus æſtiment diuinam maieſtatem quàm terrenam. 42
Homines ouo duro aſſimilati. 43
Homo, quòd aſſimiletur ueſtimento, & carboni. 44
Homo, quod eliciat ex bono malum. 53
Homo omnis quomodo mendax, & quando. 55
Homines quando nobis magis utiles ſint. 56
Honor Regis quomodo iudicium diligat. 60
Hominem debere in omnibus facere, quod in ſe eſt. 65
Hominem eſſe bonum Dei ſeruum in quo conſiſtat. 74
Hæreticos rectè beſtias uocari. 77
Hoſtes, quòd omnia ad capitis occiſionem ordinent. 77
Hoſtes ſpirituales quam timendi. 77
Homo grandis quis. 78
Hominum conditio quam ſit ad malum prona. 79
Hominem aſſentire credibilibus ſupra ſenſum quã magnũ miraculum. 80
Honorem Dei non zelantes. 84
Hæretici Euangelici, quam rectè hoc nomine uocentur. 89
Homo quomodo terræ aſſimiletur. 90
Hæretici cur dicantur animales homines. 92
Hæretici cur dicantur indocti, & inſtabiles. ibid.
Hæreſes eſſe opera carnis. ibid.
Hæretici quantum Chriſti ſuitatem offendant. ibid.
Hæretici quomodo ſtultiſſimi. 95
Homo quomodo liber. 97
Hæreci quomodo ſint ſcorpionibus ſimiles. 98
Hæretici cur particiones terminorum abhoreant. 99
Homo quomodo poſſit in hac uita in caritate ſemper proficere. 100
Habens animum non amplius proficiẽdi quomodo faciat contra uoluntatem Dei. 109
Hæretici quomodo ſeditioſi. 111
Hæretici obedientiam populis diſſuadentes quid intendant. ibid.
Hæretici quomodo diabolo ſimiles. ibid.
Hæretici diffinitio à B. Io. Euangeliſta. 112
Homines quomodo à fructibus cognoſcantur. 112
Humanitas Chriſti quomodo dicatur tabernaculum Dei. 129
Hæretici, quòd reſpiciant tantum ad uirgam & non ad eius floritionem. 131
Hæreticorum querelæ contra Romanã ſedem ſunt contra Deum. ibid.
Homo quomodo arbor. 138
Homo quomodo reponatur in tabernaculo teſtimonij, & coram Domino. ibid.
Humilitas in prę̨lato, quòd diligatur à Deo. 139
Humiliationis ritę quanta ſit uirtus.
Honorem Dei præponendum ſaluti corporali cuiuslibet creaturæ. 148
Honorem Dei in peccato ſaluari, quòd impoſſibile. ibid.
Homines omnes tignere debere ne cadant. 157
Homo neſcit finem ſuum. ibid.
Homines probos quandoque figuram eſſe malorum. 159
Humilitas Chriſti unde proceſſerit. 164
Homo quomodo à diabolo iudicandus. 169
Homo quomodo obturet os ſuum quando Deus uult ad aperire. 180
Hariolus unde dicatur. 192

I

Intentio totius libri numerorum. 1
Inquiſitores quomodo licitè poſcant brachium ſeculare. 5
Iſraelitæ quomodo dicerentur externi. 6
Iacob cur prius acceperit Lyam in uxorem quàm Rachelem. ibid.
Iſraelitæ quomodo fideles ſignificarent. 7
Iſraelitæ cur graderentur unuſquiſque per gradus, & ordines ſuos. 8
Iudas quòd uerus Apoſtolus eſſet, etiam dum eſſet peſſimus. ibid.
Iſraelitæ cur dicti ſint proficiſci per domos patrum ſuorum. 10
Ignorans quomodo ignorabitur. 19.87
Iuſtum quomodo non contriſtet quicquid ei accidat. 29
Interceſſio ſanctorum quòd detur. 31
Immundis cur tempus celebrationis phaſe prorogaretur. 35
Inuiſibilia Dei quomodo cognoſcantur. 41
Interceſſio ſanctorum quantum proſit. 41.170
Iudæi de manna murmurantes quid denotarent. 43
Ira Dei, quid ſit. 45
Iudicium humanum quantum decipiatur. ibid.
Ira in Deo quid dicat. 46
Ira diuina quomodo procedat ad ſui uindictam. 46
Ioſue cur ſuaderet Moyſi, ut prohiberet prophetantes 49
Ioſue quomodo deciperetur in ſuadẽdo Moyſi prohitionẽ prophetantium 50
Iudæi quidam quomodo habuerint æmulationem Ioſue. 51
Iudæi quomodo ab Apoſtolo deſcripti. 52
Initium peccati, quod ſit ſuperbia. 55.103
Ira uiri quomodo iuſtitiam Dei non operetur. 55
Iniurias remittere quantum bonum cauſet. 55
Inuidia cur interpretetur ſine uiſione. 56
Iudicium humanum in quibus maximè decipiatur. 63
Iudicium diuinum quomodo mitius, quam humanum. ibid.
Intellectualis creatura, quòd non poſſit lamentari de iudicio diuino. 63
Iudicium diuinum quomodo ab omnibus approbetur. 64
Iniuſtè pugnantibus explorationes facere non licere. 65
Iudæi cur Chriſtum lapidare nequiuerint. 71
Illuminati prolapſi quam difficulter ad bonam frugem redeant. 72.69
Inuidia demonum qualis. 75
Inuidia paleſtinorum qualis. 75

Ini-

Inimicos hominis eſſe domeſticos eius. 75
Ingreſſuros regnum cœlorum quomodo nos eſſe oporteat. 77
Inimici quomodo ex omni parte bis inſidientur. 78
Inimici cur dicantur eſſe in meridie, in montanis, & iuxta fluenta. ibid.
Iuſtitiæ Dei ſolius quomodo memorandum. ibid.
Iuſtitia Dei quid effectura. ibid.
Infidelitas quomodo ſit peccatum mortale. 80
Intellecta credulitas ſimpliciter, uel ſecundum quid 81
Infidelem tot modis attendi, quot fidelis. ibid.
Infidelibus cur nunc ſigna non dentur. 83
Iudæi cur tenebantur naturali ratione credere Deum debellaturum paleſtinos. 84
Infidelitas cur uocetur in plurali peccata. 84
Imber terræ ſuperueniens quid deſignet. 90
Imbrem bibere quid denotet. ibid.
Initium ſapientiæ quomodo timor Domini. 92
Iudæis cur non pro fuerit, licet dixerint; peccauimus. 93
Iudicium prælati eſſe melius iudicio ſubditi. 94
Inobedientia ad Papam quanta mala cauſet. 95
Inquiſitores arreſtantes aliquos quomodo benefaciant. 105
Ignorantes potius eligendũ teneri, quàm præſuntuoſum. 105.
Imitatio hæreticorum unde ſit. 113
Iudæi quomodo in hoc mundo ſint ſine Deo. 119
Iudæi quòd ſint cum Diabolo. 120
Iudæi quomodo Dathan & Abiron in culpa ſimiles. 120
Iſraelitæ cur rebellarint contra Moyſen. 121
Impij ſi non puniantur, quòd honor Eccleſiæ obtenebratur. 122
Inquiſitores Reuerendi ſeditiones fugientes quòd non culpandi. 124
Impedientes S. Inquiſitionis officium quòd cremari mereantur. 124
Infideles cur alij, quàm Chriſto ſacerdotium attribuant. 129.
Iudæi quid, nolentes à Pilato crucis titulum deleri intenderint. 134
Iudicia domini cur dicantur deſiderabilia ſuper aurũ. 136
cur dicantur dulciora ſuper mel. ibid.
Iudæorum intentio quomodo fruſtanda eſſet. 136
Immolatio uaccæ nondum iugum expertæ quid indicarit. 145
Inhonorare Deum quomodo poſſit homo. 146
Immundus quomodo polluat ſanctuarium. 146
Immolari per manus ſacerdotis quid importet. 148
Imolatio Chriſti coram omnibus populis fieri debuit. 149
Ioſeph ab Arimatia quomodo antiquitus præfiguratus. 149.
Iudicium de quibuſcunque quomodo dandum. 158
Inimici Chriſti omnes quomodo ponantur ſcabellum pedum ipſius. 160
Inquiſitores Reuerendi quomodo obſequium Deo præſtent. ibid.
Imagines quomodo adorentur. 164
Ingratitudo magna hominis. 160
Infideles contra nos uocans quis ſit. 170
Ignobiles, ſtulti, infirmi, quòd debebant confundere, & conuertere nobiles, ſapientes, & fortes. 180
Ignorantia quantuncunque parua non poteſt in Deo cadere. 186
Incantationes non eſſe timendas. 187
Iuſtitia Dei neſcit patrocinium dare criminibus. 188
Intellectum maiorem habere debentes magis puniuntur in eodem genere peccati. 194
Iudex non puniens publice publice puniendi quantum damnum cauſet in populo. 194
Iuſtitia Dei quomodo in ſecreto operetur. 194
Idolorum cultorum effectus in paganis quis. 195
Idolotita manducare quomodo mortem cauſet. 196
Iudicia diuina non debemus temerarie iudicare.
Imperator, ſi quid agendum eſt, ſummum Pontificem conſulere debet. 201. 216
Ieiunia ſua magis curantes, quàm ieiunia Eccleſiæ quomodo decipiantur. 206
Iudicia Dei non eſſe inueſtiganda. 209
Iudicem in cauſa propria neminem eſſe debere. 209
Inferiores quòd omnes in manu ſuperiorum exiſtunt. 214.
Iuſtitiam maiorem propter precium in minorem commutare eſt polluere terram habitationis ſuę. 218

L

Leuitæ cur tabernaculum ex omni parte circundarent. 14
Libertas uera quomodo diffiniatur. 17
Libertas falſi nominis quæ. 17
Latrones cur publicè appendantur. 22
Lex antiqua quomodo cito poſt Chriſtum eſſet deſitura. 25
Latrones cur non obijciat Chriſto uiuente. 26
Leuitæ in quibus anteponantur filijs Iſraeliticis. 33
Lactucæ agreſtes quid importent. 36
Laudes humanas cupientes quàm miſerrimi ſint. 56
Laudes humanas ſpernentes quàm ſapientes. 56
Lingua mala quòd ſibi ipſis magis quam alteri nocumentum affert. 63
Locutio improuida quanta mala cauſet. 70
Legere uolentes ſine lumine quæ mala efficiat. 82
Litteram ſcripturam eſſe cœlum, ſenſum uerò ipſarum ſupra cœlum. 82
Liber nullus magis quàm Deus. 85
Lugentes pro peccatis non omnes laudandos. 93
Libertate nil charius homini. 97
Libertatem donãs quomodo multum donet. ibid.
Libertas quomodo duplex. 99
Liuor & zelus quomodo differant. 116
Libertas quomodo non excludat ſubiectionem. 122
Locus & locatum debent proportionari. 147
Labor improbus omnia uincit. 155
Laus cur in ore proprio ſordeſcat. 156
Liberum arbitrium quomodo ad ſalutem noſtram concurrat. 166
Locutio quomodo à reſponſione differat. 172
Licentiæ qua intentione a prælatis petendę. 184
Loqui cum aduerſarijs noſtri parum debemus. 210
Lutherus quomodo contra Moyſia dogmatizarit intentionem. 211
Lutherani quomodo ſint incrementa peccatorum. 212
Latera quomodo denotent uitam corporalem. 214

M

Manducantes in Euangelio relati quomodo fuerint quinque millia. 3
Mos ſcripturarum in numerando quis. 5
Maſculum, aut fœminam in Chriſto Ieſu non eſſe quomodo intelligatur. 6
Manſiones multas in domo Dei eſſe quomodo intelligatur. 7
Manendum in uocatione ſua quomodo intelligatur. 8
Mali quomodo ſint ſcabellum bonorum. 9
Mulieres in tribu Leui cur non numerentur. 12
Mulier cur arceatur à clericatu. 12
Mulieri cur non ſit ignominioſum repelli à clericatu. 12
Maſculus quomodo ſit nobilior quàm fœmina. 12
Mos hæreticorum cauendus quomodo. 13. & quis ſit.
Multiplicatio indiuiduorum cur fiat. 14
Minores quomodo habeant fidem implicitam in fide maiorum. 18
Maiores quare interrogandi ſint. ibid.
Mens uouentis quomodo ſit regula explendi uotum. 29
Maria uirgo quomodo intelligatur peperiſſe filium ſuum primogenitum. 32
Miſſæ ſacrificij magna uis. 35
Mundus quomodo ſanctorum orationibus ſuſtentetur. 41

Manna deſcendere de cœlo tantum nocte quid ſit. 44
Meſſias quod recte de nocte natus. 44
Manna cur deſcenderet ſuper caſtra. ibid.
Moyſes quomodo commendandus. 50
Moyſis magna charitas. ibid.
Mali totalis deſtructio quomodo fiat. 52
Malum progignere bonum, unde fiat. ibid.
Murmuratores Iudæi cur carnibus perierint. ibid.
Malitia humana quomodo, nihil ſit quo non abutatur. 53
Mala loqui de abſente quòd ſit ſignum ſuperbiæ. 55
Mititas Moyſis cur interſeratur uerbis ... ibid.
Murmurantes in prælatorum uitia, quam temerarij. 59
Maria ſoror Moyſis quomodo ſynagogam figurarit. 63
Mariæ plaga cur ad Moyſis deprecationem ſuſtollenda differatur. 63
Minoritas pœnarum in Deo uindice, uel homine a quo dependeat. 64
Media ad aliquam rem dimittentes, malefacere. 65
Moyſes cur ſciens terram promiſſam eſſe bonam uoluerit tamen etiam exploratores adhibere. 67
Meridiana plaga quid denotet. 67
Montes quid deſignent. ibid.
Moyſes quot quæras ab exploratoribus de terra. 68
Moyſen nulla ambitione unquam dominandi fuiſſe tactum. 70
Moyſes, Aaron, Ioſue, caleph quoſnam denotent. ibid.
Mali cur non poſſint quæcunque uolunt mala in bonos facere. 71
Magnitudo priorum in paradiſo exiſtentium quantum diſtet a magnitudine ſequentium. 77
Modus uitandi ſchiſmata. 79
Miracula nunc fieri non eſſe neceſſarium. 80
Miraculum quomodo ſe habeat ad fidem. 80
Miracula Dei cur coram hominibus facta dicerentur. 81
Moyſes cur non rogarit Deum ut abſolutè dimitteret pœnam populo, ſed tantum ut differret. 85
Moyſes rogando pro populo quomodo intenderet miſericordiam ſimul, & iuſtitiam. 85
Modus multiformis exaudiendi. 86
Miniſtri Dei quinam uerè ſint. 96
Miſericordia Dei ſuper afflictos quam magna. 101
Miſericordia Dei erga Iudæos maior poſt afflictionem quam ante. 102
Miſereri quomodo ſit proprium Dei. ibid.
Mors, & uita quomodo in manu domini. 104
Memoria quomodo ſit principium noſtræ ſalutis. 105
Mandata cur deſcriberentur in quatuor angulis palliorum. 107
Manus una quomodo neſciat quid faciat altera. 108
Moyſes quòd modeſtius locutus ſit ueritatem, quam chore falſitatem. 112
Malitia quid ſit. 113
Malignitas quòd ſit perpetuum peccans. 114
Moyſes quomodo appoſuerit uindictam inimicis. 116
Miſericordia Dei magna. 118
Martires cur pœnas & tormenta nihil facerent. 119
Malos male perdere quid deſignet. ibid.
Moyſes quomodo ſe a tyrannide purgat. 121
Mali quod debent habere pro magno beneficio cohabitationem bonorum. 123
Mali bonos perſequentes quomodo ſeipſos perſequantur. 123
Moyſes in quibus figurarit Reuerendos inquiſitores. 155
Moyſen cur uoluit ceremonias præmitti orationi. 125
Modus conuertendi infideles ad fidem Chriſti. 130
Modus facillimè docendi. 132
Monachus extra cellam, ſicut piſcis extra aquam. 138
Mors ſanctorum quomodo dicatur ſomnium. 145
Moyſi maiorem inflictam eſſe pœnam, quam ipſi Aaroni. 153
Moyſen peccare cur à Deo permiſſum ſit. 156
Moyſen decidiſſe ab ingreſſu terræ promiſſionis quid figurarit. 157
Moyſen cur ſemper ſperauit ingredi terram promiſſionis, niſi quando ipſam uidit. 158
Miracula ad imaginum ſanctorum adorationes fienda quomodo figuratum. 165
Miſericordia Dei quam magna. 166. 194
Moyſes faciendo ſerpentem æneum, quid figurarit. 166
Mirabilitas magna circa mortem Chriſti. 168
Maledictio duplex. 173
Merces quomodo liget animum hominis. 174
Munerum diſtinctio unde ſumatur. ibid.
Mali, quod non poſſint quæcunque uolunt mala facere. 179
Miſericodia quomodo ſit ſimul inuenta in ſtatim punitione à Deo. 194
Manus eſt organum organorum. 196
Mali quomodo ſint impedimento bonis. 200
Miraculum magnum, circa punitionem chore. 200
Miſſam audientes quomodo debeant eſſe ieiuni. 205
Mandata, quòd conſilijs anteponenda. 206
Miſeria magna peccatoris. 213

N

NOlle benedictionem quid ſit. 52
Norma rebellionum. 116
Nomen uirgæ Aaronis inſcriptum quid figuraret. 134
Negligentias circa diuinum cultum maximè caſtigandas. 141
Negligentiam miniſtrorum altaris prouocare indignationem Dei maximam. 141
Negligentiam in uſum tractam maximè periculoſam eſſe. 141
Nos quomodo noſtræ ruinæ cauſa ſumus. 144
Neminem ex beneficijs Dei, debere ſuperbire. 154
Nomen tantum crucifixi ſub cœlo datum eſſe, in quo nos ſaluos fieri oporteat. 164
Nemini de doctrina adipiſcenda deſperandum. 180
Nemini de ſcientia ſua quauis ſuperbiendum. 180
Naturalia quæque in omnibus Deo obediunt ad nutum. 181
Numeri uocabulum quid importet. 1
Numerari inter aliquos quid importet. 5
Naturalia quæ dicantur. 13
Numerus maior filiorum Leui, quam aliarum tribuum, quid ſignificarit. 14
Nazareus quomodo interpretetur. 24
Nazaræi quomodo Dominum Ieſum figurarint. 25
Nazaræus cur à prophetis dictus ſit Chriſtus, & non Nazarenus. 25
Nazaræi quomodo ad ſuã legem non aſtringantur poſt Chriſtum. 25
Nazaræum eſſe, quid ſit. 25
Nomen Domini; quòd nunquam fruſtra inuocetur. 29
Nubes ducens Iſraelitas quibus cõditionibus diſtaret à cæteris fructibus. 37
Nubes ducens Iſraelitas quid denotaret. 40
Nugatio, & ſuperfluitas quando committatur, nec ne. 41
Noctis tenebroſitas quid importet. 44
Nutricis conditiones, & quomodo prælatus eas habere debeat. 46

O

OBedientiæ obiectum. 18
Ordinandi quòd debeant ſcire ſpectantia ad officiũ ſuum. 19
Oratio quomodo arripienda fiducialiter. 22
Oratio cur poſt teſtium carentiam ſuadeatur. 22
Oblatio antiqua cur uocaretur partim hoſtia pro peccato, partim hoſtia pacifica. 27
Orationis quam magna ſit uis. 33
Oratio, quòd non tollat iuſtitiam. 33

Ora-

Orationes iniuſtorum quomodo ſint ſatiſfactiones pro mortuis. 33
Oratio quòd ſit modus facillimus ſatiſfaciendi pro alio. ibid.
Obedientia Iſraelitorum quo ad proficiſcendum & ſtandũ quòd fuerit perfecta. 37
Omnia in figura contigiſſe illis quomodo intelligatur. 41
Oppoſitorum quòd ſit eadem diſciplina. 52
Ordinata eſſe quæcunque a Deo ſunt quomodo intelligatur. 55
Obedire quòd ſimpliciter debemus. 61
Offenſi, quòd non debeant triſtari ſed gaudere. 62
Obedientiæ magna uis. 68
Obedientiam ſemper acceptandam. 73
Ordo addiſcendi naturalis quis. 84
Operari dignè, quòd requiratur ad ſalutem. 89
Operari dignè quid ſit. ibid.
Operari negligenter quomodo maledictus. ibid.
Opera pœnitentiæ, & labores, quomodo à nobis exerceri debeant. 95
Opera noſtra quomodo poſſint ſatiſfacere pro peccatis. 96
Orandum non eſſe pro peccante ad mortem quomodo intelligatur. 103
Opiniones diverſæ in lege ciuili unde ortæ. 105
Opera quomodo accipiant diſpenſationem, nec ne. 10
Opera unde habeant, quòd ſint fructus. 113
Odium ab amore cauſatum. 117
Opera Dei quomodo eodem tempore appareat iuſtitia & miſericordia. 123
Ordines exercentes, nec exiſtentes in ipſis. 123
Orationes bonorum, quòd malos adiuuent. 123
Officium altaris quanto momenti ſit apud Deum. 141
Ordinata omnia circa nos a Deo ad noſtram ſunt utilitatem. 143
Os boui trituranti non alligare quid ſit. 144.217
Omnia circa immolatio uaccæ obſeruata quomodo Chriſtum crucifixum ſignificent. 149
Oratio Moyſis pro populo quomodo fuerit ipſi bona, uel damnoſa. 153
Os ſtultorum quomodo ebulliat ſtultitiam. 155
Orare pro deletionem temporali infidelium etiam cum uoto eſſe licitum. 159
Orare pro quacunque temporali infidelium proſperitate quantum Deo diſpliceat. 160
Orationis Moyſeæ magna uis. 166
Obedientiæ magna uirtus, & ſtupenda 168.213
Obediens malus mandati uerba quantum poteſt ſtringit. 173
Obediendum etiam creaturis propter Deum. 181
Obedientibus omnia bene cedere. 185
Obedientia uerè, necnè quomodo dinoſcatur. ibid.
Obediens uerè quis. 185
Orationes quomodo contra fideles non ualeant. 187
Orare pro fidelibus contra infideles dimicantibus quam neceſſarium. 199
Officium diuinum quomodo ſolui debeat. 203
Orationes proprias maiori diligentia exequentes quàm neceſſarias quòd malè faciant. 206
Orationes particulares quomodo faciendæ. ibid.
Obedientia quomodo in dubijs excuſet. 207
Offendens miniſtrum offendit dominum eius. 212
Obediens uis difficile cadat. 213
Occiſionis effectus qui. 214
Oculi quòd denotent uiſam ſpiritualem. ibid.
Occidi aliquem duobus modis poſſe. ibid.
Optiones prophetarum aduerſa malis deſiderantium unde procedant. ibid.

P

Paruuli in Exodo non numerati qui fuerint. 3
Pugnatores recenſiti cur ordinentur ad tutelam tabernaculi. 5
Principes defendẽtes Papã, & alios fideles q̃ benefaciant. 5
Perfectionis uia quomodo incipienda. 6
Præmia cœleſtia cur dicantur manſiones. 7
Pedes Chriſti qui ſint. 9
Populus Chriſtianus quid teneatur facere erga ſacerdotes. 12
Primogeniti in fauorem omnium hominum percuſſi. 12
Pueri maſculi Leuitæ cur numerentur. 13
Peccata quomodo dicantur homini naturalia. 13
Populi Chriſtiani quid facere debeãt circa ea tradita à S. Patribus de fide catholica. 16
Patrum & maiorum inſtitutis non obedire quàm malum. 17
Prælatus quomodo quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo maiori uerſetur. 21
Potentes cur potenter torquebuntur. 21.194
Probabile, quòd poſſit eſſe falſum. 21
Probabile quid ſit. ibid.
Publicè peccantes cur publicè arguendi. 22.59
Paſſio Chriſti quomodo fuerit, & pro peccato, & in holocauſtum. 27
Paſſio Chriſti quomodo fuerit uirtutis infinitæ. 28
Pax mundi in quo conſiſtat. 29
Peccator cur dicatur ſemiuiuus. 30
Perſonæ conſecratæ magis exaudibiles quomodo ſint à Deo. 31
Primogenitus aperiẽs uuluam cur dictus ſit à ſcriptura. 32
Primogenitus quis dicatur à ſcriptura. 32
Primogenitus & unigenitus quomodo idem ſit. 32.148
Primogeniti diffinitio quomodo uerificetur de Chriſto, uel non. 32
Penetrare illa quæ pertinent ad miniſterium noſtrum quid ſit. 34
Panes azimi quid denotarent. 36
Proceſſus à figura ad figuratum qualiter fieri debeat. 38
Paruipendentes orationes ſanctorum pro nobis, quam ſtulti. 42
Paſſio & ratio quomodo differant. 45
Potentia maxima quomodo oſtendatur. 52
Philoſophi cur ſtulti facti ſint. 52
Pugna inter Deum, & hominem quali. 53
Peccatores cur uocentur filij diaboli. ibid.
Perſecutiones quomodo appetendæ. 56
Pij V. mors quomodo prænuntiata. 58
Punitiones delinquentium quomodo fieri debeant. 58
Prælatorum uitia diffamata nolentes, quòd benedici mereantur a Domino. 59
Peccata, quod in quocunque ſint, non deſinunt eſſe peccata. 61
Patientiæ uirtus. 62
Potentia Dei qualis. 64
Potentia hominis qualis. 64
Punitione etiam ſecundum iudicium diuinum aliquid dignum eſſe, quando id nobis recta ratio dictat. 64
Paleſtinis quomodo interpretentur. 65
Peccatum à quo cauſetur, uel excuſetur. 68
Præcipiens cur præcipiat in uirtute Spiritusſancti, uel ſanctæ obedientiæ. 68
Peccatum executionis fouere tepiditatem. 69
Prudentia ſerpentum quæ. 76
Pugna ſpiritualis. 77
Proximi quòd non ſcandalizandi. 84
Patientiam cur ante ponat Moyſes miſericordiæ. 85
Prædeſtinatos ſine operibus non ſaluari. 89.155
Phantaſia quid ſit. 92
Pœnitentia quomodo ualeat ad peccati remiſſionem. 93
Prælatio quòd ſit à Deo. 94
Prælatus quomodo in regendo non poſſit decipi. 94
Papa quomodo non poſſit errare. 95
Patres antiqui quo lauerint ſtolas ſuas in ſanguine agni. 96
Primitiua in omnibus Deo offerenda. 102
Peccata quomodo differant. 103
Peccata non eſſe omnia euſdem.
Peccata quænam ſint remiſſibilia. ibid.
Præceptum diuinum quis faciat irritum. ibid.
Peccatum malitiæ cur dicatur irremiſſibile. 104
Peccatum mortale quo quottem auferat totaliter. 106

Pes quid ſignificet. 107
Paradiſus uoluptatis quid. 108
Paradiſus uoluptatis quomodo cuſtodiatur. 108
Pontifex Rom. quòd ſit uerus Petri ſucceſſor. 122
Principes quòd debeant fugere tyrannidem. 121
Populus cur ſit ad rebellionem procliuus. 123
Peccatores quomodo beſtijs peiores. 124
Poſtulandum quid ſit a Deo. ibid.
Procliuitas hominis ad uitia. ibid.
Paupertas & perſecutio quomodo pariant nobis beatitudinem. 125
Populus chriſtianus quantũ ſit ſacerdotibus obligatus. 126
Populus cur conuocetur ad Eccleſia quando pro ipſo eſt rogandum. 127
Pilatus cur noluerit delere titulum crucis. 134
Prælatura debet habere annexam ſanctitatem. 139
Papa cur uocetur ſanctus. ibid.
Peccatum clericorum circa diuina quàm magnum. 141
Perſeuerantia in peccato quomodo reddat peccatorẽ quaſi inhabilem ad pœnitentiam. ibid.
Perſonæ quocunque modo minus utiles quõ uitandæ. 146
Peccatum omne dici poteſt inhonoratio Dei, & pollutio hominis. 147
Polluere altare eſt peccatum mortale. 147
Pœnitentia ſera quõ Deo diſpliceat. 147. & ſit periculoſa.
Pœnitentiam ſero agentiũ paucos remiſſionẽ inuenire. 147
Priuilegium quomodo interpretetur. 147
Petitio de ſanctificatione nominis Dei cur ꝑponatur alijs in oratione dominica. 148
Peccatum non poſſe fieri propter honorem Dei. 148
Paſſionis Chriſti effectus. 149
Punitio alicuius ſine cauſę expreſſione indicat talem puniri propter peccatum ſuum. 152
Peccatum prælati quomodo cõtra ſubditos caſtigetur. 152
Partialitas maximè prælatos dedecet. 153
Partialitas quid ſit. 153
Partialitatem conuenire Deo quòd impoſſibile. 153
Pœna una & eadẽ quomodo grauior uel minus grauis. 154
Perſeuerantiam ſolam triumphare. 156. 175
Perfecti de duob. ſpecialiter ab Apoſtolo admonẽtur. 157
Perfectos multi ſe exiſtimãtes, ꝙ defecturi à uita æter. 157
Prælatos circa humilitatem propriam cuſtodiendam cautos eſſe debere. 158
Perturbati quomodo tractandi. ibid.
Peccata quomodo noceant aduerſitates. 159
Peccatum eſt infirmitas animæ. 170
Pœnitentia quomodo facienda. 170
Peccata maledicta. 171
Pœnitentia benedicta. ibid.
Pugna malorum contra bonos. 175
Pugna Balach contra Balaam quid figurarit. 175
Patientia quomodo ſemper laudabilis. 176
Poteſtas quòd ſemper bona, licèt non poteſtatis uſus. ibid.
Peccator quomodo iumento inſipientior. 177
Protinus fieri quid dicatur. 179
Potentia obedientialis quid ſit. 181
Præcepta quòd reiterentur. 185
Prælatis quomodo autoritas ligandi data ſit. 186
Papa, ut Papa, non poteſt in fide errare. 190
Populus fidelis quòd dicendus erat leena. 191
Prophetare ſtat cum peccato mortali. 192
Principes quomodo peccatis populi directè communicẽt vel indirectè. 193
Peccatores quomodo habeant guttur plenum. 196
Punitionẽ a ſacerdote nobis pro peccatis impoſitam cur libenter acceptare debemus. 197
Phinees quomodo Chriſtum figurauerit. 197
Prædeſtinationem capere quomodo impoſſibile 200
Parentes debent multum curare, ut ſint alijs bonum exemplum dent. 200
Poteſtas imperialis, quòd ſummo Pontificatu eſt inferior. 201
Papæ non obedientes, quomodo contra Dei ordinationem faciant. 201
Pugnare contra Turcas quòd licitum ſit chriſtianis. 208
Pœnam per peccato nolle ſubire quòd peccatoribus ſit proprium. 212
Peccatum quia facilliter euitet. 213
Pœnam peccati nullus euadere poſſe quõ intelligatur. 213
Præſcientia meritorum quòd non ſit cauſa prædeſtinationis. 215
Prædeſtinationis effectus quid ſit reſpectu noſtri. ibid.
Prædeſtinatio quomodo habeat cauſam. ibid.
Pecunia quòd magnum locum obtineat inter omnia iuſtitiæ corruptiua. 218
Pœnarum quantitas quòd non ſemper arguat quantitatem culparum. 63

R

Regula fidei quid ſit. 18
Reſtitutio quomodo ſit de iure diuino. 20
Religioſus inſolens ſi eijciatur de religione, quare miſericorditer fiat. 23
Repræhenſio Chriſti ad regulũ quomodo intelligatur. 26
Renum accinctio quid ſignificet. 36
Regere quomodo regibus attribuatur. 48
Reipublicæ quomodo bene gubernentur. 48
Reipub. quomodo placeat Deo. 48
Rerumpub. conſeruatio & ruina unde proueniat. ibid.
Rectores quomodo bene gubernent ſemp eodẽ ſpiritu. 49
Receſſus nubis cur adiungatur Mariæ caſtigationi. 58
Religioſos eſſe illuminatos. 72
Regnum cœlorum quomodo uim patiatur. 77
Ratio maioritatis, & minoritatis peccatorum unde habenda. 90
Reprobum aliquem eſſe unde conijciatur. ibid.
Recalcitrantes iuſſis prælatorum quomodo ſtultiſſimi. 95
Res omnis quòd ſufficienter diuiditur per actum, & potentiam. 95
Rebellionem facere contra prælatum ſuum quando quis dicatur. 104. 114
Retrogredi quomodo dicatur qui in uia Dei non progreditur. 109
Repletio panis quomodo peſſima. 110
Rebellio contra Moyſen quàm ſcandaloſa fuerit. 116
Rebellio paucorum quantam ruinam faciat. 117
Rebellionem cur ita oderunt ſancti. ibid.
Rebellio unde habeat quod facile trahat alios ad ſui ſequellam. ibid.
Rebelles non eſſe humiles. ibid.
Rebellio quam magnum peccatum ſit. 118
Rebellio unde procedat. 119
Rebellis quis propriè ſit. ibid.
Repræhenſiones quàm bonæ. ibid.
Rector de tyrãnide conuictus quomodo debeat puniri. 122
Receſſio bonorum à malis quòd ſit ſignum diuinæ uindictæ. 123
Religioſos ſtudium decere. 145
Religionem ingredi quàm optimum. 146
Ruſum eſſe quid ſignificet. 148
Requiri plus ab eo cui plus donatum eſt quomodo intelligatur. 154
Regnũ cęlorũ cur à Chriſto aſſimiletur rei abſcõditæ. 156
Recreationes cur ſuis filijs a S. Patribus conceſſæ. 162
Re aliqua bona non contentari quid deſignet. ibid.
Rex Edom puniuit peccatum Iſraelis. 170
Remedium optimum contra hoſtes noſtros infideles. 172
Reſponſionem non intelligi, niſi ſecundum ſenſum interrogationis. 172
Rationum ab aſina adductarum magna uis cõtra Balaam. 177.
Reſtituere quinam teneantur. 201
Religioſi quomodo poſſint licitè uouere abſque prælatorum ſuorum licentia. 206
Religioſus quõ non habeat neque uelle neque nolle. 208
Religioſis nõ habentibus ord. quõ debeant uictualia. 210
Religioſi etiam non profeſſi ꝙ teneantur ad officiũ. ibid.

S

Sacerdos quòd teneatur miſſam celebrare. 6
Scriptura promptius loqui potẽs quàm loquitur, quid intendat. 10
Sacerdotes quòd ab alijs diſcernantur. 11
Seruire Deo quomodo ſit leue iugum. 14
Seruitium Dei quòd magis ſciri debeat quàm quicquam aliud. 14

Synagoga cur non eſſet abſoluta catholica. ibid.
Seculares quòd non ſint ſacerdotes. 19
Sancti cur dignitates fugerunt. 20
Superiores non inueſtigãtes id de quo probabilis habetur ſuſpicio, quod malefaciant. 21
Superiores quòd non debeant conniuere de ſuſpicionibus. ibid.
Subditus reddẽs certiorem ſuperiorem de aliqua probabili ſuſpicione, quòd bene faciat. ibid.
Superiores malos punientes quàm magnum bonum populi cauſent, & quam laudandi. 23
Superiores de quibus reddituri rationem. ibid.
Superiores quomodo reuocentur à publica punitione. 23
Saluator noſter quomodo dicatur Meſſias. 27
Separati ab alijs quomodo intelligatur. ibid.
Solitudo qualiter laudabilis. 27
Satisfacere quomodo unus pro alio poſſit. 33
Status iudæorum quomodo uocetur nox, gentilium uerò dies. 37
Stellæ ducatus reſpectu magorum quomodo poſſit intelligi. ibid.
Stella ducens magos quot conditionibus diſtaret à cæteris, ibidem.
Situs corporales qui ſint. 40
Surgere Dei quid importet. 41
Sancti quam æſtimandi etiam in uita præſenti. 42
Sapientiæ et rationis proprietas in puniendo. 46
Senex, quod dupliciter conſideretur, & quomodo. 47
Senes non omnes eſſe ad gubernandum aptos. ibid.
Senes quis tribus modis dicatur. ibid.
Senectus quomodo ueneranda intelligatur. 48
Seruiri duobus dominis non poſſe quomodo intelligatur, 49
Spiritus idem in pluribus quid denotet. 49
Sancti quod quandoque decipiantur. 50
Sancti quando ſe propriam gloriam habere æſtiment, ibidem.
Sanctis q̃ ſit maior cruciatus uidere in gloriam Dei, quam tribulatio quæcunque temporalis. ibi.
Sanctis quam magna tribulatio ſit inter peccantes habitare. ibid.
Seruos Dei compræhenſores offendentes quinam, ſint, 54
Species ſuperbiæ quot, & quæ. ibid.
Superbi quòd nemini parcant. 55
Seruientes Deo quomodo ſecuri incedant. 57
Superiores quòd debeant eſſe ſancti. ibid.
Superiores, ſi non honorentur ab inferioribus, cui id imputare debeat. ibid.
Sanctitas cur efficiat uenerationem & reuerentiam in alijs, ibidem
Subditi prælatos non diffamantes quomodo habeat zelũ Dei. 59
Sciens certiſſimè ſe prædeſtinatum quòd adhuc rectè operari deberet. 64
Solicitum de aliorum factis curioſitatis notam incurrere, 65
Scientiam experimentalem non ſuperflue inquiri poſt ſpeculatiuam. 67
Scientiam experimentalem non ſuperflue in Chriſto poni, 68
Scandala exploratorum terræ promiſſionis in populo. 69
Schiſma peſſimum eſſe inter omnia in Eccleſia Dei. 70
Schiſma quid ſit. ibid.
Schiſma quanto odio proſequatur à Deus. 71
Scindere ueſtimenta ſua quid ſit. ibid.
Sententiam malorum exploratorum multipliciter poſſe intelligi. 72
Sathanas quomodo transfiguret ſe in Angelum lucis 77
Sobrietas, ſupra quam ſapere non licet, quæ ſit. 79
Sancti quantum fugiebant latibula, in miraculis faciendis. 81.
Scriptura cur dicatur diuina. 82
Sacræ ſcripturæ uerum ſenſum uolentes attingere quomodo ad Deum recurrere debeant. ibid.
Senſum ſacræ ſcripturæ ſuo capite exculpere uolentes quã ſuperbi. ibid.
Senſus ſcripturarum quomodo non debeat aſcendere in cœlum, nec oriri de terra. ibid.
Scripturę quomodo ſcrutandæ. 83
Saluari cuicunque placeat, quod ſaluabitur. 88
Signum magnum eſſe damnationis ex beneficijs habitis non perficere. 90
Scripturæ diuinæ quòd ſe inuicem declarent. 91
Satisfacere pro delicto ſuo neminem proprijs uiribus poſſe. 95
Sponte aliquid facere, quòd poſſit intelligi dupliciter. 97.103.
Sacrificia cur rememorentur in Num. libro. 100
Scienti ordinariam quòd poſſit occurrere aliquis caſus extra legem æſtimatus, quem neſciat. 105
Sabbathi obſeruationem cur nec in modico præterire licebat. 106
Sabbathum quid figuraret. ibid.
Studia ſancta frequentare quam bonum. 107
Stare in ſolitudine quomodo ſit delatio fimbriarum. 107
Sanctum eſſe Deo ſuo quid ſit. 108
Seditioſus quis dicatur. 112
Seditioſus quid intendat. ibid.
Studium ſcripturarum quam utile. 114
Sepeliri inter homines quomodo honorificum mortuis. 118.
Superbia quomodo in caput ſuperborum retundatur. 119.
Seruire Deo quid ſit. 122
Subditis non ſemper credendum contra rectores ſuos. ibid.
Sacerdotium Chriſti quando inceperit. 127
Sacerdotium Aaron uerè à Deo. ibid.
Sacerdotium Chriſti uerè à Deo. 128
Sedis Apoſtolicæ continuatam floritionem nulla mala corrumpere potuiſſe cur. 133.131
Scripturæ & ſancti cur laudent homines ſolitarios. 138
Sacerdotem malum totius familiæ ſuæ ruinam exiſtere. 139.
Sanctuarium & ſacerdotium quomodo dicantur habere iniquitates. 140
Sacerdos quomodo portet peccatum alterius. ibid.
Signum magnum ruinæ populi eſſe, quando clerici negligenter circa diuina officia ſe habent. 142
Sacerdotes omnes eſſe dicere eſt peccatum mortale. 143
Suggeſtiones demonum quòd faciliter intrent in cor hominis non cuſtoditum. 145
Studium cur uelit totum hominem. ibid.
Studium quomodo ſui amorem generet. 145.162
Studium quomodo retrahat à peccatis. 145.162
Studium quomodo fornio contrarietur. 145
Scandalizare alios non curantes quàm imprudenter agant. 146.
Synagoga quomodo antiquitus diceretur Eccleſia Dei. 147
Sanctificantia antiqua quõ hominem ſanctificarent. 148
Sacramẽta cur per alterius miniſteriũ nobis conferant. 150
Sacramenta ſibiipſi conferens quomodo inde damnationem mereatur. ibid.
Sacerdos quomodo ſeipſum communicet. ibid.
Sacramentum quomodo conficiatur. ibid.
Subditi boni quòd quandoque ſunt occaſio ædificationis prælatorum. 152
Superiorem ſuum contriſtare quòd ſit peccatum. ibid.
Superiores quomodo à ſubditis poſſint ad peccandum impelli. ibid.
Seruire Deo non infert minus caſtigandos eos qui illi ſeruiunt ſi deliquerint. 154
Synagoga quomodo uirginibus fatuis ſimilis. 159
Seruitus peccati quàm dura. 159.171.
Serpentes in filios Iſrael inanis ſi cur igniti dicti ſint. 163
Serpens æneum poſitus pro ſigno quomodo Chriſtum figurarit. ibid.
Salus noſtra nihil utilitatis affert Chriſto. 166
Serpere quomodo differat ab ambulare. ibid.
Similitudines diuinorum quanto à uilioribus deſumptæ, tanto maiorem in nobis de diuinis cognitionem aggenerare. 168
Sacrificiorum antiquorũ uirtus ex opere operante erat. 169
Simonia ante Simonem Magum fieri incœpiſſe. 173
Simonia qua ratione à Simone taliter uocata. 173
Solicitudo malorum ad ſua deſideria perficienda. 174
Superiorem non poſſe facere quęcunque uult in caſtigationem

nem inferioris. 176
Sententia paſtoris quo ſemper ſubdito tenenda. ibid.
Subditis in die iudicij dandum locum ſe defendendi contra ſuperiores qui ſe iniuſtè affixerunt. 177. & à Deo. 178.186.
Superborum quanta ſit confuſio. 180.
Scripturarum ſecreta cur hæreticis abſconſa. 182.
Seruientes Deo quam fœlices. 185
Status ſuperiorum quantis in periculis verſetur. 194
Separatio ab alijs. 198
Silentium cur mandatum ſit in religionibus ſeruari. 198.
Sacerdotes quanto in honore habendi. 202
Seruitium Deo exhibitũ tempore debito quòd ſit charius quam exhibitum extra tempus. 203
Seruire Deo quòd non graue, ſed ſuaue. 203
Subditum poſt uotum emiſſum non teneri neceſſario prælatum conſulere. 206
Subditum explicare conditionem in uoto ſuo non eſt neceſſarium. 206
Superior cur poſſit uota ſubditorum irrita facere. 207
Subditi quomodo poſſint licitè ludere, nec ne. 208
Scandalum quantum diſpliceat Deo & ſanctis. 212
Signum contritionis in Peccatore, pœnam pro peccato uoluntariè acceptare. 213
Sperandum non eſſe in iniquitate. ibid.
Societas mala quam deteſtanda. 214
Societas bona quam utilis. 214
Sacerdos quò dignitate præſtet cuicunq; principi ſeculari. 216

T

Tabernaculum fœderis quid denotaret. 5
Tendentes ad cœlum uijs diuerſis cur dicantur habere unum terminum. 7
Terra promiſſionis paradiſum ſignificans. 8
Tranſire ad meliorem ſtatum quomodo liceat. ibid.
Tabernaculum ita deponi ſicut erigebatur quid ſignificaret. ibid.
Tabernaculũ erigi & deponi ad oſtẽſionẽ oũibus qd ſit. ibi.
Traditiones Apoſtolorum quomodo tenendæ. 10
Thomas Cãthuarienſis epiſcopus cur merito laudetur. 15
Tubæ quomodo figuratint campanas. 39
Tenebra quomodo interpretetur. 44
Tentare Deum quis dicatur. 65
Tepiditas quid. 69
Tepidi quã in Deo odibiles. 72
Tepidorum genus peſſimum eſſe. 72
Turcas, hæreticos, & iudæos in peccato mortali uiuere. 80
Timor quomodo ſit uitium amoris. 109
Turibulum in unuſcuiuſque quid ſit. 118
Terra quomodo nũc ſub pedibus iudæorum dirupta. 119
Tyrannidis deffinitio. 121
Tyrannis quæ mala cauſet. ibid.
Tyrannis quomodo ſit ruina populorum & ipſorum dominorum. ibid.
Tyrannis maximè ſanctis exoſa. ibid.
Tribulatio quomodo patientiam operetur. 125
Tabernaculum teſtimonij quid eſſet. 128. & cur diceretur teſtimonij. 130
Titulus crucis quomodo de mandato domini fuerit ſcriptus. 134
Tribulationum quomodo multæ ſint utilitates. 137
Tranſitus de uno conuentu ad alium quo bonus. 146
Timendum de ſucceſſu tentationum licet alias ipſas uicerimus. 152
Tentatio, quę Moyſem uicit quomodo maior alijs quæ ab eodem uictæ ſunt. ibid.
Timentes cadere ſunt in duplici differentia. 156
Terra promiſſionis quomodo iudæos denotaret. 158
Tædium quomodo faciat animam dormitare. 202
Terra promiſſionis cur fuit ſorte diuidenda. 216

V

Viri tantum cur numerentur. 32
Viri Tribus Leui cur non fuerint numerati. 46
Virorum Leui fortitudo ad quid ordinata. 46
Vigiliæ Apoſtolorum cur uocentur uigiliæ. 56
Vigilare Leuitis præceptum quomodo nunc à clericis cuſtodiatur. 51
Vtilitas quomodo afferatur Eccleſiæ à malis. 9
Vtilitas maxima à ſacerdotibus in Eccleſia allata. 11
Vaſa ſanctuarij cur inuolui mandentur & hiacinthino pallio. 15
Vaſa ſanctuarij nobis tradere ad quos ſpectet. 16
Vaſa ſanctuarij quomodo ab Eccleſia inuoluantur. ibid.
Vaſorum uiſio cur aliquibus concedatur & aliquibus prohibeatur. 18
Vaſa cur uideantur nuda intus tantum, & non foris. ibid.
Vexatio quomodo det intellectum. 22.124
Vnctio Nazaræorum cur daretur in capite. 27
Votum quid importet. 28
Voluntas quomodo, & quãdo pro opere computetur apud Dominum. 31
Viatoribus cũ tempus celebrationis phaſe prærogaretur. 35
Viri probi quomodo alijs quoque ſint auxilio. 42
Vulgus promiſcuum quinam eſſent. 43
Viæ Dei non menſurandæ ſecundum humanum iudicium. 46
Viuere uolentes piè in Chriſto Ieſu quomodo perſecutionem patiantur. 50
Vanagloria cur dicatur uitium capitale. 52
Videre Deum palam quid ſit. 53
Viriolitas quomodo inducat irreuerentiam & contemptum. 57
Vilis quilibet quomodo poſſit facere ſibi maximam exhiberi reuerentiam. 57
Verenda patris ſui nudata quis uideat. 59
Verum quodnam ſit. 60
Vitia prælatorum in ſermonibus publicis redargui, quòd ſit malum. 60
Voluntas Dei & hominis in quo differant. 64
Vtilitatem propriam quærere natura omnibus inſitũ. 66
Voluntatem ad obedientiam ſemper in promptu habendam. 74
Voluntas & uelleitas quomodo differant. 74
Vigiles cuſtodientes ciuitatem qui. 74
Voluntas quomodo non apud ſe retinenda. 75
Via ſecuriſſima & breuis ad perditionem quæ. 76
Voluntatem in manu Papæ deponendam. ibid.
Vir obediens quomodo ſit locuturus uictorias. 77
Veh olim, cur. ibid.
Vrbes eſſe muratas quomodo audiamus ab exploratoribus ſpiritualibus. ibid.
Vrbes cur plures dicantur eſſe muratas cum ſit tantum una cœleſtis Hieruſalem. ibid.
Vrbem grandem grandem hominem decere. 78
Verum dicens quomodo bonus. 78
Voluptas quæ ſit laudanda. 82
Via cognoſcendi magnitudinem bonitatis Dei. 87
Via ſeipſum in præſenti cognoſcendi, & de ſeipſo in futurũ coniecturandi. 91
Vota ſoluens quomodo agat uoluntariè, & magis quam ſi id faceret non ex uoto. 97
Voluntas deuota quænam ſit. 98
Vouens maximè laudandus eſt. ibid.
Vota deridentes quòd Dei honorem derideant. ibid.
Vota propter timorem facta quomodo iudicanda. 99
Vittæ in quibus mandata ponebantur cur eſſent hiacintinæ. 107.
Vocari omnes ad ſeruitium Dei. 109
Voluntas quomodo ſit pœna principalis in damnatis. 119
Virga Aaron ſola apparens florens & fructuoſa quid denotet. 128
Virga Aaron cur mandata fuerit ſeruari in futurum. 128.
Virga Aaron oſtenſa cur cohibeat murmuratores contra ipſum. 129
Virga Aaron cur referatur in tabernaculum Domini. 130
Veritas quòd plus ualeat ad conuertendum hominem, quã minæ, & flagella. 132
Veritas uiſa quomodo attrahat intellectum. ibid.
Virga Aaronis quomodo in miranda pullularit. 137
Virtus germinandi in tribulatione quænam ſit. 137
Vnum decem millium pœnitentium differentium uix ſaluari quàm rectè dictum. 147
Virum nullum in fortitudine ſua roborari. 155
Vanæ gloriæ peccatum quam periculoſum. 156

Voluntas

Volenti quomodo nihil difficile. 156
Virgines fatuæ de quo nos inſtruxeriut. 157
Vitia proximorum quomodo improperanda, nec ac. 158.
Votum Deo rem gratam eſſe. 161
Vita bona populi fidelis eſt ſcutum inexpugnabile contra hoſtes ipſius. 171
Vita mala quantum damnum bellatoribus afferat. ibid.
Virtus obedientiæ magna. 182
Voluntas propria quantum noceat. 184
Vti clauibus claue non errante quid ſit. 186
Viuere non potentes, niſi de uſuris quid facere teneantur. 203
Votum ſubditi quomodo ſit abſolutum. 207
Votum ſubditi quomodo ſit mixtum. ibid.
Viuere uolens de rebus Eccleſię ſalua conſcientia quid agere debeat. 210
Via facillima ad euadendos demonum loqueos. 213
Voluntas Dei ubique iuſtiſſima. 215

Z

Zelotipus quis dicatur. 24
Zelotipia quid ſit. ibid.
Zelotipia irrationabilis quanta mala ſecum portet. ibid.
Zelotipia quomodo & inter quos licita. ibid.
Zelotipia quomodo diſtinguatur à zelo. ibid.
Zelum Dei habentes non ſecundum ſcientiam quinam ſint. 60
Zelus Dei per honore ſuo. 84
Zelus Dei magnus circa altaris miniſterium. 141
Zelus domini quomodo maior uel minor in aliquo. 197.
Zelandum magis per mandatis decalogi ſeruandis, quàm de quibuſcunque particularibus religiosum obſeruantijs. 206

[illegible]

VERITATES AVREAE
SVPER LEGIS MOSAICAE
Librum Quartum.

Per F. Seraphinum Capponi à Porrecta, Almi ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtrum

Æditæ; DEO OPT. MAX. dicatæ: S. R. Eccleſiæ correctioni ſubmiſſæ.

Libri Numerorum Methodus.

Intentio totius lib. Numerorum.

INTENDIT in libro Numerorum Moyſes deſcribere, quod populus fidelis iam per præcepta particularites magis data ordinatus reſpectu cultus diuini (ut in Leuitico) ordinatur nunc per præcepta particularia reſpectu conuictus mutui.

Carl.

¶ Ergo ſicut in Leuitico docebatur homo ſpecialiter de dilectione Dei ſeu de pertinentibus ad dilectionem Dei, ita in libro hoc Numerorum docetur homo ſpecialiter de dilectione proximi, ſeu de ſpectantibus ad dilectionem proximi. Fit tamen iſta doctrina utriuſque libri denominatur a principaliori. i. ab abundantius ibi tractato; & conſequenter quemadmodum in Leuitico miſcebantur etiam aliqua ad dilectionem proximi ſpectantia, ita in Numeris quædam dilectionē Dei concernentia etiam tractantur (ut legenti utrobique textus facillimè occurret). Nec id ſine cauſa grauiſſima factum eſt. Ex hac ſiquidem ordinata mixtura ſignificari intenditur, & quod dilectio proximi includit dilectionem Dei, inquantum. ſ. diligitur proximus propter Deum, & quòd dilectio Dei ſecum trahit dilectionem proximi, inquantum ſcilicet (ut habetur. 1. Io. 4.) hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

Declaratio terminorum intentionis.

¶ Per conuictum mutuū quid intelligitur hic? Hoc: videlicet quomodo populi huius partes ſe debeant conuenienter habere ad inuicem, in negocijs occurrentibus. Partes populi, quæ ſunt? Subditi, Præſidentes ſubditorum, quidam milites, quidam Deo ſubminiſtrātes. i. ſub alijs maioribus in his, quæ Dei ſunt, miniſterium exhibentes; Præſidentium aliqui temporales. i. de pertinentibus ad corpora ſe intromittentes, aliqui ſpirituales, i. de ſpectātibus ad animarum ſalutem prouiſores: Specialiter uerò in hoc libro aſſignantur milites, quoniam per hoc oſtenditur, quòd in terram promiſſionis, cui nunc magis appropinquant, ingreſſuri ſunt non ſine bello prævio. Hæ ergo tanquam partes quattor principales hic ſuis locis tractantur. Negocia occurrentia, quæ ſunt? proficiſci diſponere è deſerto Synai ad terram promiſſionis; Proficiſci actualiter ad terram ipſam; profectione facta accedere ad terminum ipſius terræ. Ordinabuntur ergo illæ populi partes in hoc libro tùm in diſpoſitione profectus talis, tum in actuali profectu, tum in termino profectus.

Hoc eſt

¶ Per hoc igitur uocabulum Numeri, quid intelligis? Tria per ordinem: uidelicet numerationem eorum, quæ ad populum proficiſci uolentem ſpectant numerationem eorum, quæ ad populum actualiter proficiſcentem exiguntur numerationem eorum, quæ in termino profectus ad populum pertinet. Ordinatur enim populus & in diſpoſitione ad profectū & in actuali profectu, & in termino talis profectus. Quot requiruntur ad primum. i. ad populum proficiſci uolentem? Duo, ſcilicet ſubditi obedientes, & rectores, quibus obediant. Nā ſine obediētia, quæ includit utrunque. i. ſubditum ac rectorē diſpoſitio bona ad profectum talem fieri nō poſſet (ut patet), quoniam ubi non eſt gubernatio (hæc duo illa cōcernit) populus corruet, Prouer. 11. Biſidos uerò fuiſſe & ſubditos & rectores, dictum eſt in declaratione terminorum. Quot requiruntur ad ſecundum. i. ad populum actualiter proficiſcentē? Tria; ſcilicet directio itineris; impedimenta occurrentia ex parte Iſraelis retardantia eius progreſſum; expugnatio aduerſariorum Iſraelis. Quot requiruntur ad tertium. i. ad populū in termino profectus iam exiſtentem? Vnum; ſcilicet præmonitio de ſiendis ab Iſraele poſt ingreſſum terræ promiſſionis. En totus liber Numerorum.

ſumma libri ſine compoto capitulorum.

A' PRIMO illo ad ſecundum, i. à numeratione pertinentium ad populum proficiſci diſponentem uſque ad actu proficiſcentem, ſunt capitula nouem. A' ſecundo ad tertium. i. à numeratione pertinentium ad populum actu proficiſcentem uſque ad exiſtentem in termino profectus, ſunt capitula uiginti quatuor. A' tertio. i. a numeratione pertinentium ad populum in termino profectus uſq; ad finē libri ſunt capitula tria. Quomodo à numeratione pertinentium ad populum pro diſpoſitione profectus uſque ad actualem profectū ſunt capitula nouem? Quia in gratiam ſubditorum tùm militum tùm ſubminiſtrantium fiunt prima capitula ſex, in gratiam verò præſidentium, tùm tēporalium, tùm ſpiritualium fiunt capitula tria. Quomodo a numeratione pertinentium ad populum pro actuali profectu uſque ad terminum profectus ſunt capitula uigintiquatuor? Quia in gratiam directionis actualis profectus fit unū capitulum, in gratiam uerò remotionis multiplicium impedimentorum in itinere occurrentium, illudque retardātium fiunt capitula quindecim, in gratiam autem multiplicis reordinationis populi, pro itinere fęlicius proſequendo, fiunt capitula octo. Quomodo a numeratione pertinētiū ad populum in termino profectus ſunt tria? Quia in gratiam ſiendorum in terra promiſſionis duo fiunt capitula, in gratiam demum ſoluendæ obortę quæſtionis capitulum unum conficitur.

Hac eſt ſumma capitulorum generatim numeratorum.

3 *Hæc eſt ſumma capitulorum ſpecialium numeratorum & correſpondens primæ ſummæ in diuiſionibus.*

CIRCA primum illorum primò duorum, ideſt circa ſubditos, nota tria, ſcilicet [a] Bellatorum [1] numerationem, cordem circa [2] tabernaculum ſitum ſeu diſpoſitionem; Itē [b] ſub miniſtrantium Deo ſpē Leuitarum ordinationem et [3] tempore ſtatus, & [4] tempore motus; Item [c] Specialem conſtitutionē de [5] immundis, ac [6] Nazaræis. Circa ſecundum illorum primò duorum, ideſt circa rectores, nota duo; ſcilicet [a] Oblationem [7] ducentam principum; Item [b] Officium Aaron Pontificis & quò ad [8] adminiſtrationem requiſitorum in tabernaculo, & quò ad [9] celebrationem phaſe. Circa primum illorum ſecūdò trium ideſt circa Directionē itineris nota unū. ſ. [a] Quòd fiebat adminiculo [10] tùm humano [En tuba ad cuius ſonum ſpecialem congregabatur populus ad ambulādum] ſùm diuino [En Nubes, ad cuius ſeſſionem, uel ſurrectionem ſtabat, uel mouebatur populus]. Circa ſecundum illorū ſecūdò trium, ideſt circa impedimenta ex parte Iſraelis retardantia eius progreſſum, nota quatuor; ſcilicet [a] Murmurationem & populi [11] circa uictum Mannæ &c. & Mariæ [12] ſororis Moyſis circa coniubium eius cum Æthiopiſſa: Item [b] Detractionem & exploratorum [13] de terra promiſſionis obtinēda, & aliorum [14] ad occaſionē ipſorum; Item [c] Transgreſſionem [15] ſabbathi à colligente ligna; Item [d] Seditionem, & [16] Chorè pro ſacerdotio, quod [17] determinatur miraculo uirgæ ad Aaron [18] qui inſtruitur de officio ſacerdotis, tùm ut eſt mediator populi ad Deum, tùm [19] ut eſt mediator Dei ad populum, Et [d. 20] populi pro defectu aquarum. Circa tertium illorum ſecundò trium, ideſt circa expugnationem aduerſariorum Iſraelis, nota quinque ſcilicet [a] Inſurrectionem contra Iſraelem factā à Regibus tum [s. 20] Idumæo, tùm [21] Chananæo, tùm [22] Moabite, Balaam ariolum ad maledicendum ei uocante, ſacrificijs [23] ad hoc prouocante, contra [24] ipſum et benedicentem uehementer excandeſcente: Item [b] Deordinationem Iſraelis [25] per idolatriam Beelphegor: Item [c] Reordinationem Iſraelis [26] cum [d. 27] & inter ſe, & [r. 27] ad ducem ſuum nouum, & [d. 28] utriuſque ad Deum Aut per ſacrificia, in feſtis anni tum pluries reiterata, sùm [r. 28] ſemel tantùm uel tempore ueris oblata, uel [29] tēpore Autūni, Aut [30] per uota [r.] Item [d] Proſecutionem pugnæ & [31] Iſraelis contra Madianitas, & [32] duarum tribuum ſpecialiter aſſociantium cęteras contra habitatores terræ promiſſionis: Item [e] Epilogum [33] manſionum Iſraelis ab Ægypto uſque ad Iurdanem. Circa unicum illorum tertiò duorum, ideſt circa præmonitionem de fiendis in terra promiſſionis nota tria, ſcilicet [a] Deſtructionem [34] idolatriæ pręceptam, [b] Aſſignationem [35] partis terræ Leuiticis, ac fugitiuis, [c] Solutionem [36] quæſtionis ortæ ſuper præmiſſis.

Not. 1. ¶ In tertia hac ſummula litteræ A. B. C. D. E. indicans ea, quæ inibi notanda ſucceſſiuè dicuntur, numeri uerò capitula per ordinem, ita ut & d. inter numeros poſitum, ſignificet dimidium capituli, & r. reſiduum. Verbi gratia, d. 12. ideſt dimidium capituli duodecimi, r. 12. ideſt reſiduum capituli duodecimi.

Not. 2. ¶ Iſtę tres prædictæ ſummulæ ſibi inuicem ex ordine correſpondens, ut patet conſideranti. Nam prima uocat ſecundam, & ſecunda tertiam. Tertia tamen, ultra hoc, correſpondes etiam primæ, quò ad diuiſionum particulans. Vs. Circa primum illorum primo duorum &c.

¶ Hoc primum inuenies in prima diuiſione duali, quæ ponitur in prima ſummula ibi. Quot requiruntur ad primum. i. ad populum proficiſci uolentem? Duo (ecce diuiſio illa dualis), ſcilicet ſubdio (ecce primum iſtorum duorum) & rectores (ecce ſecundum iſtorum). Sic ergo per te iam procedas, & hinc diſcas quoque quomodo in ſumma tertia ſimili ſingulorum librorum, ſ. Geneſ. Exod. Leuit. Deuter. procedendum ſit.

Incipit ſummula capitularis lib. Numeri.

Cap. 1. MANDAT [1] Moyſi Dñs in occaſionem belli da numeratione uniuerſæ congregationis Iſraelitæ; [2] Demptis tamen ſenibus, minioribus citra uiginti annos, mulierib. & tribu Leuitarum, [3] Quæ numeratio fit per nobiliſſimos principes tribuum ad dictum Moyſis; [4] Et in uniuerſum aſcendit ad ſexcenta tria millia uirorum quingentos quinquaginta.

Cap. 2. Aſſignat [1] rationem Dominus, quare tribum Leuiticā noluerit numerari cum bellatoribus, [2] Qui bellatores ſigillatim per ordinem ſecundum quatuor partes orbis diſponuntur circa tabernaculum Domini, à longè tamen: [3] Nam per gyrum tabernaculi propius excubabant Leuitæ in cuſtodijs ſuis.

Separandam [1] præcipit Dominus tribum Leui, & quoad ſacerdotes, ut ſacerdotio fungantur, quoad Leuitas, Vt miniſteria ſua exerceant circa tabernaculū, [2] Qui Leuitæ ab uno mēſe, & ſupra, maſculi tātum numerati inueniuntur uiginti duo millia, [4] Et pro primogenitis aliorum tribuum, pro exceſſu numeri aliorum ſupra leuitas numeratos accipiendo mille trecentos ſexaginta quinque ſiclos, aſſumuntur a Domino. *Cap. 3.*

Leuitæ, qui dicuntur [1] Caathitæ, Gerſonitæ, Meraritæ, numerantur à triceſimo anno uſque ad quinquageſimum, [2] Ipſorum trium cuique ſua officia ſigillatim aſſignatis, [3] Qui ſimul aſcēdūt ad numerū octo milliū quingētorū octoginta. *Cap. 4.*

Præcipit [1] Dominus, ut & leproſus, ſeminifluus, ſuper mortuumq; pollutus de caſtris tam maſculus, quam fœmina, eijciantur; Et [2] defraudatio rei contra proximum, ſi acciderit, reſarciatur, Et [3] ſuſpitio de adulterio, ſi ſpiritus zelotipiæ concitauerit uirum, ad petitionem eius coram ſacerdote purgetur. *Cap. 5.*

De Nazaræis [1] temporalibus legē ſpecialem fert Dominus, & quoad ipſorum actum promiſſionis; Et [2] quoad ritum profeſſionis; Et [3] quoad legem cōſecrationis, Et [4] quoad modum benedictionis. *Cap. 6.*

Principes [1] Iſrael offerunt munera multa, precioſaque Domino pro miniſterio tabernaculi. [2] Primò bini & bini; [3] poſtea ſinguli, & ſinguli ſucceſſiuè. *Cap. 7.*

Aaron [1] Pontificis officium deſcribitur, & quoad lucernarum diſpoſitionem; Et [2] quoad Leuitarum per Pontificem ipſum ordinationē; [3] Quorum Leuitarum lex quoad ſuorum officiorum executionem explanatur. *Cap. 8.*

Indicitur [1] celebratio phaſe à Domino, & toto populo mēſe primo; Et [2] immundis, exiſtentibusque in itinere, menſe ſecundo; A quo Domino per alternationem nubis uia Iſraelitarum quoad ſtatum, motumque dirigitur. *Cap. 9.*

De tubis [1] argenteis, & modo clangoris pro ſignificatis earum agitur; [2] Populus ad eleuationem nubis de tabernaculo actualiter proficiſcitur, [3] In cuius eleuatione, ac depoſitione Moyſes a Domino diuerſa precatur. *Cap. 10.*

Murmurat [1] populus de labore, & manna; [2] Cuius mannæ qualitas deſcribitur, [3] ſeptuaginta uiri a Domino ſpiritu repleti ad gubernandum populum Moyſi iunguntur, [4] Coturnices populo ad manducandum abundantiſſimè dantur, [5] Qui inter manducandum a Domino ad mortē uſque flagellatur. *Cap. 11.*

Maria [1] cum Aaron Moyſi propter Æthiopiſſam detrahit, [2] Quam cum Aaron uocatam Dominus reprehendit; [3] Et ſolam lepra percuſſit; [4] Quæ extra reliquum populum ſeparatur; [5] Et ad orationem Moyſis tandem reuocatur. *Cap. 12.*

Exploratores [1] ad conſiderādam terram promiſſionis mittuntur, [2] Reuerſi populum in deſperationem aſſequendæ ipſius terræ, quamuis bonæ, præcipitant; [3] Caleb ex illa deſperatione eundem trahere annitente. *Cap. 13.*

Murmurat, [1] deſperat, regreſſum in Ægyptum populus deliberat; [2] Ioſue cum Caleb de exploratæ terræ facta relatione, populi rebellionem cōpeſcendo, ipſum inanimat; [3] Cuius populi numeratos à 20. annis (dempto Ioſue cum Caleb) in pœnam morituros in deſerto Dominus prædicit; [4] ſic inobedienter aſcendentes ad pugnandum pro terrę promiſſionis ingreſſu per Chananæum caſtigat. *Cap. 14.*

Dominus [1] legem dat tùm de oblatione ſacrificiorū; tùm [2] de redditione primitiarum; tùm [3] de expiatione peccatorū per ignorantiam, de [4] punitione peccatorum per ſuperbiam factorum, & in generali, & [5] in ſpeciali de uiolante actualiter ſabbathum, tùm [6] de habitu iudæorum per fimbrias hyacinthinas. *Cap. 15.*

Seditio [1] Chore cùm complicibus ex ambitione ad ſacerdotium ad populique ducatum ponitur; Cuius [2] Chore culpa quantum ad ambitionem, & ſacerdotij, & ducatus populi à Moyſe reprehenditur; Moxque [3] inſolita morte a Domino punitur; Ac [4] per ignem à Deo egreſſum ducenti quinquaginta uiri offerentes incenſum occiduntur; A quo & [5] multitudo populi pro Chore, & cōplicibus interfectis murmurās uſque ad quatuordecim millia hominum, & ſeptingentos morte percutiuntur. *Cap. 16.*

Virgæ [1] ſumuntur ad ſacerdotij, cui legitimè detur, diſcuſſione m. Vna [2] ipſarum germinat ad prædictā ſacerdotij probationem. Quæ [3] uirga reponitur in tabernaculo ad rei perpetuam recordationem. *Cap. 17.*

Sacerdotij [1] onus clericis impoſitum deſcribitur, quibus *Cap. 18.*

[2] & pro

[2] Et pro tali onere merces ſecundum ratam proportionem re[3]tribuitur.

Cap. 19. Vaccæ [1] ruffæ extra caſtra immolatio pro peccato mandatur; Cuius [2] aqua aſperſionis multi diuerſimodè immundi expiantur.

Cap. 20. Maria [1] ſoror Moyſis, moritur; Ad [2] murmurantem populum aquæ contradictionis per uirgam percuſſo bis ſilice per Moyſen educuntur; Qui [3] cum Aaron in pœnam dubitationis non intraturus terram promiſſionis a Domino certificatur; Quibus [4] & à Rege Edom tranſitus per terram ſuam denegatur; Aaron [5] moritur; Cui [6] Eleazarus filius eius ſubſtituit.

Cap. 21. Rex [1] Chananæus inuadens Iſraelem finaliter uincitur; Quem [2] Iſraelem de manna &c. murmurantē Dominus ignitis ſerpentibus pro magna parte occidit; Sed [3] per ſerpentis ænei aſpectum reliqui plagati ſanabantur; Cuius [4] Iſraelis iter continuatur; Reges [5] Seon, & Og, ſucceſſiuè ab Iſraele debellantur.

Cap. 22. Rex [1] Balac mittit ad uocandum Balaam pro maledicendo Iſraeli; Qui Balaam [2] nuncios ad regem remiſit uacuos; Cui [3] rex per plures nuncios eum denuò uocat; Ad [4] quem ipſe Balaam pergit; Sed [5] inter eundum, & ab aſina, & ab Angelo corripitur.

Cap. 23. Conatur [1] Balaam bis diuerſis uijs etiam per ſacrificia dæmonibus oblata ad maledicendum populo Iſraelitico; Et [2] toties ſingillatim à Deo compellitur ac benedicendum eidem populo; A [3] Rege Balac de hoc Balaā redarguitur; Sed [4] Deo (reſpondit in ſenſu) quis reſiſtere poteſt.

Cap. 24. Tertiò [1] ſine requiſitione augurij Balaam mox cogitur ad benedicēdum Iſraeli; De qua [2] re plurimum iratus Balac increpat ipſum Balaam; Qui [3] iterum reaſſumpta parabola benedictionem proſequitur, ortum ſtellæ ex Iacob, aduentum meſſiæ, uaſtationemque idolatriæ etiam in Roma Italiæ uaticinatur.

Cap. 25. Iſrael [1] prouocatus à filiabus Moab cadit in luxuriam, & idolatriam Beelphegor; Et [2] propter tranſgreſſionem à Domino punitur; Phinees [3] pro Domino zelans contra peccantes, & auertit iram diuinam à populo, & pactum ſacerdotij ſempiternum recipit: Propter [4] quas deceptiones Iſraeli à Madianitis factas præcipit Dominus, ut hoſtiliter ſe habeat Iſrael contra Madianitas de cætero.

Cap. 26. Numeratur [1] populus pro expeditione belli à uiginti annis, & ſupra; Quorum [2] ſumma eſt ſexcenta millia, & mille, ſeptingenti, triginta; Quibus [3] Dominus diuidendam ſore proportionaliter ſorte promiſſionis terram prædicit; Numerantur & [4] filij Leui ſeorſum ab uno menſe, & ſupra, qui uiginti tria millia maſculi ſunt; Nullo [5] tamē (exceptis Caleb, & Ioſue) in his numerationibus inuento eorum, qui c. 1. & 3. prænumerati fuerant.

Cap. 27. Et filias [1] deficientibus maſculis ſuccedere patri in hæreditate, declarat Dominus; Et [2] quando nec filias, nec &c. habuerit pater, quid de hæreditate fiat in illis caſibus; Et [3] mortem Moyſi imminentem; Et [4] ideò ipſum Ioſue coram toto Iſrael inſtituendum pro ſucceſſione in locum Moyſis.

Cap. 28. De ſacrificijs [1] & quotidiano, & [2] ſabbathino, & [3] mēſtruo in calendis, & [4] annuo, tùm in ſolēnitate phaſe, tùm [5] in ſolemnitate primitiuorum, agitur; quomodo ſingillatim debeant fieri.

Cap. 29. Quid [1] in ſeptēbris prima die, quid [2] in decima, quid [3] in quintadecima pro ſingulis octauæ diebus, ſacrificari debeat; explanatur.

Cap. 30. Circa [1] uota ſua reddenda quomodo & uiri, & [2] puellæ ſub cūra patris, & [3] coniugatæ nondum tamen in domo uiri, & [4] uiduæ ac repudiatæ, & [5] coniugatæ in domo mariti exiſtentes, habere ſe debeant; exponitur.

Cap. 31. Apparatus [1] belli contra Madianitas fit Domino iubente; Vincit [2] illos Iſrael Domino protegente; Victorum [3] præda, poſt occiſionem multorum ibi mixtorum, diuerſimodè, & reſeruatur, & [4] dimiditur.

Cap. 32. Filiorum [1] Ruben & Gad irrationabilis petitio narratur; Petitionis [2] eorū a Moyſe iuſta repulſio; Petitionis [3] ſuæ ab ijſdem honeſta moderatio; Quæ [4] tandem ſic limitata eis per Moyſen conceditur.

Cap. 33. Manſionum [1] populi Iſraelitici epilogus deſcribitur tùm duodecim ab exitu de Ægypto uſque ad montem Synai; tùm [2] uigintiunius à mōte Synai uſque ad Cades; tùm [3] nouem à Cades uſque ad Iordanem.

Cap. 34. Idolatriæ [1] deſtructio præcipitur; Terræ [2] promiſſionis limitatio narratur; Eiuſdem [3] ſic limitatæ diſtributio apponit.

Cap. 35. Dominus [1] de una parte terræ diſtribuendæ danda leuitis præcipit; Et [2] q pro fugitiuorum receptaculo decernantur ſex urbes mandat; Vt [3] ibi ſaluentur rationabiliter.

Cap. 36. Tribus [1] filiorum Ioſeph circa hereditatis caſum Moyſen interrogat; Cui [2] Moyſes de uoluntate Domini, nè tribus aliquando miſceantur, intimat; Cuius [3] Moyſis reſponſionem premiſſa Tribus executioni mandat.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO PRIMO.

QVicquid eſt maſculini ſexus à 20. anno, & ſupra numerabitis. *Text.*

Concl. 1. *Mos ſacrarum ſcripturarum in numerando eſt non ſupputare fœminas, ſed maſculos, & hos tantùm à uigeſimo anno, & ſupra.* [Ex eo.]

Ratio. Per totum capitulum hoc uides numerationes omnes eſſe uirorum tantùm, non autem fœminarum, & uirorum quidem formaliter. i. à vigeſimo anno, & ſupra, non autem materialiter. i. ab annis infra uigeſimum. Licet autem talis numeratio fiat propter finem belli, in quo nec fœminæ, nec maſculi materialiter admitti propriſſime ſolent: numerationis tamen ſcripturarum, cum hoc, morem ordinarium oſtendit. Adeò q duobus deſeruit huiuſmodi numeratio, & fini propinquo. ſ. bello, & fini remoto. ſ. mori ordinario ſacrarum ſcripturarum in numerationibus ferè omnibus ſeruato.

APPENDIX.

HInc habes, quomodo intelligat illud Euangelij. ſ. erāt quinque millia, uel quatuor millia, qui manducauerunt. Numerus enim hic nec fœminas, nec pueros, niſi modo dicto, includit. Et hoc ordinariè in numeris ſcripturarum tenendum uidetur hinc, niſi aliud exprimatur. Vnde idemmet Euangeliſta Matth. 15. ad hoc deſignandū dixit, abſq; paruulis, & mulieribus. Hoc idem ſupra Exodi 12. Significatum eſt ibi, ſexcenta (inquit) ferè millia peditum uirorum, abſq; paruulis, & mulieribus. Quaſi dicat. Mos ſcripturarum eſt non numerare paruulos, ac mulieres; ſed ſolum viros. Quis autē eſt uir? Qui annum uigeſimum agit, uel ſupra.

SExcenta tria millia uirorum quingenti quinquaginta. *Text.*

Concl. 2. *Eſſe uirum ſequitur immediatè ad eſſe puerum, & conſequenter eſſe puerum ſæpè in ſacro eloquio ſumitur largè, ita quòd ille dicatur puer etiam quòd 19. annum ageret, qui nondum habet uiginti annos.* [Ex eo]

Ratio. In Exodo (cap. 12.) viri egreſſi de Ægypto dicuntur fuiſſe, ſexcenta ferè millia abſque paruulis: nunc autem ſunt ſexcenta tria millia, quingenti, quinquaginta. Vnde primi numeri auctio, id eſt, Vnde tria millia, quingeni, & quinquaginta uiri? Nō quidem ex natiuitate noua in deſerto, cùm ſecundus (ut in huius capituli principio dicit) ab egreſſione de Ægypto uolueretur annus, & conſequenter in deſerto nati non uiri, ſed paruuli nimis eſſent. Relinquitur ergo, q iſta primi numeri auctio ex paruulorum illorum (Exod. 12.) augmento facta ſit. Paruuli itaque ibi multi in Exodo dicti ſunt, qui 19. uel circa, annum agebant. Nam biennium ſolummodo (ut diximus) ab eo tempore, quo dicti ſunt paruuli agebatur nunc. Sic ergo cùm uiri non dicantur illi hic, niſi qui 20. annum habent ad minus; reſtat, ut illi tunc dicerentur paruuli, qui 19. uel circa, annum currebant. Nunquid non hinc apertè conſpicis: q inter eſſe paruulum, & inter eſſe uirum iuxta morem ſcripturæ nihil omninò mediat?

Corol. ¶ Ergo multas ſcripturarum ſententias quomodo ſano in-

tellectu capias tùm ex prima, tùm ex ſecunda concluſione habes. Si.n.cognoſcatur mos doctoris alicuius quoad vſum talis, uel talis uocabuli, quomodo ſcilicet utatur illo in tali, uel tali ſenſu, id ualet plurimum ad intelligendum benè doctrinam eius. Scire ergo morem loquutionis ſcripturarum facit,& multum ad intelligendum benè illas.

Text. **TRibum leui non numerabis.**

Concl. 3. *Clerici non debent pugnare manu propria.* [Ex eo.]

Ratio. NVMERATIO hęc fiebat,ut apparerent quot eſſent apti ad belligerandum. In huius ſignum eſt id, quod totiens dictum fuit,quòd numerati ſunt de tali tribu tot, & tot potentes (inquit) ad bella procedere.Quaſi per hoc inſinuatum ſit, quòd iſta ſupputatio ad finem bellandi ordinabatur. Vnde & uiri fortes tantùm numerari præcipiuntur. Dicitur enim in principio capituli:Omnium uirorum fortium ex Iſrael. Nunquid non inter totam tribum Leui non erant uiri fortes?Vtique aliqui erant tales.Cur ergo non numerantur? Non quia non eſſent fortes; ſed quia non reputabantur fortes pro illo negocio,ad quod ordinabatur numeratio iſta. Licèt enim abſolutè fortes eſſent,eorum tamen fortitudo ad bellandum manibus proprijs à Deo ordinanda non erat.Quemadmodum igitur alij fortes ad bellandum dicebantur; ita tribus Leui fortis ad tabernaculo in ceremonijs ſeruiẽdum erat.Hoc eſt. Quẽadmodum aliorum fortitudo ad humanas res defendendas per bellum ordinabatur, ita uirorum Leui fortitudo ad diuinum cultum per uigilem ſolicitudinem ordinabatur.

APPENDIX.

1 HInc habes,quidnam ſit proprium munus clericorum, & in quo officio fortitudinem ſuam exercere debeãt.
2 Secundò habes, quam conformis ſit ſacris literis determinatio ſancti Doctoris 2.2.q.40.ar.2.Ibi namque habet,quòd nõ licet clericis pugnare in bello manu propria. Argue tu hinc à fortiori ad clericos noui teſtamenti.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DIcTA Concluſio hæc 3.cap.1.ſatis confirmatur ex Concilio Toletano. 4. cap.44.Clerici, qui in quacũque ſeditione arma uolẽtes ſumpſerint,amiſſo ordinis ſui gradu, in monaſterio pœnitentiæ tradantur.Hæc ibi:& recitantur.23.q.8. cap. clerici. Vbi & per D. Ambroſium dicitur:Non pila quærunt ferrea, non arma Chriſti milites;coactus repugnare nõ noui;ſed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma aduerſus milites. Talia enim ſunt munimenta ſacerdotis.Hæc ibi.Vbi & ex Concilio Meldenſi 10 cap.Quicunque ex claro, habetur ſimile. Et tùm in textu,tùm in gloſa,eiuſdem cauſæ quæſtionis,dicitur non ſemel,quòd ſacerdotes propria manu arma arripere non poſſunt. Quod autem dicitur de ſacerdotibus, intellige quoque, proportionaliter tamen, de alijs clericis etiam in minoribus ordinibus conſtitutis (ut notat gloſ. ibi in cap.Quicunque ex clero) ,& per arma intellige etiam lapides & ligna(ut notat eadem in cap. Clerici). Conſule Diuum Thom. 2.2.q.40.ar.2.optime(ut ſolet)dicentem.

Text. **COnſtitues eos ſuper tabernaculũ teſtimonij, & ſuper cuncta uaſa eius, & quicquid ad cæremonias pertinet &c. Per gyrum &c. in cuſtodijs tabernaculi teſtamenti.**

Concl. 4. *Clericorum officium proprium eſt attendere cultui diuino, ſeruare illius cæremonias, ac dilatare illum, populumque circumquaque uallare per orationes ſuas.* [Ex eo]

Ratio. AN clericis noui teſtamenti ſcias, è fortiori,dici, quicquid ad Leuitas hic,uel alibi dicitur. Cùm igitur multa hîc ad illos per Moyſen dicantur à domino,patet,quòd iſta omnia ad noſtros clericos pertineant. Dicitur ergo primò, quòd 1
conſtituantur ſuper tabernaculum & ſuper omnia uaſa eius; vt ſcilicet illud portent ſecundum quòd oportebit. Quid eſt cõſtitui ſuper tabernaculum,& portare illud, niſi ſuſtentare, & manutenere cultum diuinum. Hoc utique nouis clericis conuenit; uelut eorum proprium officium. Ad ſignificandum hoc dicuntur agricolæ in Euangelio; quia ſcilicet præ alijs debent culturam erga Deum exercere, & ab Apoſtolo uocantur Dei coadiutores; quia ſcilicet cultum diuinum adiutorio ſibi poſſibili ſuſtinere debent. Dicitur ſecundò 2
de Leuitis, quod conſtituantur ſuper quicquid ad ceremonias pertinet. Ecce,quòd noui clerici ceremoniarum templorum,miſſarum,altarium, ac omnium aliorum ad Deum ſpectantium curam habere debent. Quid hic garriunt hæretici ceremonias Eccleſiæ ſanctæ ſtomachantes? Nonnè in figura nouorum clericorum dicitur nunc ad Leuitas à Deo, quòd ſeruent ceremonias? Vtique. Nunquid Deus antiquarum ceremoniarum amplius æmulator extitit, quam noſtrarum? Abſit. A Deo igitur ſunt ceremoniæ noſtræ, à fortiori,& ab ipſo præceptum,ut obſeruentur. Dicitur tertiò de Leuitis, 3
quòd per gyrum tabernaculi figant tentoria; nè fiat indignatio ſuper totam multitudinem filiorum Iſrael. Quid eſt hoc? Aurea
Quòd noui clerici faciant orationes communes pro toto populo Dei,quaſi tentoria figentes per gyrum tabernaculi, nè ſuper totum populum fiat punitio. Ecce,quòd clerici ſunt totius populi defenſores apud altiſſimum. Quantum ergo ſunt obligati omnes fideles populi ſacerdotibus,atque clericis? Hi enim per orationes ſuas faciũt(ut hic ſub figura dicitur), ut Dei indignatio,id eſt magna punitionis acerbitas,non ueniat ſuper totum populum. Dicitur quartò de Leuitis,quòd 4
excubare debẽt in cuſtodijs tabernaculi.Quid eſt hoc?Quòd clerici uigilare tenentur ſuper gregem domini, nè lupi ipſum diſpergant,aut ipſe ex ſeipſo tepeſcat. Debent ergo prædicare ſui gregi,docere ipſum & uerbo,& exẽplo de his,quæ gregis concernunt ſalutem. Debent de ipſo grege ſolicitam curam gerere,& ut boni proficiant, & ut mali deficiant, & ut infeſtantes gregem dignis pœnis à moleſtando ipſum arceantur. Alioquin,ſi illa omittunt, non excubant in cuſtodijs tabernaculi. Nam tabernaculum Dei ſunt fideles, cùm iuxta Apoſtolum, templum Dei exiſtant.

APPENDIX.

HInc habes,quòd ſeptem horæ canonicæ meritò ab 1
Eccleſia clericis præceptæ ſunt. Nam,cum ea hoc loco clericos pro toto populo orare teneri uidiſſet Eccleſia,cõmunes orationes clericis mandauit, quas horas uocauit canonicas. His horis per gyrum clerici tabernaculum uallãt, & tentoria pro defenſione figunt;nè fiat indignatio, non ſuper ſeipſos tantum,ſed ſuper totum populum. Ergo non pro ſeipſis tantùm dicunt horas canonicas,ſed etiam pro toto populo. Hinc fit,ut in Eccleſijs apertis,nõ clauſis,horæ dici debeãt,& alta uoce,ut pro toto populo dici intelligãtur. Quod autem dixi de horis, idem de miſſarum ſacrificio, de miſſis ipſis dicendum eſt. Hinc eſt, quòd miſſæ, etiam quòd ſacerdos ipſe miſſam nunc celebrare non indigeret nec pro temporalibus eleemoſynis, nec ſpiritualibus conſolationibus, perſolui etiam tunc deberet. Quare? Nè fiat indignatio ſuper totam multitudinem fidelium. Hinc eſt, quòd clerici dimittentes horas, ultra quòd peccant mortaliter per ſingulas horas ratione tranſgreſſionis præcepti Eccleſiæ, extra de celebr.miſſar.cap.dolentes,peccant uehementer in proximũ. Totam enim multitudinem offendunt; dùm eam non iuuant,cùm iuuare poſſint. Simile dico de dimittentibus omninò celebrare miſſas, abſque rationabili cauſa. Simile, inquam, non idem, quoniam præceptum de celebrando miſſam quotidiè nõ inuenio fieri cuilibet ſacerdoti, ſicut fit cuilibet clerico de perſoluendis horis canonicis, ſtudioſè pariter & deuotè. Secundò habes, quòd clerici deberẽt ceremo- 2
nias,quas faciunt,intelligere,id eſt earum ſignificatum penetrare. Hoc enim eſt, quicquid ad ceremonias pertinet, cuſtodire; cùm illarum ſignificatum ad illas pertineat. Neque enim abſque cauſa dictum eſt hic,quòd cuſtodiant quicquid ad ceremonias pertinet, & non tantum dictum eſt, quòd cuſtodiant ceremonias. Qui namque externas ceremonias obſeruant,non intelligendo earum ſignificatum, hi proculdubio non cuſtodiunt quicquid ad ceremonias pertinet,licèt ceremonias ipſas cuſtodiant. Tertiò habes, quòd conuenienter

ſenienter dantur campanæ in Eccleſia. Quorſum enim dantur? Ad conuocandum populum pro audiendis uel miſſis, uel horis canonicis, uel prædicationibus, uel ſacris lectionibus, uel adhortationibus, uel ad aliquid huiuſmodi. Hæc autem omnia cùm ad totius populi cõmodũ ſecundum prædicta, fiant a clericis, congruè populi aduocantur ad ſuam ipſorum utilitatem uidendam, ſentiendam, audiendam, capeſſendam. Ad hunc ſonitum campanarum præfigurandum dicitur, ex mandato diuino Exo. 28 q tintinnabulorum ſonitus erat au-
4 diendus, quando Aaron ingrediebatur ſanctuarium. Quartò habes, quòd conuenienter uigilias cuſtodire, & uigilare ſolebant de nocte in Eccleſiis ſacerdotes cum populo pridie omnium ferè Apoſtolorum &c. quaſi excubantes in cuſtodiis tabernaculi teſtimonij. Hac de cauſa remanſit nomen uigiliæ omnibus diebus antedictis; licèt ob inconuenientia, quæ de nocte occurrebant, non amplius uigiletur de nocte, ſed tale uigilare recompenſetur per ieiunium diebus illis. Vnde rectiſſimè concluditur, quòd ſicut illud uigilare fuit hic ſignatum, ita illud ieiunium pro uigilare introductum fuit hic conſequenter incluſum. Si enim fuit à Deo ſub figura mandatum principale, utique & illud, in quod rationa-
5 biliter tranſiit principale, ex conſilio diuino proceſſit. Quintò habes, quòd etiam uigilare in hoc loco poſitum cuſtoditur, tanquam in figurato ſuo, nunc temporis, quando de nocte ad matutinas horas clerici conſurgunt. Hi enim nunc ſunt uelut Leuitæ excubantes in cuſtodiis tabernaculi teſtimonij. De horis canonicis plura uide in Compend. Albert. Mag. li. 6. c. 37. Schol. De ceremoniis ibid. li. 5. cap. 58. ſchol. & pr. æcipuè libellũ, cuius titulus eſt SACERDOS IN AETERNVM. Vide hunc omninò.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO II.

Text. CAſtrametabuntur filij Iſrael per gyrum tabernaculi fçderis.

Concl. 1. *Brachium temporale debet ordinari de facto, ſicut ordinatum eſt de iure, ad defenſionem cultus diuini, id eſt rerum omnium, quæ honorẽ diuinũ concernunt.* [Ex eo]

Ratio. ILLI pugnatores, qui in primo capitulo recenſiti fuerunt, nunc ad tutelam tabernaculi fœderis ordinantur, ut ſcilicet per gyrum tabernaculum illud circumſtent habentes uexilla per turmas, & domus ſuas. Vbi apertiſſimè oſtenditur, quòd poteſtas ſecularis poteſtati ſpirituali ſubalternatur; & in adminiculum eius inuenta eſt.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd bene faciunt domini temporales, quando inſurgit hoſtis fidei in Papam, uel contra alios quos alios fideles, adiuuare ipſum Papã, & illos alios fide-
2 les, corporalibus armis. Secundò habes, quòd licitum eſt, Deoque acceptum, defenſare fidem ſanctam corporalibus armis. Hi enim, qui ſic eam defendunt, ſunt ueluti bellatores iſti per gyrum tabernaculi fœderis cum ſuis uexillis ſtantes.
3 Tertiò habes, quòd licitum eſt Reuerendis Inquiſitoribus poſcere brachium ſeculare ad capiendos, exurendos &c. hæreticos, & ipſum brachium ſeculare eſt obligatum (ut hic in figura patet) Inquiſitoribus, ſecundum quòd poſcunt, auxilium ferre. A fortiori ergo Papa ad Papatus, uel fidelium, defenſionem poteſt conuocare Imperatorem, Reges, Duces &c. (ut factum eſt 1571. quando colligatio, alias la legha, contra inſolentiſſimum Turcham per Romanum Pontificem, uidelicet Pium quintum procurata eſt): & tales antedicti principes, niſi legitimis cauſis impediantur, ex præſenti mandato diuino ad uoluntatẽ præmiſſam Papæ ſeipſos inflectere obligantur. Quod autem dictum eſt circa colligationem, dicendum eſt circa cruciatam, uel circa alias defenſiones Romanę ſedis, atque fidelium, quandocunque à Papa, tanquam a Dei

Vicario ad ſtandum in gyro tabernaculi fœderis uocantur.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra. Quomodo namque uerificetur, quòd Vicarius Chriſti habeat omnem poteſtatem in terra, tam diximus, & alibi fuſius. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

PRAEDICTA concluſio 1. cap. 2. deſtruit radicitus errorẽ maximum Ioannis Huſſ (ut refert Concilium Conſtantiense) dicentis, q doctores ponentes, quòd aliquis per cenſurã Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſit iudicio ſeculari tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, ſcribas, & phariſęos, qui Chriſtũ nolentem eis in omnibus obedire tradiderunt Pontio Pilato. Cùm enim brachium ſeculare (ut hic oſtenditur) ordinatum ſit ad defenſionem ſpiritualium, patet, quòd tunc ad propriũ officium uocatur, quando ad puniendum incorrigibiles per cenſuram Eccleſiaſticam requiritur. Conſequenter etiam liquet, quòd Eccleſiaſtici iudices brachium ſeculare taliter inuocantes benefaciunt; quoniam ſic ordo ipſarum poteſtatum exigit, & ſeruare ordinem in rerum adminiſtratione laudabile eſt, ac omnibus uerè ſapientibus unanimiter probatum. Quod autem de Chriſto Domino pro ſimilitudine adducit & extra propoſitum omnino eſt (ut lucidiſſimè patet), & ipſum Huſſ nimis in hoc prophanum, tantæque Maieſtatis innocentiſſimæ uitæ contumelioſum, non ſine magna omniũ bonorum admiratione ueraciter arguit. Quapropter, & meritò, damnatur inter alios eius errores iſte 14. loco poſitus a ſacro Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. Ex hoc itaque Concilio per hoc concluſio præſens uirtualiter confirmatur.

Text. PEr gyrum tabernaculi fçderis.

Concl. 2. *Cuſtodia armatorum ad ſepulchrũ Chriſti fuit à Deo figurata hic.* [Ex eo.]

Ratio. TABERNACVLVM iſtud fçderis quid denotabat? Chriſtum. Nunquid non Ioannẽ in Apocalipſi audiſtis dicentẽ: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus? Quando fuit cum hominibus tabernaculum Dei? Vtique, quando in terris Chriſtus uiſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt; Baruch. 3. circa iſtud ergo tabernaculum armati uiri conſtituti ſunt, quando ad Chriſti ſepulchrum cuſtodia militum poſita fuit. Licèt autem tales milites fuerint gentiles, hic tamen, quod iudæi fuerint, figurantur. Nam denominatio a cauſa principaliori fit, quæ quidem cauſa fuerunt iudæi. Nam ipſorum ſuggeſtione motus eſt Pilatus ad mittendum milites illos pro cuſtodia ſepulchri. Iudæi ergo tunc per gyrum ſepulchri fuerunt; quoniam ad iudæorum inſtantiam gentes illuc deſtinatę fuerunt. Cùm igitur, quòd per alios facimus, per nos quodammodo facere dicamur, aptiſſimè hic figurantur iudæi per gyrum Chriſti tabernaculi fçderis tunc ſepulti fuiſſe. Fçderis tabernaculum cur uocatur Chriſtus? Tabernaculum quidem, quia in ipſo, tanquam in quodam tabernaculo, habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter Coloſ. 2. Fœderis autem, quia per ipſum complacuit ſibi Deus reconciliare omnia, ſiue quę in terris, ſiue quę in cęlis ſunt, ſecundum eundem Apoſtolũ. Fœdus enim appellatur pactum duorum, & Chriſtus fuit, in quo pacti ſunt Deus ac homines. Deus, ut per Chriſtum mitigaretur; homines, ut per Chriſtum ad Deum adducerentur. Quia uerò fuit pactum, ſeu fœdus hoc modo Chriſtus, ideò dictus eſt ab Apoſtolo mediator Dei, & hominum.

¶ Hinc aduertas, quòd per archam teſtamenti fœderis, per arcum fœderis, & (breuiter) per fœdus ubicunque in ſcriptura ferè inuentum, Chriſtus intelligitur, propter rationem, quam diximus.

Text. LEuitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſrael.

Concl. 3. *Clerici ſunt nobiliſſima pars omnium populorum.* [Ex eo.]

Ratio. NVMERARI inter aliquos (ut patet etiam uulgaribus perſonis) eſt ſignum, quod omnibus illis numeratis con-

uenit in nobilitate, uel ignobilitate. Vnde numerantes plebeios, non numerant dominos; numerantes ciues ſimpliciter, non numerant illorum principem; numerantes clericos minores, non numerant Epiſcopos. In ſignum huius habuiſti ſupra (Leuit. 21.), quòd Epiſcopus nominaliter diſtinctus eſt a clericis ſimpliciter p ly Maior, et minor, ſiue per ly Maximus; & conſequenter non maximus, ſiue per ly Pontifex, & ſacerdos; & (Leuit. 8. & Exod. 28.) per numerum ueſtium Epiſcopus, atque ſimplex ſacerdos diſtincti ſunt. Cum itaque mādet dominus, Leuitas non eſſe annumerādos inter Iſraelitas, patet ex hoc, quòd Leuitæ uel nobiliores, uel ignobiliores cęteris reputantur. Vnde habebimus ergo, quòd ex hoc Leuitæ nobiliores alijs exiſtant? Ex cauſa, qua annumerari non ſinuntur cum alijs. Cauſa igitur, qua cum alijs non connumerentur, quæ eſt? Eſt nobilitas Leuitarum, quæ nobilitas trahitur ex officio illorum. Audi litteram primi capituli: Tribum Leui (ait dominus ad Moyſen) noli numerare, & non pones ſummam eorum cum filijs Iſrael. Quare? Audi quare. Sed conſtitues eos (inquit) ſuper tabernaculum teſtimonij, & cuncta uaſa eius: & quicquid ad ceremonias pertinet. Quaſi dicat. Officium illorum erit nobilius, quam officium cæterorum, quod erit belligerare corporaliter; & ideò Leuitæ non annumerabuntur cum alijs quaſi in aliorum officio occupandi ſint: alioquin Leuitis fieret iniuria. Quod autem præmiſſum Leuitarum munus dicat nobilitatem maiorem, quam aliorum, patet per litteram ſequentem. Nam ibi ſubſequēter dicitur: Quiſquis externorum acceſſerit, occidetur. Vbi p externos ſignificat Iſraelitas, qui nō ſunt de tribu Leui. Sicut n. gētiles dicūtur multoties externi, quia nō ſunt Iſraelitæ: ita Iſraelitæ alij dicuntur hîc externi, quia nō ſunt de tribu Leui. Tàm ergo nobile eſt Leuitarum officium ſupra cęterorum officia, ut, quicunque de cæteris fidelibus ad illorum officium faciendum acceſſiſſet, occideretur. Ex officij autem nobilitate, uel ignobilitate, ut tetigimus, nobilitas, uel ignobilitas ad illud officium aſſumpti iudicatur. Quemadmodum namque ex ſubiecto, ſeu materia circa quam ſcientiæ alicuius trabitur iudicium de nobilitate ſcientię illius (atteſtante philoſophо): ita ex materia circa quam alicuius hominis, quod eſt eius officium, de nobilitate illius hominis iudicatur. Sunt igitur nobiliores, & uehementer quidem, Leuitæ reliquis fidelibus. Quod ſi fidelibus; ergo multò magis infidelibus. Quod ſi fidelibus, & infidelibus; ergo omnibus exiſtentibus in uniuerſo mundo. Nam & fideles nullo docto diſſentiente, ſunt nobiliores infidelibus; & per fideles, ac infideles exhaurītur uniuerſus mundus. Leuitæ autem clericorum perſonam, utpote antiqui clerici exiſtentes, gerunt.

APPENDIX.

1 HInc habes, quàm conformiter (2.2. q. 40. ar. 2.) ad ſcripturam loquatur Diuus Thomas in ſua ratione adducta, qua bellum corporale negat à clericis. Ibi enim inſinuat, quòd ideò clerici belligerare manualiter nō debent; quia officium illorum nobilius admodum eſt; & nobilius propter ignobilius relinquere non debent. Secundò habes,
2 quòd Apoſtolus (Hebr. 5.) per ly Aſſumptus ex hominibus, ſacerdotis (hunc ibi in principio capituli diffiniat) dignitatem ſupra cæteros homines uniuerſos intellexit.

¶ Applica ad ly (Pſalmus) Tu es ſacerdos in æternum. Vel ad omnem locum, ubi tractatur de ſacerdote, uel clericis. Et memento ſemper arguere à fortiori ſic: Si umbratici clerici erant tantæ nobilitatis ſuper totum mundum; quantò magis ſacerdotes figurati erunt toto mundo ſine comparatione præſtantiores? &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

HÆc Concluſio 3. cap. 2. deſtruit abundanter (ut patet rectè conſideranti) errorem peſtiferum Pauperum de Lugduno (ut refert ſumma fratris Ymneri manuſcripta, in Bibliotheca Vaticana) dicentium, clericos eſſe ſcribas, & phariſęos Apoſtolorum perſecutores. Non enim ſcribæ, & phariſęi, & Apoſt. perſecutores fuerunt re uera nobiliſſima pars omnium populorum, cum tamen clerici ſint pars talis, ut hic oſtenditur. Damnatur quoque, & meritò, ac per hoc præſens concluſio firmatur, à Papa Syl

ueſtro factis ipſis; dùm coronam Imperialem ſuper coronã Clericalem ponere, non eſt paſſus. De qua re uide Elucid. Addi. art. numer. 163. ex quo loco multa alia iura ad eiuſdem erroris damnationem facientia accipere tibi licebit, ſi uolueris. Item damnatur ab &c. in eiſdem Elucid. numer. 110. Videtur & Concilium Triden. errorem illum reprobare, & concluſionem præſentem confirmare, per hoc, quòd in Seſ. 22. cap. 1. de refor. dicit, clericos in ſortem Dñi uocatos.

TRia millia uirorum 400. 50. Text.

Concl. 4. *Volens aggredi uitam ſolitariam debet prius in uita communi ſe exercere: alioquin periculis multis patebit.* [Ex eo.]

VNDE non tàm breui tempore (agebatur enim ſecūdus annus tantùm ab egreſſu de Ægypto) facti ſunt iſti uiri, qui prius nō erāt uiri? Ex eo, quòd antea nati fuerant in Ægypto. Si enim ibi nati non fuiſſent, impoſſibile eſt, quòd duorum annorum ſpatio ad uirilitatem perueniſſent. Extra deſertum ergo, antequam, ſcilicet illud ingrederentur, nati ſunt, qui in deſerto poſiti ad eam ętatis perfectionem deuenerunt, quā extra deſertum nondum attigerant. Incipienda igitur perfectio eſt in uita religioſa communis, antequam ad uitam ſolitariam tranſitus fiat. Ratio.

¶ Hinc eſt illud B. Grego. quòd. ſ. qui uult contemplationis perfectionem arripere debet prius ſe in cāpo bonæ actionis exercere. Hinc eſt, quòd B. Patriarcha Iacob prius Lyam accipit in uxorem, quam Rachelem: licèt magis diligat Rachelem, quam Lyam. Quia prius actiua uita exercenda eſt, quam contemplatiua; ſed contemplatiua magis amanda, & in huius gratiam actiua ſumenda, ut. ſ. facilius ad contemplationem per bonam actionem perueniamus. Hinc eſt, q̇ Chriſtus primò ſuſcipitur a Martha, ſed magis laudat Magdalenam. Ingrediens caſtellum ſuſcipitur à Martha in domum; ſed ingreſſus domum ſuſcipitur à Magdalena. Sic enim ſcriptum eſt, q̇ Magdalena ad pedes Domini iam domum Marthæ ingreſſi ſedebat, & audiebat uerbum eius. Cur ergo nō ſuſcipitur à Magdalena, niſi poſtquam in domum Marthæ ſuſceptus eſt a Martha? Vt cognoſcas uitam ſolitariam, ſeu purè contemplatiuam, non tutò arripi, niſi ab eo, qui in uita communi, ſeu in bona uita actiua ſeipſum prius exercitauit 2. 2. q. 188. ar. 8. Chriſtus à Martha ſuſcipitur in domū; Chriſtus in domo Marthę exiſtēs ſuſcipitur a Magdalena, ut contemplatiuam, ſiue ſolitariam uitam eſſe perfectiorem noueris, utpotè Chriſto magis coniunctam, quam uitam actiuā 2. 2. q. 182. art. 1. 2. & ubi nunc ſupra. Not.

AD orientem Iudas &c. in caſtris filiorum Ruben ad meridianam plagam &c. Ad occidentalem plagam Ephraim &c. ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt filij Dan &c. Text.

Concl. 5. *Variæ uiæ ſunt, ſ. multæ, ad ſalutem; ſed tamen unus tantùm finis intentus.* [Ex eo.]

VERE omnes iſti in uia diuiſi ſunt (ideòque in littera dicitur, Diuiſi exercitus), ſed in termino intentionne uniti. Nōnè diuiſi in uia, ſi aliqui ad occidentem, alij ad meridiem, aliqui ad orientem, quidam ad aquilonem, figunt tentoria? Nōnè uniti in termino, ſi omnes ad terram promiſſionis ire uolunt? Vtique: utique. Quid ſignificant filij Iſrael hi? Populum fidelem; populum chriſtianum, populum catholicū. Multis igitur uijs ad ſalutem ingredimur. Multæ igitur uiæ, quibus omnibus ſaluari poſſit chriſtianus. Non enim ſoli religioſi ſaluantur, nec ſolæ uirgines; ſed etiam ſeculares, atque coniugatæ perſonæ. Ad hoc autem uidendum, quòd omnes ad unum terminum, ſcilicet terram promiſſionis uadant, non eſt indagare neceſſe, hoc ſiquidem manifeſtiſſima res eſt. Ratio.

APPENDIX.

HInc habes, quomodo illud Apoſtoli intelligas, ſ. in Chriſto Ieſu non eſt maſculus, neque fœmina; non barbarus, neque ſcytha; ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Intelligitur enim ſic, quòd non tantum una, uel duæ, uel tres

uiæ

uiæ ſunt, per quas poſſit homo ſaluari; ſed omnes uiæ ſunt aptę ad ſalutem, dummodo in uijs illis Chriſtus, ſeu charitas Chriſti, inueniatur. Ac ſi dixiſſet Apoſtolus: Via maſculi licèt ſit perfectior, quàm via fęminę; & uia huius, puta barbari, ſit diuerſa à uia illius, puta ſcythæ; omnes tamen ſunt ad ſalutem ſufficientes, dummodo ſint in Chriſto Ieſu. Secundò habes, quomodo etiam illud intelligat, uidelicet, In domo patris mei manſiones multę ſunt. Intelligitur enim ſic, ꝙ in Eccleſia, quæ eſt Domus Dei, ſunt plures uiæ ad ſalutem. In Eccleſia (inquam) pro ſtatu militante, cùm pro ſtatu triumphante non dicat uiam, ſed terminum uiæ. Licèt autem utatur manſionum uocabulo; tamen hoc nõ officit, quin de uijs intelligi queat hæc ſententia. Via namq; in ſeipſa ſemper mobilis, & ſemper manſio. Terminus nãque huius uiæ eſt quoddam immobile, ac ſemper idem manens, iuxta illud: Tu autē idem ipſe es, & anni tui non deficient. Si autem dicatur, quòd de Eccleſia pro ſtatu triumphante intelligitur Euangelij dictum, tunc idem ſequitur, ꝙ.ſ. etiam de ſtatu militante intelligatur. Nam quare in cœlo ſunt manſiones multæ, niſi quia in terra ſunt uiæ multæ? Si enim una tantùm uia ad cœlum eſſet, tunc una tantùm manſio in cœlo daretur. Nunc uerò quia ſunt plures manſiones, ideò ſunt plures uiæ, ita quòd præmiorum (hæ ſunt manſiones in cœlo) multiplicitas, meritorum (hæ ſunt uiæ ad cœlum) multiplicitatem infert. Nõ tamen pari paſſu manſionum nomen attingunt. Nam cœleſtia præmia dicuntur ratione ſuipſorum manſiones: uiæ autem, ſeu merita ratione præmiorum, illorum manſiones appellantur. Et hoc ipſum uocatur manſio, non tantum propter id, quòd præmium illud immobile ſit; ſed etiam propter aliud, quod.ſ. de ratione cuiuſcunque finalis præmij, ut ſic, eſt quietare (Hoc eſt dare manſionem appetitui), ſeu firmare appetitum deſiderantis.

E X A M E N.

DICVNTVR tendentes ad cœlum uijs diuerſis habere unum terminum (ſicut erant iſti pugnatores, figurantes nos fideles fore pugnatores uiros in hoc mundo), & ratione cœli, quò tendunt, & ratione charitatis, qua tendunt. Vniuerſi enim huiuſmodi charitatem in uia iſta habent, ſine qua nec cœlũ attingere, nec cœlũ pro termino ſibi præfigere ſiue actu ueraciter poſſet. In duobus ergo ꝓmiſſis conueniũt: licèt in exteriori habitu (puta religioſo, ſeculari, cõiugato, uirginali &c.) diſconueniãt. Interiorē itaque duplicē illam cordā concordiā non poteſt diuerſitas externa labefactare in ueris fidelibus. Hæc autem omnia in his Iſraelitis ſub figura fuerunt. Omnes enim ad terrã promiſſionis tendebant, omnes ad componendum unum ſolum exercitum ueniebant, omnes iuxta diuerſitatē tribuum diuerſi erant in tentoriorum fixionibus, ac dignitatibus, atque præcedentijs. Quatenus & ad terram promiſſam tendebant, & unum exercitum totum faciebant, eatenus fideles, ꝙ ituri eſſent ad cœlum, & quòd charitatem habituri forent, ſignificabant. Quatenus uerò gradibus, tribubus, tentorijs, pręcedentijs, diuerſi erant, eatenus, fideles quòd uarijs uijs ſaluarentur, figurabant. Concordiam ergo illam duplicem tùm per tendentiam ad unum, tùm per compoſitionem unius, repræſentabant: diuerſitatem uerò externam illam per tribuum, tentoriorum, uexillorum, ſignorum, turmarum, cognationum, domorum, locorum uel primorũ uel ſecũdorũ, uel ſucceſſiuorum præferebãt. Quę omnia figurata ſi uidere optas, ſtatũ præſentem omniũ fidelium contuere. Ibi enim alium ſic, alium ſic, ire uidebis; ſed extra cœli deſiderium, ac extra charitatem ſaltem Eccleſiaſticam (hæc eſt non eſſe ſciſmaticum) nullum fidelem comperies, quamuis multi eorundem ſint extra charitatem uirtutē theologicam. Si ad extrinſecum habitum oculos habeas, clamabis: Circundata eſt Eccleſia non uarietate tantùm; ſed etiam uarietatibus. Siu ad interiorem inſpicias habitum Eccleſiæ, præ gaudio cantabis: Vna eſt columba Dei, una eſt ſpecioſa Chriſti, una eſt caſtiſſima ſponſa patris unigeniti. Quare una? Quia intus per charitatem mutuam unita eſt, intus per deſiderium cœli unita eſt, & per charitatem, ac deſiderium interiora, & exteriora in ſeipſis diſiuncta (en diuiſus filiorũ Iſrael exercitus) coniungit in unum (en tota ſumma, ſeu totus numerus diuiſi exercitus). Vide Gen. 7. con. 3.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Omnes nos fratres eſtis. Omnes nos (ecce officiorum multiplicitas. Nam Petrus ſolus erat Papa, alij Apoſtoli tantùm, quidam Euangeliſtæ, alij non &c.) fratres eſtis (ecce affectuum unitas. Nam eſſe alicui fratrem affectus unitatem inter illos ſonat? Vndè religioſi uocantur fratres, ad oſtendendum, quòd ipſi præ alijs chriſtianis debent eſſe in affectibus, & erga Deum, & erga ſemetipſos ſingillatim, & erga ſeipſos mutuò, magis conformes). Vel ad ly (Apoſtolus) Vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem membra, quæ membra non eundem actum habent. Hoc eſt. Vnus exercitus pugnatorum omnes fideles ſumus, ſinguli autem non eundem locum, ſeu non idem officium, ſeu non idē particulare uexillum, in exercitu tenemus. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTAM Conclu. 5. cap. 2. caue, nè intellexeris loqui de multitudine uiarum extra Eccleſiã, quaſi quòd uel poſſit extra Eccleſiam catholicam eſſe ſalus, uel poſſit quiſque in ſua ſecta ſaluari extra Eccleſiam Romanã. Hæc enim, tanquam hæreticalia, reprobata fuere ſupra Gen. 7. con. 3. & cap. 3. con. 17. Item Exod. 12. con. 7. Item Leuit. 4. con. 5. & cap. 19. con. 5. & cap. 22. con. 7. Item in Elucidi. additi. at. num. 288. 386. 441. 443. Intelligas igitur de uijs multiplicibus intra Eccleſiam ipſam, quo & modo dixit B. Auguſtinus, ꝙ in uia Dei alius ſic, alius ſic ibat; & per experientiam uidemus, ꝙ alij ſunt ibi clauſtrales uitæ ꝓbatæ, alij ſeculares, alij coniugati, alij cęlibes, alij uirgines, alij uidualem uitam degentes; quidam &c. Qui tamen omnes, cùm ſint in archa Noe, hoc eſt in Eccleſia 1. Petr. 3. poſſunt accedentibus operibus in charitate factis ſaluari; proptereaque continentur ſub reginæ illius alis, de qua Deo dicit Pſalm. 44. Aſtitit regina (.i. Eccleſia) à dextris tuis in ueſtitu deaurato circundata uarietate. Et hanc uarietatem ſolùm tangere uoluit concluſio.

AD Orientem, ad Meridianam plagam, ad Occidentem, ad Aquilonem. *Text.*

Conclu. 6. *Rectiſſimè Eccleſia dicitur catholica.* [Ex eo.]

QVID eſt eſſe catholicum? Eſſe uniuerſale, & in perſonis, & in locis, & in tempore. Quid eſt eſſe uniuerſale in perſonis? Eſt non eſſe partiale (ut dicitur) perſonarum, ſed omnes perſonas ad ſe uenientes acceptare. Vnde tunc Chriſtus ſe oſtendit eſſe catholicum in perſonis, quando ait: Omnis, qui uenit ad me, non ejiciã eum foras. Et Apoſtolus, Chriſtum eſſe catholicum ſic, monſtrauit dicens: Vult omnes ſaluos fieri; &, Deus non eſt acceptor perſonarum; &, Dominus uniuerſorũ tu es; &, A Solis ortu uſq; ad occaſum oēs iuuenes, virgines, ſenes &c. laudent nomen Domini; & ſimilia. Quid eſt eſſe uniuerſale in locis? Eſt cuiuſcunque loci, ſeu partis mundi, ad ſe uenientes non repellere. Quid eſt eſſe uniuerſale in tempore? Eſt nunquam in tempore toto deficere. Eſſe illud, ſcilicet uniuerſale in locis figurauit Deus in Geneſi, quando ad Abraham ſub perſona Eccleſię ſic locutus eſt. Eleua oculos tuos ad Orientem, Occidentem, Meridiem &c. Tibi dabo omnem terram hanc. En ꝙ Eccleſia ex omnibus locis mundi debuit congregare fideles. Eſſe hoc, ſcilicet eſſe uniuerſale in tempore, tanquam prophetans ſignificauit Deus pluries, quando ſcilicet ad Salomonem de templo ædificato ſub typo Eccleſiæ dixit: Elegi mihi hunc locum in ſempiternum; & quando de populo Iſraelitico ſub figura totius populi chriſtiani dicebat: Elegi te, ut ſis mihi populus peculiaris in æternum. *Ratio.* *Scrip.* *Pſalm.*

E X A M E N.

HÆC autem tria eſſe uniuerſalia hic figurata ſunt: unde hic, Eccleſiam fore catholicam prophetatum eſt. Primum, ſcilicet eſſe uniuerſale in perſonis, figuratum hic eſt, quã non tribus tantùm Iuda, non tribus tantùm Ruben &c. ſed omnes tribus ſuo modo recenſitæ fuerunt. Suo, inquam modo: quia, licèt tribus Leui non ſit numerata manualiter pugnatura cum alijs, numerata tamen eſt pugnatura ſpiritualiter, in deferendo ſcilicet tabernaculum teſtimonij, & populũ orationibus ſuis, ut ſupradictum eſt. Vnde in Apocalipſi c. 7. tribus Leui alijs connumeratur in Eccleſia, quòd ſtatu triumphante, *Primũ.*

phante,

phante, quod non fieret, ſi alijs ſuo modo non fuiſſet connumerata pro ſtatu militante. *Secūdū.* Secundum, ſcilicet eſſe uniuerſale in locis, effigiatum hic eſt, quando nō hi tantùm ab Oriente exiſtentes, uel ab Occidente, uel à Meridie, uel ab Aquilone; ſed ab omnibus ſimul his partibus exiſtentes in numerū exercitus domini ſupputantur. *Tertiū.* Tertium, ſcilicet eſſe uniuerſale in tempore, hic prædictum eſt, ſi ad intentionem congregantis exercitum inſpiciamus. Cur enim taliter diuiſit Deus exercitum? Forſan, ut hic ordo per duos, uel tres annos tātùm duraret? Minimè, ſed ut toto tempore, quo per deſertum ambularent, & in deſerto inuenirentur, perſeueraret, quod quidē fuit tempus quadraginta annorū. Eſſe illud in deſerto, quid ſignificabat? Totum tempus Eccleſiæ uſque ad finem mundi, quòd ſanè tempus eſt tanquam deſertum, cum ab hominibus non uerè Iſraelitis illa, quæ ab Eccleſia nunc prædicantur, deſerantur. i. non obſeruentur. Vnde hoc ſignificans Beatiſſimus Chriſti præcurſor in Eccleſia, & pro Eccleſiæ perſona, loquens dicebat: Ego uox clamantis in deſerto, quaſi Chriſtus, cuius ipſe erat uox, & Eccleſia à Chriſto inſpirata clamatura eſſet in deſerto. Signum autem, ꝙ tempus, quo manſerit in deſerto, ſignificaret totum Eccleſiæ tempus uſque ad finē mundi, hoc eſt; quia poſt egreſſionem è deſerto mox intrauerunt promiſſionis terram. Hæc uerò terra patriam cœleſtem ſignificabat, quam electi omnes ſimul non ingreſſuri ſunt, *Offert. mortuor.* niſi poſt mundi finem, iuxta illud Eccleſiæ Deum alloquentis, Quam olim Abrahæ promiſiſti, &c.

¶ Applica ad ly (Matthæus) Cū uideritis abhominationē. Tunc mittet Angelos ſuos, & congregabūt electos à quatuor uentis à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum. Item; Ecce hic Chriſtus, ecce illic, ecce in deſerto, ecce in penetralibus, nolite credere. Item; Non præteribit generatio hæc, donec omnia iſta fiant. Vide hic per uerba præmiſſa dictum, ꝙ Eccleſia eſt illo modo tripliciter catholica. Ly enim Congregabunt electos à quatuor uentis, dicit eſſe uniuerſale in perſonis, cùm ex omni genere perſonarū in partibus iſtis quatuor inueniantur. Ly uerò Ecce hic Chriſtus &c. dicit uniuerſale in locis, cùm hic, illic, in deſerto, in penetralibus, diſtinguēt loca, & ab his partialibus locis, ut partialia tantùm ſunt aliaque loca excludentia (contra Donatum expreſſè hic textus eſt, qui Chriſti Eccleſiam ad Aphricam tantùm coarctauit), negetur Chriſtus. Ly Non præteribit generatio hæc, donec &c. dicit uniuerſale in tempore, cùm generatio hæc ſit Eccleſia tunc ab antichriſto afflicta (ut ibi per contextum patet), & ly Donec omnia fiant dicat diem iudicij poſtea futurū. Vel ad &c. Vide Gen. 7. con. 2.

Text. **P**Rofecti per familias, ac domos patrum ſuorum.

Concl. 7. *In uocatione, in qua quis à Deo uocatus eſt, in ea permanere debet in domino.* [Ex eo.]

Ratio. VNVSQVISQVE in gradu ſuo, ſeu in ordine ſuo (uelut animalia ab Ezechiele uiſa, quæ idem ſonant, quod littera hæc) gradiebatur. Profecti enim non ſunt per quamcunque familiam, ac domum; ſed per familias, ac domos ſuas, i. ſibi cuique appropriatas. Et non per domos, ac familias ſuas præciſè, ſed patrum ſuorum, id quod ſignificat unumquemque in uocatione ſua permanere debere, non ſecundum caput proprium, ſed in domino. Hoc autem melius declarabitur in notatione ſequenti.

NOTATIO.

HINC tamen non tollitur; quin ſecularis poſſit ingredi religionem, uel poſſit ad presbyteratum tranſire, aut coniugatus poſſit de conſenſu alterius conſortis caſtitatem uouere, &, uniuerſaliter, non tollitur, quin ad meliorem frugem tranſire ualeat omnis (ut garriunt, ex apoſtolico illo documento in concluſione allato diuerſi hæretici) Non enim ly In Domino, ſine cauſa additum eſt. Voluit nanque per hāc additionem innuiſſe Apoſtolus, ut tandiu in una uocatione maneamus, quādiu placet domino, nos ibi manere. Quando igitur nos dominus inſpirauerit (dunmodo ſit uerè a Domino illa inſpiratio) ut ad meliorem frugem ſiue cū uoto, ſiue abſque uoto tranſeamus, tunc in priori uocatione amplius non manemus in domino. Si nanque in illa poſtmodum maneremus in domino; licèt bona ſit: nos dominus non inſpiraret, ut illa relicta ad aliam manum apponeremus. Non igitur uoluit Apoſtolus, nos in æternum manere in aliqua uocatione bona (puta coniugij); ſed uſquequo a Domino de meliori apprehendēda non inſpiraremur, & ob id appoſuit ly in Domino ad ly In ea permaneat. Vide idipſum in hoc capitulo eſſe annotatum. Profectiq; ſunt (ait) per domos patrum ſuorum. Hoc eſt. In proficiſcendo non ambulabant ſecundum quod ſibi uidebatur, ſed ſecundum ordinem à patribus ſuis firmatum. Quid hoc ſignificat? Secūdum obedientiam ad patres ſuos. Quod ſi hoc, ergo multò magis fideles debent manere, uel proficiſci (ut arguit Apoſtolus ad Hebræos 12.) ſecūdum obedientiam ad patrem ſpirituum. i. ad Spiritū Sanctū, qui pater noſter eſt. Alioquin, ſi quis in bona uocatione manens haberet animum non apprehendendi excellentiorem uiam, etiam ꝙ à patre ſpirituum inſpiraretur, tam iſte peccaret. Poneret enim obicem Spiritui Sancto, quod eſt peccatum. Vnde alibi diximus, quòd non licet facere uotum non ingrediendi religionem, uel non ſeruandi aliquod opus ſupererogationis. Præmiſſam notationem, quam poſuimus, indicare uoluit Moyſes in his huius capituli uerbis. In quibus? Quomodo (inquit) erigetur; ita & deponetur. Singuli per loca ſua proficiſcentur. Quid eſt, quomodo tabernaculum erigetur, ita & deponetur? Hoc eſt, ad ambulationem nubis (ut infra clarius patet) erigetur; & ad manſionem nubis deponetur. Quid eſt, ſinguli per loca ſua proficiſcentur? Hoc eſt (conſiderato ꝙ immediatè ponitur poſt ly Quomodo erigetur, ita deponetur), ad ambulationem uel manſionem tabernaculi ambulabunt uel manebunt homines pugnatores. Quod ſi ad tabernaculi, ergo conſequenter ad nubis, cùm nubem ipſam (ut diximus) tabernaculum ſequeretur. Quid nubes illa? Spiritus ſanctus. Erigitur ergo tabernaculum, atq; deponitur ſecundum oſtēſionem diuerſam nubis. Quid eſt hoc? Quod homo, qui ad inſtinctum Spiritusſancti erectus eſt ad apprehendendum unam uiam, debet quoque illam uiam deponere, quando a Spiritu Sancto ad hoc inſpiratur. Erectus es ad accipiendum presbyteratum in ſeculo: ſi Spiritus ſanctus te intrauerit, dimitte illum, & ſuſcipe monachatum. Tunc in te ad uariam nubis mōſtrationem uaria tabernaculi erectio uel depoſitio fiet, atque ad tabernaculi, Spiritus Sancti uarium modum oſtenſionis ſinguli tui ſenſus proficiſcentur.

AD Aquilonis partem fil. Dan.

Concl. 8. *Mali, & quidem multi, ad Eccleſiæ numerum pertinent.* [Ex eo.]

AQVILONIS pars in malum ſonat, iuxta illud Hierem. 1. Ab Aquilone pandetur omne malum. Cùm igitur exercitum Domini conſtituant quoque hi, qui ſunt ad Aquilonis partem, iam clariſſimum relinquitur, quòd ex malis quoque conficiatur Eccleſia.

APPENDIX.

HINC habes, quid dicas ſub figura ad hæreticos illos, qui eos tātum ſtatuunt de Eccleſia eſſe, qui boni ſunt. Nunquid (dicas arguendo demonſtratiuè) Eccleſia perfectior Chriſto eſt? Non utique. Si ergo Chriſtus in perfectiori ſua ſchola, ideſt inter Apoſtolos, habuit unum non tantū malum, ſed peſſimum (hic maximè erat ad Aquilonis partem): quid mirum, ſi Eccleſia Chriſti malos & peſſimos in ſuo numero includat? An forſan Iudas non erat uerè Apoſtolus; etiam quód peſſimus eſſet? Certè non deſierat propter hoc eſſe uerè Apoſtolus, quem Chriſtus inter Apoſtolos, dum adhuc malus eſſet, numerat dicens: Nonnè duodecim ego elegi: & unus ex uobis diabolus eſt? Erat ergo tunc peſſimus; quando duodenarium numerum Apoſtolorū componebat; & tunc, a fortiori uerè chriſtianus erat. Exēplum hoc Iudæ notabis quoque contra hæreticos illos, qui *Aureū magnū.* malos prælatos ex eo, quòd mali ſunt, amiſiſſe priſtinam poteſtatem mentiuntur.

¶ Applica ad ly (Matthæus) Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ congreganti ex omni genere piſcium. Ergo uult Deus omnes homines ſiue gentiles, ſiue hebræos, ſiue Hiſpanos ſiue Gallos, ſiue cuiuſuis alterius generis ſaluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire. Ergo bonos non tantum, ſed & malos congregat, & meliores, ac peiores, & optimos, ac peſſimos congregat Eccleſia, & mixtio iſta durabit in Eccleſia uſque ad conſummationem ſeculi, ſicut & mixtio bonorum piſcium cum malis durat in reti uſq; ad eductionem ipſius ſagenæ ad littus. Vel ad &c.

PRO

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

PRAEDICTA Concluſio 8. capit. 2. deſtruit hæreſes Ioannis Huſſ, dicentis (ut in Concil. Conſtantienſi, uetitatis uerbis, refertur) Eccleſiam non continere malos; ſed ſolùm bonos prædeſtinatos ad eam pertinere. Et hæreſim Ioannis de Rocſeſana dicentis, Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis, & in gratia exiſtentibus, conſtare. Patet n. hic totum oppoſitum, quo ad malos. Damnatur quoque, & meritò ſupra Gen. 7. con. 1. Damnatur &, quò ad ſolos prædeſtinatos, à Chriſto cap. 25. Matth. ubi uirgines fatuæ pertinentes ad regnum cœlorum (.i. Eccleſiam militantem, teſte ibi Homil. B. Greg. Papæ) excluduntur ab introitu cum ſponſo ad nuptias .i. ab Eccleſia triumphante. Prædeſtinati uerò infallibiliter ſaluantur, ut habet D. Thom. 1. q. 23. art. 6. Item à Matth. 22. ubi ingreſſus ad nuptias (.i. ad Eccleſiam militantem, ſecundum ibi Doctores Sanctos) quidam non ueſtitus nuptiali ueſte (.i. ſine charitate) mittitur in tenebras exteriores (.i. infernum damnatorum). Item à 1. Cor. 1. &c. & 2. Cor. 5. &c. Quos enim uocat primò Eccleſiam Dei, & Sãctos ſeu in Chriſto Ieſu per baptiſmum ſanctificatos, hos poſtea in ſubſequentibus arguit de zelo inuidiæ, de contentionibus, de ſtuproſa fornicatione, de multiſque alijs peccatis, etiam mortalibus, quibuſcum neque gratia ſtat neque bonitas conſcientiæ. Quia tamen cum eis poteſt ſtare, & in multis actualiter ſtat, fides uera etiam quòd non uiua, per quam fidem uexam eſt quis chriſtianorum numero aggregatus (ut de his omnibus patet in Concil. Trid. Seſſ. 6. canon. 28. anathematizando contrarium): ideò prędicti Corinthij peccatores etiam grauiſſimi, quoniam baptizati & adhuc fideles erant, ab ipſo Apoſtolo non inter eos, qui foris .i. extra Eccleſiam; ſed inter eos, qui intus, id eſt intra Eccleſiam ſunt, computantur. In cuius ſignum euidens eſt, quòd ille ipſe Apoſtolus, qui de his, qui foris ſunt, ſe non iudicare profitetur. 1. Corinth. 5. iudicat de illo inceſtuoſo excommunicando ipſum. Nec obſtat illud Eph. 5. vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam nõ habentem maculam neque rugam neque aliquid huiuſmodi, quoniam de Eccleſia pro ſtatu in patria cœleſti, non pro ſtatu iſto præſenti, hoc dicit. Pro quo ſciendum, quòd ibi ab Apoſtolo ponitur bis ly Vt. Et hoc non ſine cauſa, aut ſuperfluè, factum eſt. Chriſtus, inquit, dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, ut illam ſanctificaret mundãs eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Ecce in texto duplex, ut, non unum ſolum. Quorum quidem primum dicit finem proximum, qui etiam alias uocari ſolet medium ad ulteriorem fine: Secundum uerò, ut, dici finem remotum, qui quãdoque uocatur etiam finis ultimus: Hinc eſt, quòd ſub primo vt, Apoſtolus ponit mundationem Eccleſiæ per lauacrum uitale .i. per baptiſmi ſacramentum, & ſub ſecundo vt, mundationem eiuſdem Eccleſiæ per non habere maculã, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi .i. per non habere peccatum mortale, nec ueniale, nec potentiã cadendi in aliquod illorũ. Per primum ergo, ut, reprę̈ſentatur ab Apoſtolo Eccleſia pro ſtatu præſentis uitæ, in quo nullus etiam baptizatus poteſt in tota uita ſua uitare omnia uenialia peccata (excepta B. uirgine Dei genitrice) ſecundum Concilium Tridentinum Seſſ. 6. canon. 23. per ſecundum uerò vt, reprę̈ſentatur Eccleſia pro ſtatu patriæ, ubi abſq; omni, & peccato etiam uenialiſſimo, & peccãdi poſſibilitate, congregatio cõprę̈henſorum utique in æternum uiuet cum Chriſto. In cuius rei ſignum euidens Apoſtolus ſub ſecundo vt, non poſuit ſimpliciter Eccleſiam, ſed glorioſam Eccleſiam.

Text. NOuiſſimi proficiſcentur.

Concl. 9. *Mali in Eccleſia utilitatem afferunt Eccleſiæ; licèt præter intentum eorum.* [Ex eo.]

Ratio. QVARE proficiſcuntur nouiſſimi? Vt exercitum à parte poſt defendant ab inimicis, ideò & uulgò his ſimiles Retroguardiam uocant.

NOTATIO PRACTICANDA.

VTILITATEM à malis Eccleſiæ allatam uidimus (ut alibi tactum fuit) in Luthero, Arrio, Tyrannis, & huiuſmodi, & quotidie hanc in omni loco uidemus. Ex moleſtatione ſiquidem à malis habita boni in melius per patientiam, per maiorem in uiuendo cautelam, per meliorem in loquendo prudentiam, & per huiuſmodi proficiſcũtur, uis audire quam utilitatem bonis mali afferant? Lege Pſalmum, & ibi uidebis, malos aſſimilari ſcabello pedum bonorum. Sede (inquit pater filio, & conſequenter, à proportione tamen, omnibus filio cõformibus .i. omnibus bonis, ut in Apoc.) a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Mali ergo, cùm ſint inimici Chriſti ſunt ſcabellum pedum bonorum, ſiue ſunt ſcabellum bonorum. Nam pedes Chriſti methaphoricè uocantur boni. Quid facit ſcabellum pedum? Subleuat pedes nè tangant terram, nè à terra infrigidentur, nè per terram deturpentur, nè a terreno puluere inficiantur: & cũ pedes à terra eleuent, utiq; ipſum politũ ſuper ſcabellũ cęlo magis appropinquare cõpellũt. Hæc omnia de malis erga bonos, ſi per te profundius diſcurreris, ad unguem uerificari comperies. Solum id unum D. Aug. ad hoc propoſitum de ſcabello erga bonos agnoueris dictum, quòd ſcilicet mala, quę nos hic præmunt (inter mala annumeratos ſcias malos) ad Deum nos ire compellunt. Ecce ſcabellum à terra eleuans quodammodo inuitè, & conſequenter cęlo appropinquare faciens. Sis uerè bonus, & ſuper ſcabellum manebis, cum non ſis uerè bonus, iuxta dictum ſanctorum doctorum, qui non poteſt ſufferre malos. Si autem ſuper ſcabellum ſteteris, utique elongationem à terra, & approximationem ad cœlos per ſcabellum acquires. Ecce utilitas, & ſanè magna, quam boni prudentia Chriſtiana utendo, ex admixtione malorum apportãt, & mali ex admixtione illa bonis dant. Præter intentionem dixi in concluſione, ad oſtendẽdum, quòd utilitatem ſibijpſis ex hoc mali nõ apportãt; quod tamen eſſet, ſi ſecundum intentum ſuum ipſis bonis mali utilitatem prædictam afferrent. Vis cernere, quòd indè nullum emolumentum trahunt? Audi. Mali in hanc utilitatẽ quomodo uocantur? Scabellum pedum. Quid fit de ſcabello, dùm ſuper ſe ſtantem à terra uerſus cœlum eleuat? Scabellum ſuppeditatur, conculcatur, in nouiſſima parte, id eſt ima parte reſtat. Nunquid utilitatem aliquam ſcabelli pro ſeipſo hic aduertis? Neuòquam. O quàm bellè nouiſſimi hic appellati ſunt mali. Quare nouiſſimi? Quia nihil utilitatis ex utilitate iuſtis data, tanquam ſcabellum in imo poſitum, ſibi reportant. Scabellum namque, ſi computando deſcendas, reperies nouiſſimum, & fidelium exercitum hunc ſi numeres, filios Dan, malos figurantes, nouiſſimos inuenies. Aureum

¶Applica ad ly (Euangelium) Qui ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Qui eſt qui ſoluit; & ſic, ut ſoluit, docet? Qui malus eſt, & opere, quia ſoluit, & uerbo, quia ſoluenda docet. Malus igitur eſt, & exemplo, & uerbo, & uita, & doctrina. Quid indè? Minimus uocabitur in regno cœlorum: Hoc eſt, in Eccleſia iuſtorum non erit nullus, ſed minimus. Quare non erit nullus? Quia aliquam utilitatem Eccleſiæ iuſtorum afferet. Quare erit minimus? Quia vtilitatẽ inde pro ſe non reportabit, imò detrimentum ſibi indè comparabit. Non enim tantùm tyranni ob coronam martyribus datam non coronati ſunt; ſed etiam ob hoc damnationem ſibimet acquiſierunt. Quò contra de iuſtis, & moribus, & doctrinis in Euangelio illo ſubinngitur, quòd tales erunt magni (& ratione utilitatis datæ, & ratione utilitatis maioris indè receptæ) in regno cœlorum. Quare ſic de malis dicitur, quòd emolumentum indè non referunt? Quia præter intentum utilitatẽ illam alijs apportãt. Sunt ergo ſcabellum pedum. Sicut enim ſcabellum quantò magis ſub pedibus alicuius ſtat, tantò magis teritur, inueteratur, maculatur, puluerizatur, deterioratur, frangitur; ita quantò magis mali opprimentes bonos illis utilitatem afferunt, tantò magis ipſi mali indè teruntur, cordibus diſſecantur, in peccatis ueteraſcunt, maculãtur, pulueriʒantur, uſque ad fractionem (.i. animæ & corporis mortem) exterminantur. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆc Concluſio 9. cap. 2. ex abundanti deſtruit fundamentum erroneum, quo Donatiſtæ (ut ex Beato Auguſtino libro de hærẽſib. cap. 69. colligitur) moti ſunt ad ponendum ſolos bonos in Eccleſia; quod quidem fundamentum erat ſecundum illos, quòd boni ex malorum communione maculantur. Patet enim hic, quòd ex communione

nione

xiona malorum non ſolum non maculantur, ſed etiam profi ciūt (hoc faciente Deo). Damnatur quoque, & meritò, ſnum id fundamentum à Matth. 13. ubi piſces boni ex commixtione piſcium malorum, etiam uſque ad ſeſſionem in littore, i. conſummationem ſeculi, neque contraxerunt malitiam, neque amiſerunt bonitatem: in cuius euidens ſignum piſcatores ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in uaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Item a Matthæ. 25. de uirginibus prudentibus ex commixtione fatuarum non infatuatis, & ibi 22. de commenſalibus non inquinatis ex conſortio carentis ueſte nuptiali Item a 2. Tim. 2. ubi uaſa aurea, & argentea in magna domo (.i. Eccleſia Dei) poſita ex commixtis ligneis, & fictilibus, neque fiunt alia hæc, neque deſinunt eſſe aurea, uel argentea: & licèt ſint ibi cum uaſis exiſtentibus in contumeliam, tamen perſeuerant eſſe uaſa in honorem. Nec obſtat, ſi adduxeris liberum arbitrium hominum per hæc ſignificatorum: quoniam & Chriſtus, & Apoſtolus, ſciebant hanc libertatem eſſe, & nunquam defuturam in ipſis hominibus, & cum hoc tamen ſuas ſimilitudines uoluerunt ualere in propoſito antedicto. Quare? Quia cor hominis liberum in manu Dei eſt, & quocunque uoluerit, uertet illud, & potens eſt tres pueros in medio ignis mirabiliter conſeruare. Item a Ioan. 13. Damnatur, ubi Apoſtoli abij dicuntur mundi, etiam ꝙ ſint cū traditore immundo. Item à 2. Corin. 5. ubi referre dicuntur ſinguli propria, non aliena, geſta. Item ab Apocalip. 20. ubi omnes dicuntur iudicandi ſecundum opera eorum, non ſecundum opera aliorum. Vide ſupra cap. eod. con. 8.

Text. PEr domos patrum ſuorum &c.

Concl. 10. *Vnuſquiſque fidelis debet ambulari traditiones Apoſtolorum, & ſuorum ſanctorum prædeceſſorum, & non ambulare ſecūdum caput propriū.* [Ex eo]

Ratio. POTERAT ſcriptura dicere, quòd ſinguli profecti ſunt per domos, atq; familias ſuas: cùm domus ſuæ eſſent illæ, quas à patribus originatas habebant. Noluit tamē ſic dicere, ſed maluit addere ly Per domos patrum ſuorum. Quare ſic maluit? Quia per hanc loquellam documentum concluſione præſenti expreſſum intimare nobis voluit. Quod, ſi per domos ſuas dixiſſet, non intimaſſet; ſed uerum ſolummodo dixiſſet. Nūc autem & uerum dicit, cum illos per domos ſuas ambulaſſe uerum ſit, & documentum illud nobis, uerū dicendo, præbet.

APPENDIX.

1 HINC habes regulam unam pro ſcrutatione ſacrarum literarum. Quæ eſt illa? Quod, quādo ſcriptura promptius loqui poteſt, ut apparet, & tamen alio modo locutionē facit: Tunc myſterium aliquod ibi latet, propter quod modū loquendi magis nobis occurrentem dimiſit. Verbi gratia. Poterat hic loquella promptiori, ideſt clariori, magis famoſa, magis ordinaria, magis vulgata, (vt patet) uti, dicendo per familias, & domos ſuas, & alio modo minus vulgato utitur, ſcilicet per domos patrum ſuorum. Ecce, propter myſteriū prædictum hoc facit. Rurſus. Idem in Exodo 34. reperies ſimile exemplum, quando ſcriptura pro facie ſplendida faciē cornutam dixit.

Regula

2 Secundò habes, quòd Beatus Ignatius, & B. Policarpus conformiter ad hunc ſcripturæ locum faciebāt, quando (ut in uitis eorum legitur) Eccleſiæ fideles hortabantur ad tenacius inhærendum Apoſtolorum tanquam patrum noſtrorum, traditionibus, & non doctrinis hæreticorum nouis.

3 Tertiò habes, pro Apoſtolus in lege Moſaica peritiſſimus hunc locum capituli annotaſſe uoluit, quando fidelibus dicebat: Tenete traditiones noſtras, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam Hoc eſt. Traditiones noſtras appello non tantum ea, quæ docuimus ſcripto, ſed etiam ſolo uerbo, & ad vtraſque tenendas uos eſſe obligatos aſſero.

4 Quartò conſequenter habes, quòd hæretici de traditionibus præmiſſis parū uel nihil curantes huic capitulo è diametro contrauenīunt: & per hoc capituli dictum digito demonſtrantur, ac damnantur, cùm dicitur ly Per domos patrum ſuorum, (licèt per litteralem ſenſum, non myſticum de hoc alibi arguantur).

¶ Applica ad ly (Euangelium) In lege quid ſcriptum eſt? Saluator noſter Ieſus Chriſtus cur ad legem audientes, ſeu diſcipulos, ſeu quoſcunque alios, in paſſibus dubijs tranſmittit? Vt per hoc doceat, non ad noua dogmata, ſed ad traditiones Dei antiquas eſſe recurrendum. Quam legem, quas traditiones, quis melius nouit, quam Apoſtoli, qui iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. in princ. ex ore Dei incarnati illam, & illas clarius explicatam, explicataſque didicerunt? Nemo profectò, imò nec ad illos æqualiter ullus. Sic, & tu hinc à Chriſto inſtructus quoties de aliquo uel interrogaris, vel vacillas, vel dubitas, ad legem recurre, tibimetipſi dicito, in lege quid ſcriptū eſt? Non autem dicas: In Lutheri, Caluini, iudæorum modernorum, paganorum, quorumcunque infidelium codicibus, quid ſcriptum eſt? Nam ſic contra tuam ſalutem omninò ageres, & cōtra præceptum Apoſtoli ad Titum cap. 1. dicentis: Sani ſint in fide, non intendentes iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe à ueritate. Et cū ad diuinam legem recurreris; illam pluſquam Apoſtoli, vel alij ſancti patres eis adhærentes, intelligere noli. Sed ſiue in viuendo, ſiue tu docendo, ſiue in ſcribendo, memento: vt proficiſcaris & tu per domos patrum tuorum, non autem per domos tuas, quatenus diſtinguntur à domibus patrum tuorum. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 10. cap. 2. deſtruit peſtilentiſſimos errores. Pauperum de Lugdono dicentium, obediendum non eſſe Rom. Pontifici, aut alijs Eccleſiæ prælatis. Et Huſſitarum dicentium non eſſe obediendum ſtatutis Papalibus. Et Begardorum dicentium, quòd non tenentur alicui poteſtati humanæ obedire illi, qui ad ſtatum perfectum uenerunt. Et Brentij, dicentis: iudicio proprio, ita ſtandum eſſe, vt nullo modo licitum ſit in cauſa æternæ ſalutis alienę ſententiæ, ita inhærere, ut eam ſine noſtro proprio iudicio amplectamur. Et hęreſim Appellitarum dicentium, quód fidei rationem inquirere non opus eſt, ſed in ſua quiſque perſuaſione perſeuerare debet. Et Petri Abailardi dicentis, fide nihil eſſe credendum, quod virtutem noſtri intellectus excedat. Et hæreſim Trinitariorum dicentium, quòd credendum non eſt, niſi per ſe notum, vel quod ex per ſe certis poſſit declarari. Et hęreſim Feliciani dicentis, quòd in fidei diſciplina rationibus potius agendum eſt, quàm ſacræ ſcripturæ authoritatibus, & teſtimonijs. Hi omnes ad hunc finem tendunt (ut conſideranti occurret) quòd non aliorum, etiam maiorum ſuorum, ſed proprio capiti, in uia ſalutis ſinguli fidant. Quorum omnium errores damnat textualis huius concluſionis debita inſpectio. Damnantur quoque, & meritò, ab Elucid. pri. par. ar. numer. 184. 8. & ibid. q. 46. ar. 2. Vide & ſupra Gen. 27. con. 2. qualiter in dubijs etiam obedire maioribus acceptiſſimū eſt Deo, ad ipſorum conſilium noſtras proprias rationes, quamuis probabiles, dimittendo. Contra enim hoc armantur prædicti omnes errantes; ſed ad huius loci uiſionem (ut decet) pro qualitate rei ſalutis noſtræ expenſam obmuteſcēt in inſipientia ſua. Vide &, contra illos ibi in tentatione calidiſſimi ſerpentis depictos, Gen. 3. conc. 2. & cap. 21. con. 1. & cap. 22. conc. 2. Item ibid. cap. 24. con. 4. & cap. 28. con. 2. Damnantur etiā ab Apoſtolo Roman. 1. Ad obediendum fidei. Vbi patet quòd fundamētum fidei eſt obedire ſuperioribus, non proprio ſenſui. Nam reſpectu ſuimet non eſt obedientia, ſed propriè reſpectu ſuperiorum. Item ab eodem. 2. Corin. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequiū Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiā cùm completa fuerit ueſtra obedientia Damnantur, & abundantiſſimè, ab Athanaſio in ſymbolo Quicunque &c. & per conſequens à Papa Eugenio IIII. approbante Concil. Floren. (nam in Decreto ſuo Armenis dato ſanxit, illud D. Athanaſij ſymbolum eſſe compendioſam regulam fidei). Condemnans ergo Athanaſius eos, cùm omnibus ſimilibus, ſiuè præteritis, ſiue præſentibus, ſiue futuris poſt maxima credibilia ſupra totam uim rationis humanæ ab unoquoque catholicorum fideliter corde credita, inquit: Quia ſicut ſingillatim unamquamque perſonam Deum, ac Dominum confiteri, chriſtiana ueritate compellimur ita tres Deos, aut Dños, dicere catholica religione prohibemur. Ecce, ꝙ in rebus credendis, & alijs diſcredēdis, debet neceſſariò nobis eſſe regula traditio primitiuorum in chriſtiana ueritate, & religione catholica, nō autem proprium caput. Item à S Antonio Abbate (ex Hyſtoriæ tripartitæ lib. primo) dicente; cuſtodienda eſt pia fides in Chriſtum, & Patrum religioſa traditio, quam ex ſcripturarum lectione, & crebro meæ paruitatis didiciſtis admonitu. Hæc ibi. Vbi & narratur, ꝙ ſciſmaticorum nunquam ſe miſcuit communioni, & quòd nunquam hæreticis amicabi-

lia

lia ſaltem uerba largitus eſt, denuncians taliū amicitias, atq; ſermones, perditionem eſſe animæ, & ꝙ deteſtabatur Arrianos, dicens omnibus, nec iuxta eos quidem eſſe accedēdum. Hæc ex præmiſſa hiſtoria de illo. Item à S. Ignatio martire, & tertio poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopo Antiochiæ (ut ex lib.3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ) per hoc, quòd de ipſo ſic legitur. Omnes Aſiæ ciuitates, ad quas Romā deductus peruenıſſet, Euangelicis cohortationibus edocebat in fide perſiſtere, & obſeruare ſe ab hæreticorum contagijs, qui tum primo copioſius cæperant pullulare. Hortabatur etiam, ut diligentius, ac tenacius Apoſtolorū traditionibus inhærerent, quas cautelæ gratia, & nè quid apud poſteros remaneret incertū, etiā ſcriptas ſe aſſerit reliquiſſe. Hæc ibi de illo. Item damnantur à S. Polycarpo epiſcopo, & martyre, qui fuit diſcipulus B. Ioānis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Hic enim multos à Marcionis & Valentini hæreſi ad rectam fidem reuocauit; illam ſolam prædicans tenendam eſſe ueritatem, quæ ab Apoſtolis dimanauit, quam ipſe ſciebat ſe ab eiſdem Apoſtolis ſuſcepiſſe. Hæc ex lib.4. hiſtor. Eccl. de illo. Ecce hi ſancti martyres, & cōfeſſores oēs unumquemq; in cauſa æternæ ſalutis mittunt non ad proprium cuiuſque iudicium, ſed ad maiorum Patrū doctrinam & traditiones. Item à Concilio Trid. ſeſſ.4. decret. primo. Vt ſublatis erroribus puritas Euangelij in Eccleſia cōſeruetur, ſacroſan. ſynodus perſpiciens ueritatem hāc, & morum diſciplinā contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spirituſſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque peruenerunt; orthodoxorum Patrū exempla ſecuta omnes libros tam ueteris quàm noui teſtamenti (cùm utriuſque unus Deus ſit author), necnon traditiones ipſas tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, uel tanquam oretenus à Chriſto, uel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit, & ueneratur. Hæc ibi. Vbi maximum quoque ſtimulum ad obediendum Patrum noſtrorum doctrinæ addit nobis; dùm ipſamet orthodoxorum Patrum exempla ſequi profitetur. Ac ſi per hoc dicatur. Erubeſcat uilis homuncio ſuis maioribus ceruicem, obediendo ipſorum dictis aut factis, ſubdere uoluntariè nolens; ex quo tanta ſynodus ex tot tantiſque Præſulibus doctrina mira fulgentibus congregata, anteceſſorum Patrum ueſtigijs inhærere, prorſus elegit, ueraciterque tota deuotione inhæſit. Vnde pro zelo & Patrum, & noſtræ ſalutis, poſt multa inibi ſubintulit. Si quis libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in ueteri uulgata latina æditione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit: Et TRADITIONES prædictas ſciens, & prudens, contempſerit; Anathema ſit. Hæc ibi. Item damnantur à Concilio Niceno.2. Action.7. Si quis traditiones Eccleſiæ, ſiuè ſcripto ſiuè conſuetudine ualentes, non curauerit: Anathema. Hæc ibi. Quòd uerò non poſſit in ſua quiſque perſuaſione, ſecta uè, ſaluari (ut errores prædicti hæretice tāgebāt), uide ſuprà Gen 7. con.3. & Exod. 12. & Leuit 4. con. 5. Item Gen.3. con.17. & Leuit.19. con.5. & cap.22. con.7. De Breuio autem in ſpeciali, Numer.23. con.5. Item Elucid. Addi. ar. or. 288.386.441.443. Miranda, ueriſſima, neceſſariſſima, pro ueritate huius rei indeſinenter amplexanda, & falſitate contraria condemnanda, uide in Compend. Alb.l.7.c.9. Schol. & li. 5. cap.43. Schol.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO III.

NOTATIO TEXTVALIS.

ADuerto hoc, contra hæreticos uolentes fideles uniuerſos eſſe ſacerdotes, quid dicat ſcriptura. Quorum (inquit) conſecratæ ſunt manus, ut ſacerdotio fungerentur. Ecce; uè de hoc (an ſcilicet iſto, uel iſte ſit ſacerdos) aliquo modo dubitetur; ſed ut ſacerdotes ab omnibus non ſacerdotibus etiam ſenſibiliter ſecernantur, & ſenſibilis ab uniuerſo populo cognoſcantur, quid fecit Deus? Iuſſit, ut illorum, qui ſacerdotio functuri erant, manus in propatulo perungerentur; atque conſecrarentur. Quid igitur dubij relinquitur ad ſecernendum ſacerdotes à non ſacerdotibus? Nihil certè omninò: niſi apud indoctos & inſtabiles 2. Petr. 3. hæreticos, qui languent (ſecundum Apoſtolum. 1. Tim. 1.) circa quæſtiones ac pugnas uerborum; ſemper addiſcentes, & nunquam ad ueritatem peruenientes; non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Cùm igitur ſacerdotes antiqui in figura noſtrorum ab alijs ſic apertiſſimis indicijs ſeiungerentur, patet, quòd cæcorum omninò eſt, inter chriſtianos à laicis ſacerdotes diſcernere non ualere.

NOTATIO TEXT.

DIximus in primo capitulo; orationes, & huiuſmodi ſacerdotum in utilitatem totius populi cedere. Licet autem hoc ibi per textum manifeſtatum ſit, Moyſes tamen de illo non contentus etiam nunc liquidò demonſtrat. Audi quid dicat. Obſeruent (inquit) quicquid ad cultum pertinet multitudinis. Cur dicit cultum Dei fuiſſe cultum multitudinis? Quia cultus quidem erat Dei tanquam eius, qui ſic colebatur; ſed cultus multitudinis tanquam eius, quæ Deum colebat. Quare cultus ab Aarone obſeruatus dicitur cultus multitudinis? Quia cultus Aaron iudicabatur factus in perſona totius ſynagogæ; ſicut & nunc cultus ſacerdotum iudicatur factus in perſona totius Eccleſiæ. Cur? Quia cultus eius, ſiue eorum, ad utilitatem totius populi fidelis ordinabatur, ac ordinatur. Dicitur quoque cultus 1
Aaronis cultus multitudinis, quia à cultura Aaronis 2
Deo adhibita diſcunt populi, cum quanta reuerentia, cū quanto timore, tremore, feruore, puritate, ſolicitudine colendus ſit ab ipſiſmet populis Deus. Sic ergo non tantùm ad utilitatem, ſed ad exemplum quoque multitudinis cedit cultus ſacerdotum; & ad iſta duo deſignanda cultus ab Aarone exercitus dicitur cultus multitudinis. Debent etiam obſeruare ſacerdotes quicquid 3
pertinet ad cultum multitudinis, ideſt debent docere uerbo multitudinem modum, quo ipſa multitudo colat Deū. Hinc eſt inuentio Doctorum, Prædicatorum, atque lectorum, & huiuſmodi in Eccleſia ſancta Dei. Horum ſiquidem officium eſt docere multitudinem, quomodo colere debeat Deum; puta, quòd multitudo ipſa dicat Roſarium, confraternitatem talem ingrediatur, frequentare conetur ſacramenta, à peccatis abſtineat, Miſſam quotidie audire curet, & ſuæ ſaluti conducentia docere feſtinet, ac huiuſmodi. En quomodo ſacerdotes obſeruare debent quicquid pertinet ad cultum multitudinis.

Aareum

¶ Maximum igitur emolumentum inter omnes afferunt ſacerdotes in tota Eccleſia Dei, quoniam tria illa maximum quid à ſacerdotibus toti multitudini præſtitum importans. Ergo remoueantur ſacerdotes de medio; maximum undè toti populo damnum eueniat, neceſſe eſt. Ergo ſacerdote bono (bonum hic uoco eum, qui tria prædicta benè obſeruat) nihil utilius. Ergo hæretici uolentes è medio tollere ſacerdotes, quantum per hoc mali in totam fidelium multitudinem machinentur; conſiderantı præmiſſa patet. Optimè ergo dixit Apoſtolus de hæreticis, quòd omnibus hominibus aduerſantur. Nunquid non illos omnibus aduerſari, maximèq; aduerſari uides, dùm illos ſupprimere uelle clericos conſpicis? Etiam ſi nil aliud mali contra Eccleſiam Dei mo- Corol.

liten. ſe

Vide. *liarentur; niſi id, quod nunc dictum eſt, ſatis moliti ſunt, ac abundè omnibus aduerſantur hominibus.*

Text. OBſeruent, quicquid pertinet ad cultum multitudinis.

Concl. 1. *Clerici ſunt perſonæ communes; ideſt in utilitatem totius communitatis Deo ſeruientes.* [Ex eo.]

Ratio. VIDE ſupradictam immediatè notationem. Ibi ſiquidem ad plenum habentur, quæ faciant pro ratione huius concluſionis. Vide igitur, benè applica, & ſatisfactus eris.

APPENDIX.

HINC habes, quòd chriſtianus populus ſacerdotes, tanquam uniuerſi nobiliſſimam utiliſſimamque partem, amare debet, reuereri tenetur, eis eleemoſinas abſidàtes facere quodammodo obligatur. Si enim particularem benefactorem modo, quo decet, recognoſcere quis tenetur, multò magis uniuerſalem, qualis ſacerdos eſt, recognoſcere tenetur. Hinc eſt, quòd natura ſuis ſacerdotibus, quamuis idolatra idolatris (Gen. 46.) ſtatuta cibaria ex horreis publicis dabat, tantùm abeſt, ut illos in aliquo grauaret. Hinc eſt, quòd murmuratio, ſeu offenſa in ſacerdotem acrius punienda uenit, quàm offenſa in quamcunque aliam perſonam, ut ad clericatũ formaliter (ideſt quatenus clericatus eſt) comparatur. Secũdò habes, quòd offenſis clericis tota multitudo ſimul offenſa intelligitur; ſicut offenſa perſona publica; puta principe, tota ciuitas offenſa intelligitur, atque dominium. Hinc non mirum; ſi excommunicatio fertur in illos, qui clericum percutiunt; & in illos, qui Eccleſiarum prælatis in concionibus ad populum, uel ſermonibus detrahere præſumunt. Hic quoq; non mirum, ſi multis excommunicationibus compeſcũtur hi, qui contra libertatem eccleſiaſticam aliquid moliuntur, uel obſeruant; ut de his omnibus patet apud Doctores caſuum conſcientiæ tit. excommunicatio.

RESPONSIO TACITA.

LICET in præſenti capitulo ly Multitudinis, ſtet accommodè .ſ. pro multitudine tantùm tribus Leui, hoc tamẽ nihil officit ad prædicta. Nam ex primo capitulo in fine habetur apertiſſimè, quod multitudini omniũ filiorum Iſrael utiles ſunt ſacerdotes. Ibi enim dicitur, quod Leuitæ faciant ſic; nè (inquit) fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſrael. Sicut ergo non executio Leuitarum eſſet cauſa indignationis ſuper totam multitudinem; ita executio eſt cauſa ſaluationis totius multitudinis ab indignatione; licèt ergo (ut diximus) de multitudine tantùm accommodè hic fiat ſermo; tamen, quoniam de multitudine uniuerſaliter in primo ſermo eſt, ideò hoc nihil contra præmiſſa facit. Vera igitur ſunt de ſacerdotibus ſeu clericis, quæ dicta ſunt: & ſi huic loco non ſatis accommodata tibi uideantur, tunc iuncto primi capituli loco, accommodata cognoſce. His etiam non obſtantibus poteris proportionaliter à multitudine ad multitudinem arguere: Et ſic quæ hic dicta à nobis fuerunt ſuper illud uerbum (ad cultum multitudinis) tu proportionaliter ad uniuerſam omnino multitudinem applicare.

Text. EX quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificaui mihi omne primogenitum in filijs Iſrael. Ego tuli Leuitas pro omni primogenito filiorum Iſrael.

Concl. 2. *Clerici noui teſtamenti ſunt in gratiam beneficij, quo Deus nos redemit à diabolo per mortem ſui unigeniti.* [Ex eo.]

Ratio. CLERICI noſtri in locum Leuitarum ſuccedunt. Sicut ergo Leuitæ pro primogenitis filiorum Iſrael cultui diuino dabantur, ita clerici noſtri pro primogenitis totius chriſtianitatis ſuccedunt in cultum diuinum. Non enim conſentaneũ eſt, quòd Deus uoluerit antiquam liberationem ex Ægypto datione Leuitarum recognoſci; & non uoluerit uniuerſalem redemptionem ex inferno datione noſtrorum clericorũ nomine gratitudinis aliquo modo compenſari. Sicut ergo Leuitæ pro ſigno gratitudinis liberationis Aegyptiacæ erant; ita clerici noſtri pro ſigno gratitudinis liberationis a demonio exiſtunt. Sed modo audi litteram. Ego (inquit) tuli Leuitas. Hoc eſt. Volui, ut beneficium occiſionis primogenitorum Aegyptiorum per dationem primogenitorum ueſtrorum recognoſceretur, & Leuitas ipſos loco omnium primogenitorum ueſtrorum mihi ſanctificaui. Ecce utilitas alia clericorum reſpectu totius multitudinis. Si enim clerici non darentur Deo; iſte, & ille primogenita ſua offerre Deo cogeretur, quod quidè iſti, & iſti, multũ graue uideretur, & onerosũm.

NOTATIO.

PRIMOGENITI à Deo in fauorem Iſraelitarum percuſſi fuerunt multi, & homines tantũ, ob idq; leuitæ fuerunt multi, & nobiles multum. Primogeniti autem in fauorem omnium hominum percuſſi, fuit vnus tantùm, & Deus, ac homo. Quis fuit ille primogenitus? Chriſtus, de quo pater per Iſaiam dicit, Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Chriſtus vtiq; fuit patris primogenitus, ideſt ante quem pater nullum genuit, non poſt quem filium alterum generauit. Hoc quoque modo ſecundum humanitatem Chriſtus dicitur primogenitus Beatiſſimæ Virginis. Talis itaque primogenitus, licèt ſit vnus in perſona, eſt tamen multi, imò pluſquam multi in æquipollentia. Cùm enim ſit Deus, & homo, valorẽ multitudini cuicunque æquipollentem, & nobilitatem eius, quis enarrabit? Iccircò ſacerdotes, & clerici noſtri ſunt abſque vlla comparatione plures, ac nobiliores, quàm ſacerdotes, & clerici antiqui. Multitudo enim clericorum tùm illorũ, tùm iſtorum, atq; nobilitas, correſpondent proportionaliter multitudini, ac nobilitati primogenitorum percuſſorum, cùm in huius beneficij recognitionem vtrique clerici ſuccedant (vt hic apertè de Leuitis, & ſub hac vmbra de noſtris clericis litera dicit.

Corol. ¶Non tantum igitur ratione miniſterij, ſed etiam ratione inſtitutionis, digniores abſque comparatione ſunt clerici noſtri antiquis. Antiquorum ſiquidem miniſterium erat circa animalia bruta (ſupra in Leuitico), & inſtituti ſunt in recognitionem beneficij percuſſionis primogenitorum Ægypti (hic) Noſtrorum verò miniſterium eſt circa verum Chriſti corpus (in Euangelio), & in recognitionem beneficij percuſſionis primogeniti Dei (hic ſub figura). Ergo non mirandum, ſi clerici noſtri ſunt in tanto numero, & in tanta nobilitate, in quanto, & quanta uidemus. Non tãtum enim hoc eſt, quia figuratum debet excedere figuram; ſed etiam, quia primogenitus Dei præ Ægyptiorũ primogenitis iſta requirit.

Text. OMnem maſculum &c.

Concl. 3. *A clericatu repelluntur mulieres ex inſtitutione diuina.* [Ex eo.]

Ratio. MANDAT Deus hic Moyſi, vt numeret tribum Leui, ſed tantum maſculos. Nunquid in tribu tota Leui non erant fœminæ? Erant vtique. Cur ergo iubet Deus numerari & tribum Leui, & ſolos maſculos? Ad oſtendendum apertiſſimè, quod fœminæ à miniſterio illo arcebantur. Si ab illo, multò magis à noſtro. Cur arcebantur? Ratione ignobilitatis mulieris reſpectu maſculi. Cũ enim hic nulla aſſeratur cauſa, quare fœminæ non annumerentur, reſtat intelligendum, quòd formalis ſit locutio. Quomodo formalis? Ita ſcilicet, quòd loquatur de maſculo, vt ſic, ſeu de maſculo, vt diſtinguitur contra fœminam. Maſculus autem, vt ſic, ſeu vt diſtinguitur contra fœminam, eſt ſexus nobilioris, licèt non ſit minus peccator, neque libero arbitrio magis pollens, neque ſolus ad gloriam cœleſtem electus, neque ſimilia. Relinquitur ergo, quòd ratione ignobilitatis ſexûs excludatur fœmina à clericatu. Ergo non fit iniuria fœminæ, nec illi eſt ignominioſum, ſeu in pœnam, quòd ad clericatum non aſſumatur. Nam in naturalibus, ſicut neque meremur, neque demeremur, ita indè nil laudis, uel ignominiæ, uel iniuriæ, ſecundum ueritatem reportamus.

Corol. ¶Ergo iure mulier excluditur à ſeruiendo celebranti de cohab. cler. & mul. c. 1. Ergo iure arcetur a ferendo thuribulum

lam circa altare 23.diſt.ſacratas.Ergo iure dicitur, quòd mulier non debet vllis veſtibus ſacris indui ad miniſterium altaris ordinatis de conſec.diſt.1.c. veſtimenta. Nam ad hæc facienda ſoli maſculi in figura temporis noſtri aſſumebantur. De hoc optimè (more ſuo) eximius Eccleſiæ ſanctæ doctor D.Tho.Addi.q.39.ar.1.cum Elucid.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 3.cap.3.deſtruit hæreſes Pepuzitarum,& Lutheri,dicentium, quòd mulieres ad ſacerdotium iuſtè promoueri poſſunt; Et Cathaphrigarum dicentium, mulierem ſacris ordinibus initiari poſſe; Et Lutheri hæreſes, quæ idipſum aſtruere uelle videntur, dicentis, quòd etiam mulier abſoluere poteſt; Et Valdenſium dicentium, quòd mulier iuſta factionis ſuæ poteſt conſecrare corpus Chriſti.Patet enim hic totum oppoſitum. Damnātur quoque,& meritò,in Elucid.addi. art.nu.28.74.157. Item à Papa Greg. IX. Nam extra, de hæreticis cap. excommunicamus 2. dicit. Excommunicamus, & anathematizamus vniuerſos hæreticos, Catharos, Patarenos,pauperes de Lugduno,&c. Hi autem pauperes ſunt & Valdenſes;quandoquidem habuerunt pro magiſtro, & auctore ſuorum errorum quendam nomine Valdenſem (vt refert Direct.Inquit.2.par. q.14.) Damnato autem authore damnata cenſentur eius opera,libri,ſcripturæ, ſecundum Gregorium IX. Extra de hæret.cap.fraternitatis. etiam ſi de libris ipſius tunc nominatim nihil caueatur, etiam ſi libri ipſius multa vtilia contineant (ſecundum Hoſtienſem ſuper illud cap.fraternitatis.) quoniam periculum eſt non leue,nè inter vtilia illa hæreſes lateant, cùm hæreticorum mos ſit, bona multa docere,vt falſa furtiuè magis,faciliuſque introducant,& perſuadeant,(vt ex B.Gregorio lib. 5. moral. & Papa Leone Primo,diſt.15.c.ſancta,& Turrecremata ibid. & Catarino Polito in ſpeculo hæreticorum, conſideratione 10. & Conrado Bruno lib. 6. de hæret.c.6.colligitur.) Cenſentur autem recipi non debere ipſius damnati opera, neque vt auctorizabilia, neque vt rationabilia (vt notat Hoſtienſis in cap.fraternitatis). Et ratio prædictorum eſt; quia etiam nocent libri hæreticorum, imò plus, quàm auctores ipſi,cùm ad plures,puta ad abſentes etiam, & futuros, perueniant.Item damnātur vbique ab Apoſtolo, cū Hebr.5.dicat ſacerdotem ex hominibus aſſumi (i.clericatū dicere gradum ſuper alios), & 1 Timo.2.& Epheſ. 5. dicat,ſe non permittere,quòd mulier dominetur,uel loquatur in Eccleſia, (quomodo ergo offeret hoſtias in Eccleſia pro populo?quod tamen conuenire ſacerdoti,habetur ex Hebr.5.) ſed eſſe ſubiectam. Vide Roffenſem contra aſſertiones lutheranas art.13. Item damnātur a Concil. Trid.ſeſſ.14.c.6.can.10. & ſeſſ. 23. cap.4.cano.6. Item à S. Tho. abundanter in Addit. 39.ar.1.cum Elucid.Ex præmiſſis demum concluſionem præſentem (ſicut vbique in ſimilibus notandum eſt)noueris valdè confirmari,ſi benè applicentur.

Mos hæreticorū caute d'.

Text.

AB vno menſe, & ſupra.

Concl. 4. *Licitè pueri inducuntur à pueritia ad ſic, & ſic, ſeruiendum Deo: licitè aſſueſiunt ad opera religionis, licitè ad religionem ſuadentur.* [Ex eo.]

Ratio. MANDAT altiſſimus,vt maſculi leuitæ ab vno menſe,& ſupra numerentur ad hoc, vt in tabernaculo fœderis excubias obſeruent, vt ſub diſciplina maioris alicuius addiſcant, quid circa cortinas,operimentum tabernaculi, & huiuſmodi faciat, vt paulatim exerceant, quæ ad ſuum ipſorum officium cum tempore magis pertinebunt. Hæc omnia habes in textu.

APPENDIX.

1 HINC habes, quid dicas ad retrahentes homines à religione,qui aſſerunt, nullum puerum ad religionem induci debere, & non niſi exercitatis in præceptis licere ad meliorem ſtatum, vbi conſilia ſeruantur tranſire,& alia ſimilia. Vides enim hic ad litteram, quòd maſculi etiam vnius menſis ad cultum diuinum ſpecialem, qui erat cultus leuitarum, applicabantur, & ipſum pro modulo ſuo ſub principe aliquo ſeruabant,& cuſtodiebant.Si vis iſtorum fatuorum, & impugnationes ſuas, & expugnationes contra illos factas ad longum videre,inſpice opuſculum 17.Diui Thomæ, qui contra retrahentes homines à religionis ingreſſu inſcribitur, cap.3. 4.5.6.7. Vide& 2.2.quæſt.189.ar.1.5.6.9. Secundò habes, q bonū eſt homini, cùm tulerit iugum dñi ab adoleſcētia ſua. a

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 4. cap.3. eſt contra errores peſtiferos malè de religione ſentientium recitatos,atque damnatos ſupra Exod.3. con.2.& Leuit.11.con.11.& cap.20. con.3. Item damnātur à Leuit.cap.20. con.3. Inde enim habes multa,contra hos errores. Verbi gratia. Per hoc,q dans filios ſuos religioni meretur uitam æternam (ut ibi dicitur) clariſſimum apparet,q in religione priuata degētes non ſunt in ſtatu damnationis. Alioquin ille pater dans cooperaretur malo; & per conſequens peccaret ſic dando, & mereretur pœnam æternam. Cùm igitur ſic dando mereatur æternam retributionem,liquet,q uiuere in religione priuata approbata per ſedem Apoſtolicam (ſic enim loquitur ille,cū introducat de SS.Auguſtino, Dominico, Franciſco) eſt poſſe ſaluari,imò & melius,quàm in ſeculo. Nota,quòd ſemper ſit ſermo formaliter,ſcilicet de religione,vt religio,ut ſic,uel ſic debitè inſtituta à SS.ipſis,quos tamen eatenus odit,atque condemnatos aſſerit Vuiclef, ut patet ſupra in locis nunc citādis. Damnātur quoque,& meritò,à Concilio Conſtantienſi ſeſſ.8. Item ab Exod.3.con.2.Leuit.11.concl.11. Elucid. addi. artic. num.253.Item à Pſalm. 105. Et immolauerunt filios ſuos,& filias ſuas dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum,& filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam. Pſalmiſta enim per hoc,q iudæos cum gentibus filios ſacrificaſſe etiam uſque ad ſanguinis effuſionem idolis affirmat,oſtendit apertiſſimè ab oppoſitis,q patres illi benefaciunt, qui filios ſuos, & filias religionibus prædictis tradunt ad ſeruiendum Deo uiuenti, & per conſequens concluſionem ualdè confirmat. Ac ſi diceret. Quemadmodum iudæi illi, & gentiles ob factum ſuum prædictum merebantur æternam mortem,ita è contrario patres hi boni ob factum ſuum hoc laudabile merentur uitam æternam.

AB vno menſe,& ſupra. *Text.*

Concl.5. *Magis deditus eſſe debet homo ad ſeruiendum Deo,quàm cuicunque alteri officio.* [Ex eo.]

Ratio. AD pugnandum corporaliter eliguntur homines (vt in primo huius patet) à vigeſimo anno,& ſupra: ad pugnandum autem ſpiritualiter eliguntur ab uno menſe,& ſupra. Quæ uerò à pueritia fiunt, illis deditι magis uidētur homines,quàm his,quę à iuuentute tantùm facere incipiunt. Magis ergo deditos eſſe debere homines cultui diuino, quàm cuius alteri officio,monſtrauit Deus per hoc,quòd homines à pueris eligi ad cultum diuinum uoluit;non autem ad pugnam.Si uerò dicas hoc fuiſſe de pugnatoribus, quia pugna requirit uires, quæ non ſunt niſi in iuuenibus,& ſupra; ego quoque dicam, cultum diuinum requirere diſcurſum rationis maiorem, quàm ſit in puerulis, etiam ſub diſciplina principis educatis. Ad inſinuandum ergo præſens documentum in concluſione expreſſum præcepit Deus iſta de pueris, non autem de bellatoribus, etiam quòd bellatores ad officium ualde magnum,puta ad tuitionem totius populi Dei, ordinati eſſent. Maius ergo eſt officium clericorum proprium,quàm corporalibus armis tueri rempublicam.

AB vno menſe, & ſupra. *Text.*

Concl. 6. *Naturale quodammodo eſt homini ſeruire Deo.* [Ex eo.]

Ratio. NATVRALIA dicuntur illa uideri, quæ nobiſcum naſcuntur (2.Phyſicorum). Vnde,cùm peccata nobiſcum oriantur, etiam Apoſtolus quodammodo naturalia ipſa uocauit, ubi ait: Eratis natura filij iræ. Eramus namque filij iræ propter peccata.Si igitur natura tales filij eramus, peccata utiq;,quāuis abſolutè ſecundū ſe ſint contra hominis naturam, tñ naturalia in hoc tantùm ſenſu dicuntur, eò quòd à natiuitate

nos comitent. Ad rem. Homines à faſcijs ſeruitio Dei applicabantur per numerationē hanc: ergo per hoc innuebatur, ꝙ ſeruire Deo eſt homini naturale.

Coroll. ¶ Ergo ſeruire Deo eſt leue iugum & delectabile; cum naturalia, & leuia, & delectabilia exiſtant. Ergo omne, quod eſt contra ſeruitutem Dei, eſt homini innaturale.

Text. A B uno menſe, & ſupra.

Concl. 7. *Officium proprium hominis eſt ſeruire Deo*. [Ex eo]

Ratio. OFFICIIS proprijs ſolent à primis annis aſſueſcere homines, ut in omnibus artibus, quas peculiarius exercere habent cum tempore patet. A pueris nonnè aſſueſcit homo ad ſeruiendum Deo, cum ab uno menſe illius obſequio mancipetur? Vtique; imò nullum eſt officium, cui tam citò aſſue fiat, ſicut huic. Non tantum igitur officium proprium hominis eſt ſeruire Deo; ſed magis propriū, quàm quodlibet aliud officium, & hoc per literam præſentem demonſtratur.

APPENDIX.

HINC habes, quòd homines debent melius ſcire facere hoc officium. ſ. ſeruire Deo, quam quoduis aliud. Hoc eſt contra modernos plurimos chriſtianos ac pueros chriſtianorum parentum plerumque culpa in his, quæ dicam, ignaros. Accipe chriſtianum puerum quempiam, cum de negocijs domus interroga, de uijs ad ſibi alicuius gratiam cōciliandum, de modis ad temporaliter lucrandum, de uendendo, de emendo, ac de huiuſmodi temporalibus, puerulus ille de his diſcurrere, ac bene loqui ſciet. At ſi de rebus chriſtianis interroges, ſi de rebus animarum tecū agas (Proh pudor) quaſi hoc à ſeſe officium alienum ſit, obmuteſcet, & (quod peius eſt) ſe obtuliſſe non erubeſcet. De doctrina tranſitoria ebrij ſunt; de doctrina verò chriſtiana nec cyathum ſummis labijs attigerunt.

Pequàm nimis ue rum.

Text. HI poſt tabernaculum metabuntur ad occidentem &c. Ad meridianam plagam &c. Ad orientem &c. in plaga ſeptentrionali.

Concl. 8. *Clerici nouæ legis non erant futuri unius ſtirpis, nec in uno tantum loco miniſterium domino exhibentes (ut olim antiqui): ſed ex omni genere aſſumendi, & ubilibet miniſterium ſuum executuri.* [Ex eo.]

Ratio. LEVITAE tabernaculum circundabant ex omni parte. Quare aliqui eorum ad orientem uergebant, aliqui ad occidentem, quidam ad ſeptentrionem, ad meridiem alij? Quia ex omnibus mundi partibus clericos futuro tempore ſurrecturos tali ſuo ſitu denotabant. Vnde, quaſi eos uocare uellēt, uerſus partes illas uoluebantur: & quaſi certiſſimè uenturos expectaturi eſſent, circa plagas illas caſtrametabantur. Quis modò neſciat homines plagarum ſic diuerſarum eſſe diuerſę familię, atque ſtirpis? Quis etiam ignoret, clericos ubicū que fuerint, nunc miniſterium reddere poſſe Deo? Vtrunque autem per illam Iſraelitarum Leuitarum caſtrametationem (ut tactum eſt) ſignificabatur. Nam ſi ſolum clericos ubiuis futuros, & conſequenter ſtirpium diuerſarum, & non ubicunque officium ſuum exercitaturos ſignificaſſent, quaſi clericos illos, puta occidentis, in occidēte ocioſos fore denotaſſent. Ocioſus enim eſt clericus alicubi, qui ibi officium ſuū exequi non poteſt, ſicut & de alijs rebus ſuo modo patet. Cū ergo Deus (philoſopho teſte) nihil agat fruſtra, cōſequēs eſt, ut illos clericos ubilibet miniſtraturos ſignificarit, quos ibi futuros per talem Leuitarum ſituationem præfigurauit. Intellige tamen hęc ſeruatis ſeruandis, puta loco conuenienti, templo, ueſtibus ſacris concurrentibus &c.

APPENDIX.

HINC habes, quòd ſicut Eccleſia eſt catholica, ita clerici ſui ſunt catholici. Et quidem congrue ſatis. Nam clericatus eſt principalis pars Eccleſiæ, & ipſius Eccleſiæ propagationi inſiſtens. Vnde, à clericatu, modo nunc declarando, denominatio principaliter facta intelligi debet, quando dicitur Eccleſia catholica: uel non indè fit, ut, quia ſynagoga non erat catholica, clericatus ſynagogæ non eſſet catholicus. Non enim ex omnibus uniuerſi partibus, imò nec ex omnibus Iſraelis tribubus, poterant eſſe clerici; ſed tantùm ex tribu ſpeciali, id eſt tribu Leui; qui nec in omni loco, ſed tantùm in loco determinato (puta Hieruſalem) officium ſuum plenè exequi ualebant. Ecce quare ſynagoga dicebatur abſolutè non catholica. Quare abſolutè? Quia in omnibus particularis erat. Particularis populus, particularis clericatus, particularis ad orandum locus, particularis ad officium clericorum plenè adimplendum ciuitas. Modo Eccleſia noſtra catholica populum catholicū, clericos catholicos, locos ad orādum catholicos, templa ad celebrandum catholica habet. Vbilibet enim populus exiſtat, chriſtianus eſſe ualet, ubicunq; chriſtiani clerici, ubiuis templa, ubique orandi locus. Abſolutè ergo catholica eſt.

¶ Applica ad ly (Ioannes) Vbi eſt orationis locus hic, an Hyeroſolymis? Reſpōdit Ieſus. Neque &c. Hoc eſt Patrem orabitis, & adorabitis, ubilibet. Ecce, quòd Chriſtus Eccleſiam fore catholicam in orando prædixit, & à ſimili in cæteris. Non ſolum autem in orando catholica dicitur, quia ubique (ut hic ait Chriſtus) orat; ſed quia pro omnibus ubicū que exiſtentibus, etiam inimicis orat. Vel ad &c.

Text. IN plaga ſeptentrionali.

Concl. 9. *Clericorum aliqui figurati ſunt futuri mali in Sancta Eccleſia.* [Ex eo.]

Ratio. VT concluſionem hanc melius capias, uide quod diximus in præcedenti capitulo (concl. 8.). Ibi enim à ſimili concluſionem hanc tractatam uidebis, ſub nomine. ſ. totius Eccleſiæ. Hoc tamē unum pro intelligentia aduertas, quod pars ſeptentrionalis idem eſt, quòd pars aquilonaris. Huius ſignum eſt, quòd nunc illa pars uocatur ſeptentrionalis, quæ tunc aquilonaris dicta fuit. Quod igitur de aquilone ibi dicitur, id de ſeptentrione intelligas.

Text. VIginti duo milia &c.

Concl. 10. *Clericatus in Eccleſia Dei nunquam deficiet*, [Ex eo.]

Ratio. MVLTIPLICATIO indiuiduorū (teſte philoſopho) fit propter conſeruationem ſpeciei. Hinc deuicendum relinquitur, quòd ad coniiciendum, quanto tempore duratura ſit aliqua ſpecies, indiuiduorum multiplicatio attendenda eſt. Vnde, ſi parum multiplicantur alicuius ſpeciei indiuidua, argumentum hoc eſt, quòd talis corruptibilis ſpecies minus durabit, quàm alia ſpecies, cuius indiuidua magis multiplicantur. Aduertenda tamen ſunt hic duo, & quòd ſcilicet de ſpeciebus corruptibilibus locuti ſumus, & quòd in multiplicatione præciſè conſiſtimus. Aliundè nanq; accidere poſſet, quòd ſpecies cuius indiuidua pluſificantur magis, citius deficeret. Ad rem modò. Leuitarum filios numera, aliarūque tribuum natos; tunc proculdubio Leuitas magis admodum pluſificatos dices, quam cuiuſcunque tribus homines. Quot de tribu Leui ſola uides maſculos? Viginti duo millia. Quot de omnibus alias tribubus ſimul? Viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres. Audi. Ex una parte ſolam tribum Leui in tantum numerum conſcendiſſe conſidera: ex alia parte omnes ſimul tribus alias ad prædictum calculum non perueniſſe, cognoſcas. Quid facta hac pēſitatione, dices? Quod nulla tribuū per ſe accepta ad numerum multiplicationis Leui ſolius peruenit; imò ꝙ iſta illarum quamlibet in multiplicatione uehementer exceſſit. Quid indè trahes? Quod Leui tribus præ omni alia per ſe tribu maiori tēpore (attenta ratione prædicta) duratura eſt. Vnde dato caſu, non conceſſo tamen, quòd quælibet alia tribus defectura eſſet, tribus Leui ad illius defectionem non deficiet. Quod ſi nulla illarum defectura ſit; hoc de tribu Leui maximè uerificabitur. Ex quo habetur, ꝙ, ſi inter tribus illas aliqua ſemper manſura dicenda ſit, hoc magis de tribu Leui, quàm de quacunque alia ſentiendum eſt. Quid indè? Omnia in figura contingebant illis. Tribus Leui genus clericorum noſtrorum ſignificat. Si itaque populus (per impoſſibile) chriſtianus defecturus ante diem iudicij eſſet, nunquam tamen clericatus deficiet.

Not. ¶ Per numerum maiorem filiorum Leui, quam alicuius per ſe tribus oſtēſa etiā eſt nobilitas maior clericorū, quàm

aliquo-

aliquorum aliorum. Quaſi dictum ſit à proportione: Sicut numerus numerum excedit, ita dignitas dignitatem. Et ſic ariſmeticè clericorum maxima dignitas monſtrata eſt, quæ aliás per alium modum (ut ſæpè annotauimus) habita fuit.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Ecce ego uobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Hic enim loquebatur Chriſtus ad clericos in perſona, ut etiam totam Sanctam Eccleſiam repreſentabant. Quaſi ergo dixerit: Vos clerici nunquá deficietis uſque ad conſummationem ſeculi; alias ego non promitterē eſſe uobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi. Vel ad ly &c.

Text. ET pecora Leuitarum pro pecoribus eorum.

Concl. 11. *Res, facultates, poſſeſſiones clericorum ſunt magis cordi Deo, quàm res aliorum chriſtianorum.* [Ex eo.]

Ratio. VIDE hic, pecora Leuitarum eſſe Deo applicata loco primogenitorum omnium pecorum filiorum Iſrael, ſicut Leuitę ipſi erant loco primogenitorum omnium illorum. Quid charius inter filios? Primogenitus. Huic relinquitur regnum, relinquitur cura domus, relinquitur maior ſubſtantia. Quemadmodum igitur clerici ex eo, quòd ſunt loco primogenitorum, chariores omnibus alijs ſunt Deo (huius ſignum eſt, ꝙ Deus Iſraelis dicit: Eruntque Leuitę mei, i. ſpecialiter mihi præ omnibus alijs chari) ita clericorum quælibet res ex eò, quod loco primogenitorum omnium pecorum ſunt, curæ maiori præ reliquis omnibus Deo ſunt.

Not. ¶ Videant hunc locum ſcripturæ, & attendant, qui res clericorum quaſcunque aut furantur, aut dilapidant, aut malè tractare perducunt, aut huiuſmodi agunt. Pœnas enim acriores Deo dabunt.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd meritò Eccleſia, ut Deo conformetur, magis de rebus clericorum curat, quàm de alijs. Hinc enim fit, vt excommunicet eos, qui bona Eccleſiarum ſibi uſurpant, uel huiuſmodi faciunt. Hinc fit, vt alienandi bona Eccleſiarum poteſtatem non omnibus earum diſpenſatoribus (puta prioribus, Epiſcopis) tribuat; & ſi quandoque tribuat, raro tamen & urgenti de cauſa atque cum iſta conditione ut reſarciatur id, quod uenditur, vel (ut aiunt)
2 inueſtiatur citius ac meliori modo poſſibili. Secundò habes, quòd multum damnabiles ſunt diſpenſatores illi, qui huiuſmodi bona peſſumire ſinunt; qui bona illa non maiori ſtudio, quam patrimonialia, cuſtodiunt, qui huiuſmodi bona in prophanos uſus conſumunt, qui huiuſmodi bona ali-
3 ter, quàm diſponat ius, erogare præſumunt. Tertiò habes, ꝙ non ſine cauſa clericorum bona uocantur patrimonium Chriſti, ſanguis Chriſti, res crucifixi, & huiuſmodi. Per hæc enim ſignificatur, quòd illa bona ſuót Deo quodammodo applicata (ut hic ſub figura habetur), quòd maiori curæ Deo ſunt, quam alia bona, quòd huiuſmodi bonorum, tanquam Deo applicatorum, nullus eſt dominus niſi Chriſtus Deus; ſed omnes alij ab ipſo ſunt ſui eorum bonorum diſpenſatores; & conſequenter Chriſto reddituri ſpe-
4 cialiter rationem de diſpenſatione illa. Quartò habes, quòd meritò Sanctus Thomas Canthuarienſis Epiſcopus laudatur ex eo, ꝙ pro rebus Eccleſiæ defendendis multa aduerſa paſſus uoluntariè eſt, ac tandem mortem. Hic profectò Sanctus non laudaretur ſic, ſi propriam uitam morti expoſuiſſet pro rebus patrimonialibus; imò magis ut auarus uituperaretur. Diſcrimen ergo multum, ſaluſque multum eſt inter Eccleſiarum bona, & alia quæcunque. Nam moriens pro Eccleſiarum bonis moritur pro Chriſto, & Chriſti martyr appellatur; moriens autem pro quibuſcunque patrimonialibus bo-
5 nis non item. Quintò igitur conſequenter habes, ꝙ dilapidator quorumcunque bonorum Eccleſiæ dilapidator Chriſti eſt, & duplici pœna tùm hic, tum in futuro dignus; quia dilapidauit bona (ecce unum peccatum) & Eccleſiæ (ecce aliud peccatum). Nec mirum. Nam defenſor bonorum Eccleſiæ, & hic, & in futuro pro martyre, quod duplicem honorem importat, habetur.

Corol. ¶ Ergo clericorum bona primum locum, chriſtianorum aliorum ſecundum, infidelium ultimum, apud diuinam prouidentiam tenent. Quòd enim clericorum bona primum locum teneant, nunc probatum eſt; & in littera à proportione dictum. Erunt (inquit) Leuitæ mei. Ergo bona Leuitarum erunt mea proportionaliter reſpectu bonorum aliorum Iſraelitarum. Quod autem chriſtianorum bona ſecundum locum teneant ſupra (Leuit. 25.) monſtratum per hæc uerba eſt. Terra (inquit) non uendetur in perpetuum, quia mea eſt; & uos aduenæ, & coloni mei eſtis. Nonnè omnis terra Dei eſt; & omnes homines Dei ſunt coloni? Vtique. Cur ergo ad Iſraelitas ſpecialiter hoc dicit? Vt oſtendat, ſe ſpecialiter rerum Iſraelitarū prouidentiam habere, tanquā Dominus rerum colonorum ſuorum. Ideò enim iudæi ſpecialiter coloni Dei appellantur. Alioquin ſi communiter iudæos colonos ſuos uocaſſet, nil prorſus dixiſſe uideretur in fauorem illorū (quod tamen per huiuſmodi præmiſſa uerba dicere intendit), cùm, ſecūdum ꝙ tetigimus, omnes homines coloni Dei hoc modo exiſtant. Specialiter ergo ſuot ipſius coloni; atque ideò ſpecialiter eorum res cordi habet. Nō autem pariformiter ad res Leuitarum: ergo poſt Leuiticas res immediatè res fidelium ſuccedunt. Relinquitur itaque ex his, ꝙ res infidelium minorem inter prædictas ſortiantur locum. Et clerici igitur, & res clericorū maxima prouidētia, reguntur à Deo, quod fuit intentum.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Conclu. 11. capit. 3. ualet contra errores ſcandaloſos perperam de rebus ad clericos pertinentibus, puta decimis, poſſeſſionibus &c. ſentientium, qui ſupra & narrātur & damnantur, Gen. 14. con. 6. & Leuit. 23. con. 2. & cap. 25. con. 10. Patet enim hic, ꝙ quantò magis aliqui ſunt filij Dei, tantò plus curare debent de rebus ad clerum pertinentibus, ut per hoc etiam conformentur patri ſuo cœleſti; & ab oppoſitis inferendo, patet, ꝙ rem Deo ingratam committunt, qui huiuſcemodi ibi narratos errores, ſeu errantes ſequuntur. Scias rectè applicare omnia, & concluſionem hanc contra illos ualidiſſimè ſtare, & concluſionem eandem à damnantibus illos confirmari, optimè comprobabis.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO IIII.

Text. INuoluentur omnia uaſa hiacinthino pallio, & extendent deſuper operimentum hiacinthinarum pellium.

Concl. 1. *Omnia ad cultum Dei antiquitus externum pertinentia erant figura noſtri temporis, ſeu umbra ueritatis, & myſterijs cœleſtibus plena.* [Ex eo.]

Ratio. QVID eſt, quòd omnia uaſa ſanctuarij inuolui mandantur, ac tegi? Vt monſtretur per hoc, quod nondum propalata erat ueritas, ſed ſub uelaminibus exiſtens. Sub rebus ergo illis latebat ueritas aliquando, ideſt nouiſſimis temporibus, propalanda. Et hoc eſt illud, quod Chriſto Samaritana dixit; Cùm uenerit (ait) Meſſias, ille docebit nos omnia. Vnde, quia dixit ibi Meſſias, quòd Deus eſt adorādus nunc in ſpiritu, & ueritate; idcircò nobis inſinuauit per hoc, quòd omnia antiqua ad cultum Dei ſpectantia (tunc enim inter Chriſtum, & Samaritanam de cultura Dei habebatur ſermo) ſpiritualem ueritatem figurabant. Ratione itaque figurationis huius omnia ſanctuarij uaſa inuoluebantur. Quare autem hiacintho inuolui mādabantur? Ad ſignificandum, quòd figuræ illæ erant figuræ cœleſtium, Hiacinthus enim eſt color cœleſtis. Hinc eſt, quòd Apoſtolus (ad Hebræos 8. 9.) has uocat figuras eſſe cœleſtium. Hinc eſt, quòd Eccleſia noſtra in Euangelio ſæpè uocatur Regnum

cœlorum. Quid enim figurabant antiqua? Quæ fienda erant in Eccleſia; & propter hoc hiacintho tegebantur, Ergo tunc figurabatur, quod Eccleſia noſtra erat futura regnum cœlorum.

¶Ergo iure millies lex uetus ceremonialis uocatur ab Apoſtolo umbra, figura, & huiuſmodi.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆc Concluſio 1. cap. 4. deſtruit impijſſimos errores detrahentium cultui diuino externo, templis, ſacris ueſtibus, uaſis, rebus, de quibus cum eorum damnatione tractatum eſt ſupra Gen. 12. con. 3. 5. & cap. 28. concl. 3. 4. & cap. 35. con. 1. Item Exod. 19. con. 3. & cap. 26. con. 1. & cap. 39. con. 1. Ibi & Fauſti Manichæi, & Euſtachij cuiuſdam, & Valdenſium &c. impia dicta, factaque circa templa uidebis ualidiſſimè reiecta. Sicut & Leuit. 22. con. 1. & cap. 26. con. 1. & cap. 27. con. 5. Item, contra illos de cultu externo errantes, Exod. 25. con. 4. & cap. 26. concl. 1. & cap. 28. con. 1. & cap. 29. concl. 1. Cum quibus uideas etiam Elucid. addit. artic. num. 310. De uaſis, ueſtibus, Elucid. eaſd. num. 133. 169. Item Exod. 28. con. 3. Item Leuit. 22. con. 3. & cap. 26. con. 1. & cap. 27. con. 5. De rebus autem ſacris Exod. 30. conclu. 4. & cap. 40. con. 1. Item Elucid. addi. ar. num. 128. Item Elucid. pri. par. art. num. 358. Ad præmiſſas autem omnes concluſiones roborandas, & ad contrarios errores eliminandos, ualet tantò magis præſens concluſio, quò magis in antiquitate fundatur. Antiquitas enim talis auget authenticationem, ſecundum Apoſtolum. Hic namque Rom. 1. uolens oſtendere, Euangelium eſſe authenticum excellentiſſimè, dixit, ipſum eſſe antiquiſſimū, utpotè antiquiſſimis figuris, prophetijsque præconizatum. Segregatus in Euangelium Dei, quod (inquit) antè promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. Vbi uide egregiū Eccleſiæ Doctorem S. Thomam de Aquino, qui ibi antiquitatem iſtam ideò dicet ab Apoſtolo Romanis adductam, ut Euangelium in authoritate magna & eſſe, & ab illis credi debere, monſtraret. Quantum autem ualeat proceſſus à figura ad figurata, quo nunc utitur concluſio (ut & multæ aliæ faciunt), conijcere datur ex Concilio Hiſpalenſi 2. adducto ſupra Leuit. 8. con. 2. Cùm enim ab Aaron &c. ſacerdotio ad noſtrum ipſa ſynodus tàm grauiter ibi procedat, ualorem magnum à figuris ad figurata eſſe uult.

Text. ALij nulla curioſitate uideant, quę ſunt in ſanctuario, priuſquam inuoluantur: alioquin morientur &c.

Concl. 2. *Qui Eccleſiæ ſanctæ dogmata curioſè, i. pluſquam oportet, inueſtigare uolunt, renuentes per hoc ſibi tradita à maioribus ſimpliciter credere, atque confiteri, hi profectò morti ſpirituali per hoc diſponuntur, moriuntur, ac in uarios incidunt errores.* [Ex eo.]

Ratio. PEr alios, quid intelligit? Eos, qui non ſunt Aaron, aut filij eius. Ad ſolum enim Aaronem, & ad filios eius ſpectabat, uaſa illa inuoluere; atque ideò poterant ex neceſſitate eadem uidere. Quia autem ad alios hoc non ſpectabat, ideò ſi uaſa illa uidiſſent, curioſitate uidiſſent. Curioſitas enim ibi eſt, ubi nulla neceſſitas eſt. Moriebantur ergo iſti, ſi illa uidiſſent; non autem illi, propter rationem dictam.

APPENDIX.

1 HInc habes, quòd chriſtiani populi indagare non debent illa fidei catholicæ, quæ ſibi à ſanctis patribus tradita ſunt; ſed debēt imitari filios Caath. Quid de filijs Caath dictum eſt? Quòd uaſa inuoluta à ſacerdotibus ſumerēt, portarent, atque interiora uidere curioſè non ſatagerent. Alioquin, inquit, morientur. Suſcipiant ergo dogmata ſancta fidei populi chriſtiani à patribus, ea per fidem ſinceram in cordibus ſuis ſculpta circumportent, atque nulla curioſitate uidere uelint quæ iam ſumma cura à ſanctis patribus determinata ſunt. Alioquin certiſſimè morientur; in reprobum dabūtur ſenſum; ac facient infinita, quæ non conueniunt. Si enim in lege umbratili tanta iuſtitia in huius mandati tranſgreſſores fiebat, multò magis (ut arguit Apoſtolus ad hebræos. 2) in lege ueritatis apertè ſtricta iuſtitia contra huius præcepti contemptores exercebitur. De hoc uidimus exemplum in Sabellio, Arrio, Luthero, & alijs hæreticis. Hi enim quoniam curioſitate uidere nolebant illa, quæ à ſanctis patribus fidei documenta ſibi data erant, mortui ſunt, & mortis ſuæ ſeculis cūctis indicia monſtrauerunt. Fœlix (ad nos chriſtianos populos loquimur); quem faciunt aliena pericula cautum. Secundò habes, quod ad ſummum ſacerdotem (hic eſt Papa), & alios primos (hi ſunt Cardinales Epiſcopi, & quos ipſe Papa ſanxerit) in Eccleſia Dei ſpectat, uaſa omnia, ſanctuarij nobis tradere, i. omnia, quæ in Dei honorem ordinantur, nobis exponere; nos quid in corde portandum ſit edocere, ac propter imminens curioſitatis periculum, ut ipſi iudicabunt, illa populis chriſtianis tradita inuoluere. Quomodo illa inuoluunt? Prohibitionibus, præceptis, excommunicationibus. Quando diſputare de fide prohibet Eccleſia ſecularibus; nonnè tunc uaſa ſanctuarij, propter utilitatem ſecularium nè ſ. moriantur, inuoluit? Quando diſputare de fide uetat doctis coram ſimplicibus; nonne ſimiliter uaſa ſanctuarij inuoluit? Quando de conceptione uel ſanctificatione Beatiſſimæ Virg. Mariæ Pius Papa Quintus coram uulgaribus ſiue prædicando, ſiue legendo, ſiue diſputando, ſub pœnis maximis habere nimium ſermonem omnibus abſolutè inhibuit; nonnè tunc ſanctuarij uaſa propter utilitatem aliorum inuoluit? Quando Concilium Tridentinum, Papa à quoquā gloſari ſub excommunicationis pœna noluit; nōnè tunc ſanctuarij uaſa ad aliorum utilitatem inuoluit? Quorum aliorum? Filiorum Caath, id eſt illorum, quibus talis prohibitio fit. Vniuerſa hæc ſancti patres noſtri inuoluere modis prædictis, atque ſimilibus, curarunt; nè curioſius nos illa uidere uolentes moreremur. Inuoluta ergo illa deuotè cū filijs Caath ſumamus de ipſorum ſanctorum patrū manibus, atque portemus. Quid a nobis aliud requirit Deus? Nihil. Diſcurre capitulum, & nihil cōperies. Si ergo nihil, niſi quod diximus; cur tantopere curioſitate agimur ad nobis prohibita indaganda, & ad nobis mortem peſſimam comparandā? Portent (ait dominus) inuoluta filij Caath; & non tangent uaſa ſanctuarij, nè moriantur.

¶Ergo qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Ergo non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DIcta Concluſio 2. capit. 4. oſtendit illos errores, qui narrati ſunt ſupra Numer. 2. cō. 10. eſſe errores, imò & eſſe cauſam aliorum multorum errorum; & ſimul oſtendit, authores illorum non ſolum errare, & in errorem alios mittere; ſed etiam in peius profecturos, ſi uiā illam, imò inuium illud arreptum non deſeruerint. Omnia hæc facilè per ſeipſum conſpiciet, quicunque perſpicaci ingenio applicare præſentem concluſionem ad ſupra ibi dicta uoluerit. Conſidera ergo. Conſequenter etiam (ut cuique rectè diſcurrenti patet) hæc eadem concluſio demonſtrat, illos errores meritò fuiſſe ibi damnatos.

POrtabunt inuoluta; non tangent, nè moriantur. Text.

Concl. 3. *Maiorum ſanctis traditionibus inhærendum eſt firmiter; nec ſecreta fidei ab ipſis tradita curioſius inueſtiganda, ſed ſimpliciter illis parendum.* [Ex eo.]

AAron, eiusque filij inuoluta ſanctuarij uaſa tradebāt Ratio. filijs Caath: iſtique ea inuoluta accipiebant, portabant, non tāgebant, non curioſius uidebant; alioquin moriebantur. Quid hoc figurabat? Id, quod nunc docuimus. ¶Vt autem melius textum cum concluſione hac intelligas; immediatè antedicta circa ſecundam concluſionem inſpicias.

¶Qui ambulat ſimpliciter, ſ. in rebus fidei maximè, ambulat confidenter.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

PRAEDICTA concluſio 3. cap. 4. deſtruit errorem peſtilentiſſimum Caluini dicentis, quod inſtitutiones Maiorum renunciare, ſinè ab eis recedere, non modò eſt integrum, ſed & honeſtum, pium, & ſalutare. Patet enim hic totum oppoſitum. Damnatur quoque, & meritò, ſup. Exod. 18. con. 1. & ex dictis in Geneſ. 16. con. 5. Item ex Nume. 2. con. 10. & cap. 4. con. 2. Item damnatur in Elucid. Addi. art. numer. 413. conſequenter itaque ex omnibus ibi damnantibus errorem illum, ac ſimiles, confirmatur præſens concluſio, ut patet conſideranti. Ex Geneſ. cap. 3. conclu. 2. Ibi enim in magiſtro ſuo Caluinum depictum uidebis, dùm ſub prætextu libertatis diabolum prothoparentibus ſuadere conſpicies, nè præceptis maiorum ſubdi ſe patiantur. Quot (putas) libertatis nomen decepit incautos? Non enim libertas (ut ipſi autumant) hominibus uiuendi modo ſibi placito habenas relaxat, niſi ſit falſa libertas. Audiſtin'unquam Apoſtolum dicentem. 1. Timoth. 6. eſſe aliquam ſcientiam falſi nominis ſcientię? Sic enim inquit. O Timotee depoſitum cuſtodi deuitans prophanas uocum nouitates, & oppoſitiones FALSI NOMINIS SCIENTIAE, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Ecce, quantum damnum incautis affert falſi nominis ſcientia, ut etiam in errores de fide cadant multi falſo nomine ſcientiæ decepti, id quod tunc quidem Apoſtolus dixit, ſed nunc etiam (Heu), experientia docente, uidemus. A ſimili igitur noueris tu ex Apoſtolo, inueniri unam libertatem falſi nominis, quam qui ſequi contenderit in laqueos diaboli multos ſenſim quaſi per riſum excidet, & hæc falſi nominis libertas eſt illa, quam promittit in errore prædicto Caluinus. Quare falſi nominis libertas appellatur, & non ueri? Quia non habet diffinitionem libertatis, ſed ſolum nomen. Quemadmodum homo falſus diceretur & eſſet ille, qui nomen tantùm non autem diffinitionem, hominis haberet, ſicuti eſt de homine picto. Illud enim nomen dicitur uerum, cui ſubeſt correſpondens ſuum ſignificatum, quod utique per diffinitionem importatur: & conſequenter illud nomen erit falſum, cui non reſpondet, quod præſefert ſignificatum. Diffinitio autem libertatis ex Geneſ. cap. 3. conc. 1. aptiſſimè colligitur, dùm uidemus, Deum poſt libertatem homini datam (Hanc importat ly Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ) præcepto ſuo de non comedendo ligauiſſe uetitum ligaſſe hominem. Ex hoc ſiquidem facto manifeſtè conſtat, quòd libertas eſt data nobis ad hoc, ut & obediamus liberè, ſeu uoluntariè mandatis diuinis, & à noſtris deſiderijs in contrarium tendentibus ipſi nos liberè têperãdo reſiſtamus. Alioquin Deus, collata homini libertate, eidem dixiſſet, ex omni ligno abſolutè, ſecundum quòd tibi placet comede; & poſthac uiuito in omnibus ad libitum tuum, quoniam liber factus es. Sic, ſic loquuntur nunc hæretici: ſed non ſic ille, qui nos fecit, & uolait eſſe, liberos. Cum ergo hoc non dixerit Deus Adamo, & in illo nobis, ſed dixerit oppoſitum (ut ibi patet) nonnè Caluini prædictum errorem, antequam Caluinius naſceretur, facto ſuo tam ſolemni prædamnauit? Utique. Cæterum reſpondebit Caluiniſta quiſpiã dicens, quòd Deo quidem obedire uult, ſed non hominibus, puta maioribus. Cui ui, imò propheta figuram Eccleſiæ noſtri temporis adducens pro te reſpondet Pſalm. 76. Deduxiſti Domine ſicut oues populum tuũ in manu Moyſi & Aaron. Quaſi apertius dicat: Licet Deus, quamuis per ſe ſolum ad deducendum populum Iſrael per deſertum ad terram promiſſionis eſſet ſufficientiſſimus, uoluit deducere illum ſic, in manu Moyſi & Aaron i. mediante regimine horum maiorũ: ita (quãdoquidem omnia in figura facta ſunt noſtri, in quos fines ſeculorum deuenerunt. 1. Cor. 10) ille ipſe Deus, licet per ſe ſolum ad deducendum nos per deſertum huius uitæ, locum utique horroris & uaſtæ ſolitudinis, ad terram uiuentium æternam Hieruſalem ſit ſufficientiſſimus, uult & per figuram illam ſe uelle declarauit, deducere nos ſic, in manu Patrum & maiorum noſtrorum. Heus tu, quis tam ſtupidus & ſtolidus paſtor: qui in deſertum beſtijs noxijs undique plenum mittat oues pecudum ſuarum, ſine gubernatore particulari concomitante, quem uideant oues, quem pro ſua ipſarũ ſalute in omnibus ad regimen pertinẽtibus audiant, & ſequãtur? Quòd ſi ſic paſtor homo, cuius uiuidæ ſunt & incertæ providentiæ, facit erga oues pecudum: quid, putas, fecit, facit, & faciet Princeps ille paſtorum omnium Chriſtus Deus, homo, ſapientia infinita erga oues rationalium animarum non ære, argento, uel auro (ut pecudes), ſed prætioſiſſimo ſanguine proprio redemptarum? Ad cogitationem huius firmæ collationis excitandam, propheta ille regius, tanquam a notioribus nobis nos in cognitionem minus naturaliter cognitorum adducere uolens, ſupra uocauit populum Dei oues. Vide conditiones ouium in Euangelio Ioan. 10. ubi & paſtorem abſolutè primum, Chriſtum uidebis promittentem, ſe, poſtquam per mortem ſuam adduxerit etiam gẽtiles ad ouile, facturum unum particularem uiſibilemque paſtorem dicendo ly Et fiet unum ouile, & unus paſtor. Certè Chriſtus iam erat paſtor; nec factus, ſed genitus, paſtor. Quis igitur iſte paſtor eſt, qui nondum eſt; &, ut ſit, fiendus eſt? Petrus Apoſtolus. Vide de hoc ipſummet Ioãnem ordine de Chriſto, quod promiſerat narrantem, uidelicet, quòd adduxit alias oues ad ouile capi. 19. & quod fecit unum paſtorem capi. 21. quem, ut nullius relinqueretur dubitandi locus, & coram omnibus Apoſtolis, & ter, inſtituit atque confirmauit. QUIS SAPIENS, ET CUSTODIET HAEC? ET INTELLIGET MISERICORDIAS DOMINI? Pſal. 106.

NOTATIO AVREA PRIMA.

DOMINUS iuſſit Deuteron. 21. filium contumacem, & proteruum, qui non audiuit parentum imperiũ, & coercitus obedire contempſit, lapidibus obrui. Monita (inquiunt parentes ibi) noſtra filius noſter iſte audire noluit. Lapidibus (inquit Dominus) eum obruet populus ciuitatis, & morietur. Ad quem finem? Ut auferatis (inquit Dominus) malũ de medio ueſtri, & uniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat. Malum ergo eſt non obedire inſtitutis patrum, & maiorum noſtrorũ, & tam malum, ut ab omni populo unanimiter deteſtandum ſit, & author huius mali per mortem è uita tollendus, & ab huius ſequella uniuerſus fidelium populus deterrendus. Numquid non audis Apoſtolum talia fideli populo iniungentem? Si quis (inquit) non obedierit uerbo noſtro, per epiſtolã hunc notate, 2. Theſſal. 3. Et, ſi Angelus de cœlo uobis euangelizauerit præter id, quod euangelizauimus uobis, anathema ſit, Gala. 1. Quid ait, & Samuel propheta Domini magnus: Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere 1. Reg. 15. & tamen Saul, contra quem dixit tremenda iſta, non audierat auribus proprijs Deum ſibi immediatè ſic, uel ſic, præcipientem; ſed ſolum à Samuel ex parte Domini illud ſibi commiſſum fuerat. Nonnè, & Ioſue c. 7. idipſum facto confirmat, dum iuſſu Domini occidi à populo mandat illum, qui de anathemate uſurpauerat contra inſtitutionem ſuorum maiorum, ideſt ipſius Ioſue? Utique. Et notandum ulterius, quantum diſpliceat Deo tranſgreſſio inſtitutionis maiorum ſuorum, in hoc, quòd propter peccatum huiuſmodi inobedientiæ, & à ciuibus Hay Iſrael cæſus eſt, turpiterque fugit, & (quod terribile magis eſt) Deus comminatus eſt contra populum in hæc uerba. Non poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate. Non ero ultra uobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Hæc ibi. Multa eſſent hic ſingillatim in uerbis Domini notanda, ad uidendum, quantæ malignitatis cauſa eſt non ſeruare præcepta maiorum: Sed, nè oneroſus nimis in ſermonis prolixitate ſim, per te conſideranda hæc relinquo. Vide & Danielem cap. 9. ſtantem contra errorem Caluiniſticum, dùm uerbis apertiſſimis dicit. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus. Quare? Audi quare. Quia (inquit) receſſimus, & declinauimus a mandatis tuis. Quæ ſunt mandata Dei, de quibus loquitur Daniel: Mandata maiorum: Nõ obediuimus (inquit) ſeruis tuis prophetis. Ergo, per Danielẽ, recedere, & declinare à mandatis maiorum eſt peccare, eſt iniquitatem facere, eſt impie agere. Ergo non obedire maioribus eſt recedere, & declinare à mandatis Dei. Inſpice textum. Omnia ex ipſo clara ſunt.

NOTATIO AVREA SECVNDA.

SOLENT plurimi, & maximè hęretici, ad excuſandas excuſationes in peccatis multotiens prædictis rationibus, uel huiuſmodi, quando conuicti ſunt (Quę enim rationes illæ non conuincant?), reſpondere dicentes ſingillatim: Non re-

pugnarem adductis rationibus, uel ſimilibus, ſi maiores noſtri temporis haberẽt Spiritum ſanctum, ſicut Ioſue, Daniel, Prophetæ, Paulus Apoſtolus &c. habuerunt. His profectò reſpondendum eſt, ꝙ in exhibenda obedientia non maiorum qualitas, ſed gradus dignitas attendeda firmiter eſt. Nam præſtitute, ſeu maioritati obedientia debetur, non autem bonitati perſonæ. Exemplum. Dominus Pilato, Annæ, Caiphæ iudicium non refugit, imò iis, in quibus prælato a Deo erant, humiliter obediuit, quamuis eos eſſe peſſimos apertiſſimè cognoſceret. Cæterum, quia obedientiam pro obiecto ſuo habere maioritatem, non perſonæ bonitatem, diffuſè alibi, efficaciterque monſtrauimus, iccircò de his hactenus. Solet, & alia tentatio à diabolo plurimis immitti, maximèque hæreticis, quæ talis eſt. Si minores in credẽdis præſertim, & etiam aliis, debent adhærere maioribus (ut dicebatur), tunc ſalus minorum in periculo magno continuè exiſtat, neceſſe eſt. Poteſt enim contingere, quòd illi maiores errarent. Sic ergo ſemper fermè erunt perplexi de ſalutẽ ſua minores, quod eſt inconuenientiſſimum. Huic diabolico cauillo ſatisfacit Eccleſiæ ſanctæ Doctor fideliſſimus, ueritatiſque catholicę propugnator acerrimus, Beatus Thomas in 2. 2. q. 2. ar. 6. ad tertium argumẽtum; cuius uerba, quia igne ſancti ſpiritus probata ſunt, adducemus, nihil de noſtris incomparabiliter ferè infimis addendo. Sic ergo inquit. Ad tertium dicendum, quòd minores non habent fidem implicitam in fide maiore, niſi quatenus maiores adhærent doctrinę diuinę. Vnde & Apoſtolus dicit 1. ad Corint. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Vnde humana cognitio non fit regula fidei; ſed ueritas diuina, à qua ſi aliqui maiorum deficiant, non præiudicat fidei ſimplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, niſi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra uniuerſalis Eccleſiæ fidem, quæ non poteſt deficere, Domino dicente Luc. 22. Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua. Hæc ibi. Vt uerò & abundantius pro ueritate, contraque falſitatẽ, de talibus rebus inſtruaris; audi eundem ibid. q. 5. ar. 3. in corp. dicentem: Formale obiectum fidei eſt ueritas prima, ſecundum ꝙ manifeſtatur in ſcripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex ueritate prima. Vnde quicunque non inhæret, ſicut infallibili, & diuinę regulæ, doctrinæ Eccleſię, quæ procedit ex ueritate prima in ſcripturis ſacris manifeſtata, ille non habet habitum fidei; ſed ea, quæ ſunt fidei, alio modo tenet, quàm per fidem. Sicut ſi aliquis teneat mente aliquam concluſionem non cognoſcens medium demonſtrationis illius, manifeſtum eſt, quòd non habet eius ſcientiam, ſed ſolum opinionem. Manifeſtum eſt autem, ꝙ ille, qui inhæret doctrinę Eccleſiæ, tanquam INFALLIBILI REGVLAE, omnibus aſſentit, quę Eccleſia docet. Alioquin ſi de his, quę Eccleſia docet, quę uult, tenet; & quæ non uult, nõ tenet, nõ iam inhæret Eccleſię doctrinę, ſicut INFALLIBILI REGVLAE, ſed propriæ uoluntati. Hæc ibi. Et in reſpon. ad ſecundum art. Omnibus articulis fidei inhæret fides propter unum medium, ſcilicet propter ueritatem primam propoſitã nobis in ſcripturis ſecundum doctrinam Eccleſiæ. Et ideò qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret. Hęc ibi. Vide, quoties dicit, quòd doctrina Eccleſiæ eſt nobis à Deo data (ideò uocauit eam, regulam diuinam) pro regula infallibili in his, quæ fidei ſunt. Demum ut adhuc multa de Eccleſia, & neceſſaria habeas pro ueritate firma contra errores, uide Leuit. cap. 21. con. 1. Exam. aute. 1. 2. 3.

Text. A Aron, & filij eius intrabunt, diſponentque opera ſingulorum &c. inuoluentque velo arcam &c.

Concl. 4. *Maioribus multa explicitè reuelantur circa fidem, & diuinum cultum, quæ minoribus occultantur, tanquam non capacibus, uel indignis, ſed à minoribus ipſis implicitè tantùm, in fide ſcilicet maiorum tenenda ſunt.* [Ex eo.]

Ratio. PROHIBITVM erat ſub comminatione mortis filiis Caath uidere uaſa ſanctuarij nuda, tantùm abeſt, ut pſis aliquo modo concederetur hoc. Aaroni uerò, ac eius filiis cõcedebatur à Deo, ut ipſa uaſa nuda uiderent. Si enim Aaron cum filiis ingrediebatur, ueloque, ac pellibus, & huiuſmodi, cooperiebat ſanctuarij uaſa, utique ipſa nuda inueniebat, atque uidebat. Hæc omnia in figura præmiſſi documenti in concluſione dicti fiebant. Quæ circa ſecundam, ac tertiam concluſionem diximus inſpicito, atque huius præſentis capacior eris.

COROLLARIVM CONT. HÆR.

QVID ergo garriunt hæretici dicentes: Illi, qui ſunt in Concilio ſunt homines, ſicut nos; & nos ſumus homines, ſicut illi. Rurſus latrantes aiunt ſic. Quid Papa? Quid Cardinalis? Quid Epiſcopus? Papa, & hi papiſtę nonnè ſunt homines? Quid ergo plus habent, quàm nos? O uos indocti uerè, & inſtabiles (ut olim 2. Petr. 3. propriè nominati eſtis), qui iſtis uerbis ueris, tanquam Draco, tertiam partem (.i. nobiliſſimam partem. Nam ternarius numerus eſt inter numeros maximè perfectus) ſtellarum (.i. hominum chriſtianorum. Nobiliſſima enim pars hominum ſunt chriſtiani) uobiſcum in terram trahere uultis: Dicite mihi, quæſo: Nonnè filij Caath erant homines? Vtique, & homines quidem de tribu Leuitica, & inter Leuiticos ſanè de primoribus, ut in capitulo iſto patet. Hi enim ante omnes (demptis Aaron cum filiis ſuis) Leuitas annumerantur, & ad portandam arcã &c. i. ad nobiliora officia inter cæteros aſſumuntur. Homines ergo erãt Caathitæ, & nobiles ualdè. Quid Aaron cum filiis? Nonnè & hi homines? Vtique, non Angeli. Cur ergo Aaroni cum filiis uiſio nudarum uaſorum conceditur, Caathitis uerò omninò prohibetur? Quia Deo ſic placitum eſt: Tu quis es, ò uilis homuncio, puluis & cinis: Tu, inquam, quis es, qui reſpondeas Deo? Miſericordiam, & ueritatem Dei quis requirit? O inſenſati hæretici, quis uos faſcinauit ueſtros hos errores in figuris tam apertis non aſpicere, & non obedire ueritati? An non licet Deo, quod uult, facere? An oculus ueſter nequam eſt: quia Deus bonus exiſtit? Bonus, ut ſummis ſacerdotibus (tanquam Aaroni cum filiis) uaſa ſanctuarij .i. miſteria ſua pandat: bonus, ut nobis, ac aliis (tanquã filiis Caath) obediendi ipſa ſimpliciter mandata decernat. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor (ò nimis curioſe) theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Rom. 2.

¶Concluſionem præſentem, figuramq; iſtam uigili mente notato, horumque ſemper memento, quoniam hæc figura eſt turris Dauid contra Damaſcum, quæ ædificata eſt cũ propugnaculis. Quid Damaſcus? Hæretici. Not.

¶Applica ad iſ (Deut. 32.) Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicet tibi. Quare interrogandi ſunt maiores? Quia Deus per hoc innuit, ſe maioribus oſtenſurum multa, quæ minoribus non uult, niſi mediantibus maioribus, oſtendere. Per hoc etiam innuit Deus, ſe uelle, minores maioribus his, & ſimilibus, credere, & illis obtemperare. 2. 2. q. 2. ar. 6. ad tertium. Aur eum

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

PRAEDICTA Concluſio 4. capit. 4. monſtrat errores damnatos in locis citatis ſupra cap. eod. con. 2. 3. eſſe æternò damnatos, & conſequenter neminem poſſe iuſtè conqueri de illorum condemnatione. Radicalem enim cauſam monſtrat præſens concluſio, quare maiorum decretis debeant inferiores inhærere, nec ab eis uel ungue lato diſcrepare, ut patet inſpicienti concluſionem ipſam. Radix igitur eſt iſta concluſio prædictarum, ſcilicet ſecundę, & tertię; & omnia inibi dicta, atque citata firmat, ac perficit; ut per ſe poteſt quiſque rectè ſapiens inueſtigare, & apertè conſiderari. Iuuatur & plurimum ex dictis Gen. 27. con. 1. & ibi cap. 3. con. 2. Videto.

INuoluentque omnia vaſa ſanctuarij. Text.

Conclu. 5. *Fides eſt rerum non apparentium.* [Ex eo.]

ISTA uniuerſa uaſa nuda uidentur ſolummodò intus (ut patet in littera), foris autem non niſi uelata. Quid eſt hoc? Quòd credibilia uidentur clariſſimè in patria, extra patriam uerò non niſi uelata. Et hoc eſt, quod Apoſtolus, tanquam figuram hanc exponens, dixit: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Quid eſt, uidemus Ratio.

nunc

Nunc &c. Hoc eſt, exiſtentibus nobis extra patriam non conceditur uidere illa, quę fidei ſunt, niſi uelatæ. Quid eſt, Tunc autem facie &c.? Id eſt. Poſtquam ingreſſi fuerimus intus (tanquam Aaron) in patriam; tunc nudè, ſeu abſque uelamine illa, quę fidei ſunt, uidebimus. Velationes igitur omnes iſtæ fidem ſignificât eſſe non apparentium, inſpectio autem horum ſine uelo cognitionem habendam in patria denotat. Vnde Aaron cum filijs, dûm ſunt intus quoad cognitionem figura ſunt exiſtentium in patria, filij uerò Caath, & reliqui extra patriam inuentorum.

¶Applica ad ly (Apoſtolus) Nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Quid eſt, cognoſco ex parte? Hoc eſt. Vaſa ſanctuarij cognoſco, ſed modo uelato. Quid eſt, tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum? Hoc eſt. Intus in patria, ſcilicet cognoſcam eadem uaſa ſine uelamine. Vel ad ly &c.

Text. **HIc eſt cultus filiorum Caath &c. Hic eſt cultus familiæ Gerſonitarum &c. Hoc eſt officiũ familiæ Meraritarum.**

Concl. 6. *Non omnes clerici habere debent eadem officia in ſancta Eccleſia; ſed diuerſi diuerſa.* [Ex eo]

Ratio. Omnes hi ſunt Leuitæ, & in tabernaculo ſeruiens miniſtant, ac de omnibus his in capitulo tertio à domino dictum eſt, Eruntque Leuitæ mei. Omnes igitur clericos hodiernos repręſentant. Cum ergo diuerſa officia ſortiuntur, nec alij aliorum poſſint munera exercere; patet, quòd clericos diuerſa officia in ſancta Eccleſia, ac in templo Dei, habituros fore per hoc deſignarunt. Hic eſt (inquit) cultus filiorũ Caath &c. Quaſi dicat. Nullus alius à filijs Caath hunc exequetur cultum; ſed filijs Caath hic erit proprius. Quòd autem de filijs Caath dico, de alijs quoque ſequentibus in textu dictũ puta.

APPENDIX.

1 HINC habes, quid dicas contra hæreticos illos, qui diuerſa officia clericorum, tanquam ſummorum Pontificum adinuentiones, deridens. Ridendi prorſus ipſi hæretici ſunt, utpote neſcientes ſcripturas, neque uirtutem earũ, quarum tamen intelligentiam ueram ipſi ſibi ſolis pluſquam temere uſurpant. 2 Secundò etiam contra hæreticos habes, quòd ſeculares, & multò minus omnes, non ſunt ſacerdotes. Si enim Leuitarum quidam non ſunt ſacerdotes, & tamen pluſquam alij Iſraelitæ ſunt (ut in tertio, & hîc patet) quomodo ſeculares, & omnes erunt ſacerdotes? Leuitæ namque omnes clericos, ſicut totus Iſrael totam fidelium Eccleſiam, ſignificant. Si ergo inter clericos ſunt, qui non ſunt ſacerdotes (puta filij Caath, Gerſonis, Merari), enique non omnis fidelis eſt ſacerdos; & hoc à fortiori. 3 Tertiò habes, quòd nec omnes fideles ſunt clerici. Si enim omnes eſſent clerici; tunc, quod licebat filijs Caath, licuiſſet omnibus alijs de alia tribu. Nunc autem non licet alijs de alia quauis tribu exercere officium filiorũ Caath; imò nec licet alijs de eadem met tribu puta filijs Gerſonitarum, aut Meraritarum. Reſtat ergo liquidum, quòd non omnes ſunt clerici. Si autem non clerici: ergo multò minus ſacerdotes. Eccleſiam igitur in ſynagoga depictam per omnia uideant (ut dudum, per ly omnia in figura contingebant illis, prędicauit Apoſtolus), & ad uidentes de ſua ipſorum inſcitia, uel malitia erubeſcant.

Text. **ET ſcient ſinguli cui oneri debeant mancipari.**

Concl. 7. *Illi non ſunt promouendi aliquo modo in clericos tales, uel tales, qui ſunt ignorantes, ſ. neſciunt ea, quæ ad illorum clericorum officium pertinent.* [Ex eo.]

Ratio. VVLT dominus, ut clerici teſtamenti ueteris ſciant quodnam officium exercere debeât, & quæ ad illud officium pertineant. Scient (inquit) ſinguli cui oneri debeant mancipari. Quaſi dicat. Non mancipentur prius oneri, quam ſciant, quę ad illud onus pertinent; docendo enim in ſuis locis ad longum, quid cuique officio requiratur, declaratur, ut illi officio applicati ſciant, quid agere ſibi incumbat. Si autem de clericis illis hoc iubebat Deus, multò magis in iſta iuſſione hoc de clericis nouę legis mandare intendebat.

APPENDIX.

HINC habes, quòd clerici debent examinari, antequam ad aliquem ordinem promoueantur, & quòd hoc examen eſt à Spiritu ſancto hîc decretum. 1 Secundò habes, de quo clerici ipſi examinandi ſint. 2 De quo ſunt examinandi? De eo, quod ſcire tenentur. Quid eſt illud, quod ſcire tenentur? Illud, quod ad ſuum officium aſſumendum pertinet. Vt ſciant (inquit), cui debeant oneri mancipari. Verbi gratia. Ordinandus ad ſacerdotium debet interrogari de his, quæ pertinent ad officium ſacerdotis, puta de ſacramento Euchariſtiæ de huius materia, de huius forma, & ſubtiliter; quoniam de re maximi momenti agitur. Item de ueſtibus requiſitis ad celebrandam miſſam; quoniam peccatum mortale in omittendo aliquod iſtorum interuenire poteſt. Item, quoad formam Euchariſtiæ, ſi omittatur uerbulum, ne conficiatur. Item, quoad materiam illius, ſi omittatur panis triticeus, accipiendo hordeaceum, uel aliud; ſi aqua naturalis, accipiendo artificialem; ſi uinum ſumendo ceruiſiam, uel acetum, uel aliud; ſi hæc (inquam) ſic omittantur, ne conficiatur, uel ſaltem peccetur inquirit. Ordinandi ſimiliter ad alios ordines examinentur, ut dictum, exemplificatumque eſt, de his uidelicet, quæ ad ſuum officium pertinebunt. 3 Tertiò conſequenter habes, quòd taliter promouendi neceſſariò ſcire debent ea, quæ ad ſuum officium de neceſſitate ſpectabunt: Alioquin peccant. Peccant quoque prædictum examen omittentes abſque cauſa rationabili. 4 Quartò conſequenter habes, quòd docti alias in logica, philoſophia, & huiuſmodi non ſunt ob hoc ad ordines admittendi, niſi quod prædiximus ſciant. Ab oppoſitis etiam hi, qui quod prædiximus ſciunt, admittendi ſunt, etiam quòd in alijs ſcientijs docti non ſint. Nõ enim hîc dicitur; Et ſciant hęc uel illa: ſed dicitur; Et ſciât cui oneri debeant mancipari. 5 Quintò conſequẽter habes, quòd ideò aliquos examinandos non eſſe, quia alias doctrinæ nomen habent, non eſt tutum affirmare. Hæc enim opinio examinatoris de examinandis non facit ad rem, niſi ſimul probabilem opinionem de examinando habeat, quòd ſciat ad officium ſuſcipiendum ſpectantia ſupradicta bene notato. Vide D.Tho Addi.q.36.ar.2.4.cum Elucid.

¶Applica ad ly (Apoſtolus) Ignorans ignorabitur. Hoc eſt. Ad munus clericale ſumendum ſpectantia ignorans, ad illud munus aſſumi non debet, ſed ab illo ignorari, id eſt reprobari, ſeu non ad illud ordinari. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 7. cap. 4. deſtruit errorem Licinij quinti Imperatoris dicentis; quòd litteræ appellandæ ſunt uirus, ac peſtis. Et Quintini dicentis, litteras eſſe abijciendas, & ſpiritum uiuificantem ſequendum. Sub prætexto huius ſecundi de ſpiritu dicti, quod non eſt error, primum illud erroneum iſte Quintinus acceptabat, acceptumdumq; alijs ſuadebat. Item errorem Iuliani apoſtatæ dicentis, ſtudia liberalia Chriſtianæ iuuentuti eſſe interdicenda. Hoc ipſum inſtituit Iulianus iſte, nè chriſtiani ueram à falſa eius religionem tueri rationibus poſſent, & nè ſuas ipſius diabolicas illuſiones detegerent, ſimilis Pharaoni, qui mares Hebræorum occidi iuſſit, uè quando ab ipſis iam adultis expugnaretur; Exod. 1. Item errorem temerarium Ioannis Vuicleſ, qui ſimili (ut probabile ſit) intentione litteras clericorum odiens, inquit, quòd ſtudia generalia, & uniuerſitates, collegia, graduationes, & magiſteria, à Papa, uel Epiſcopis in Eccleſiam Dei ſunt uana gentilitate introducta; & non plus proſunt Eccleſiæ, quàm diabolus. Contrarium enim prædictorum errorum per hanc textualem concluſionem totaliter oſtenditur, ſi, ut oportet, ad illos ſingillatim refellendos applicando expendatur. Damnantur quoq; & meritò, à Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. dûm ibi errorem ipſius Vuicleſ reijcit, & à Concilio Trid. dûm Seſſ. 23. cap. 4. 11.13.14.18. de refor ſtatuit, quod clerici ignorantes non ordinentur; & ad ordines initiandis, quali ſcientia proportionaliter pollere debeant, ſimul declarat. Item damnantur à multiplex canone decretorum, & ſcripturis ſacris, ut patet in Elucid.

cid. Addi. art. num. 146. 416. & in Elucid. pri. par. nume. 576. Videre etiam potes, unde iuuaberis, & has eaſdem nu. 5. Itē à Concilio Toletano ſic: Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè ſacerdotibus Dei, euitanda eſt. Hæc illud, & recitantur, diſt. 38. can. 1. Item ab Actu. Apoſt. 13. Ibi enim dicitur, q in Eccleſia Antiochiæ erant doctores, in quibus Barnabas, Simon Niger, Lucius Cyrenenſis &c. Vnde coniici datur, q erat ab Apoſtolis admiſſa, ſeu etiam inſtituta, ſchola tunc ad docendum; in qua iſti quinque ſolemnes doctores præerant. Item damnari poteſt ex hoc, q Alexandriæ antiquitus erecta fuit ſchola cum magna laude. De qua in hiſtoria Eccleſ. lib. 5. cap. 10. Cùm per idem tempus ſcholæ Eccleſiaſticæ, & doctoris officio præeſſet uir in omni eruditione nobiliſſimus Panthenus, ex quo apud eos conſuetudo antiquitus tradita uſque in hodiernum diem permanet, diuinarum ſcripturarum doctores inibi ſcholæ Eccleſiaſticæ haberi uiros duntaxat in ſcientia, & in eruditione probatiſſimos, &c. Hæc ibi. Ergo antiquiſſima eſt ſtudiorum inuentio.

Text. ISta ſunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis &c. & ſcient ſinguli cui debeāt oneri mācipari &c. Hæc ſunt onera eorum &c. iuxta officium, & onera ſua &c.

Concl. 8. *Clerici quicunque debent magis attendere ad onus, quàm ad honorem, in dignitate ſua.* (Ex eod.)

Ratio. VIDE, Loquitur ſcriptura de officijs Leuitarū, & ipſa ſæpius appellat onera. Quid eſt hoc? Eſt illud, qd nos in pſēti docemus. Vnde & aliud circa hoc notato, q uidelicet littera uocat in ſingulari cultū, officiū, miniſteriū, uel Gerſonitarū, uel Meraritarū, uel filiorū Caath, & hoc idē uocat in plurali onera, & quidem in huius cap. locis trib. Quare hoc loquendi modo utitur? Vt plus attendas onus in miniſterio tuo, ô clerice, quam dignitatē, ſeu honorem, quemadmodum & plurale eſt plusq̄ ſingulare, hoc eſt, ut plus de opere ſatisfaciēdo ex officio ſolicitus ſis, q̄ de dignitatis, ſeu honoris faſtigio paſcatis.

APPENDIX.

1 HIS q; habes, quòd conſequenter Apoſtolus ad ſcripturam hāc uetorem uocauit Epiſcopatum opus, dicens: Qui Epiſcopatū deſiderat, bonum opus deſiderat. Per huiuſmodi enim uocationem uoluit Apoſtolus denotare id, quod

2 præſentem litteram ſignificare diximus. Secundò habes, q idem uoluit deſignare Chriſtus ibi: Nolite uocari Rabbi; nolite uocari magiſtri; ne recumbas in primo loco; nolite uocare uobis patrem ſuper terram: & Iacobus ibi: Nolite plures magiſtri fieri; & ſimilia in ſcripturis reperta hoc idem uolūt denotare, quod habet concluſio. Ac ſi diceret: Vos Rabbi, uos magiſtri, uos recumbentes in primo loco, uos patres, attendite magis ad hoc, quòd dignitates ueſtræ ſunt onera, quàm quòd ſunt honores. Et ſi hoc benè attenderitis, minus curabitis de hoc, q uocemini Rabbi uel magiſtri, uel patres, uel lectores, uel prædicatores, uel Regentes, uel Baccalaurei, uel alijs titulis honorem importantibus, minuſque curabitis de hoc, quòd recumbatis in primo loco, q habeatis primas cathedras in prouincia, in ordine; q habeatis primas ſalutationes in foro, & huiuſmodi, ut phariſæi curabāt. Et, ſi minus de præmiſſis curaueritis, ore in ambitionē hinc non eleuabimini, & miniſterijs ueſtris dignè explendis magis intenti eritis. Nolite, inquit, uocari Rabbi &c. Quaſi ergo dicat. Illi, qui nimis affectant huiuſmodi honoris titulos, atque locos, duo mala incurrunt, quòd uidelicet facilè (niſi uigilantes caueant) & in ambitionem extolluntur, & operas ſui, tanquam huiuſmodi honoribus paſti, obliuiſcantur. Conſequenter igitur tales in ſuperbiā incidunt, in laqueosq; diaboli, uanaque ac inutilia deſideria, quæ mergunt homines in interitum, & conſcientiæ ſuę, profectus ſui, gregis ſui, doctrinæ neceſſariò à ſe habendæ, bonorumque exemplorum, practicè uix recordantur. Ecce quanta mala operatur, quantaque bona impedit, præſentis cōcluſionis tranſgreſſio, id eſt non maior penſitatio oneris, quàm honoris in clericatu, & proportionaliter in alijs quibuſcunque dignitatibus. Ob hoc

3 non mirum, imò operæprecium fuit, q & ſæpius (.i. ter), & in plurali, ſacra ſcriptura uteretur nomine onerum. Tertio habes cauſam, cur B. Greg. Ambr. Tho. Aquin. Domin. fratrum prædicatorum Pater, & ſimiles, Epatus, Archiepiſcopatus, Papatus, huiuſmodique dignitates fugerunt. Ratio. n. eſt, quia in his dignitatibus onera magis, quam honores appenderūt (ut littera docet) Quòd ſi magis honores diuitias, aut huiuſmodi, quam onera ipſa in Eccleſiaſticis dignitatibus attendiſſent, ipſos Epiſcopatus, aut alias dignitates appetijſſent. Sicut enim præſentis documenti textualis obſeruatio eſt cauſa fugiendi dignitates, ita huiuſmet tranſgreſſio eſt cauſa dignitates appetēdi. Per ſupradicta tamē nec hic, nec nunq̄ alibi, platorum, Doctorū, magiſtrorum dn̄orū &c. aliquos, uel aliquem ſuggillarē, aut ſuggillari, uolo (abſit) ſed tantùm ſemper ſcripturæ ſacræ uerba cum omni reuerentia explanare.

¶Applica ad ly (Euangelium) Qui maior eſt ueſtrum, erit ueſter miniſter. Quare hoc? Quia habet onera magis quàm ſubditi. In hac ergo ſententia uoluit Chriſtus nobis innuere id, quod concluſio præſens atteſtatur. Vel ad ly &c.

CONCLVSIONES EX LEVITICI.

CAPITVLO V.

NOTATIO TEXT.

SVpra Leuit. 13. diximus, leproſum, id eſt hæreticum, eſſe excommunicandum per litteram ibi, quod & hic nunc repetitur, ubi dicitur: Præcipe filijs Iſrael, ut eijciant omnem leproſum. Vbi & excommunicationem maiorem, & excommunicationem minorem notabis. Maiorem in hoc, quòd à cœtu fidelium leproſus auctoritate diuina excluditur. Minorem in hoc, quòd alij fideles à conuerſatione cum ipſo excommunicato explodantur, dicendo, quòd ſi cum excommunicato ipſo habitabunt, contaminabuntur. Tam maſculum (ait) quàm fœminam eijcite de caſtris, nè contaminent ea, cùm habitauerint nobiſcum. Vbi malignitatem excommunicationis aduertito tantam, ut non tantum unā ſecundam perſonam, duas, uel tres, contaminare queat, ſed quaſi infinitas perſonas. Et quoniam de hæreticis, ſuper quos talis excōcatio cadit, loquimur nunc, ideò contaminationem prædictam ſuppoſitus ualde diffuſiuam attribues, & uerificari magis de hæreſi, & hæreticis per litteram præſentem edoctus noueris. Hoc uerò melius capies, & quanta ſit cautela pro tali contagio fugiendo uitendum faciliùs conijcies, ſi dicta ſuper cap. illud 13. Leuitici benè perſpexeris, & conſiderationi præſentis loci coniunxeris.

NOTATIO TEXT.

VIde hic ad litteram nomen confeſſionis (quod nomen tantopere abhorrent hæretici) in textu haberi. Confitebuntur, ait, peccatum ſuum. Vide etiam id, quod alias in Leuitici 5. & 6. annotatum eſt; quòd ſcilicet reſtitutio, ſeu ſatisfactio poſt confeſſionem neceſſaria eſt. Quintamq;, ait, partem ei, in quem peccauerunt. De iure igitur diuino eſt reſtitutio ultra peccati proprij confeſſionem.

SI ſpiritus zelotipiæ concitauerit uirum contra vxorem ſuam, quæ uel polluta eſt, uel falſa ſuſpitione appetitur; ad- Text.

ducet

ducet eam ad ſacerdotem & offeret oblationem &c.

Concl. 1. *Superiores debent inueſtigare diligenter, etiam per uiam orationis, illud, de quo contra aliquam perſonam probabiliter per ſe, uel per alios ſuſpicantur.* [Ex eo.]

Ratio. MARITVS eſt ſuperior reſpectu uxoris ſuæ. Hic ſuſpitione tangitur (licet falſa quandoque) contra uxorem ſuam, q. ſ. ipſa adulterium commiſerit. Quid ait Deus in caſu iſto? Maritus inueſtiget diligenter ueritatẽ de hoc. Quomodo? Per uiam orationis. Vadat (inquit) ad ſacerdotem, & offerat oblationem &c. Hac autem oblatione mediãte, atque ſacerdotis officio (ut per capituli diſcurſum patet) ueritas circa adulterium reuelabatur.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd malè faciunt ſuperiores, quando nolunt inueſtigare id, de quo probabilis habetur ſuſpitio; licèt quandoque ſit falſa, uel licèt quandoque deprehen-
2 derint à ſimili ſuſpitiones eſſe falſas. Secundò conſequenter habes, quòd non debent cõniuere, uel de ſuſpitionibus talibus, ſeu clamoribus, aut muſitationibus præuijs, parum curare; ſiue huiuſmodi poſtergare. Debent ergo inuigilare ſuper gregem ſuum. Quis hominum eſt, cui gregem ſuum pecudum periclitare probabili ſuſpitione, nunciaretur; & ad huius nuncij ueritatem uidendam non uelociter accenderetur? Et ſi de pecoribus tantam haberi curam ad ſenſum ui-
Iſa. 23. demus, quantam de animabus habendam fore putamus?
3 Heu, Heu; Erubeſce Sidon ait mare. Tertiò conſequenter habes, q non debent expectare, ut res ueniat in liquidiſſimã lucem, antequam prouiſionem, uel inquiſitionem congruẽtem faciant. Non enim mandat hic Deus, ut maritus ſuſpicans expectet tempus partus uel grauidationis uxoris, anteq̃ inquirat; ſed marito conſulit, ut mox ſuſpitione probabili (licet falſa) exorta ad inquirendũ procedat. Quartò (à ſimili)
4 habes, q ſubditus benè facit, ſi probabili nata ſuſpitione de aliquo, de hac ſuſpitione certiorẽ reddat ſuperiorẽ uel p ſe, uel p aliũ. Talis.n. ſubditus ſuperioris negotiũ, ſic procedendo, fideliter agit, dùm illa, quibus prouidere tenetur ſaltẽ p inueſtigationem præfectus, ipſi ſuperiori notificat. Aliud quoque bonum ſic procedendo facit ſubditus, quod. ſ. proximi illius, de quo ſuſpitio habetur, ſaluti conſulit. Si nanque falſa per inueſtigationem competentem de proximo illo ſuſpitio reperietur, tunc proximus ille iuſtificatus coram ſuſpicantibus apparebit, id quod in maximum honorem proximi illius redundabit, ſicut è contra ſuſpitio illa in prædicti proximi aliquale dedecus pullulabat. Sin autem ſuſpitio illa uera comprobabitur, tunc proximus a peccato, uel pœnis correctus, reſurget, id quod in ſalutem ſuam liquido cedet. Quòd ſi a peccato nec ſic reſurget; tamen & iuſtitiæ bonum, & ædificatio populorum, & timor malorum, indè cauſabitur. Iuſtitia ſiquidem adimpletur, boni ædificantur, mali à malis operibus deterrentur; dum malos dignas ſubire pœnas conſpiciunt. E' contra igitur iuſtitia ſopitur, boni de ſuperioribus ſcandalizantur, mali ad malum plus accenduntur; dùm malas ſuſpitiones inquiri non uident, malaque debitis pœnis ordinari non conſpiciunt. Dicunt enim tunc, uel ſaltem dicere poſſunt, mali; Si non caſtè, ſaltem cautè; quoniam, niſi in propatulo mala fiant, nulla de his (etiam quod ſuſpitio inde naſcatur) inueſtigatio fiet; & multo minus caſtigatio ulla ſequetur. Vides nè, quanta bona præpediat, quantaque mala generet, præſentis documenti per concluſionem habiti tranſgreſſio? Contraria igitur horum huius diligens obſeruatio gignit. Taceo & aliud bonum, quod ex præmiſſa obſeruatione, & aliud malum, quod ex præmiſſa tranſgreſſione, oritur, q. ſ. iuſtificatus à ſuſpitione ſibi magis in futurum de ſuſpitionum ortu præcauet, atque à ſuſpitione per non inueſtigationem non iuſtificatus eundem procedendi modum retinet, quem ante tenebat. Ex hoc fit, ut ſcandala multiplicentur,
5 & tandem ſcandalis ſint omnia plena. Quintò habes conſequenter, q Deus ſic in litterra conſulens marito, & omnibus ſuperioribus, uoluit ſaluti ſuperiorum (ſileo aliorũ multigenam ſalutem; quã, cum prius tacta ſit, ex antedictis facilè habere pôs) cõſulere. Quaſi dixerit. Si uos ſuperiores non feceritis, quæ dico, in caſu probabilis (licèt falſæ quandoque) ſuſpitionis; uos eritis rei omnium malorum inde ſequentiũ. Quorum malorum? Vide ſupradicta, & cõtentus eris. Quod autem, ſi ſuperiores non faciant hoc, ſint rei modo prædicto, ex ultimis capituli huius uidetur. Quid ibi dicitur? Si maritus (inquit) zelotypiæ ſpiritu concitatus adduxerit eam in conſpectu domini &c. maritus abſque culpa erit, & illa portabit iniquitatem ſuam. Quaſi ergo ab oppoſitis inferendo dicatur. Si maritus zelotypię ſpiritu cõcitatus non adduxerit &c. tunc maritus in culpa erit, & portabit ipſe etiam iniquitatem uxoris. Peccatum ergo eſt ſuperiori propter ſuſpitionem probabilem non inueſtigare diligenter ueritatem; & ultra hoc, aliorum peccata inde prouenientia imputantur ei.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Cum dormirent homines, uenit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania. Quid dormitio hominum? Non inquiſitio præmiſſa delictorum probabili ex ſuſpitione uiſorum, uel auditorum &c. Quę zizania propter hanc ſuperiorum dormitionem inim. ho ſuperſeminat, ideſt ualdè, ſeu abundanter, ſeminat? Audiſti. Vel &c.

SI maritus zelotypiæ ſpiritu concitatus adduxerit eam in conſpectu domini &c. Maritus abſque culpa erit, & ipſa portabit iniquitatem ſuam. Text.

Concl. 2. *Peccato proprio inuoluuntur ſuperiores, & alieno, quando propter ſuſpitionem probabilem de alicuius errore nolunt inueſtigare ſeu non inueſtigant, ueritatem.* [Ex eo.]

VIDE appendicis immediatè præcedentis ultima uerba ab oppoſito arguentis, & huius cõcluſionis rationẽ percipies. Ratio.

APPENDIX.

HINC (.ſ. ex prima, & ſecunda concluſione, cum omnibus ibi dictis) habes, quod uerißimum eſt Beati Aug. 1
pronunciatum in regula. Quod? Præpoſitus (inquit) quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo maiori uerſatur. Secun- 2
dò habes, quòd iure optimo Dauid, tanquam ſuperior, domino dicebat; Ab alienis parce ſeruo tuo. Quaſi dicat. Superioribus peccata ſubditorum quandoque imputantur. Quando? Cùm non facit, id quod ſecundum ueritatem debet circa ſalutem gregis ſibi commiſſi.

¶ Applica ad ly (ſcriptura) Potentes potenter torquebuntur. Quare? Quia non tantum proprijs, ſed etiam alienis peccatis torquebuntur, niſi illud, quod debent modo dicto fecerint. Vel ad &c.

VEl polluta eſt, uel falſa ſuſpitione appetitur. Text.

Concl. 3. *Probabile illud argumentum, uel illa poſitio dicitur, quod uel qua cum indicijs pro ueritate ſtantibus, falſitatem etiam continere poteſt.* [Ex eo.]

Ratio. CERTÈ non propter quamcunque ſuſpitionem maritum ad tanta facienda moueri, uult Deus, cùm ſcriptum ſit; Qui cito credit, leuis eſt corde. Propter ergo ſuſpitionem nõ leuem quomodocunque; ſed probabilem debet moueri maritus. Cùm igitur ſuſpitio illa quandoque falſa futura à textu clariſſimè præſupponatur, patet, quòd probabile illud eſt, quod falſum etiam eſſe poteſt.

Corol. ¶ Ergo qui credit rei probabili, non eſt leuis corde; etiam quòd res illa falſa quandoque ſit.

¶ Quid aũt probabilitatẽ inducat, interroga logicos. Pro
Not. nũc aduertito, q probabile hic eſt illud, qđ à grauibus perſonis dr̃; uel quod ex indicijs urgentib. cõſurgit. V.g. Dr̃ ab aliquo teſte iurato, ſeu formali præcepto cõſtricto, q talis uxor adulterauit, hoc dictum eſt probabile. Dicitur a duobus, uel tribus pſonis timoratis in aliqua terra, q talis uxor adulterauit, hoc dictum eſt probabile. Talis uxor cum altero uiro niſi ſunt ſoli in aliqua camera clauſi, moram facientes, hoc indicium eſt arguens probabiliter, quòd mala aliqua inſimul perpetrarunt; maximè ſi indicia amatoria eo die, uel alio præcedenti, uiſa fuerunt. Ex his tu ad probabilitatẽ in qualibet alia re cognoſcendũ procedes, ac de huiuſmodi probabilitate & capitulum hoc, & nos in præmiſſis, habere ſermonem ſemper, agnoſcito.

Si ſpi-

Text. SI ſpiritus zelotypiæ contraxerit uirum &c. adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro illa.

Concl. 4. *Veritatem rei probabilis inueſtigare debemus per uiam orationis, etiam per aliam perſonam ad noſtram inſtantiam faciendæ.* [Ex eo.]

Ratio. MARITO ſuſpicanti de uxoris adulterio, nec uia humana certò probare ualenti conſulitur à Deo, ut ad orationem pro illius inueſtigatione conuertatur. Iubet enim Deus, ut uadat ad ſacerdotem, & oblationem offerat. Quorſum hęc? Vt ſacerdos oret ad dominum pro ueritatis inuentione.

Coroll. ¶ Debent ergo (à ſimili ſeu à proportione) ſubditi prædicti poſtquam ſuperiorem de ſuſpitione tali admonuerint, conuerti ad orationem orantes; ut ueritas ad gloriam Dei inueniatur.

Text. ET hoc maritus depræhendere nequiuerit, ſed latet adulterium, & teſtibus argui non poteſt &c. adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem &c.

Concl. 5. *Vbi deficit uia humana ad faciendum aliquid; tunc ad uiam diuinam, ſcilicet ad orationem, conuerti debemus totaliter, & fiducialiter.* [Ex eo]

Ratio. DATA uia humana ad inueniendam ueritatem, ſ. per teſtes habetur deſperatio; & tunc ad uiam diuinam. ſ. orationem, recurrendum eſſe præcipit Deus. Adducet (inquit) eam ad ſacerdotem &c. Hoc eſt. Suſpitionem ipſam reuelabis Deo, & inuenire faciet ſuſpitionis talis ueritatem. Huius ſignum eſt, quòd poſt illam oblationem textus de inuenta ueritate mentionem facit, dū fœmoris cōputreſcendi, uel non, meminit: Ideo diximus in concluſione, quòd ad orationem tunc recurrendum eſt fiducialiter. Quare fiducialiter? Quia ex contextu (ut prædiximus) impetrandi nobis tunc fiducia datur, dùm & ueritatem manifeſtandam eſſe poſt orationem dicitur, & Deus nobis pro inuenienda ueritate orare ſuadet. Si ſuadet, quis unquam illum nos exaudire nolle crediturus eſt? Imò niſi tunc exaudire nos uellet, orationem nobis diſſuaderet; iuxta illud ad quoſdam non exaudiendos, Ne (inquit) offeratis ultra ſacrificium fruſtra. Quare nè offeratis &c. Quia ego (inquit), cum clamaueritis, non exaudiam. Videas ergo, quòd Deus, cum nihil (teſte philoſopho) agat fruſtra, nobis orationem tunc non ſuaderet, quādo orationem ipſam exaudire nollet. Signum igitur magnum, ꝙ exaudire uelit orātes, eſt, quādo orare pro aliquo negocio nos adhortatur, ſiue per ſeipſum, ſiue per ſuperiores, ſiue per fratres noſtros. i. proximos, ſiue per ſcripturam, ſiue alio modo. Et hoc ſignum ſit pro regula uniuerſali, per huoc etiam textum comprobata. Vt quid enim poſt diuinam ſuaſionem ad orationem pro ueritate inuenienda ſubiungitur inuentio ueritatis? Vt regula nunc dicta firmetur. Totaliter (dixi in concluſione), quia iam certitudo humana defecit, & conſequenter ad ipſam humanitus indagandam non debes amplius anhelare. Ex hoc ergo ſequitur, quòd totis ad orationem pro re tali recurras, ex quo ad nullam aliam uiam intentus es. Quemadmodum enim, pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus; ita ſolum uni intentus maior fit ſenſus ad illud, & hoc dicimus, totum hominem ferri in aliquid, quòd eſt hominem illi ſoli alicui eſſe intentum.

Regula uniuerſalis.

Coroll. ¶ Ergo (Pſal.) Reuela Domino uiam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.

Text. TEſtibus argui non poteſt; ſi ſpiritus zelotipiæ &c. addixerit eam ad ſanctam, & offert oblationem.

Concl. 6. *Humana uia non eſt deſerenda, ſi habeatur; & tunc conſequenter ad diuinam ſolam non eſt recurrendum.* [Ex eo]

Ratio. PRIUS de teſtium carentia fit mentio, quàm ad orationem recurrendam ſuadeatur. Quare? Quia teſtium uia (hęc eſt humana uia) ambulandum eſt, ſi habetur, antequam ad orationem (hæc eſt uia diuina) totaliter cōuertamur. Hoc autem ſic intelligito, non quia humanam uiam tenentes orationi inſiſtere non debeant; ſed quia orationi tunc ita inſiſtere non debent, ut humana uia uti non uelint.

Not. ¶ Exemplum a ſimili. Eſt quis ingenium, cōmoditatemq; ſtudendi habens, quid facit? Studere non uult, ſed tantùm orare, ut addiſcat. Talis huic concluſionis documento, ac diuinæ in litteramonitioni contrauenit. Studeat ergo, ac ſimul magis etiam orationi confidens, quàm proprio ſtudio, ingenio, memoriæ uel huiuſmodi: Sicut & omnis homo duabus his uijs incedens magis diuino auxilio, quod per orationem paratur, inniti debet, quam humano, quod per ſtudium, uel per huiuſmodi, acquiritur. Quòd ſi ingenio, memoria, commoditate &c. ſtudendi careret; tunc in neceſſitate conſtitutus ad orationem totaliter cum omni fiducia conuertatur, & ſine dubio, prout magis expediens fuerit, exaudietur. Quod autem in exemplo de ſtudio diximus, ita ad omnia occurrentia applicare memento, quoniam uniuerſis rebus doctrina iſta hoc ex capitulo excepta conuenit.

Regula uniuerſaliſſima.

Text. ERitque mulier in exemplum omni populo.

Concl. 7. *Deus caſtigat aperta caſtigatione malefactores, ut alij omnes inde exemplum ſumant, & benè uiuendi, & mala uitandi.* [Ex eo]

Ratio. MULIER adultera in propatulo punitur, ut omni populo fiat exemplum: Bonis quidem ſequendi bona; malis uerò deſerendi mala. Sic ergo per malorum punitiones publicas boni confirmantur, & mali infirmantur. Quo quid utilius?

APPENDIX.

HINC habes primò cauſam, quare Apoſtolus dixerit, 1
quòd publicè peccantes publicè arguendi ſunt. Secū- 2
dò habes cauſam, quare latrones &c. publice appenduntur
&c. Tertiò habes cauſam, quare dicatur fœlix, quem faciunt 3
aliena pericula cautum. Cauſa ſiquidem hæc eſt; quia ſ. Deus
nobis hoc conſulit faciēdum (ut hinc elicitur), ut ſ. aliorum
exemplis erudiamur. Cùm ergo ſit fœlix, qui Dei conſilium
ſequitur, & nūc quod diximus ſit Dei conſilium, patet, ꝙ eſt
fęlix, quem faciunt aliena pericula cautum. Contra ergo, eſt
infęlix, quem non faciunt aliena pericula cautum. i. qui non
proficit ex aliorum pœnis uiſis, uel auditis. Non tantùm
uerò infœlix; quia aliorum pœnæ nil ad utilitatem ſuipſius
faciunt; ſed quia cùm poſt aliorum caſtigationes uiſas
deliquerit, maiores quàm illi alij pœnas Deo dabit. Qui
ſcis? Peccauit Adam (Ecce exemplum): Peccauit poſt eum ipſe Cayn. Punitur Adam propter peccatum, punitur Cayn propter peccatum. Quis magis punitur? Cayn. Vnde ſcis? Ad Adā peccantem pro caſtigatione dicitur, Maledicta terra in opere tuo: ad Cayn uerò pro caſtigatione dicitur, Maledictus eris ſuper terram. Quare maiorem maledictionem habuit Cayn, quam Adam? Quia ex Adam caſtigato Cayn non ſumpſit exemplum (ut debuerat, & Deus uolebat) ſeruandi legem diuinam. Quod autem de Adam & Cayn diximus, diſcurrendo
ſcripturas, ſæpenumero inuenies erga reliquos ſimiles ob-
ſeruatum. Quartò habes intelligentiam Eſaiæ dicentis, ꝙ 4
uexatio dat intellectum. Cui dat intellectum? Omni populo. Per hoc enim dictū inſinuare uoluit propheta, quòd hic per Moyſen Deus antea dixerat. Ac ſi propheta ipſe clarius dixiſſet. Vexatio unius de congregatione eſt in exemplum toti cōgregationi, imò & omnibus alijs extra congregationē audientibus. Quomodo in exemplum? Hoc modo. ſ. quia dat illis in
tellectum. Quintò habes, ꝙ Deus, dùm unum caſtigat, plu- 5
res erudit. Caſtigatio ergo illa non tam caſtigatio, quam doctrina eſt. Ergo Deus cum iuſtitia puniuit non tantum miſericordiam; ſed etiam magnam miſericordiam ſimul exercet. Iuſtus enim eſt ad unum, miſericors ad plures. Ergo miſericordia (Iac. 4) ſuperexaltat iudicium; id eſt plus miſericordia apparet in iudicio punitiuo, quam ipſum iudicium puni-
tiuum. Sextò habes, quòd Deus non tantùm ex iuſtitia mo- 6
uetur ad puniendum delinquentes; ſed etiam ex miſericordia, & magis ex miſericordia. Miſericordiarū ergo pater pro tempore delinquentium non eſſet, ſi delicta non caſtigaret.

Mulier-

Text. MVlierque erit in exemplum omni populo.

Concl. 8. *Superiores delicta publica caſtigationibus non punientes bonum totius populi magnum impediunt.* [Ex eo]

Ratio. BONVM magnum eſt toti populo in bonis faciendis perſiſtere,& à malis patrandis reſilire;quod totum ex delinquētium publica punitione procedit. Hoc enim ſignificatur per ly Eritque mulier.ſ.caſtigata,in exemplum omni populo.Cū igitur ſuperiores publicè non puniunt quos publicè punire debent,nonnè uides,ꝙ ipſi totum hoc bonum magnum populi impediunt?Faciunt enim,ꝙ populi non habeant ante ſe exemplū; quo ad bona agenda,& ad mala cauenda excitent.

APPENDIX.

HINC habes, ab oppoſitis,ꝙ ſuperiores taliter punien-
1 tes bonum magnum totius populi promouent. Secū-
2 dò habes conſequenter,ꝙ illi non ſic punientes uituperandi;
hi autem ſic punientes laudandi ſecundum ueritatem ſunt.
His maximæ gratiæ à toto populo debentur, qui totius po-
3 puli utilitatem cauſent: illis uerò non item. Tertiò habes
conſequenter id,quòd B. Auguſtinus dixit in regula, eſſe ſa-
cris ſcripturis conforme,ac ideò benè dictum. Quid ibi ait?
Quòd non crudeliter ſed miſericorditer agitur tunc, quādo
proijcitur inſolens religioſus de religioſorum ſocietate.Qua
re?Nè(inquit)contagione peſtifera plurimos perdat.Et tu ex
iſto capituli loco addas explicitè(quod & Auguſtinus ſubau
diuit implicitè)nè plurima bona impediātur in toto populo,
4 &plurima mala occaſionentur in illo. Quartò habes conſe-
quenter,ꝙ omnium bonorum indè impeditorum, & omniū
malorum indè occaſionatorum , ſuperiores ſic non punien-
tes reddent rationem,& pœnas dabunt. Econtrario autem ſu-
periores ſic punientes omnium bonorum indè promotorum,
& omnium malorum indè impeditorum recipient coronam
5 in die iuſti iudicij Dei. Quintò habes;quid dicendum ſit(à
ſimili) de ſubditis ſuperiores ad publicorum errorum caſti-
gationes incitantibus , & de ſubditis ſuperiores ab illis caſti-
gationibus reuocantibus.

Not. 1. ¶Documētū cōclutioni ſeptimæ cū his, quæ ibi ſequunt, contuere, & octauam cōcluſionem cū ſuis melius accipies. Aduerte quoq; ꝓ eo,qd de ſubditis tāgit in hac ultima appēdice poſtremo,ꝙ aliud eſt ſuperiores à totali punitione reuocare,aliud eſt à tāta.Nā à totali nō licet;& conſequēter ſubditus hoc intēdēs peccat; à tāta uerò quādoq; licet; cōſideratis oībus circunſtantijs.ſ.locorum, perſonarum , ſcandalorum, & huiuſmodi . Notandum quoque, quòd aliud eſt reuocare ſuperiorem à iuſtitia faciēda,ut reuocet, aliud reuocare &c. ut aliquid boni fiat, uel aliquid mali impediatur . Verū quoniam hoc proximum bonum à ſubdito ſic reuocante intentum eſt ſecūdum curſum ordinarium particulare , & minus, quàm illud à iuſtitia punitiua intentum, icircò minus benè facit,etiam in tali caſu,ipſe ſubditus. Melius ergo eſt ſubdito de iuſtitiæ punitiuæ impedimento,ſeu impeditione,ſeipſum non intromittere,ſed iuſtitiam punitiuam à diſcretis ſuperioribus exerceri ſinere. Sic enim uia ſcrupulorum generandorum indè in ſubditum tollitur.

Not. 2. ¶Notabis pro B.Auguſtini ſupradicta ſentētia(.ſ.Non hoc fit crudeliter , ſed miſericorditer) argumentum ſequens . Si proijcere delinquentes eſt agere miſericorditer , non crudeliter:ergo non proijcere delinquentes eſt agere crudeliter, nō miſericorditer. Quid per proijcere nunc in propoſito intelligis?Caſtigare,punire. Quid per non proijcere?Non caſtigare, non punire. Notabis,& hoc aliud . Si Beatus Auguſtinus propter ſcandalum inter fratres , ſeu propter periculum , iudicauit,proiectionem ſcandaloſi è religione totalem eſſe miſericordiæ,non crudelitati,attribuendam, multò magis iudicaſſet , proiectionem ſcandaloſi minusuè exemplaris partialem miſericordiæ,non crudelitati,aſcribendam fore.Magis enim pœnoſum eſt proijcere totaliter è religione aliquem , quàm partialiter tantummodo. Illa namque proiectio dicit, religioſum religionis habitu priuari;iſta uerò tantùm dicit,religioſum de conuentu in conuentum eiuſdem religionis aſſignari , ſeu in pœnam a communi aliorum conſortio , ad tempus emendationis ſuæ,ſeparari, aut alio modo ſecundum ueram delictorum ſuorum exigentiam puniri. Sicut ergo illa proiectio maior pœna eſt,ita maiorem culpam,ſcandalumque requirit,ut miſericorditer infligatur. A ſimili igitur quemadmodum iſta proiectio ualdè minor pœna eſt , ita pro minori ualdè culpa,ſcādalóuè,miſericorditer infligenda uenit.Scandalum autem licèt B. Auguſtinus allegatus inter fratres ipſos accipiat; à ſimili tamen de ſcandalo inter ſeculares ex alicuius religioſi uita ortō loqui illum,ſentiēdum eſt. Vnde ſi quis uel inter fratres,uel inter ſorores, uel inter ſeculares,ſcandaloſus in ueritate ſit,aut (quod aiunt) minus exemplaris,is miſericorditer de illo conuentu in alium proijcitur,ſeparatur, punitur (ut ſupra),ſi proijcitur,ſi ſeparatur,ſi punitur ; & crudeliter in conuentu illo adhuc manere ſinitur , aut non ſeparatur,aut dignè punitur;ſi ſinitur , ſi non ſeparatur,ſi non punitur. Hæc non ex me , ſed ex B Auguſtini proloquio antedicto,ſuſcipias,& benè tu,qui ſuperior es,iſta conſidera , & pone in practica;nè te pariter, ac alios incautè præcipites . Iſta notent & ſubditi, ut ſciant , quando ſuperiores de ſubditorū erroribus miſericorditer admonere debeant.

¶Septimum documentum,octauumque per concluſiones ſingulas explicata cum ſuis annexis,uigili mēte notato.Hinc namque miſericordiam ueram à falſa , & crudelitatem uerā a falſa facilè diſcernes . Hinc quantum noſtrum plerunque iudicium aberret pro miſericordia crudelitatem, aut pro crudelitate miſericordiam,accipiens,facilè uidebis. Hinc quantum religiones à tempore B. Auguſtini uſque nunc(.i.religionum obſeruantiæ,ac moderamina,ſeu regimina) defecerint, facillimè comperies.Nec mirum ſanè.Si enim, quod ille miſericordiam , nos quādoque aliqualem crudelitatem ;ſi quod ille beneuolentiam , nos quandoque aliqualem maleuolentiam,nominamus ; quomodo non multum ab Auguſtini diebus defecit religio? Crudelitatem autem miſericordiam iudicantes taxauit ille Doctor, dùm ad ſuperiores in Regula ait: Non enim,& hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer : maleuolentiam uerò beneuolentiam uocātes monſtrauit, dùm ibid. ad inferiores inquit : Nec uos dicatis eſſe maliuolos,quando hoc indicatis.Magis quippè innocentes non eſtis, ſi fratres ueſtros,quos indicando corrigere poteſtis , tacendo perire permittitis. Videtur ergo,quòd de religioſorum quorundam eiuſus gradus defectu futuro prophetarit Beatus Auguſtinus. Nam gradus religionis cùm per ſuperiorem eſſe , & inferiorem ſufficienter exauriatur ; & ipſe Beatus pater tam ad ſuperiores quàm ad inferiores loquatur,iam patet, ꝙ de quocunque gradu aliquorum religioſorum à uerò iudicio defecturo quodammodo uaticinatus eſt. Not 3.

¶Vt igitur in priſtino religionis tùm chriſtianæ , tùm Dominicanæ,tùm Franciſcanæ,tùm &c.perſeueremus decore,ſi in illo non ſumus,ad illum facilè reuertamur,malos dare pœnas debitas,ac exemplum fieri toti populo , efficaciter iubeat ſuperiores,ac inferiores ad hoc , ſaltem orationibus inſiſtendo,anhelent . Alioquin illud Eccleſiaſtes octauo de prædictis religionibus uerificabitur , quod & per experientiam (Proh dolor) temporibus noſtris alicubi uiſum eſt . Quid eſt illud Eccleſiaſtes ? Quia (inquit) contra malos non citò profertur ſententia;ideò abſque timore ullo filij hominum operantur malum. Videamus,nè & nobis illud Baptiſtæ Carmelitæ contingat,ſcilicet Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos. Deum itaque pro uiribus noſtris imitemur, qui delinquentē hic uult ratione pœnarum exemplum fieri omni populo. Not. 4.

¶Applica ad ly (Euangelium) Beati qui eſuriunt,& ſitiunt iuſtitiam.ſ.punitiuam,hoc eſt, qui ad puniendum delinquentes ſunt(ut par eſt) ſoliciti.Quare Beati? Quia bona multa publica promouent per hoc , & multa mala publica impediunt. Quare ergo Beati?Quia ſunt miſericordes in hoc, & ideò miſericordiam conſequentur. Ergo maledicti,qui non eſuriunt, & non &c. Quare? Audiſti quare primum , & quare ſecundū; ab oppoſitis arguendo. Vel ad ly (Apoſtolus) Non ſine cauſa gladium portat.ſ.bona poteſtas , ſeu bonus ſuperior, ſeu bonus iudex.Quare non ſine cauſa?Quia eſt uindex in eum,qui malè agit . Conſequēter ergo,tùm per huiuſmodi uindictam tanta bona publica (ut diximus)malorumque impedimenta cauſet,patet,quòd talis non ſine cauſa gladium portat.Malus ergo ſuperior(ab oppoſitis)ſine cauſa portat gladium. Quare ſine cauſa?Quia,ac ſi gladium non haberet,illo non utitur in puniendo malos. Vel ad &c.

PRO

PRO ECCLESIA

SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 8. cap. 5. à fortiori deſtruit turbulentiſſimum errorem Catharorum dicentium, ut ſupra Gene. 6. con. 2. & Leuit. 20. con. 1. in quibus locis, & damnatus eſt. Damnatur quoque, & meritò, à Leone Papa: Qui alios, cũ poteſt, ab errore non reuocat, ſeipſum errare demõſtrat. Hæc ille, ut recitatur, extra de hæret. Item à Bonifacio Papa. Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet. Hæc de regul. iur. in 6. regula 19. Ex qua ab oppoſitis infertur: ergo non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum pertinet, ſe non immiſcet. Cum igitur ad ſuperiores pertineat ſeruare ſubditos in pacifico ſtatu, & ſtatus talis abſque caſtigatione condigna malorum haberi non poſſit, patet ea regula ſupradicta, quòd non ſunt ſine culpa ſuperiores, qui huiuſcemodi delinquentes non caſtigant. Pro huius capite meliori recurre ad concluſionem ſeptimam immediatè præcedentem, ubi ipſo exemplari, Dei iudicio, concludens dices, quòd ſuperiores debent facere in ſubiecta materia ſecundum exemplar, quod ibi monſtratum eſt, & maximè quoniam ij miniſtri Dei ſunt. Vide loca Gen. & Leuit. ſupra nunc adducta, & omnia alia, quæ inibi citabuntur; & indè quoque uiciſſim confirmabis concluſionem præſentem. Ex quibus tandem omnibus etiam perſpicies magis uera eſſe, quæ & in 2. & 9. huius capituli concluſionibus afferuntur.

Text. MAritus erit abſque culpa &c.

Concl. 9. *Licitum eſt ſuperioribus ſuborta infamia de aliquo ſuſpicari probabiliter, & ex tali ſuſpicione procedere ad proceſſus faciendos, ad inquirendam ueritatem.* [Ex eo.]

Ratio. EN maritus de uxoris adulterio probabiliter ſuſpicatur, & ob talem ſuſpicionem ad inquiſitionem ueritatis, etiã cum periculo maximo uxoris, procedit; & tamen in his omnibus dicitur eſſe abſque culpa. Quomodo cum periculo maximo uxoris? Quia cum periculo, & famę, & damni ſanitatis. Dicitur enim in littera, quòd ſi fuerit polluta, cõputreſcet fœmur eius (ecce damnum ſanitatis); & erit in maledictionem, ac in exemplum omni populo (ecce maxima infamia, atque dedecus). Notandum quoque, quòd per computritionem fœmoris, non ſolum infirmitas illa denotatur; ſed etiam carentia liberorum, id eſt futura ſterilitas, intelligitur. Ex oppoſito enim hoc ſubaudiendum littera docet. Nam ſubinfert, quòd ſi mulier non fuerit polluta, erit innoxia; & faciet liberos. Relinquitur ergo clarum, quòd ſi fuerit polluta, erit noxia, & non faciet liberos. Quomodo erit noxia? Hoc modo ſcilicet, quia aquæ illæ ei nocebunt, id eſt facient, fœmur illius computreſcere, & non facere amplius liberos. Cuius rei, ſcilicet non facere liberos, cùm non meminerit ſupra; ſed tantùm de computritione fœmoris utero tumeſcente; patet, quòd per talem fœmoris computritionem intellexit etiam ſterilitatem. Sterilitas autem antiquitus non tantum poſteritatis carẽtiam, ſed & ignominiam magnam dicebat. Vnde ad damnum infamiamq; prædicta ſi ſterilitatem hanc iũgas, uidebis facilius, cum quãto maximo uxoris periculo inueſtigabat ueritatem maritus propter ſuſpicionem tantùm probabilem.

APPENDIX.

HInc habes, quòd quis detineri poteſt, ſeu arreſtari propter ſuſpicionem probabilem de eo habitam iuncta infamia circa rem magni momẽti i. peccati mortalis, ad inquirendum diligentius de eo. Vides enim hic, quòd propter probabilem ſuſpicionem maritus iuxta conſilium diuinum exponit uxorem, periculo maximo tùm famæ, tùm damni. Propter ſuſpicionem ergo probabilem poteſt ſuperior tuta conſcientia, imò iuxta hoc capitulum debet, arreſtare aliquem, quod eſt exponere illum periculo famæ, & quandoque damni. Sic mihi ex hoc loco uidetur dicendum, & tu (ſi benè textum penſites) in meam facilè uenies opinionem. Nam arreſtare aliquem nil eſt, niſi exponere illum periculo honoris, famæ, atque damni: id quod maritum hic feciſſe tex. innuit.

SI ſpiritu zelotypiæ concitatus adduxerit eam ad ſacerdotem &c. maritus erit abſque culpa. Text.

Concl. 10. *Licitum eſt marito eſſe zelotypum, ſiue habere zelotypiam, uxoris ſuæ; & licitum eſt (à ſimili) uxori eſſe zelotypam, ſiue habere zelotypiam, mariti ſui.* [Ex eo.]

Ratio. SI radix infecta, & rami. Si igitur maritus ex zelotypia moueretur ad ducendum uxorem ſuam ad ſacerdotem, & zelotypia eſſet marito reſpectu uxoris ſuæ illicita, tunc utiq; actio illa, ſcilicet adducere uxorem ex zelotypia ad ſacerdotem, eſſet culpabilis; & conſequenter maritus ſic agens non eſſet abſque culpa. Nunc autem ea zelotypia maritus ſic faciens eſt abſq; culpa. Radix ergo, ea qua ad ſic agendum mouetur, erit inculpabilis. Quæ eſt illa radix? Zelotypia reſpectu uxoris propriæ. Quoniam uerò ad paria in hoc (iuxta Doctores) iudicatur uterque, ideò ſicut uiro licet ad uxorem eſſe zelotypum, ita uxori ad maritum ſuum eſſe zelotypam licitum eſt.

Not. 1. ¶ Zelotypus eſt ille, qui ſolicitus eſt, ne quis amore ſuo perfruatur. Verbi gratia. Quis diligit uxorem ſuam; & ſolicitus eſt de illius amore, nè a quoquam tangatur. Hic dicitur zelotypus: & ſimiliter zelotypa, ſi uxor eſt ſic ſolicita erga uirum. Zelotypia uerò ſic diffinitur, quòd eſt quædam animi ægritudo ex eo proueniens; quòd timeas, nè adſit alteri, quod cum nemine uelis habere commune.

Not. 2. ¶ Videndum tamen eſt marito, ut moueatur ad zelotypiã rationabiliter, ſeu (quod idem eſt) probabiliter. Nam marito ad zelotypiam moto leuiter, ſeu irrationabiliter, ſeu quia vult, non quia ratio hoc dictat, nihil eſt moleſtius, nil grauius, inquietius nihil. Vxori ergo ualde grauis eſt, atque moleſtus, ſibimetipſi uerò grauis, & ſemper inquietus. Et quanta bona ſecum fert mariti zelotypia rationabilis, tanta mala eiuſdem irrationabilis zelotypia ſecum portat. Quod autem de mariti zelotypia erga uxorem dico, idem etiam de uxoris zelotypia erga maritum intelligito.

Not. 3. ¶ Licitam eſſe zelotypiam modo prædicto diximus inter maritum, & uxorem; non inter quoſcunque alios. Sicut enim nulli alteri licet cuiuſuis alterius uenereo uti amore, ita nulli zelotypiam verſus alterum, vel alteram, habere licet. Zelotypia namq; uenerem aliquam delectationẽ explicitè, uel implicitè includit, quam non niſi inter coniuges admittendam eſſe, Doctores inquiunt. Hac de cauſa ſeiungitur zelotypia à zelo, & zelotypus a zelote. Zelus nanque venerem haud reſpicit, ſed honorem uel diuinum, uel rectę rationi conſentaneũ, & zelotes non uenerem, ſed unam ex prædictis in re amata conſiderat. Vnde zelotypia, eſſeque zelotypum, ſemper in malum ſonat, niſi ſit inter coniuges, & rationabiliter; zelus verò, eſſeque zelote, in bonam partem ſumitur niſi de zelo inuidiæ fiat ſermo. Regula.

Applica ad ly (Euangelium, originaliter Pſalmus) Zelus domus meæ comedit me. Vel ad ly (ſcriptura) Ego dominus zelotes. Hic enim potes declarare quid zelus ſit, atque zelotes, & huiuſmodi, ſecundum ſupradicta. Vel ad ly &c.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO VI.

NOTATIO TEXTVALIS.

HIc tractatur de lege Nazaræorum (hi interpretantur uncti, conſecrati, mundi, ſancti; cuſtodientes, ſeparati), quam legem ſeruare iuſſus eſt Sanſon ab Angelo (Iudicum 13.), & Anna filio naſcituro ſe impoſituram nouit (1. Reg. 1.), & quam fratres Hieroſolymis ſuaſerunt ſeruandam Paulo Apoſtolo (Actuum Apoſtolorum 21.), & de quibus Nazaræis dicitur quodam in loco; Cãdidi Nazaræi eius odorem Deo dederunt.

dederint. Hi Nazaræi fuerunt figura, etiam nominaliter Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni. Nazarenus enim idem interpretatur, quod Nazaræus; imò pro eodem nomine accipitur. Signum huius eſt illud, quod B. Matthæus Euangeliſta cap. 2. de Ieſu Domino noſtro dicit. Qui Ieſus ipſe habitauit in ciuitate Nazareth, ut adimpleretur dictum per prophetas, quoniam Nazaræus uocabitur. Vides namque, quod Nazaræus ibi idem eſt, quod Nazarenus, & ſignificat accolam ciuitatis, quæ dicitur Nazareth. Sed quare (inquis) non dixit Nazarenus, cùm hoc eſſet uſitatius uocabulum ad ſignificandum ciuem ipſius Nazareth, ut etiam titulus crucis, ſcilicet Ieſus Nazarenus, oſtendit? Ad hoc reſpondetur, quod prophetæ per ly Nazaræus uoluerunt duo importari, quæ per ly Regula. *Nazarenus non importantur. Vnde hic Regulæ illius iam alibi dictæ memor eſſe debes, quod ſcilicet quando uſitatius uocabulum à canonicis libris dimittitur, & huius loco inuſitatius affertur, tunc ibi myſterium aliquod latet, ideſt myſterij ſignificandi gratia hoc fit. At quod eſt myſterium (inquis) in hoc loco; cuius denotandi gratia commutatio iſta uocabulorum facta eſt? Iam tetigimus, quòd ſcilicet ly Nazaræus duo, ly Nazarenus autem unum tantummodo ſignificat. Nazarenus namque ciuitatis Nazareth incolam ſignificat, & nihil aliud. Nazaræus uerò & hoc (ut ex Matthæo ſupra habuimus) denotat, & ſanctificationem peculiarem in præſenti capitulo deſcriptam. Cum itaque prophetæ dominum noſtrum Chriſtum Nazaræum appellarunt, & cuius ciuitatis indigena, & cuius ſanctificationis poſſeſſor, futurus eſſet, intimare uoluerunt. Ad rem ergo noſtram. Cùm iſti Nazaræi domini noſtri Chriſti figura fuerint etiam nominaliter, uidere oportet, in quo iſta figura conſiſtit, & in quo non. Figura namque (hoc ſit pro regula uniuerſaliſſima) tenet ſemper in aliquo; ſed nunquam in omnibus. Vt autem id uideamus diſtinctius, per concluſiones ſignabimus, quæ nobis circa prædicta occurrunt.*

Text. A Vino, & omni quod inebriare poteſt, abſtinebũt.

Concl. 1. *Chriſtus dominus nunquàm inebriatus eſt.* [Ex eo]

Ratio. FIGVRA iſta de Chriſto fuit. Cùm igitur Chriſtus uinum, acetumque biberit, & forſan uuam aliàs ac hic prohibita, reſtat, vt de Chriſto uerificetur tantùm quoad hoc, quòd. ſ. nunquam inebriatus eſt. Pro tanto itaque Nazaræus fuit figuratus: licèt Nazaræus figuralis plura quo ad litteram ſeruaret. Quòd autem Chriſtus & uinum, & acetum biberit; patet ex Euangelio, ubi dicitur, quòd bibit uinum in ultima cęna, & quòd potio acetoſa ſibi in cruce ſitienti data fuit. Licèt uerò ibi dicatur, quòd cum guſtaſſet, noluit bibere, habetur tamen inde, quòd eam guſtauit, id quod eſt quoddam bibere. Quod autem forſan. i. probabiliter comederit uuam alia uè hic Nazaræis figuralibus inhibita, probatur ex doctoribus, maximèque Diuo Thoma. Hic enim. 3. q. 40. ar. 2. apertiſſimè fatetur, quod Chriſtus uita communi uixit. Cùm itaque communiter uiuentes uuam, aliaque hic Nazaræis uetita comederent, ſeu comedere poſſent, probabiliter patet, quod Chriſtus his aliquando veſcebatur. Dixi probabiliter, quia potuit aliundè fieri, quod his nunquam ueſceretur, nõ quidẽ ex eo, quod nõ cõiter uixerit; ſed ex eo, quod nõ eſt neceſſe cõiter uiuentẽ de quibuſcũque ſingularibus manducare. Ex cõi ergo cõuerſatione Chriſtus habuit, ut oĩbus his ueſceretur, ſed ex alia cauſa habuit forſan, quòd his nunquam uteretur. Niſi enim ex canonicis dictis, vel Eccleſiæ determinatione, uel Sanctorum Doctorũ communi conſenſu hoc de Chriſto habeatur in ſpeciali, quod. ſ. his nunquam uſus eſt, in probabili opinione prædicta affirmatiua propter rationem præmiſſam (determinationem. ſ. in tertia parte) uidetur ſiſtendum.

APPENDIX.

HINC babes, quod antiqua lex cito poſt Chriſtum erat deſitura. Hoc enim prophetando monſtrabat Chriſtus, monſtrareque intendebat, quando legem quoad aliqua non ſeruabat. Hinc uides in Euangelio, quòd aliquando non aſcendit in paſchate Hieroſolymam, ſed uadit in montem ad ſatiandum tot hominum millia de pauculis panibus. Hæc igitur, & ſimilia, tanquam propheta faciebat Chriſtus, qui uenerat legem adimplere, ut. ſ. quod in appendice diximus, prophetaret. Ad hunc etiam finem, licèt ipſe Nazaræus eſſet, vinum tamen &c. bibit &c. 1
Secundò habes, quòd poſt Chriſtum Nazaræi ad præſentem litteram non aſtringuntur, quãuis ad præſentis litteræ ſignificatum figuratum. Hinc eſt, quod Eccleſia Sancta Apoſtolos uocat Nazaræos ibi: Candidi facti ſunt Nazaræi eius. i. Chriſti primi Nazaræi; ad quos tamen Apoſtolos dixiſſe Chriſtum nouit; Manducate, & bibite, quæ apponuntur nobis. Per hanc ſiquidem Apoſtolorum nominationem inſinuauit Eccleſia, quòd iam uetus lex deſijt, quam Chriſtus antea factis deſituram prædixerat. Quid eſt huius litteræ ſignificatum figuratum, ad quod Nazaræi legis nouæ aſtringuntur Apoſtoli &c. & ſine cuius ſignificati obſeruatione Nazaræorum nomine falſo aſcriberentur? Poſt documenta concluſionum de Chriſto dicenda huic interrogationi per concluſiones ſubſequentes ſatisfacere conabimur. Hinc fiet, ut ueros Nazaræos nouos, qui ſint, agnoſcamus, & Nazaræi chriſtiani Nazaræum Chriſtum ſequantur. 2

OMni tempore ſeparationis ſuę nouacula non aſcendet &c. Text

Concl. 2. *Nunquam raſorium, ſiue nouacula, ſuper caput Chriſti aſcendit.* [Ex eo.]

DE Nazaræis figuralibus hic dicitur, quod in toto tempore ſeparationis ſuę nunquam raſorio ſuper caput uti debebant. Ratio.
Chriſtus autem Dominus noſter toto tempore uitæ ſuæ fuit Nazaræus. Quid eſt eſſe Nazaræum? Eſſe conſecratũ dño (ut in littera habetur) ad aliqua faciẽda, & aliqua uitanda. Nõne Chriſtus toto tpe ſuo fuit ſpecialiter Deo conſecratus ad oĩa mala culpæ fugienda, & omnia mala pœnæ ſuſtinenda? Vtique 3. q. 46. ar. 5. Hanc enim conſecrationem ab inſtanti conceptionis ſuæ incæpit, & hanc uſque ad ultimum ſpiritum cõſeruauit. Si igitur Nazaræus quiſque toto tempore ſeparationis prædictæ raſorio ſuper caput uti non debebat, ſequitur quòd Chriſtus nunquam huiuſmodi raſorio uſus fuerit.

APPENDIX.

HINC habes uerum eſſe id, quòd de Chriſto dicitur, quod ſcilicet habebat cęſariem. Cuiuſmodi autem fuerit cęſaries Chriſti oſtenditur in Epiſtula quadam Herodis ad Claudium Romanum Imperatorem circa ſtaturam formamque Chriſti; quæ Epiſtola ex Archiuis Romanorum deſumpta eſt, ut ibi dicitur, quam Epiſtolam ego ipſe uidi Mutilianæ in conuentu Sanctæ Mariæ grauarum. M D. LXXIII. Quid habet illa Epiſtola? Quod cęſaries Chriſti fuit diſtincta in ſeptem crines, ſiue cincinnos. Nec mirum. Nam hic modus cæſariei ab antiquis Nazaręis figuratus expreſsè fuit. In libro enim Iudicum (c. 16.) de Sanſone, qui Nazaræitatis Chriſti figura fuit apertior (fuit namque & Sanſon Nazaræus ex utero matris ſuæ), dicitur, quòd habebat ſeptem crines in capite, ideſt ſeptem cincinnos cęſariem totam diſtinguentes. Hi cincinni namque (ut reor) ſinguli intorquebantur more quo nũc uidemus aliquos capitis ſui capillos intorquere, & ſic à ſingulis diſtinguebantur.

SVper mortuũ non ingredietur &c. Text.

Concl. 3. *Nullus in præſentia corporali Chriſti in mundo uiuentis mortuus eſt.* [Ex eo]

NAZARÆIS figuralibus manere ibi, ſeu eſſe ibi, ubi quis mortuus erat, fuit ſtricto mandato prohibitum, nè contaminarentur, & conſecrationi ſuæ aliqua labes imputaretur. Ratio.

tur. Cùm ergo Chriſtus uiuens in præſentia multorum prius mortuorum fuerit, & tamen de Chriſto præſens figura uerificanda neceſſariò ſit, fateri oportet, ꝙ littera præſens hoc, quod nunc diximus, figurauit.

APPENDIX.

1 HInc habes, quare Chriſtus noluerit ad Lazarum mori turum accedere, quando per nuncium ab illius ſororibus uocatus eſt. Per hoc enim factum monſtrauit, ſe præſentis litteræ, iuxta figuratum ſenſum allegoricum, nolle contraire. Qui eſt ſenſus figuratus allegoricus præſentis litteræ?
2 Eſt ille, quem concluſio præſens explicauit. Secundò habes, quòd uniuerſaliter uerum eſt id, quod B. Martha in propoſito ſui fratris dixit ad Chriſtū. Dñe, inquit, ſi fuiſſes hic, frater meus nõ fuiſſet mortuus. Hoc ſiquidè uniuerſaliter de cūctis uerificabat, quod nullus præſente in uita corporea Chriſto moriebat, imò quod mori non poterat. Si namq; mortuus fuiſſet in præſentia tali Chriſti, Chriſtus (ut hic in figura dicitur) contaminatus fuiſſet, id eſt aliquo modo de impotētia ab aliquibus taxatus fuiſſet. Sicut itaq; ſi taliter fuiſſet ibi, Lazarus non fuiſſet mortuus; ita, ſi Chriſtus taliter fuiſſet ubiq;, nullus alicubi mortuus fuiſſet. Quare? Quia hoc per hanc litterā figuratum fuerat, & oportet (inquit Chriſtus) impleri omnia,
3 quæ ſcripta ſunt de me. Tertio habes cauſam, quare latrones cum Chriſto crucifixi uiuente Chriſto non mortui ſunt. Quod etiam eſt ſignum ueritatis eorū, quæ nunc dicuntur.

Not. ¶ Aliter ergo de figura, aliter de figurato (quod & ſimiliter alibi poteſt accidere) littera præſens uerificatur. De Nazaræis enim figuralibus uerificabatur hoc modo; quòd ſcilicet abſque contaminatione deſcripta mortuum inire non poterant; non autem, quòd nullus illis corporaliter præſentibus moreretur, aut mori poſſet. De Nazaræo autē figurato Chriſto modo dicto uerificatur, tūm & ad mortuos ingreſſus fuerit, & in ſui præmiſſa præſentia ſit nemo defunctus.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Hoc enim B. Marthæ dictum cùm Saluator qui errantes corrigi à nobis mandauit, nõ correxerit, per hanc taciturnitatem ſuam intelligendum reliquit, dictum Marthæ fuiſſe uerum. Et quia Martha de præſentia uiua corporali Chriſti in ſpecie própria loquebatur: ideò per hoc intelligēdum à taciturnitate Chriſti didicimus, ꝙ de ſua præſentia uiua corporali ſecundum propriam ſpeciem uerificabatur dictū Marthę præmiſſum. Vel ad ly (Euāgelium). Ego ſum uita Quomodo enim etiam de uita corporali Chriſti hoc intelligat, audiuimus. Ego (inquit) ſum uita. Ac ſi dicat. Nullus me in ſpecie mea uiuo corporaliter præſente unquam mortuus fuit; ſicut nec uita præſente alicui mors actualiter uenit. Vel ad ly &c.

Text. SVper mortuum non ingredietur.
Concl. 4. *Quemcunque mortuum corporaliter Chriſtus inuenit, ipſum reſuſcitauit.* [Ex eo]

Ratio. Hoc alio modo etiam uerificatur littera hæc, ſ. Chriſtus Nazaræus figuratus ſuper mortuum non ingredietur. Ac ſi dicatur. Vobis Nazaræis figuratiuis, ingredi ſimpliciter ad mortuū, prohibetur, quia illi ex ueſtra præſentia emolumentum uitę afferre non poteſtis, ab illo autem nocumentū propriæ contaminationis habere ualetis; Chriſto verò Nazaræo figurato, id non ſimpliciter inhibetur, quoniam ex ſuis mortui præſentia coinquinari non poteſt. Quomodo ergo de Chriſto id verificatur? Secundum quid. i. ut non ingrediatur ad mortuū ſine utilitate maxima mortui, ſiue abſq; hoc, ꝙ mortuo uitā conferat. Et ſic Chriſtus hanc litteram ſeruauit, cum ad nullum mortuum (ut ex Euangelio habetur) ingreſſus fuerit, quem non ad uitam reduxerit. Exemplum de Lazaro. de filio uiduæ, de filia archiſynagogi. Ad omnes enim hos, & ad alium nullum ingreſſus eſt, ac omnes hos reſuſcitauit. Quare? Quia ſic de Chriſto figuratum erat.

APPENDIX.

HInc habes à fortiori, ꝙ Chriſtus ad nullum peccatorem unquam ingreſſus eſt, quem, quantum in ſe fuit, non conuerterit. Non dico abſolutè, quòd omnem talem peccatorem conuerterit, ſicut dixi de reſuſcitatione corporali. Nam ad conuerſionem liberum noſtrum arbitrium neceſſariò concurrit, ad uitam uerò corporalem, non. Item. Liberum noſtrum arbitrium conuerſioni ſępè repugnat, & ad uitam ſpiritualem capeſcendā uenire non uult, quod liberum arbitrium, etiam quod neceſſariò ad uitam corporis habendam exigeretur, nunquam non uitæ corporali rehabendæ conſenti. Quia igitur non animæ uitam, ſicut corporis, deſideramus; ideo dictum eſt diuerſimodè de Chriſti ingreſſu ſuper mortuum, quantum ad uitam corporalem, & quantum ad uitam ſpiritualem mortuis illis ſeorſum conferendam. Dixi autem, quòd, quantum in Chriſto ipſo fuit, omnes peccatores inuentos cōuertit, quod oſtendunt Euāgeliſtæ. Hoc enim ſignificabat illud, ꝙ Chriſtus ad iudæos commenſales ſemper uerba uitæ dicebat, quòd ſemper ad quoſcunque peccatores ſalutaria monita dabat, quòd ſingulos delinquentes & dulciter, & acriter, & doctè, & arguendo, & obſecrando, & increpando, (prout opus erat) eos alloquebatur in prædicatione ſua ſanctiſſima. Secundò habes à ſimili conſequenter, quod & nunc, & ſemper Deus, quantum in ſe eſt, omnes peccatores conuertit, & quòd ſic intelligitur illud; Vult omnes homines ſaluos fieri. Nam ſicut in carne poſitus uiſibili nulli peccatori de ſalutaribus documētis deerat, id quod erat, quantum ex ſe fuit, omnium ſaluatio; ità nec nunc in carne glorioſa poſitus alicui de cōferentibus ad cuiuſque ſalutem unquam deerit. Nam Dominus noſter Ieſus Chriſtus (teſte Apoſtolo) heri, & hodiè, & in perpetuum. Hoc eſt. Chriſtus heri. i. in uita p̄ſenti uiuēs, fuit imago eius, quod acturus eſt hodie. i. diebus noſtris, & uſque in perpetuū. Vnde ait Chriſtus: Ego ſum uia. Hoc eſt in propoſito. Vita mea in præterito, & actiones circa peccatorum conuerſionē ſunt norma ſeu ſigna eorum, quæ circa illorum conuerſionem ſemper acturus ſum, ita quòd quæ circa hanc gero in humanitate ſunt ſigna eorum quæ ſemper geſſi, & ſemper gerā in diuinitate. Huiuſmodi ergo ſunt ſigna & rememoratiua, reſpectu ſcilicet in diuinitate geſtorū, & pronoſtica, reſpectu ſ. in diuinitate gerendorū. Tertiò habes, quomodo intelligas dictum Chriſti ad Cēturionem, ſ. Ego ueniam, & curabo eum. In propoſito enim ſic intelligitur. Mea præſentia corporalis erit prohibitio mortis ſerui tui, & cauſa curationis. Sed quare Chriſtus non curauit omnes infirmos, quos reperit (ut patet de iacentibus in quinque porticibus piſcinæ), ſi ſua præſentia corporalis fuit cauſa curationis? Si enim ſerui Centurionis fuiſſet talis cauſa, a ſimili fuiſſet talis cauſa aliorum infirmorum curationis. Quod quia non uidemus (ut de porticibus exemplificatum eſt), ideò uidetur, quòd præſentiæ ſuę corporali tanquam cauſæ aſcribi nõ debeat curatio ſerui Cēturionis. Ad interrogationē iſtam ſatisfit dicendo, ꝙ huiuſmodi curationes egit Chriſtus in typū liberi arbitrij noſtri reſpectu ſanitatis ſpiritualis recipiendæ. Hoc ſignificauit ipſe, quādo ad lāguidum piſcinæ dixit: Vis, ſanus fieri? Quaſi diceret. Quòd ad meam corporalem præſentiam aliqui ſanentur, aliqui non, ſignificat, liberum arbitrium hominis eſſe uarium. Quemadmodum igitur ideò ad Chriſti præſentiam corporali omnes mortui ſuſcitabantur, quos uiſitaſſet, ut uirtus præſentiæ Chriſti probaretur; ita ideò ad eandem præſentiam aliqui curantur, aliqui non, ut uolubilitas arbitrij noſtri liberi figuraretur. Hoc autem ultimum tantò magis uerum eſt, quantò magis mortuum reſuſcitare difficilius eſt, quàm infirmum curare. Quomodo ergo non omnes ægrotos ad ſui præſentiam ſanaſſet, qui defunctos omnes reſuſcitauit, ſi uirtus tantummodò præſentiæ, & non arbitrij liberi uarietas, attenderetur? Quartò habes, quomodo intelligas repræhenſionem Chriſti ad Regulum, ſcilicet niſi ſigna uideritis, non creditis. Repręhenditur enim Regulus non quia uirtutem corporali præſentiæ tribuat curandi infirmos; ſed quia uirtutem hanc ad corporalem tantùm Chriſti præſentiam arctari credit, quaſi quòd Chriſtus curare nõ poſſit, niſi corporaliter adſit. Hoc modo Doctores intellige, qui hāc Chriſti ad Regulum repręhenſionem tractant.

Text. COnſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt.
Conclu. 5. *Saluator noſter unctus eſt oleo præ omnibus Nazaræis; & conſequenter præ omnibus participibus ſuis.* [Ex eo.]

Ratio. Ideircò ſuper caput Nazaræorum conſecratio Dei ſui dicebatur eſſe, quia oleo ſancto ungebatur illorum caput in die, quo dño conſecrabātur. Cum igitur figuratum magis ungi in caput debeat, patet, quod Chriſtus magis in capite

unctus

unctus eſt, quàm Nazaræi cæteri. Quid autem prætendebat unctio iſta? Gratiam Dei. Hæc ideò dicitur unctio, quia mollificat nos, facitq; mobiles agiliter ad motum ſpiritualem. Hæc ideò dicitur dari in capite; & quia recipitur in anima, quæ eſt pars hominis ſuperior, atque perfectior; & quia per Chriſti merita, cui per fidem coniungebantur, eis dabatur gratia; & quia Chriſtum gratiam præ omnibus abundantiorem habiturũ facto iſto figurabatur (Chriſtus enim eſt caput omnium maximè fidelium, & iuſtorũ. 3.q.8.ar.3.) quam iuſtitiam Nazaræi tunc profitebantur. Quia uerò non ſolum Nazaræis, ſed & quibuſcunque datur, per merita Chriſti gratia donatur, & propter quod unumquodque & illud magis (teſte philoſopho 1. Poſter.), ideò Chriſtus non tantũ præ Nazaræis, ſed etiam præ omnibus participibus ſuis. i. præ omnibus gratiam quocunq; tempore participantibus, oleo lętitię unctus eſt ſecundum humanitatem a Deo. i. pleniorẽ gratiam (hæc eſt oleum lætificans cor, & carnem, Pſalm. 27. 83.) habuit. Gratiam ergo Dei habuit Chriſtus maiorẽ, quàm omnes Nazaræi habuerint.

APPENDIX.

1 HInc habes, quòd Saluator noſter iure uocatur Meſſias anthonomaticè. Quare? Quia hoc nomen Meſſias in-
2 terpretatur gręcè Chriſtus, & latinè unctus. Secundò habes, quomodo intelligas prophetam ibi ad Chriſtum; Vnxit te Deus Deus tuus oleo lętitiæ præ conſortibus tuis. Sic enim intelligimus, q. ſ. Chriſtus habuit gratiam abundantiorem præ omnibus abſolutè in gratia exiſtentibus. Vndè ſciuit hoc propheta? Ex figura illa Nazaręorũ id cognoſcere potuit, qui in capite ungebantur, ac per hoc oẽs gratia habituros figurabat
3 modo prædeclarato. Tertiò habes, q Euang. Io. figurã hanc ibi expreſſit, ubi dixit, q Chriſto data fuit gratia non ad menſuram. Quid eſt, non ad menſuram? Non ſecundum portionem, qua dabatur alijs. Quare? Quia Chriſtus figuratum, alij Nazaręi figurę. Vide de gratia Chriſti 3.q.7.8.arti.&c. & Compen. Alber. Mag. lib. 4. cap. 14. Schol.

Text. OMni tẽpore ſeparationis ſuę &c.

Concl. 6. *Saluator noſter omni tempore uitæ ſuæ fuit à cuiuſcunque peccati labe immunis.* [Ex eo]

Ratio. QVANTO tempore Nazareus quis erat, tanto tempore à conſortio uulgarium manebat ſeparatus. Chriſtum autem fuiſſe Nazaræum toto uitæ ſuæ corporalis tempore cùm dixerimus, patet; quòd in toto illo tempore fuit ab aliorum conſortio ſegregatus. Cùm autem non fuerit ab hoc iuxta conuerſationem corporalem diuiſus, reſtat, ut iuxta conuerſationem moralem ſegregatus ab alijs intelligatur. Quid eſt autem eſſe ſegregatum iuxta cõuerſationem moralem ab alijs; niſi non eſſe ſecundum mores aliorum? Mores uerò aliorũ cum eſſent uitioſi; utpote eſſent mores hominum peccatorũ, relinquitur, quòd Chriſtus non fuit unquam peccator, utpote ab illis modo dictò ſeparatus.

Not. ¶Hoc modo. ſ. de ſeparatione iuxta moralem conuerſationem intelligas Apoſtolum, cùm dicit ad Heb. Chriſtum Põtificem noſtrum fuiſſe ſeparatum à peccatoribus. Item cùm dicitur nobis à quodam propheta, ut ſeparemur ab alijs, & ex illis exeamus. Item cum per Pſalmum cuique dicitur: obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Item cũ dicitur de ſacerdote (ad hebræos), q debet eſſe ex hominibus aſſumptus, idest ab alijs hominibus, quãtum fieri poteſt, ſeparatus. Item illud Apoſtoli ad Romanos primo: Segregatus in Euangelium. Vbi denotauit, q prædicatores Euangelij debent ab alijs eſſe ſeparati, debent, quantum fieri poteſt, a peccatis eſſe abſtinentes. Quo & modo intelligitur illud Apoſtoli: Nolite conformari huic ſeculo. Nam uiuentes in ſeculo ut plurimũ ſunt peccatis irretiti, a quibus pro uiribus ꝑdicatores, ac huiuſmodi perfectionem profitentes, immunes eſſe debent. Hoc intellexit dominus principaliter, qñ dixit ad Abraham Gen. 12. Egredere de terra tua &c. licèt etiã corporalẽ egreſſionem intelligerat. Idem dicas de egreſſione filiorum Iſrael de Ægypto à Deo præcepta, & de alijs huiuſmodi. Item cùm ad ſolitudinẽ hortamur, & ſolitaria uita laudatur, illud principale principaliter laudatur, quaſi dicatur: Ideò ſolitudinẽ corporalem laudo, quia hæc eſt uia ad ſolitudinem ſupradictam moralem. Aliàsquin ſolitariè uiuens aliter eſt beſtia, & ſolitudo beſtialitas; niſi. ſ. ad morum ſolitudinem ordinetur 2.2.q.188.ar.7.ad quintum. Quæ, ſi ad hanc ordinetur, eſt uita diuina, & ſolitarius eſt participatiuè Deus. ibid. Hinc philoſophus (ut alibi dictũ eſt) de ſolitario duo ualdè oppoſita faſſus eſt. ſ. homo ſolitarius aut Deus aut beſtia. 1. Polit.

¶Applica ad ly (Euangelium) Quis ex uobis arguet me de peccato? Vbi oſtendit ſe Chriſtus fuiſſe ſeparatum ſemper ab hominum conuerſatione, ſecundum mores. Omnes enim homines erant peccatores. Vel ad ly &c.

Text. CVm dies, quos ex uoto decreuerat, complebuntur; adducet eum ad oſtium tabernaculi, ut offerat &c.

Concl. 7. *Chriſtus completo conſecrationis ſuæ tempore à ſacerdotibus offerendus erat domino, & occidẽdus extra tamen, ſed propè Hieruſalem.* [Ex eo.]

Ratio. COMPLETIS diebus conſecrationis Nazaręi, offerebatur à ſacerdote Nazaręus ipſe domino ad tabernaculi oſtium, qui ſacerdos etiam immolabat animalia pro peccato ſimul, & in holocauſtum. Quando completi fuerunt dies cõſecrationis Nazaræi Chriſti: Quando completi ſunt dies uitæ corporalis eius. Tunc quid factum eſt? Chriſtus oblatus eſt a ſacerdote, quoniam ad iuſtitiam ſacerdotum Iſraelitarum captus, paſſus, crucifixus, & mortuus eſt. Oblatus autem occiſus eſt, id quod horum animalium occiſio, in oblatione Nazaręi, figurabat. Oblatus autem eſt ad oſtium tabernaculi fœderis, quando non intus, ſed propter ciuitatem Hieruſalem occiſus eſt. Oſtium enim eſt propè ingreſſum, licèt exiſtens ſuper oſtium non ſit intra domum: Et ciuitas Hieruſalem eſt illa, de qua ratione templi dictum fuit; Ecce tabernaculum (Apocalypſis) Dei cũ hominibus. Oblatus demum fuit domino, qñ in feſto maximo domini, i. in Paſcha, occiſus eſt.

EXAMEN.

DICITVR uerò à ſacerdotibus oblatus domino, non quidem ſecundum intentionem ſacerdotum; ſed ſecundũ factum. Non enim intendebant neque reuera putabãt ſacerdotes (De ſcientibus loquor, ſtando tantùm in ſcientia, qui ſcilicet Ieſum eſſe Meſſiam nouerant 3 q 47.ar.5.) mortem Chriſti placere Deo. Et tamen ſeuera Deo mors ipſa ex parte Chriſti patientis, quamuis nõ ex parte illorum, Deo placebat. Quod ergo ipſi fecerunt, cõſiderata charitate, & obedientia Chriſti patiẽtis placuit Deo 3.q.48 art.3. licèt intentio facientium, & cõſequenter factum idem intentione illorũ ueſtitum, ſummopere diſplicuerit Deo 3.q.47.ar.6. Ad hoc ſignificandum oblatio antiqua iſta uocabatur partim hoſtia pro peccato, partim uerò hoſtia pacifica. Et omnium ex Iudæorum parte fuit hoſtia Chriſtus pro peccato, nõ tamen ita quòd ipſi hoc ſacrificiũ obtulerint. 3.q.48.ar.3.ad 3. ſed quia maximè in occidendo illum peccarunt (Ideò dicitur pro peccato abſolutè); ex Chriſti parte uerò hoſtia eadem fuit pacifica, pacificans, ſiuè quæ in cœlis ſiuè quæ in terris, Domino. Ad hoc etiam ſignificandum ſacerdotum manus ſanguine antiquarum hoſtiarum oblatarum maculabantur (lauando ſcilicet eas, occidendo &c.); & tamen oblationes hoſtiarum earundem dicebantur eſſe acceptiſſimæ Deo.

¶Applica ad ly (Apoſtolus) Extra portam (en oſtium extra domum) paſſus eſt Vel ad ly (Euangelium) Prope erat locus, ubi crucifixus eſt Ieſus: ergo erat ille locus tanquam oſtium reſpectu Hieruſalem. Vel ad ly (Euangelium) Extra uineam. Extra & propè uineam: ergo ad hoſtium uineæ, quę uinea erat ciuitas Hieruſalem denominando totam Iſraelis domum à metropolitano loco, oblatus eſt Chriſtus. Vel &c.

Text. ET faciet tam pro peccato, quàm in holocauſtum.

Concl. 8. *Paſſio Chriſti fuit & meritoria, & ſatiſfactoria.* [Ex eo.]

Ratio. PASSIO Chriſti ſimul pro peccato fuit, & in holocauſtum. Pro peccato dicitur fuiſſe, inquantum pro omni abſolutè peccato plenè ſatisfecit, etiam pro peccato crucifigentiũ &c. In ſignum huius centurio crucifixor eius tunc à peccatis ad Chriſtum conuerſus eſt; Longinus lanceator; latro prius ſecundum Hieronymum. Chriſti blaſphemator. Pro holocauſto autem fuit, inquantum meruit & ſibi gloriam, & nobis gratiam, atque utriuſque hominis gloriam; quòd totum, ut holocauſtum, cedit in honorem Dei.

Corol. ¶Ergo Chriſti paſſio & inquantum pro peccato fuit, & inquantum pro holocauſto, infinitæ uirtutis extitit. Nam & peccatum infinitum ponderis eſt, & gratia, necnon gloria infinitatem quandam dicunt. His ſi adiunxeris, ꝙ peccata non tantum ratione ponderis infinita erant, ſed etiam ratione numeri, uidebis ꝙ paſſio Chriſti pro peccato pluſquam infinita fuit. Paſſio enim ſua non uni tantum peccato, ſed numero infinitis, delendo fuit; cùm non tantùm pro noſtris, ſed etiã pro totius mundi culpis fecerit ſatis, & ſuperq́ue fecerit. De prædictis uideas 3.q.48. ar.1.2.6.& q.46.art. 12.

¶Applica ad ly (Euang. cũ Apoſtolo) Ecce qui tollit peccata mundi; & Propter quod exaltauit illum, & donauit &c. En; inquantum tollit peccata mundi, eſt ſatisfactoria, inquãtum exaltationem ſui meruit, eſt meritoria. Vtrunq́ue hoc (ad habentes) expreſſit Apoſtolus, cum dixit; Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis (Ecce, ꝙ non omnes à peccato iuſtificantur, uel ad ſalutẽ adducuntur, per paſſionem Chriſti; ſed tantum Chriſto obtemperantes contra hæreticos), appellatus à Deo Pontifex. Si Pontifex per conſummationem illam; Ergo per illam exaltari meruit, & honorari; cùm Pontifices (ſecundum Apoſtolum) duplici honore digni habeantur. Vel ad ly &c.

Text. TVnc radetur Nazaræus, &c. Cæſarie conſecrationis ſuæ.

Concl.9. *Chriſtus tempore ſacratiſſimæ paſſionis ſuæ fuit multo furore miniſtrorum, capite depillatus, atque barba.* [Ex eo.]

Ratio. MANDABATVR, ut Nazaræus expletis diebus, quos ex uoto decreuerat, raderetur cæſarie conſecrationis ſuæ. Per raſuram illam antiquam quid fiebat? Auferebatur ad cutem uſque tota cæſaries Nazaræi; figurabatur itaq; per hãc raſuram; quòd ad cutem uſque, imò (ut figuratum more ſolito figuræ præſtet) ad radices uſque infra cutem, tota a Chriſto cæſaries tempore ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis auferenda erat. A ſimili quoque figurabatur, quòd Chriſti barba expillanda radicitus eſſet. Barba enim Chriſti, ſicut & cæſaries, erat conſecrata, id quod in alijs Nazaræis non uerificabatur, niſi de cæſarie. Et ideò non mirum, ſi aliorum Nazaræorum ſolummodo caput radebatur. Nam ſolum caput eorum erat conſecratum; non autem barba. Quòd ſi barba conſecrata fuiſſet illorum; fuiſſet eadem ratione raſa. Radebatur namq; ut tempus eorum conſecrationis impletum oſtenderetur. Quia ergo barba quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti conſecrata erat, ideò eadem ratione, qua caput, depillanda fuerat; ut ſcilicet tempus ſuæ conſecrationis ad opera noſtræ ſalutis explenda ſignificaretur expletum. Vtriuſque igitur expillationis in Chriſto cæſaries Nazaræorum raſa extitit ſignum. Ponebantur uerò capilli Nazaræorum raſi ſuper ignẽ. Quare? Vt figuraretur modus dominicæ depillationis, ꝙ ſcilicet talis modus fuit ex parte miniſtrorum uiolentiſſimus. Hoc eſt, ꝙ miniſtri cum maxima uiolentia Chriſti capillos utroſque extrahebant, ſeu euellebant. Ignis namque tribulationem maximè uiolentam ſignificat, eo, quòd inter omnia elementa in tribulando, in uim inferendo, & ueloriter quidẽ, primatum tenet. Vndè figuratur quoque per poſitionem capillorum ſuper ignem, quòd ueloriſſimè, id eſt certatim atq; glomeratim, tali expillationi inſiſtebant. Beatum enim ſe reputabat, qui prius alijs Chriſti capillos extorſiſſet, & plus de capillis illis eradicaſſet.

Vide dolorẽ meũ Tren.1.

Text. CVm dies, quos ex uoto decreuerat, complebuntur &c.

Concl. 10. *Chriſtus ex magna uoluntatis auiditate motus eſt ad exequendam noſtram ſalutem per tot ſuos labores, ærumnas, paſſiones &c.* [Ex eo.]

Ratio. VOTVM importat uoluntatem non quamcunque, ſed uoluntatem bene firmatam ad faciendum aliquid. Chriſtus (ut hic ſub figura dicitur) dies ſuos nobis conſecrauit non quomodocunque, ſed ex uoto. Noſtram ergo ſalutem uenit operari & uoluntariè, & maximè uoluntariè. Quomodo operatus eſt noſtram ſalutem? Laborando, prædicando, patiendo, &c. Reſtat igitur, ut omnia hæc ſuſtinuerit Chriſtus propter nos pluſquam uoluntariè.

¶Applica ad ly (Euangelium) Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare nobiſcum. Si deſiderauit hoc Paſcha manducare: ergo deſiderauit approximare tempori paſſionis. Nam hoc Paſcha fuit viciniſſimum Paſſioni. Deſiderabat ergo Chriſtus, & deſiderio deſiderabat, id eſt maximè deſiderabat, immolari pro nobis; & hoc; quia ad ſic faciendũ, ſeu ad conſecrandum nobis uitam ſuam, ex uoto decreuerat. Vel ad ly &c.

Text. AB omni, quod inebriare poteſt abſtinebunt &c. Creſcente cæſarie conſecrationis ſuæ &c. ſuper mortuum non ingredietur &c. Tempore conſecrationis ſuæ &c. Adducet eum ad oſtium &c. vt offerat oblationem &c. Arietem immolabit &c. ex uoto decreuerat &c. vt ſanctificentur.

Concl.11. *Apoſtoli, ac ſimiles, nunquam inebriati fuerunt. Cæſariem nutriebant; mortuos ſuſcitabant, & conſequenter minora alia miracula faciebant; nobis, id eſt ad utilitatem noſtram, ſuam uitam & doctrinam uſque in finem conſecrarunt; paſſiones pro noſtra utilitate libenter à ſacerdotibus, & primatibus alijs ſuſceperunt; ac tandem pro nobis libentiſſimè animam ſuam poſuerunt; & Dei gratiam habuerunt plenius.* [Ex eo]

Ratio VIDE omnia ſupradicta de Chriſto à prima concluſione uſque ad nonam, & hic applica proportionaliter. Secundi enim Nazaræi dicuntur analogicè ad primum Nazaræum. Primus Nazaræus Chriſtus, ſecundi ſunt Apoſtoli, & ſimiles. Vnde ſicut de Chriſto uerificantur omnia dicta de Nazaræis antiquis, ſecundum tamen ſignificatum allegoricum, ita de Apoſtolis ac ſimilibus iuxta ſignificatum allegoricum uerificantur omnia, ſecundum tamen proportionalem conſiderationem. Et hoc eſt, quod ſupra de ſecundis Nazaræis nos dicturos promiſimus, in fine primæ concluſionis.

NOTATIO.

PRAEDICTA Nazaræis ſecundis attributa intellige de Apoſtolis poſt diem Penthecoſtes; & de alijs pro tempore, quo ſancti fuerunt. Rurſus. Per inebriationem peccatum omne mortiferum intelligas. Per nõ ingredi ſuper mortuum mortuorum ſuſcitationem; & conſequenter quorumuis aliorum miraculorum operandorum poteſtatem. Per conſecrationem illam, ordinationem totius uitæ ſuæ, atque doctrinæ ad noſtram utilitatem. Nam & exemplo, & uerbo nos omnem ueritatem pro ſalute noſtra facientem edocuerunt, omnemq́ue falſitatem dedocuerunt. In die enim illo Pentecoſtes Spiritu Sancto repleti ſunt ad intelligẽdam, edocendamq; uiam ueritatis. Per oblationem a ſacerdote paſſiones Apoſtolorum à magnis perſonis habitas. Nam boni, ut hic ſacerdos, ſunt quandoque figura malorum, & è contra, ut docet Sanctus Thomas in poſtilla ſuper Matth.1, ly Ex ea, quæ fuit Vriæ. Per immolationem illam, mortem pro nobis, ut paſtores pro ouibus à Chriſto olim redemptis ab Apoſtolis ſuſceptam. Per unctionem capitis, gratiam abũdantius cæteris habitam. Per hoc, quòd ex uoto Nazaræus iſta faciebat, intelligitur, quòd Apoſtoli, cum ſuis ſimilibus, ualde libenter iſta omnia prædicta fecerunt. Aduertendum quoque diligenter eſt, quòd antedicta ſicut magis de Chriſto, quam de Apoſtolis uerificantur, ita magis de Apoſtolis, quã de alijs quibuſcunque ueritatem habent. Hoc autem magis, & minus eſt idem, quod proportionalis conſideratio: de qua ſupra in ratione concluſionis.

Sup Leuitic.21.c&el.2 exa. 1 per errorem eſt impreſſũ ly dedocẽdã pro edocẽdã emendatu.

¶Applica ad ly (Scriptura) Candidi facti ſunt Nazaræi eius. Vel ad ly &c.

Text. IVxta quod mente deuouerat, ita faciet ad perfectionem ſanctificationis ſuæ.

Concl.

Concl. 12. *Tantum obligat uotum, quantum intendis te obligare ex uoto, non plus, nec minus.* [Ex eo]

Ratio. DICITVR à Deo, ut uouens faciat iuxta id quod mente deuouerat. Mens ergo uouentis eſt regula ſecundum quã in uoto ſuo explendo regulari debet uouens. Ratio eſt, quia uotum eſt propriè de operibus ſupererogationis. Vnde, cùm ad illa opera non ſim obligatus reſtat, ut ad illa nõ obliger, niſi quantum ego intendo. Ego enim tunc ſum obligans me, & nullus alius.

Coroll. ¶ Ergo iſtud concluſionis documẽtum uerificatur ſolummodo de uotis, quæ fiũt circa opera ſupererogationis; nõ autem de uotis, ſi qua fiant, circa opera præceptorum. Verbi gratia Si quis uoueat ieiunare quadrageſimã; tenetur ab ouis caſeoque abſtinere, licèt hoc non intendiſſet. Ratio eſt, quia ad quadrageſimam totam ſeruandam tenetur ex præcepto; & conſequenter non poteſt illam obligationem uariare per uotum ſuum, licèt eam confirmare poſſit. Sed (ut diximus) uotum propriiſſimè nõ fit de neceſſariò ſeruandis, ſed de cõſilio. Ergo litera iſta de uoto tãtùm propriiſſimè dicto loquitur; & ideò illius obligationis qualitatem, quantitatemque ex uouentis mente pendere decernit. Ergo omnes, qui ſunt extra mentem poſiti, à uoto faciendo reijciuntur. Si enim uoti obligatio à mente dependet; quomodo is, qui mentis uſu caret, uouere poterit? Furioſi ergo, pueri ante rationis uſum, ac ſimiles, uouere non poſſunt.

Text. CONuertat uultum ſuum Dominus ad te; & det tibi pacem.

Concl. 13. *Exiſtentes in gratia Dei, & in gloria, pace undique perfruuntur maxima.* [Ex eo.]

Ratio. TVNC conuertit dominus uultum ſuum ad nos, quando dat nobis cognitionem ſui. Sicut in experiẽtia patet, quando aliquis uultum ſuum ad nos conuertit, dat nobis facultatem cognoſcendi ſeipſum per hoc. Cognitio autem qua Deũ cognoſcimus duplex eſſe poteſt. ſ. ſpeculatiua tantùm; ſpeculatiua & affectiua ſimul. Cùm autem in potiori ſignificato ſumenda ſint uocabula in ſacris literis, niſi aliud obſtet per cõtextum, dicendum eſt, quod cognitionem Dei filijs Iſrael exoptatam cognitionem affectiuam cum ſpeculatiua debemus intelligere, ita ſ. quòd affectiua principalius intendatur, quàm ſpeculatiua. Hæc uerò cùm non poſſit perfectè, ac meritoriè haberi, niſi habeatur gratia, quę animã in Deũ prædicto modo afficit, conſequenter cognitio prædicta gratiam ſui comitem indiuiduam importat. Tunc ergo dominus uultum ſuũ ad nos taliter conuertit, quando gratiam ſuam nobis elargitur. Quod ſi uerum eſt: ergo magis faciem ſuam tunc ad nos conuertit, quando gloriam nobis confert; in qua facie reuelata uidetur. Conuertat (inquit) Dominus uultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Ergo dатio tùm gratiæ, tùm gloriæ, animarum noſtrarum pacificationem adducit.

EXAMEN.

DE exiſtentibus in gratia dixit Pſal. Pax multa diligentibus legem tuam domine: & de exiſtentibus in gloria, Qui poſuit fines tuos pacem. Quare pax multa? Quia nulli, quę adeſt pax gratiam Dei habẽtibus in actu exercito, i. & eã habentibus, & ea bene utentibus. Gratia namque Dei eſt quædam imago atque impreſſio Dei in anima noſtra. Vnde & Dei proprietates participat. Sicut ergo Deus undiq; pace ſũma perfruitur, et quod tot mala culpę, tot mala pœnę, tot rerum uarietates, tot ſui offenſas, tot &c. uideat, ita in gratia exiſtẽs modo prædicto pacem tantam habet, ut à nulla re ſibi occurrente eius pax intercipi poſſit. Sicut enim ſol in ſeipſo nullam patitur iacturã per hoc, quòd nubibus multis obijcique alterationib. mutatur aer ac denigratur, pluit, grãdinat, uẽtis concrepat & c. ita anima gratiam Dei modo prędicto habens nullam patitur damnificationem pacis per hoc, quòd multas uſurias, iniquitates in creaturis & ſui offenſas, & Dei offenſas, & proximorum ab inuicẽ calumniãs, et alia plura inconuenientia conſpicitur.

Exempl. Ratio eſt, quia affectus ſuus, quo ſolo pax cordis turbari poteſt, in altiori ſitus exiſtit, quàm iſtæ uariationes ſint. Dic mihi cur, ſol ob iſtis actus intemperiebus nullam, uel minimam, in ſeipſo uiciſſitudinem recipit? Certè (ſi ſapis) reſpondebis, quia ſol in alto poſitus ſupra nubes eſt, hęc uerò uniuerſa uel in nubibus, uel infra nubes, fiũt. Sic de anima modo præmiſſo gratificata intellige. Anima hæc in Deo ſuper omnes prædictas turbulẽtias exiſtente firmata eſt, & ideò ab iſtis inferioribus, ut quæ illuc non attingant, uariationem nullam patitur. Cuicunque igitur modo illo duplici narrato conuerterit Deus uultum ſuum, talis multam poſſidebit pacem. Ad hoc autem ſignificandum dicitur hic: Conuertat dominus uultum ſuum ad te, & det tibi pacem. ſ. multam, quæ non turbetur à ſcandalis. Licèt autem exiſtens in gratia turbari poſſit ab his, non tamen exiſtens in gratia & utens ipſa, ideſt dùm utitur ea.

APPENDIX.

HINC habes, quomodo intelligas illud ſcripturę dictũ; 1
Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Ergo ſumus ſtoici? Non. Sentit enim iuſtus motus inſurgentes: ſed tamen ita citò, ſi gratia utatur, illos deprimit, ut nullam pacis iacturam ex hoc bello in ſeipſo patiatur. Quid? Imò ex tali bello maiori pace à domino cuius militiam fideliter ſic motus reprimendo gerit, donatur, utpotè uictorioſus undiq;
exiſtens. Secundò habes, quomodo intelligas & illud B. Ioã 2
nis in prima canonica. ſ. Qui habet ſemẽ Dei in ſe nec peccat, nec peccare poteſt. Hoc eſt. Qui gratiam Dei habet, & ea utitur, ſiue (quod idem eſt) qui eam habet in actu exercito (iſtud eſt habere illam in potiori ſignificato); talis non peccat, nec peccare poteſt. Quare? Quia dum utitur gratia, ſemper benefacit; tantùm abeſt, ut tunc peccare poſſit. Cùm igitur animę pax non, niſi per peccatum turbari queat, uoluit ſic ad propoſitum noſtrum dixiſſe B. Ioannes. Qui habet gratiam Dei in actu exercito; tunc pacem habet, imò pacem non habere non poteſt. Quis autem in præſenti uita eſt, qui in actu exercito (ut ſupra declaratur) habet gratiã Dei in ſe, niſi is, ad quem Dominus uultum ſuum conuerterit in actu exercito, dando ſcilicet etiam efficaciter gratiæ uſum? Tali ergo donat pacem dominus, & multam pacem.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Pax uobis: Pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat. Ergo (ab oppoſitis) mundi pax conſiſtit in eſſe extra gratiam Dei; & conſequenter in peccatis; & conſequenter in ſatisfacere appetitui ſenſitiuo cõtra diuinam regulam. Iſta eſt pax peccatorum, quam uidens Dauid ſuper iniquos zelauit, i. maximè exarſit. Quare? Quia ſunt in bello, & peſſimo ſtatu: & credunt eſſe in pace, & bono ſtatu. Vnde de talium pace in libro Sapien. 14. dicitur: In magno uiuentes inſcientiæ bello tot, ac tanta mala pacem appellant. Vel ad &c.

Text. INuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael: & ego benedicam eis.

Concl. 14. *Inuocatio nominis Dei noſtri cauſat, benedictionem ſuper illum, ſuper quem inuocatur.* [Ex eo]

Ratio. QVASI dicat. Illud inuocare cauſabit benedictionem. Vbi etiam uides, quod nomen domini nunquam fruſtra inuocatur, ſi tamen in ueritate, ſecundum ſ. quòd decet, (ut certus intelligis) inuocetur. Vbi & uides, quòd miniſtris ſuis cõtulit quodammodo Deus, ut eorum dicere ſit quoddam facere. Ergo quodammodo fecit illos Deos, cùm ſolius Dei dicere ſit facere. Deos ergo miniſterialiter, nõ Deos naturaliter, illos fecit. Huiuſmodi ſunt, & multo magis ſacerdotes noui teſtamenti. Dicunt enim, & dicendo faciunt. Quid dicunt? Ego Baptizo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quid dicendo faciunt? Cor abluunt. Sed quia miniſterialiter tãtùm hoc faciũt, ideò hic dictum eſt, Et benedicam eis. Quaſi dicat. Auctoritate mea fiet, quicquid per uos fiet. Nam & in naturalibus inſtrumenti actio, quatenus inſtrumentum, agentis principalis actio eſt.

Vide. INuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael: & ego benedicam eis.

Concl. 15. *Actio miniſtrorum Eccleſiæ facta in perſona Dei ab ipſo Deo ratificatur in cœlis.* [Ex eo]

Ratio. IN perſona Dei, tanquam Dei miniſtri, benedicebant populo. In ſignum huius inuocabant nomen Domini ſuper populum. Quid fiebat? Deus benedicebat illis, quibus ſic benedixiſſet Aaron, & huiuſmodi. Quid apertius ad exprimendum uirtutem Eccleſiæ Sanctæ Dei? Benedictio Eccleſiæ igitur à Deo ratificatur, quã ipſa Eccleſia aliquibus in nomine

domini benedicit. Maledictio igitur (ab oppoſitis), quæ Eccleſia quibuſdam maledicit, à Deo ratificatur.

Not. ¶ Hoc eſt, quod ad Petrum, ad cæterosque proportionaliter, Chriſtus dixit, ſ. quodcũq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; Et quodcunque ſolueris &c. Et tantò plus de Petro, Eccleſiaque uerificatur concluſio præſens, quantò magis Petrus Aaronem, & Eccleſia ſynagogam præcellit.

Corol. ¶ Ergo auctoritas Eccleſiæ & amanda bonis, & timenda malis eſt. Ergo anathematizemus quicquid anathematizat Eccleſia, & approbemus quicquid approbat ipſa

¶ Applica ad ly (Euangelium) Tibi dabo claues regni cœlorum. Quid ſunt iſtæ claues? Benedictio Petri, maledictioque ab eo progreſſa, uerſus aliquem, quæ à Deo comprobatur. Attamen pro ampliori intellectu de clauibus, uide S. Tho. Addition. q. 17. 18. 19. 20. art. &c. cum Elucida. ubique. Vel ad ly &c.

Text. INuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael; & ego benedicam eis.

Concl. 16. *Intentio Dei, & conſequenter miniſtrorum eius, primaria, eſt nos benedictionibus replere, nõ autem maledictionibus.* [Ex eo]

Ratio. INTER Iſraelitas erant utique & mali, qui maledici à Deo merebantur; ſicut & erant boni, qui benedictionem meritò deſuper expectabant. Et tamen hic non dicitur, ꝙ Deus filijs Iſrael ratione malorum ſit maledicturus, ſicut dicitur, ꝙ eis ratione bonorũ ſit benedicturus. Aliud quoq; in præſenti littera notare potes, ꝙ. ſ. nullus eſt adeò malus, quin à Deo beneficium aliquod habeat. Et ideò, licèt Iſraelitarum multi eſſent mali; tamen uniuerſaliter dicit Deus; Ego benedicã eis. Quid eſt alicui benedicere; niſi beneficium ipſi conferre? Cùm igitur cuicũque peccatori beneficiorum quippiã donet Deus, atque conſeruet; clarum euadit, ꝙ omnibus benedicit. Vide bonitatem Dei tantam eſſe, vt etiam in peſſimos quoſque ſeipſam aliquo modo diffundat.

Corol. ¶ Ergo non uincitur Deus à malo, ſed uincit in bono malum. Ergo ſapientia uincit malitiam. Ergo bonum eſt ſicut oleum. Oleum namque cuiuis liquori ſupernatat, ſic bonitas Dei per peccatũ non ſtat, quin in nobis aliquo mõ diffundat.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Solem ſuum facit oriri ſuper malos, uel ad aliquod prædictorum &c.

Text. ET benedicam eis.

Concl. 17. *Nullus eſt adeò malus; ut à Deo beneficium aliquod non habeat.* [Ex eo]

Ratio. VIDE immediatè præcedentia, & ibi uidebis concluſionis huius rationem.

Not. ¶ Per malos (à ſimili) intellige hic etiam damnatos, ac dæmones. His enim à Deo conſeruantur naturalia. ſ. intellectus, uolũtas, memoria, intelligendi perſpicacitas, anima, corpus, eſſe, & eſſe immortale, ac ſimilia. Eſt ergo Deus in inferno, etiam quantum ad ſuam miſericordiam.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Semiuiuo relicto. Quare peccator dicitur ſemiuiuus, & non totaliter mortuus? Quia etiam in peccato exiſtens beneficia diuina (quę ſecundum ſe ſunt quædam uita, & quantum eſt ex ſe uiuere beneficiatum faciunt) retinet multa. Vel ad ly &c.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO VII.

Text. SInguli duces per ſingulos dies offerant munera in dedicationem altaris.

Concl. 1. *Templorum dedicationes ſunt à Deo ſolemniter inſtituta; & conſequenter orationes in templo conſecrato facta (cæteris paribus) ſunt Deo magis grata, quàm facta alibi.* [Ex eo]

Ratio. ALTARE ſolummodo dedicandum nunc erat; Et tamẽ cum quanta ſolemnitate dedicetur in littera patet. Primò ratione offerentium, qui erant duces: Secundò ratione munerum, quæ plurimi momenti erant, & ratione numeri, & ratione præcioſitatis. In muneribus enim conſideranda eſt ſubſtantia illorum, quantitas, qualitas. Subſtantia erat, puta Acetabulum, phiala, mortariolum, & huiuſmodi oblata; quantitas erat, puta illorum oblatorum numerus, pondus, magnitudo; qualitas erat, puta eſſe aureum, eſſe argenteum, ac huiuſmodi. Si uerò addideris, quòd à duodecim ducibus fiebãt duodecim huiuſcemodi oblationes; magnam fuiſſe altaris dedicationem conſpicies. Si uis autem talium munerum excellentiam mirabilem cernere, ad capituli huius penultimam ſententiam, utpotè oblationis totius prædictæ epilogum, oculos dirige. Hæc (inquit) in dedicatione altaris oblata ſunt à principibus Iſrael in die, qua conſecratum eſt &c.

APPENDIX.

HINC habes, à fortiori, quàm maioris ſolẽnitatis dedicatio templi debeat eſſe. Secundò, etiam à fortiori, habes, cum quàm maiori ſolemnitate dedicationes templorum chriſtianorum fieri debent, & a toto populo in magna reuerentia illa dies haberi, ac deuotione. Hæc dixerim, non tantùm quia antiqui principes hi exteriori cultûre noſtram figurabant anteriorẽ, ſed etiam quia donarijs tã precioſis noſtram interiorem (Hæc fide, ſpe, charitateque exercetur, quę uirtutes auro & argento &c. multo ſunt precioſiores) quaſi digito monſtrabant. Quantam ergo tunc in exterioribus ſumptuoſitatem uidebas, tantam te deuotionis internę pinguedinem Deo tuo offerre debere cognoſcito.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

PRAEDICTA Concluſio 1. (ut & 2.) cap. 7. deſtruit impios errores perperam ſentientiũ de templorum cõſecratione, & orationum in eis factarum ualore, de quibus, cum eorum damnatione, uide ſup. Gene. 12. conclu. 3. 5. & cap. 28. con. 3. 4. & cap. 35. con. 1. Item Exo. 19. con. 3. & cap. 26. con. 1. & cap. 39. con. 1. Item conſule Leui. 26. con. 1. & cap. 27. con. 5. Item num. 4. con. 1. Ex ijs uiciſſim confirmantur etiam concluſiones. Damnantur quoque errores illi ab Eccleſiæ uniuerſalis conſuetudine, cuius eſt maxima authoritas. Quã declarans S. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 12. dicit. Maximam habet authoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda; quia & ipſa doctrina catholicorũ doctorum ab Eccleſia authoritatem habet. Vnde magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quàm authoritati, uel Auguſtini, uel Hieronymi, uel cuiuſcunque Doctoris. Hæc ibi. Si ergo magis ſtandum eſt Eccleſiæ, quàm doctori cuique etiam catholico, quid dicemus? Eccleſiæ authoritas pluſquam ſatis eſt ad conuincendos hæreticos: & ei docenti unum magis incomparabiliter firmiſſimè ſtandum, quàm millibus hæreticorum, aut quorumcunque docentium, ſeu dicentium aliquid aliud. Conſueuit autem Eccleſia in anniuerſario die dedicationis templorum, ſic orare. Deus, qui nobis per ſingulos annos huius ſancti templi tui conſecrationis reparas diẽ, &c. præſta, ut quiſquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lętetur. Per Chriſtum &c. Ecce, ꝙ Eccleſia monſtrat orando, preces in templo conſecrato fuſas eſſe maximi ualoris. Eſt autem impium dicere, Eccleſiam facere aliquid uanum, ut notat S. Thom. in Addition. q. 25. artic. 1. corp. prin. Vbi & uide Elucid.

Text. CVmque ingrederetur Moyſes tabernaculum fœ. ad conſul. dominum, audiebat uocem loquentis.

Concl. 2. *Orationes factæ in loco conſecrato ſunt magis exaudibiles, quàm in loco non conſecrato.* [Ex eo.]

Ratio. POST altaris conſecrationem immediatè mentio de orationis

tionis moſaicæ exauditione facta eſt, & non tantum de qualicunque exauditione, ſed mirabiliſſima. Quare mirabiliſſima? Quia Deus loquebatur ſenſibiliter Moyſi, ipſumque pro negotiorum diuerſitate uocaliter docebat. De huiuſmodi exauditione cur nunquã ſic apertè ſcriptura meminit, & nũc poſt altaris dedicationem illam adducit in medium? Hoc ad ſignificandum, quod in concluſione diximus, factum eſt.

¶ Ergo ex rerum inanimatarum conſecratione, ſancta unctione, dedicatione, magna nobis ualdè prouenit utilitas. Ergo qui conſecrationem Eccleſiarum, altarium &c. deridét, utilitati maximæ chriſtianorum inuident. Ergo diſcrimen magnum ſatis eſt inter orationes factas in Eccleſia conſecrata, & ipſaſmet factas extra illam.

APPENDIX.

1 HINC habes à fortiori, quòd conſecrationes ſacerdotū ſunt Deo acceptiores, & ſacerdotibus ipſis utiliores. Si enim ex conſecratione rerum forinſecarum tantopere iuuantur; quantum, putas, ex ſuipſorum conſecratione referent
2 emolumenti? Secundò habes, quòd non mirum, ſi perſonæ conſecratæ (ut clerici) magis dicuntur exaudibiles à Deo in orationibus, quàm (cæteris paribus) perſonæ non conſecratæ. Ergo non mirum, ſi diabolus magis ad perſonas conſecratas accedere timet, quam ad non conſecratas.

Text. QVod erat ſuper arcam, & inter ſecundos Cherubin.

Concl. 3. *Per Sanctos Angelos multum pro noſtrarum orationum exauditione iuuamur.* [Ex eo.]

Ratio. PROPITIATORIVM dicebatur quaſi exauditorium. Ponebatur autem inter duos Cherubin, ut, quod nunc docemus, per talem ſitum innueretur. Et notandum, quòd, quando fit mentio de actuali exauditione Moyſi, tunc ſignanter de duobus Cherubin facta eſt memoria. Quare hoc? Vt hinc ſignificari intelligas, q ſancti Angeli tūc pro nobis ſpecialiter intercedunt, quando ſpecialiter exaudimur. Non tantum igitur pro nobis ſemper orant, quod ſitus talium abſolutè circa propitiatorium denotat, ſed toties in ſpeciali precantur, quoties in particulari exaudimur, quod talium prædicta mentio facta tempore exauditionis Moyſi importat.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd multum Angelis ſanctis obligati ſumus, tum ſemper, tum ſpecialiter: ſemper quidem, quia pro nobis ſemper orant; ſpecialiter uerò, quia pro ſpecialibus negotijs ſpecialiter nobis orationibus ſuis ſubueniunt. Se-
2 cundò habes, a ſimili, quòd interceſſio aliorum ſanctorum pro nobis datur, & ſemper, & ſpecialiter. Tertiò habes hic
3 expreſſum per figuram id, quod Ioannes in Apocalipſi ſine figura narrauit. Quid dixit? Quòd aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli. Et quid per aromata intelligat, aperuit dicens, quæ ſunt orationes ſanctorum. Repræſentant ergo orationes noſtras Angeli domino; & ideò hic Cherubin circa propitiatorium poſita fuiſſe dicuntur. Ipſum uerò repræſentare eſt quoddam pro nobis orare.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO VIII.

Text. DOno donati ſunt mihi à filijs Iſrael. Pro primogenitis &c. accepi eos.

Concl. 1. *Illa, quæ Deus operatur in nobis, tanquam à nobis operata ſint, recognoſcit.* [Ex eo.]

Ratio. VIDES, Deus auctoritate propria à filijs Iſrael accepit Leuitas loco omnium primogenitorum, & tamen dicit, quòd Leuitæ ſibi dono donati ſunt à filijs Iſrael. Scis quare? Quia filij Iſrael tali acceptioni Leuitarum à Deo factæ uoluntate conſenſerunt, tanquam dicentes: Si Deus auctoritate ſua hoc non feciſſet, nos uoluntatem Dei circa hoc agnoſcentes idipſum ex nobis, quantum potuiſſemus, feciſſemus. Cur ergo Deus tàm promptam Iſraelitarum cognoſcens uoluntatem per ſeipſum fecit, quod ipſi facere uoluiſſent, & non expectauit, ut facerent? An uoluntatem illorum uidit fuiſſe fictam, ut timeret, ſi expectaſſet, Iſraelitas non facturos, quod prius voluiſſent? Minimè. Voluntatem ſanè ad hoc promptiſſimam uiderat, uoluntatem quoque ueraciſſimam abſque omni fictione conſiderauerat; ſed illorum impotentiam ad operandum, quod uolebant, comprehendebat. Similes illos uidit cuidam in perſona omnium dicenti; Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Nè igitur uelle illud bonum eſſet fruſtratorium: Dominus Deus manum appoſuit, & quod uolebant, ipſe perfecit. Quoniam uerò non ex uoluntate, ſed ex impotentia proceſſit, quod filij Iſrael priores Deo donaſſent Leuitas, ideò Deus, qui uoluntatem principaliter attendit, Leuitas ſibi dono donatos à filijs Iſrael fatetur. *Apoſt.*

EXAMEN.

HIC, ſi uigilanter aduertas, tu uides, uoluntatem, quando facultas deeſt, pro opere computari apud Dominū. Ex eo namque, quòd uoluerunt, & non potuerunt, dicuntur feciſſe, quod uoluerūt. Quis ergo Leuitas donauit Deo? Deus in filijs Iſrael donum hoc ſibimetipſi fecit. Cùm tamen hoc ipſum fecerit ille, tanquam à nobis factum ſit illud, inquit, q Leuitæ dono donati ſunt ſibi à filijs Iſrael. Quod ergo nos ab ipſo in noſtri fauorem factum recognoſcere debuiſſemus, ipſe illud a nobis quaſi in ſui fauorem factum recognoſcere dignatur. Vide bonitatem Dei. Quis Deo ſeruire non cupiat? Seruias hominibus, multumque ſeruias, tandem, quaſi nihil obſequij feceris, ingrata uoluunt terga, & (quod plus eſt) tu tandem illis obligatus es, non illi tibi, quaſi quòd in illorum ſeruitio tua profectio cōſiſtat. Seruias Deo, & parum ſeruias, ipſe quaſi obligatus tibi, gratiſſimusque, ceu beneficium ſibi ipſi à te factum recognoſcit prædicat, magnificat. Quid ni, magnificat, dixerim? Etenim non tantū donatos ſibi Leuitas ab Iſraelitis dicit; ſed dono donatos. Quid eſt dono donatos dicere, niſi donum ſibi factum magnificare? Et tamen, cùm omnia Dei ſint, nec donum hoc appellare, nec minus hoc magnificare, obligatur. Cur ergo tali locutione vſus eſt? Vt oſtenderet, quòd eſt uelut aquila prouocans pullos ſuos ad uolandum, & ſuper eos uolitans. Vt enim monſtraret, quid nos erga maieſtatem ſuam noſtri benefactricē facturi eſſemus, ideò talibus nō uerbis dignatus eſt. Ac ſi dixiſſet. Cùm ego omnium patronus ſeruitia ueſtra mihi facta tantopere penſo, quantum uos ſerui mei dona mea uobis exhibita penſitare debeatis patefacio. *Vide in experientia magis.*

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 1. cap. 8. valdè confirmatur, ſimulque declaratur, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. Licèt bonis operibus in ſacris litteris uſque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe ſua mercede cariturum; abſit tamen, ut chriſtianus homo in ſeipſo, uel confidat, uel glorietur, & non in Domino, cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum uelit eſſe merita, quę ſunt ipſius dona. Hæc ibi. Et cano. 32. Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita; anathema ſit. Hæc ibi.

Text. DOno donati ſunt mihi à filijs Iſrael.

Concl. 2. *De beneficijs à Deo ſuſceptis grati eſſe debemus illa recolendo, & ea quantum poſſumus, magnificando.* [Ex eo.]

Ratio. *1. Cor. 4.* SICVT Apoſtolus ad erudiendum Corinthios quædam transfigurauit in ſe, & in Apollo, ita hic Deus ad erudiēdum nos circa gratitudinem in ſeipſo, gratitudinem illam transfigurauit.

guravit. Vnde iſta Dei locutio, quæ donatum à filijs Iſrael, ſe dicit, noſtra eſt inſtructio. Quò autem iſta melius capias, vide immediatè præcedentia.

Text. PRo primogenitis, quæ aperiũt vuluam in Iſrael &c.

Concl. 3. *Chriſtus in multis antiqui teſtamenti locis primogenitus appellatus eſt; & primogenitus quidem reſpectu negationis præcedentium fratrum, non autem ſubſequentium.* [Ex eo.]

Ratio. Ad quid limitationem hanc, quæ aperiunt vuluam, appoſuit ad primogenitos? Ad oſtendendum, quòd non omnis primogenitus aperiturus illam erat. Alioquin ſuperfluè conditionem illã (ut patet) primogenitis aliquibus tribuiſſet, imò tunc, quaſi quid abſolutè commune omnibus dicẽs, ſine illa conditione dixiſſet ly Primogenitis. Et (ut facilius capias) hoc eſt ſimile dicto illi Leuit. 12. Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit &c. Vide tu illic. Futurum ergo per hanc loquendi phraſim denotauit unum, qui primogenitus reuera eſſet; & tamen aperiturus vuluam more aliorum non eſſet, ſed per clauſam portam (Ezech. 44.) exiturus. Hic autem eſt unus tantum, ſcilicet Chriſtus. In textu quoque iſto aliud à concluſione tactum notandum eſt, quòd ſcilicet reſpectu præcedentium fit denominatio in materia primogenitorum, non autem reſpectu ſubſequentium. Quomodo? Audi. Pro primogenitis (inquit), quæ aperiunt vuluam. Nunquid ait, pro primogenitis, poſt quæ ſequuntur alia genita? Minimè. Primogenitum igitur dixit ſcriptura illum fœtum, ante quem nullum prius ab eadem matre genitum eſt, etiam quòd alia genita non ſequantur. Alia enim genita ſequentia non dant primogeniti nomen primogenito, ſed tollunt nomen unigeniti primogenito. Sit ergo qui primò gignatur, & non ſint qui ſecundò gignantur, talis primogenitus erit, & unigenitus. Quare primogenitus? Quia ante illum nullus egreſſus eſt. Quare unigenitus? Quia poſt illum nullus indè egreſſus eſt.

APPENDIX.

1 HInc habes, quomodo ab Euangeliſta intelligatur ly Maria peperit filium ſuum primogenitum. Nam ad huiuſmodi locum antiqui teſtamenti correſpõdet Lucas, ut ibi ex textu patet. Secundò, quòd idem eſt ibi primogenitus,

2 & unigenitus, licet (ut tactum eſt) reſpectu diuerſorum. Maximè autem (ut tunc ſubiicebamus) ly Primogenitus, Lucæ intelligi debet pro eo, ante quẽ nullus natus eſt: quia Lucas ibi in contextu ſequenti antiquum teſtamentum adducit; & conſequenter per hoc monſtrare intendit, quòd ly Primogenitum more antiquæ legis accipit. Cùm verò lex primogenitum accipiat pro eo, ante quẽ nullus egreditur (ut hic apertè uidimus), non autem pro eo, poſt quem alij ſequuntur; patet, quòd Euangeliſta in ſenſu hoc primogenitum ſumit. Hæc & ad intentum catholicum retinendum in Euangelio, & ad Heluidianum ſenſum indè exploſendum faciunt. Maximè cùm litteræ ſacræ per ſe loquantur.

¶ Applica ad aliquod prædictorum.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

PRædicta Concluſio 3. cap. 8. firmatur maximè ex Decreto 24. q. 3. cap. quidã. Ibi enim damnantur Heluidiani, ab Heluidio nominati, qui dicunt; poſt Chriſtum natum, alios Mariam filios peperiſſe. Conſequenter ergo ſimul condemnatæ intelliguntur omnes ſcripturarum expoſitiones illæ, ad quarum poſitionem neceſſariò ſequitur, B. Mariam alios poſt Chriſtum habuiſſe filios.

Regula de hæreſibus cognoſcendis. Regula enim eſt in ſacra Theologia, quòd non tantùm hæreticum dogma reputãdum eſt illud, quod directè opponitur, uel ſacris litteris, uel ſacrorum Conciliorum, uel ſummorum Pontificum, de fide determinationi, uel articulis in ſymbolo fidei expreſſè contentis; ſed etiam illud, ex quo neceſſaria ſequela infertur oppoſitum alicuius præmiſſorum. Vide Theol. pal. par. q. 32. ar. 4. & tamen in 2. 2. q. 11. arti. 1. & 2. Exponere ergo ly Primogenitum (Matth. 1. Luc. 2. Maria peperit filium ſuum primogenitum. Vel alibi) ſic, quaſi quòd poſt Chriſtum B. Maria alios habuerit filios; quemadmodum, & exponere ly Donec (Matth. 1. Ioſeph non cognoſcebat eam donec &c.) ad eundem ſenſum, eſt hæreticum; quoniam ad illam expoſitionem ſequitur neceſſariò hæreſis peſſima, ſcilicet B. Mariã non fuiſſe uirginem perpetuò, ante partum, in partu, & poſt partum; cuius contrarium ab Eccleſia ſancta catholica, ut de fide, tenetur (ut patet tùm in cõcilijs, tùm in Eccleſiaſticis officijs, de ea loquentibus, uocando illam ſemper uirginem, uirginem inuiolatam, intactam, illibatam, immaculatam, puriſſimam, perpetuam, ante partum, in partu, poſt partum). Adeſt etiam de tanta re Bulla Apoſtolica Papæ Pauli IIII. edita anno 1555. incipiens: Cùm quorundam hominum prauitas, atque iniquitas: Vbi definitur, quòd Beatam Mariam ſemper perſtitiſſe in uirginitatis integritate ante partum, in partu, & poſt partum, eſt non tantùm de fide; ſed etiam unum ipſius fidei fundamentũ; & quòd negantes hoc ſunt hæretici ſubuerſi, atque immanes meritò dicendi; & curiæ ſeculari tradendi pœnis contra relapſos in hæreſim debitis in omnibus, & per omnia puniendi, etiam ſi primam ſolummodò uice præmiſſam B. Mariæ uirginitatem negaſſent. Idem (ut plenius erudiaris) ibi ſtatuitur contra negantes, uel ſummam Trinitatem, uel Domini noſtri Ieſu Chriſti diuinitatem, uel eius de ſpiritu ſancto conceptionem, uel eius pro noſtri redemptione mortem. Et meritò. Nam hæc omnia quinque ſunt fundamenta fidei catholicæ, & unumquodque eorum ſingillatim. Vide Bullam hanc digniſſimam, poſt Directorium Inquiſitorum, connexam inter cæteras litteras Apoſtolicas pro officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis. Ex prædictis ergo patet, quòd concluſio hæc 3. deſtruit hæreſim peſſimam Heluidij dicentis, quòd ly Primogenitum, à Matthæo ad propoſitum Chriſti dictum, reſpicit alios poſteros, hoc eſt ſtat pro eo, poſt quem generatur alij ab eadem matre. A ſimili itaque etiam dicas, quòd hæreſis eſt exponere ly Fratres Chriſti, Ioan. 7. & ly Ioſeph pater Chriſti, Luc. 2. pro fratribus uterinis, & pro uero patre gignente; & (breuiter) exponere quamcunque litteram taliter, quòd ex illa poſitione ſequatur neceſſariò quicquam contra perpetuitatem uirginitatis B. Mariæ, iuxta regulam ſupradictam. Ab oppoſito igitur concludas, quòd catholicum eſt, exponere ly Primogenitum, & ly Fratres, & ly Ioſeph pater, prout reſpicit tantùm præcedentes negatiuè (i. ut dicit nullum ante genitum indè fuiſſe); & denotat parentela quaplam aſtrictos, & putatiuum, ſiue nutritium patrem deſignat, &, breuiter; exponere ly Donec, ſecundùm quòd exponit B. Hieronymus contra Heluidium, & aliam quamcunque ſimilem litteram taliter, quòd ex illa expoſitione non ſequatur aliquid cõtra antedictam perpetuitatem uirginitatis, imò inde hæc ſtabiliatur. Harum omnium tam ſuis, quæ dictæ ſunt, regulis memineris ſedulò; quoniam ad multa ſimilia, ueritatem catholicam à falſitate hæretica quoad expoſitionem ſcripturarum diſcernendo proderunt. Vide Gen. 8. conc. 2.

Text. PRo primogenitis, quæ aperiunt uuluam.

Concl. 4. *Lex primogenitum denominat à negatione præcedentium; non autem à poſitione ſubſequentium.* [Ex eo.]

Ratio. QVæres: deſcribit primogenitũ littera, quandò ait, Quæ aperiunt uuluam. Tanquam ſic deſcribatur. Primogenitus eſt is, qui primò egreditur è uentre. Hæc eſt definitio uniuerſaliſſima & hominibus puris, & homini Chriſto conueniens. Si uerò addas ly cum apertione clauſtrorum, ita quòd primò ſic egrediatur, tunc de creaturis tantùm puris uniuerſaliter uerificatur. Si autem addas ly ſine apertione clauſtrorum, ita quòd primò ſic egrediatur, tunc de homine Chriſto ſolùm ueritatem habebit. Hinc fit, ut ſi per aperire uuluã intelligamus primò egredi nil aliud addendo; tunc littera huiuſmodi de Saluatore noſtro uerificari poſſit, ac uerificetur. Et in hoc ſenſu dicitur ab Euangelio primogenitus, referendo ſe ad teſtamentum uetus. Si autem per huiuſmodi apertionem intelligamus ambo hæc ſ. & primò egredi, & cum apertione egredi, tunc in hoc ſenſu ab Euangeliſtis Chriſto non adaptatur.

COROLLARIVM CONT. HELVIDIVM.

QVod ergo dicit ly Ad aperiens uuluam? Dub: egreſſionem primam, & apertionem. Vtrumbo importat, de quot uerificatur? De omnibus creaturis puris. Vt unũ tantum

rum. ſ. primam egreſſionem dicit, de quo: uerum eſt? De uno tantùm. ſ. Chriſto. Præmiſſa notato pro Euāgeliorū, Doctorū legis &c. intelligentia faciliori. Vide etiam in tertia concluſione narrata, & illis his adiunctis melius dicta percipies.

Text. PRo primogenitis, quæ aperiūt omnem uuluam accepi eos.

Concl. 5. *Leuitæ non ſunt digniores, ſanctiores, aut diuinis miniſterijs mancipati magis, q̃ Chriſtus.* [Ex eo]

Ratio. LEVITAS omnibus filijs Iſraeliticis anteponūtur in hoc, quòd à Deo pro illorum omnium primogenitis aſſumūtur. Conſequenter igitur per hoc digniores illis habentur, quorum loco in miniſteriū Dei ſuccedunt. Nam, cùm Deo quod eſt perfectiſſimum ab omni prudente tribuendum ſit; dicendum ſanè erit, q; niſi alijs o[m]nibus perfectiores eſſent ad miniſtrandum altiſſimo, ab ipſo utpotè prudentiſſimo non aſſumerentur. Diuiniores ergo (ut ſic loquar; cum diuiniſſimum ſit cooperatorem, maximèque ſpecialem, Leuitarum more, Dei fieri) erant Leuitæ præ cæteris, quorum loco aſſumebantur. Nè autem Chriſto illos digniores, diuiniores, ſanctiores, Deoque uiciniores, magiſq; in miniſtrando idoneos putaſſes, cum & Chriſtus ſit unus primogenitus ex filijs Iſraeliticis, addìtum fuit in littera ly Quæ aperiunt uuluam. Licèt enim Chriſtus primogenitus ſit ex Iſrael non tamen talis qui oſtium aperuerit. Ad excludendum ergo Chriſtū à cæterorū Iſraelitarum minori dignitate ſanctitate &c. quam Leuitis conueniret, additum eſt illud, quod in textu annotauimus.

Text. ET orent pro eis, nè ſit in populo plaga; ſi auſi fuerint accedere ad ſanctuarium.

Concl. 6. *Oratio ualet ad tollendum pœnas ab illis, qui eas de ſe merentur.* [Ex eo.]

Ratio. ECCE. Accedentes temerario auſu ad ſanctuarium procul dubio puniri merebantur; & tamen per ſacerdotum orationem talis plaga populo debita à populo tollebatur, ut patet intelligenti textum & hic, & alibi.

QVÆSTIO.

SI plagæ debitæ pro peccatis à peccatoribus per orationē tollebantur; ubi iuſtitia? Oratio igitur contra iuſtitiæ adimpletionem uidebatur.

RESPONSIO.

ORATIO non tantùm uim habet impetrandi, ſed etiā ſatisfaciēdi. Vnde inter opera ſatisfactoria ſcilicet eleemoſynam, & ieiunium ponitur & oratio. Addi. q. 15. ar. 3. cum Elucid. Satisfacere autem poteſt quis non tantùm pro ſe, ſed etiam pro alio Addi. q. 13. ar. 2. quotieſcunque ſcilicet iudici repræſentat rem tam gratam, quantum eſt debitum alterius, ut patet de ſoluente centum pro Titio ratione tanti debiti carcerato, ut dimittatur. Cùm igitur oratio uim habeat ſatisfactoriam, & pro altero ſatisfieri queat, patet, quòd oratio poteſt facere, quòd plagæ alteri debitæ illi non dentur; aut ubi oranti debitæ non infligantur, & hoc abſque aliquo iuſtitiæ detrimento. Iuſtitia enim punitiua uenit ſuper aliquē ad hūc finem, ut ille aliquis per punitiones ſatisfaciat iudici offenſo. Si autem per aliam uiam, quam per pœnas habitas iudici ſatisfaciat; quis dicat, iuſtitiam non fuiſſe hic adimpletā? Nullus. Satisfactum namque iudici, etiam quòd per uiam caſtigationis, ſiue pœnarum ſatisfactum non ſit. Quid autem eſt iuſtitia: niſi ſatisfacere offenſo, uel creditori? Quocūque igitur modo ſatisfacias illi, tam neque tu, neque ille iniuſtitiæ argui poteſtis; ſi tu per alium modum illi non ſatisfacis, & ille à te aliam ſatisfaciendi uiam non requirit. Ad rem noſtram. Deo populares peccauerant: ergo Deo debitores erant; ergo Deo ſatisfacere debebant. Quid accidit? Sacerdos pro illo debitore adit altiſſimum; ipſi rem gratiſſimam orationem ſcilicet quo debitorem abſoluat offert. Deus à ſacerdote orationem ſumit tanquam rem debiti alterius ſatisfactoriam, & nullam aliam ſatisfactionem à debitore primo exigit. Quis uel ſtultus, iuſtitiam hic adimpletam eſſe, non uideat? Oratio igitur locum pœnarum debitarum ſupplevit: & idcirco pœnas illas meritò abſtuliſſe, nè peccatori aduenirent, dicta fuit in textu.

APPENDIX.

HINC habes rationem, quare iuſtiſſimus Deus multoties in ſcripturis caſtigationes per orationem dimiſit 1
vel ipſi oranti, vel alteri pro quo orat. Secundò habes, q; 2
orationes uiuorum ſunt ſatisfactiones (vt Sancta docet Eccleſia) pro mortuis, ita quòd illis mortuis tollunt pœnas vel in totum uel in partem, vt docet S. Tho. Addi. q. 71. ar. 1. 2. &c. cū Elucid. Si enim oratio unius pro altero ſatisfacere poteſt, qua ratione non pro mortuis? Vide Compend. Albert. Magn. lib. 7. cap. 5. 6. Schol. Tertiò habes à fortiori, quòd miſſæ ſacrifi 3
cium, etiam q; à ſacerdote ſolo offeratur Domino, ad iuſtitiæ diuinæ ſatisfaciendum pro alijs ualet, ut S. Thom. docet 3. par. q. 79. art. 7. & Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. & cano. multis. Non tantum igitur Euchariſtia eſt ſacramentum (contra hæreticos); ſed etiam ſacrificium. Alioquin plus ſatisfactionis oratio antiquorum clericorum habuiſſet, quàm maximū nouæ legis ſacramentum. Quartò conſequenter habes, q; conformiter ad ſacras litteras faciunt ſummi Pontifices, 4
quando ſuffragari mortuis uiuorum ſupplicationes decreuerunt; nec tamen ob hoc aliquid iuſtitiæ Dei iudicis deperire ſinxerunt. Chriſtus enim in ſacramēto, uel in precationibus aliorum ſatisfacit patri; & per hanc uiam locum pœnarum peccatoribus debitarum ſupplet. Quintò habes, quòd unus 5
pro alio ſatisfacere poteſt. Sextò habes, quòd modus facil- 6
limus talis ſatisfactionis datur. ſ. oratio. Quis non poſſit orare, & ſi non uocaliter, ſaltem mētaliter; & ſi non prolixè, ſaltem breuiter; & ſi non doctè, ſaltem indoctè? Quis unum ſuſpirium ad minus emittere nequeat, aut certè illud emittere deſiderare non poſſit? Sunt ergo inexcuſabiles, qui Deo ſatisfacere non contendunt. Si enim teipſum ad ſatisfaciendum imparem noueris, adhibe alium precatorem pro te.
Septimò conſequenter habes, quòd multum ualet, commen 7
dare ſe orationibus aliorum, id quod ab Apoſtolo, & à Sāctis alijs factum ſubinde reperis.

¶ Applica ad ly (Iacobus) Orate pro inuicem, ut ſaluemini. Vel ad &c.

A Vigintiquinque annis & ſuprà ingredientur, ut miniſtrent in tabernaculo fœderis. Text.

Concl. 7. *In ſacerdotibus requiritur ætas perfecta, uel circa, antequam miniſtrent in officio ſuo.* [Ex eo.]

IN tali ætate puta uigintiquinque annorum (quantum eſt ex parte ætatis) cognoſcere poteſt homo, & penetrare quid importet ſeruire Deo huiuſmodi ſpeciali cultu. Et quia Deus uult, hominem cognoſcere. i. penetrare ea, quæ à Deo illi donata ſunt iuxta illud. 1. Cor. 2. Vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, ideò non niſi 25. annum agentes uoluit ſibi obſequi, ita, ut in minori ætate exiſtens miniſtrare non poſſet in tabernaculo fœderis. Penetratio nanque prædicta deuotionem ſibi correſpōdentem cauſat, cum ſine cognitione attenta deuotio nō pareatur; & ad maius miniſterium peragendum maior exigitur deuotio, quam ad minus: & hoc ipſum declarauit Deus per ætatum præmiſſarum uarietatem. Ratio.

APPENDIX.

HINC habes, quòd Eccleſia Sācta à Spiritu Sancto acta eſt, quando infra uigeſimum quintum annum celebrare aliquem, imò & ad ſacerdotium ordinari, prohibuit. Hoc enim faciēs ſcripturæ huic antiquæ ſeipſam conquadrauit, non quidem ratione, qua ſcriptura hæc ceremoniale, ſed qua morale ſonabat. Quæ erat moralitas hic? Penetrare facilius poſſe illa, quæ ad ſuum officium pertinent. Et quare huiuſmodi penetratio requirebatur? Quia magnitudo rei adminiſtrandæ id exigebat. Multò igitur magis penetratio huiuſmodi in noui teſtamēti miniſtris exigitur, cum ſcriptum ſit: Cui plus datum eſt, ab eo plus requiretur. Incomparabiliter autem miniſtris nouæ legis plus datum eſt, quā antiquis. Antiquis nanque umbra data eſt; nouis autem corpus: antiquis figuræ, nouis figuratum; antiquis creaturæ, nouis creator; antiquis pecora, nouis Chriſtus. Maximè igitur

conue-

conuenienter illa ordinatio ab Eccleſia Sancta facta eſt, quandoquidem ad finem, quem diximus, facta eſt. Secundò habes, quòd non tanta ætas requiritur in clericis minoribus, ut patet etiam in litera. Ratio moralis eſt, quia ad tantam penetrationem miniſterij ſui non tenentur. Cum enim miniſterium ſuum ſit quid ualde minus, quàm ſacerdotum, patet, quod miniſterij ſui conſideratio, licèt fieri debeat, tantam intellectus perſpicacitatem non requirit. Ecce, quòd ex diuerſitate miniſtrationum ætas tanta, uel tanta in miniſtris determinatur, & in antiquo, & in nouo teſtamento.

NOTATIO.

PENETRALIA illa, quæ ad miniſterium noſtrum pertinent, & rectè ſcire, quæ à Deo donata ſunt nobis, eſt eſſe idoneum miniſterij Dei, & facere, ut non uituperetur miniſterium noſtrum & fidelem eſſe in miniſterio, & benè. Si ergo rectè illa ſciuerint, ſe miniſtros coram Deo inconfuſibiles reddere ſtudebunt, ſuoque miniſterio ſe in ſanctitate conformari ſatagent. Ad hanc conformationem nonnè ſupra (Leui: 21.) Deus ſingulos miniſtros inuitabat dicens: Incenſum, & panes offerunt Deo, & ideò ſancti erunt? Vtique. Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: Miniſterium ſanctum eſt; & ideò ſancti erunt miniſterium tale exequentes. Id verò nil aliud eſſe, quis non uideat, quàm miniſtrum conformari miniſterio ſuo? Item non eſt mirum hinc aduertere, quòd Sancta mater Eccleſia plus ætatis Euchariſtiæ ſumpturis, quàm confeſſionem ſubituris ſtatuit, ut patet in capitulo Omnis utriuſque ſexus. Nam Euchariſtia maius quid admodum eſt, quàm confeſſio; & ideircò capitum maiorem in ſumpturo illam requirit. Hinc etiam fit, ut iuxta Eccleſiæ intentionem maior ætas ad ieiunandum neceſſariò requiratur, quam ad à prohibitis cibis abſtinendum. Nullus enim ante 21. annum, ad Eccleſiaſticum ieiunium obligatus eſt, & tamen ante illam ætatem à carnibus, ouis, lacticinijs, iuxta ætatis diuerſitatem diuerſimodè quiſque tenetur. Hoc uerò poſtremo dictum ex hoc loco proportionaliter habetur. Nam ſicut tantus, uel tantus intellectus, ad miniſtrum pro miniſterij uarietate requiritur; ita tanta, uel tanta abſtinentia ad abſtinentem pro uirium diuerſitate determinatur. Et ſicut diuerſitas capacitatis miniſtrorum diuerſitatem facit; ita diuerſitas uirium abſtinentium diuerſitatem cauſat.

Text. CVm quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabunt.

Conclu. 8. *Seruitia Deo exhibita cum tepore, & indiſcretè non ſunt ipſi accepta, maximeq; in ſacerdotale officium exercentibus abhominabile illud eſt.* [Ex co.]

Ratio. A VIGINTI quinque uſque ad quinquaginta homo uirilitatem, caloremque naturalem præ omnibus alijs ætatibus, & habet, & conſeruat, niſi aliunde impedimentum adueniat. Quid eſt ergo, quod Deus non uult, miniſtros altaris eſſe infra uiginti quinque annos, & ſupra quinquaginta? Quia inſinuare per hoc vult, quod nos in præſenti docemus. Infra enim 25. annos maturum conſilium, diſcretionemque noſtra opera intelligendi uix habemus; necdum etiam uirilitatem attingere incipimus: ſupra verò quinquaginta iam naturalis calor decreſcere incipit, uirilitas iam tranſacta cernitur, & ad ſenectam proxima uia paratur. Ne igitur ſine iudicio grandi, ſine diſcretione ſalubri, ſine fortitudine, ſeu uirilitate agendi Deo ſeruiamus, præſertim in ſacerdotali officio; ideò infra uigeſimum quintum ad altare accedere miniſtraturi prohibemur. Ne autem ſine ſpiritus feruore, cum operandi remiſſione, cum ſenili anhelatione Domino famulemur, in altari præcipuè; ideircò ſuprà quinquageſimum tabernaculo immediatè ſeruire prohibitum eſt.

¶ Quæ diximus in ſeptima concluſione ad præſentem locum faciunt, & uice uerſa ad illum locum præſentia conducunt; quatenus. ſ. utrobique de infra uigeſimum quintum nõ miniſtraturis traditur.

EXAMEN.

HI nondum uigeſimum quintum annum habebant, de quibus Apoſtolus dicebat; Emulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Item nec hi, de quibus ait Chriſtus: Omnis, qui interficit uos, arbitratur obſequium ſe præſtare Deo. Item nec hi, quos Apoſtolus his uerbis alloquitur: Lac vobis dedi, non eſcam. Hi autem uigeſimum quintum annum habebant, de quibus ad hebræos dicitur, & quòd habent exercitatos ſenſus ad diſcretionem boni & mali, & quòd illorum eſt ſolidus cibus. Item Chriſtus adhuc puerulus 25. annum agebat, de quo dictum eſt: Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quid eſt, butyrum &c. vt ſciat &c. niſi dicere, quòd Chriſtus adhuc infans habebat boni, maliquè diſcretionem; & conſequenter perfectum liberi arbitrij uſum; & conſequenter uigeſimum quintum annum? Item illos ad uigeſimum quintum annũ uocabat Pſalm. quando dicebat; Viriliter agite, & confortetur cor ueſtrum: Et Chriſtus quando dicebat: Diliges Dominum Deum tuum cum omni fortitudine tua. Porrò Apoſtolus eos, qui exceſſerant quinquageſimum annum, ad uigeſimum quintum reuocabat dicens; Remiſſas manus erigite, & greſſus rectos (non ſicut ſenes, qui faciunt greſſus obortos) facite pedibus ueſtris. Item infra quinquaginta, & ſupra 25. nos eſſe uolebat, quando dicebat: Spiritu feruentes, & ſic currite, ut comprehendatis, & ſimilia. Illi ſunt ſupra 50. & infra 25. qui ex uerbo audito fructum non ferunt (ut ait Lucas); & hi in triplici doctrina ſunt. Primi enim ſunt, à quibus uerbum de corde rapit diabolus, ne credentes ſalui fiant. Hi profectò ſi uirilitate induti eſſent, non ſinerent, quod diabolus è cordibus ſuis eriperet uerbum. Hi enim uirilitatem habere demonſtrant, è quorum manibus nil rapere uales. Secundi uerò ſunt, qui non habent radicalem humorem. Per hoc autẽ denotantur, quod uiri non ſunt. Tertij autem dicuntur, qui à ſollicitudinibus mundi, atque diuitijs ſuffocantur. Quis neſciat, quod inquantum omnis à uirilitate diſcedit, inquantum ſuffocari, ſeu uinci ab alio poteſt? Relinquitur ergo; quod ſoli illi intra 25. & 50. annum ſunt, qui in corde bono & optimo uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Ergo de talibus loquebatur Chriſtus, quando ait: Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hæc prædicta ſignificare dici poteſt Spiritusſanctus, quando non enumerat unquã pueros, nec fœminas (tales enim à fortitudine, maturo calore, virilitate, deficiunt); & uiros fortiſſimos annumerari mãdat (tales enim ut plurimum, non ſunt ſupra quinquageſimum annum). Præmiſſa enumeratio, numerationiſque mandatio, eſt in ſacris literis conſueta, ut ſupra cap. 1. uiſum eſt.

¶ Applica ad aliquid prædictorum. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 8. cap 8. multum firmatur, ſimulque declaratur, ex Concil. Trid Seſſ. 22. Decret. de obſeruan. & euitan. in celebr. Miſſ. Quanta cura adhibenda ſit, ut Sacroſanctũ Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu, ac ueneratione celebretur, quiuis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit, maledictum in ſacris literis uocari eum, qui facit opus Dei negligenter. Quòd ſi neceſſariò fatemur, nullum aliud opus adeò ſanctum ac diuinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo uiuifica illa hoſtia, qua Deo patri reconciliati ſumus, in altari per ſacerdotes quotidie immolatur; ſatis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quam maxima fieri poteſt, interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis, ac pietatis ſpecie peragatur. Hæc ibi. Item ex Concilio eod. ibid. ſuprà cap. 4. & 5. mõſtrantur modi, uiæ, ſeu cultus externi, quibus tanquam uehiculis ad rerum diuinarum contemplationem ſuſtollantur ij, qui tanto myſterio inſeruiunt, uel ſacerdotibus miniſtrantibus aſtant. Valent hæc, atque uiciſſim ex illis iuuantur, ad ſupradicta contra errores adductos, & dãnatos, Gen. 49. con. 2. Item Leuit. 7. con. 4. & cap. 21. con. 7. & cap. 22. con. 2. Item Exod. 25. con. 4 & cap. 26. con. 1. & cap. 28. con. 1. & cap. 39. cõ. 3. Item in Elucida. Addi. art. numer. 16. 149. 310. Ex his dices, concluſionem præſentem deſtruere illos eoſdem errores.

Text. CVm poſueris ſeptem lucernas, candelabrũ in auſtrali plaga erigetur.

Concl. 9. *Spiritusſanctus in Eccleſia eſt, ipſam illuminans,*

luminans, & calore diuini amoris inflãmans, & hæc omnia facit per gratiam ſuam. [Ex eo.]

Ratio. CANDELABRVM hoc ex eo, quod ſeptem lucernas habebat, ſignificat Spiritumſanctum, qui eſt ſeptiformis in donis ſuis. Erigebatur in tabernaculo, ibique manebat, ad denotandum, quòd Spiritusſanctus in Sancta Eccleſia ipſam in actionibus illuſtrando permanet. Ponebatur in plaga auſtrali, ad ſignificandum, quod affectum diuini amoris calore inflammat. Nam pars auſtralis eſt pars calida. Vnde amoris diuini calorem aptè ſignificat. Hoc ſancta Eccleſia in B. M. Magdalenæ officio denotauit inquiens: Flauit auſter, & fugauit aquilonem, quando lauit cor Mariæ pœnitentis imber ſancti ſpiritus. Quid ergo auſtralis plaga importat? Imbrem ſancti ſpiritus, i. gratiam Dei. i. diuini amoris calorem. Ponebatur quoque in plaga auſtrali, ut hinc diuinæ miſericordiæ tribueres, quòd Sanctam regit, illuminat, atque inflammat Spiritusſanctus Eccleſiam.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Docebit uos omnem ueritatem, ſcilicet & doctrina ſpeculatiua, & practica ſimul. Quis docebit? Spiritusſanctus? Quos nos? Sanctam Eccleſiam. Quomodo doctrina ſpeculatiua? Illuminando intellectum. Quomodo practica. i. affectiua? Inflammando uoluntatem. Quam omnem? Neceſſariam ad ſalutem &c.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO IX.

Text. HOmo, qui fuerit immundus ſuper anima, faciat phaſe domino in menſe ſecundo quartadecima die &c.

Concl. 1. *Maximis peccatoribus imponenda eſt (ſecundum quòd confeſſor à domino inſpirabitur) dilatio ad Euchariſtiam ſumendam*, [Ex eo]

Ratio. VIRI. Mundis iubetur, ut primo menſe Paſcha celebrent; immundis autem, ut ſecundo. Diſtantia ergo unius menſis inter hos, & illos ponitur. Et meritò quidem. Nam ſicut mundi ab immundis in moribus differunt; ita illi hos in ceremoniarum obſeruatione præcedere debent. Deo nanque propinquiores ſunt mundi, quam immundi; ideòque in his, quæ diuinam concernunt reuerentiam priorem locum habere debent, ut ſicut doctrina eſt in uita, ita doctrina ſit in exteriori quoad tempus obſeruantia. Tranſeo, quod immundis prolixius tempus datur, ut ſe ad phaſe digne celebrandũ diſponere poſſint. Prolixiori verò tempore ad hoc mundi non indigent, quoniam temporis locum bonus iſtorum habitus ad talem diſpoſitionem faciendam ſupplet. Qui bonus habitus cùm in hominibus immundis non reperiatur, iure optimo ad talem diſpoſitionem faciendam tempus magis prolixum conceditur. Et hoc facit Deus, ut etiam ſalutis immundorum ſe eſſe ſolicitum prouiſorem demonſtret. Scit enim, quod, ſi indigne dignas pertractarent ceremonias, magis inde perniciem reportarent, quam ſalutem.

¶ Multò igitur magis noui teſtamenti hominibus immundis poſt immunditias ſuas imponendum uidetur, ut tardius, quam cæteri Euchariſtiam ſumant, quò temporis huiuſmodi interuallo ſeſe ad tantam maieſtatem ſumendam diſponere dignè pro ſuo modulo queant. Quid enim phaſe, niſi Euchariſtiam, figurabat? Si ergo ad figuram comedendam pro digna præparatione tempus dabatur, multo plus ad figuratũ participandum pro diſpoſitione congruum tempus aſſignari debet.

Text. IN uia procul in gente ueſtra &c.

Concl. 2. *Antequam Euchariſtiam ſacram ſumat quis debet quieti uacare, ideſt orationi, ſeu meditationi, ſeu contemplationi.* [Ex eo]

In eo illi, qui erant in itinere, ipſum phaſe tardius celebrabant, ut quieſcere aliquantiſper prius ualerent. Quieſcere autem quærebant ad hoc, ut ipſius phaſe celebrationi cõuenienter diſponerentur. Et ſicut tempus immundis datum prolixius ſupplebat diſpoſitionis locum, ratione iam dicta; ita uiatoribus ad eundem finem longius tempus aſſignabatur. Quoniam autem philoſophus habet, quòd anima quieſcendo fit prudens; ideò per ipſam nunc dictam quietem intelligẽdam fore prudentiam docuimus. Quid eſt, in propoſito, prudentia? Vacate orationi, meditationi, contemplationi ipſius phaſe. Quòd ſi uerum erat reſpectu figuralis paſchatis, magis in immenſum reſpectu figurati uerificetur, oportet. Non igitur uelut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, ad Euchariſtiæ menſam debent fideles accedere; ſed cum magna penſitatione prius, cum magna animi quiete, cum meditatione illa, in qua exardeſcat ignis, ad illam menſam cœleſtem noſipſos præparare debemus. Pſal 38.

NOTATIO.

TEMPVS datum prolixius, & immundis, & uiatoribus (ut in prima, ac ſecunda habuimus concluſione) teſtatur, quòd ad Euchariſtiam dignè ſumendam (id quod etiam aliàs diximus) requiritur de neceſſitate actualis deuotio. Tã enim illis, quàm his, à Deo protendebatur tempus, ut ad deuotionem actualem pro celebrando phaſe diſponerentur. Quantam ergo deuotionem putas exigi in noſtri paſchatis, qui Chriſtus eſt, manducatione ſolemni?

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 2. cap. 9. confirmatur ualdè, ac declaratur, ex Concilio Triden. ſeſſ. 13. cap 7. Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè, quo magis ſanctitas, & diuinitas cœleſtis huius ſacramenti uiro chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cauere ille debet, nè abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat, præſertim cùm illa formidinis uerba apud Apoſtolum legamus: Qui mãducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Quare communicare uolenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum: Probet autem ſeipſum homo. Hæc ibi. Vbi & ſubdens præcipit de ſacramentali confeſſione præmittenda neceſſariò, ut aliàs adductum eſt ſupra Gen. 49. concl. 5. & Leuit. 7. con. 4. & cap. 21. con. 7. & c. 22. concl. 2. Item Elucid. addi art. nu. 16. 149. In aliquo enim locorum citatorum illud præceptum Concilij reperies, & alia, contra Lutherum, contra quem ualebit & præſens concluſio, & hic ex Concilio dicta, atque dicenda. Confirmatio igitur eiuſdem, ac declaratio, ualdè etiam relucet ex ſeſſ. prædictæ cap. 8. Paterno affectu admonet ſancta ſynodus, hortatur, rogat, & obſecrat per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes, & ſinguli, qui chriſtiano nomine cenſentur, memores tantæ maieſtatis, & tàm eximij amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis preciũ, & carnem ſuam nobis dedit ad manducãdum, hæc ſacra myſteria corporis, & ſanguinis eius, ea fidei conſtantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant, & uenerentur; ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint; & is ucrè eis ſit anima, uita, & perpetua ſanitas mentis, cuius uigore confortati ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam peruenire ualeant, eundẽ panem Angelorum, quem modò ſub ſacris uelaminibus edunt, abſque ullo uelamine manducaturi. Hæc ibi. Quæ omnia ſupradicta faciunt etiam pro tertia concluſione ſequente, tàm atque contra Lutherum nunc prænarratum, ualere multum comperies, ſi cuncta benè (ut ſemper, & hic, & ubique debes) applicaueris. Pro præſenti loco te multum iuuabit cõclu. 4. cap. 11. Conſideratam, & in practica; quoniam experientia ſpiritualis te huic doctrinæ ſanæ conformia plurima ſingulariter docebit, in eaque doctrina mirificè confirmabit.

FAcient phaſe domino iuxta ceremonias, & iuſtificationes ſuas. Text.

Concl. 3. *Sex conditiones illa circumſtantes agit conueſtionem.*

meſtionem, quomodo iuſtè, ideſt dignè communicandum ſit, oſtendunt. [Ex eo.]

Ratio. CEREMONIAE circa agni manducationem obſeruatæ ideò appellantur iuſtificationes, ut ab hiſce manducationem illam dici iuſtam, nouerimus. Si itaque ceremonias illas adhibueris, comeſtio ſua iuſta erit; ſin autem non, minimè. Sicut ergo illę in figura contingebant antiquitus, ita in figurato aliquid noſtra tempeſtate futurum præſignabant. Quid prę ſiguabant? Modum, quo iuſtè paſcha noſtrum manducaremus; modum, quo Chriſti commenſales iuſtè fieremus; modum, quo ante Euchariſtiam (ut docet Apoſtolus) probaret ſi homo.

NOTATIO AVREA.

MOdus iſte ſingillatim uideri non poteſt, niſi ceremoniarum illarũ & numerum, & ſignificatum teneamus. Ceremoniæ quot ſunt? ſex. Quæ? Panes azimi (Exo. 12.), lactucæ agreſtes, renum accinctio, calciamentorum habitio in pedibus, tentio baculorum in manibus, & comeſtio feſtinata. Quid ſignificant? Audi ꝑ ſingula ordine, quo numerata ſunt.

¶Ceremonia prima. ſ. panes azimi, ſignificat intentionem
1 cordis optimam in communicari uolente. Quid eſt hoc? Quòd in intẽtione ſua nulla reperiatur infidelitas, ſed ſincera fidei ueritas. Sic enim fiet, ut fermentatum panem non habeamus, ſed azimum. Quid panis? Fides. Quid fermentum? Fidei corruptio. Quid azimum? Fidei pura ſimplicitas. Sicut nanque panis eſt principium uitæ animalis hominis, ita fides eſt principium uitæ ſpiritualis hominis; & ſicut fermentum eſt quid corruptum, ita corruptionem fidei importat, & ſicut azimũ dicit quid impermixtum, ita fidei impermixtionem ſonat. Debet ergo communicaturus credere firmiter circa hoc ſacramentum quicquid credit ſancta mater Eccleſia, & tunc cum agno panes azimos manducat. Debet & intendere communicando agere quicquid communicando agere intẽdit S. Eccleſia, & tunc cum agni carnibus panes manducat azimos. Quid credit illa? Verum Chriſtum Deum, & hominem perfectum, in ſacramento illo contineri. Si Deus perfectus, ergo tota ibi Trinitas, cùm in filio ſit pater, & Spiritus ſanctus iuxta illud Ioan. 10. Ego in patre, & pater in me eſt. Quod & de Spiritu Sancto intelligitur reſpectu utriuſque, prima quæſt. 42. artic. quinto. Si homo perfectus, ergo anima ibi tota, corpus totum, ſanguis totus, oſſa, nerui, quantitas Chriſti, & hæc omnia tota Concilium Triden. Seſſ. 13. S. Thom. 3. par. q. 75. 76. articulis multis. Quid intendit illa communicando agere? Incorporari Chriſto, mutari in Chriſtum, cibari Chriſto, & ſimilia.

¶Ceremonia ſecunda. ſ. lactucæ agreſtes, pœnitentiam cõ
2 municantis importat. Quid eſt hoc? Quòd planctum amarũ faciat ſuper omnes iniquitates ſuas, & de his confiteatur, proque his facere ſatis curet. Ecce lactucæ agreſtes. Sicut enim in lactucis illis amaritudo, ita in tribus illis, quæ diximus, contritione. ſ. confeſſione ſatisfactione amaritudo eſt.

¶Ceremonia tertia. ſ. renũ accinctio, caſtitatem communi
3 care uolentis inſinuat. Non enim debet quis ad menſam hãc accedere, niſi per tres ſaltem dies (iuxta illud. 1. Regum 21. ſi de uxoribus agitur, munda ſunt puerorum uaſa, & abſtinuimus ab heri, & nudiuſtertius) antè à complexibus maritalibus abſtinuerit. Abſtinuerit (inquam) quantum in ſe eſt, ideſt debitum non exegerit. Exactus nanque ſemper (iuxta ſacros canones) reddere tenetur. Quòd ſi exigendo non per tantùm tempus abſtinuerit, communionem differat, & communicari prohibeatur. Si uerò reddendo tantum non per huiuſmodi tempus caſtè uixerit, tunc iudicio ſuo relinquatur, an. ſ. communicari, uel t, nec nè. Quod autem circa uxoratos maritataſque diximus, hoc à fortiori de alijs hominibus intelligendum eſt. Ratio omnium prædictorum eſt, quia deuotio actualis neceſſariò in communicante requiritur, quæ per huiuſmodi uenerea uehementiſſimè impeditur. Similiter homo amore tantùm prolis actum matrimonij exequens ſuomet iudicio, an communicari uelit, relinquatur.

¶Ceremonia quarta. ſ. calciamẽtorum habitio in pedibus,
4 iniuriarũ remiſſionem in communicante deſignat. Cur enim calciamenta in pedibus deferuntur, niſi ut ab aduerſis (puta frigore, lapidibus, puluere &c.) protegatur pes? Quo meliùs ab inimicis protegitur quis, quam patiẽtia? Quid eſt autem patientia, niſi, quantum eſt de ſe, pacatum animum erga offenſores habere? Quid uerò eſt pacatum ſic animum tenere, niſi hoſtibus iniurias remittere, ipſiſque de cordibus noſtris reconciliari? Ecce, calciamentorum in pedibus habitio. Calciati ergo incedunt, pacifici, diſcalciati, contentioſi. Nec mirum, ſi Deus commenſales ſuos calciatos eſſe uelit. Quis enim ad Regis terreni menſam diſcalciatus accedere præſumat? Calciamenta in pedibus habere, tunc hortabatur Chriſtus, quando unicuique chriſtianorum dicebat: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te; uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuũ. Ac ſi dixerit: Si acceſſeris ad altare, & calciamenta ta in pedibus non habere cognoueris, uade prius, & calciamenta aſſume, & ſic calciatus ad altare manducaturus accede. Honor enim & gloria eſt, calciatum in menſa regis accumbere, dedecus autem ac uituperiũ, ibi diſcalciatũ eſſe. Quod ſi apud homines reges hoc pro inconueniente habetur, multò magis apud Deũ eſt incõueniens.

¶Ceremonia quinta, ſcilicet tentio baculorũ in manibus, 5
ſpem de miſericordia conſequenda in agnum comeſturo deſignat. Quid facis; dùm baculum habes in manu? Inniteris baculo. Sic ſpes eſt illa, cui fidelis anima innititur, & ſine qua anima ipſa dilabitur, atque conſternitur. Miſericordiæ igitur diuinæ initi debet communicans; nè ſua pœnitentia, ueluti Iudæ, reprobetur. Vnde etiam hanc ſpem concipere debeamus eadem littera innuit dicens: Tenentes baculos in manibus. De qua materia ſit baculus? De ligno. Vbi lignũ, anthonomaticè? Vbi crux. Tenet igitur baculum in manu, qui Chriſti crucem contemplatus attendit. Hac enim tanquam baculo, figuratus noſter Iacob Gen. 32. tranſiuit Iordanem; & hoc baculo ueluti alter Dauid. 1. Reg. 17. contra Goliã gygantem pugnando uſus eſt. Nonnè ſpem magnam generat crucis Chriſti meditatio? Imò magna maiorem, maximam, generat, conſeruat, adauget. Apoſtolum audi ſic prædicantem: Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Ac ſi dixiſſet. Crux unigeniti Dei cuiuſlibet rei ſpem grandem, quæ non confundat, certo certius in nobis dignè contemplantibus illam progignit. Quomodo enim (ecce inuictiſſima ſpei generatio) qui dedit incomparabiliter maius, non dabit incomparabiliter minus? Quomodo is, qui in maiori tàm liberalis fuit, in minori unquã illiberalis erit? Duo itaque ſententia illa. ſ. Tenentes baculos in manibus, includit; uidelicet ſpem ipſam, ac ſpei originem. Tranſeo, quòd ſpes illa noſtris quoque operibus innititur. Ideò additum eſt ly In manibus; quoniã manus cùm ſit organum organorum ſignificatur operationem.

¶Ceremonia ſexta. ſ. comeſtio feſtinata, charitatem in 6
communicaturo ſignificat. En pulcher ordo. Prius de fide, penultimò de ſpe, ultimo de charitate fit mentio. Comedetis (inquit) feſtinanter. Quid eſt charitas? Eſt ſolicita, non pigra. Per ſpiritum enim ſanctum diffunditur in nobis, cuius ſpiritus gratia neſcit tarda molimina. Ille itaque agnum comedit feſtinanter, qui magno cum deſiderio, magno cum appetitu, ad ipſum ſumendum accedit. Illi comedunt feſtinanter, qui præ comedendi uoluntate, famem patiuntur ut canes. Non ergo cum tẽpore, non ex conſuetudine, non ſine interiori guſtu comedes agnum Chriſtum, ſi illum comederis feſtinanter. Quinimò rítè monitum B. Io. Chryſoſtomi obſeruabis, qui in ſermon. Paucis hodie; quaſi exponens, quid ſit comedere feſtinanter, ait. Cùm igitur ad reuerendum altare aſcẽdis ſacrum Dei tui corpus, & ſanguinem in fide reſpice, honore mirare, mente contingẽ, cordis manu ſuſcipe, & hauſtu interiori aſſume. Hæc ille.

¶ Ceremonias igitur has. 6. quicunque habuerit, is dignè Coroll.
communicabit, & iuſtè. Hic è templo iuſtificatus deſcendet. Hoc ſignificauit littera præſens; dùm agni comedendi comites circunſtantias appellauit iuſtificationes.

¶ Applica ad ly Probet autem ſeipſum homo &c. ideſt dignus, & iuſtus accedat. Vel ad ly Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam. Hoc enim dictum, ſicut & ſimilia, intelligitur ſic: Qui manducat ceremonijs adiunctis. Quemadmodum. n. iſta illi manducationi ſuccedit. ita manducatio hæc ceremonijs ueſtita eſſe debet, ſicut & illa. Verum illa ceremonijs ad litteram, iſta uerò ceremonijs ad ſpiritum (ut declarauimus) intellectis. Vel &c.

CVmque ablata fuiſſet nubes, quę tabernaculum protegebat; proficiſcebantur &c. Text.

Concl. 4. *Effectus ſacramenti altaris præcipuus eſt prompta, facilisq́; in omnibus obedientia.* [Ex eo.]

Ratio. QVID eſt, quòd poſt determinationem comeſtionis phaſe cum iuſtificationibus ſuis, mox de profectu ſtatuque Iſraelitarum ad imperium domini fit mentio. Hoc eſt illud, quòd nos in præſenti docemus. Illa enim comeſtio, tanquam cauſa, præponitur; iſta obedientia, tanquam eius effectus, ſubiungitur. Nam uerè obedientiam fuiſſe promptã oſtendit littera, cùm per correſpondentiam dicit, ly cùm ly tunc ly in loco, ly ibi. Si enim cùm ablata fuiſſet nubes, tunc proficiſcebãtur; & ſi in loco, ubi ſteuiſſet, ibi caſtrametabatur; profectò promptè nubi dominum repræſentanti obediebãt. Facilem autem obedientiam fuiſſe textus aperit, dùm ait, ly Per uerbum, ly ad imperium domini, ly per manum Moyſi. Si enim ad ſolum uerbum domini, ſi ad ſolum imperium eius, ſi ad illud per manum Moyſi miſſum, obediebant hi, qui tàm duræ ceruicis olim fuerant, Exod. 32. proculdubio faciliter obediebant. In omnibus denique tùm rebus; tùm temporibus obedientiam iſtam fuiſſe perfectam textus inſinuat, cùm inquit, ly ablata proficiſcebantur, ly ſteriſſet caſtrametabantur; ly duobus diebus, ly uno menſe, uel longiori tempore &c. Si nanque ablata nube proficiſcebantur, ipſaque ſtante ſtabant; ſeu ad imperium domini proficiſcebãtur, & ad illius uerbum figebant tentoria; profectò in omnibus rebus (iſtæ ſunt affirmatio, & negatio) obediebant. Si etiam tempore, uel longiori, uel breuiori, ſecundum quòd iniungi ſibi uidebant, nubem uel in ſtatu, uel in motu ſequebantur, nulli dubium omninò reſtat, quin in omnibus temporibus obedientes eſſent. Quoniam uerò omnia in figura contingebant illis; ideò obedientia hæc poſt phaſe narrata obedientiam talem ueri Paſchatis effectum in nobis dignè (QVOD VTINAM) communicantibus fore denotat.

APPENDIX.

HINC habes, quò inſpiciendum ſit; quando de pro- 1 fectu, uel defectu, communicantium uis coniectarè. Ad obedientiam enim mandatorum Dei, ſiue ſuperiorum locum Dei tenentium inſpicias, & ſcias, quòd quantò tu in ea profeceris, uel defeceris, tãtò uel multum uel nullum ex cõmunione fructum reportaueris. Non ſine cauſa ſiquidem dictum hic eſt in fine capituli, quòd Iſraelitæ erant in excubijs domini iuxta imperium eius per manum Moyſi; ſed ad ſignificandum, quòd etiam ex obedientia ad ſuperiores locum Dei 2 tenentes profectus communicantium uideri poteſt. Secundò conſequenter habes cauſam, quare D. Auguſtinus dixerit. Quotidie communicare nec lando, nec uitupero. Vidit nanque Doctor iſte, aliquos poſt communionem in obediẽtia prædicta proficere; & ideò quotidie communicare nõ eſt uiſus uituperare. Vidit & aliquos poſt acceptum ſacramentum in obedientia ipſa deficere; & iccircò quotidie communicare non præſumpſit laudare. Primorum ſiquidem reſpectu quotidie communicare laudabile, non uituperabile eſt: 3 ſecundorũ uerò nõ laudabile, ſed uituperabile eſt. Tertiò eõ ſequẽter habes, quomodo diuerſorum doctorum in hac materia ſententias iuxta ſanum ſenſum intelligere, ac eas ad inuicem concordare, poſſis.

Text. SI fuiſſet nubes à ueſpere uſque manè, & ſtatim diluculo tabernaculum reliquiſſet, proficiſcebantur, ſi uerò biduo, aut uno menſe, uel longiori tempore fuiſſet ſuper tabernaculum, manebant filij Iſrael in eodem loco.

Concl. 5. *Eodem modo ad Dei regnum cõducti ſunt iudæi antiquitus, quo gentiles noſtris temporibus; niſi quòd clariori modo gentes nunc, quàm iudæi tunc.* [Ex eo.]

Ratio. NARRAT Euangeliſta Matthæus 2. quòd Magi ad Chriſtum uenerunt ſtellæ ducatu. Narrat hic Moyſes, quòd Iudæi ad terram promiſſionis uenerunt ducatu nubis. Quid magi? Gentes. Quid Chriſtus? Regnum Dei. Quid ſtella? Creatura inanimata nube lucidior. Quid terra promiſſionis? Regnum Dei ſub umbra. Quid nubes? Creatura inanimata ſtella obſcurior. Per creaturæ igitur inanimatæ inditium uenit uterque, iudæus ſcilicet ac gentilis ad regnum Dei: Sed luminoſius inditium gentili datum eſt, quam iudæo. Quorſum? In ſignum cognitionis futuræ. Iudæus namque obſcuriorem explicitè cognitionem de Deo tunc habuit; quam nunc gentilis. Vmbratica ſiquidẽ, & quaſi nube tecta, omnia iudæis tunc fuerunt, quæcunque aſſuerunt; lucida uerò, & aperta ſunt uniuerſa, quæcunque gentilibus à Deo donata ſunt. Hinc Apoſtolus illorum ſtatum noctem, iſtorum uerò diem nuncupauit, inquiens; Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Hoc ſignificatur & hic, cùm dicitur, quòd per diem operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis. Nõne diei ſuccedit nox? Vtique. Quid eſt ergo, quòd in die nubes apparet, in nocte autem quaſi ſpecies ignis? Quòd in ſtatu primæuo, iudaico ſcilicet obnubilata erant omnia in diuinã cognitionem ducentia (ideò nubes tegit tabernaculum), in nouiſſimo uerò ſtatu, gentilium ſcilicet lucida ſunt omnia in Dei notitiam ordinata. Lucida (inquam) ſic; quòd fidem non excludunt, & conſequenter ænigmaticam cognitionem. Hanc ob rem ſignificandam non eſt hic dictum, quòd erat ſpecies ignis, ſed, quòd erat quaſi ſpecies ignis. Quando erit ſpecies ignis? In patria, ubi nulla fides, ſeu nulla uiſio in ænigmate. Status ergo gentilium Eccleſiæ eſt medium quid inter ſtatum antiquorum iudæorum, & ſtatum beatorum. Plus ſiquidem licèt cognoſcat nunc Eccleſia, quam olim ſynagoga; adhuc tamen per fidem ambulat, non per ſpeciem: & licèt quaſi ſpeciem ignis uideat; non tamen adhuc ſpeciem ignis.

APPENDIX.

HINC habes à ſimili, quomodo ſtellę ducatum reſpectu Magorum intelligere ualeas. Nubes enim conducens hebræos figura fuit ſtellę conducentis magos. Vnde ſic arguere poſſumus. Quemadmodum nubes iſta quandoque ſtabat, quandoque mouebatur, ita ſtella magorum quandoque ſtabat, quandoque mouebatur. Quando ſtabat? Quando iudæos ſtare uolebat. Quando mouebatur? Quando iudæos moueri intendebat. Ad illius etiam motum, ſeu ſtatum, iudęi obedientes erant (ut habet littera). Longiori quoque, uel breuiori tempore mouebatur, ſeu ſtabat. Huius demum ſtatio, ſeu motus, uocabatur imperium domini, ſeu uerbum. Stella igitur mouebatur, & ſtabat, quando magos moueri, & ſtare uolebat. Ad ſtellæ etiam motum, ſeu ſtationem, magi obedientes erãt. Longiori quoque tempore (maximè ſecundum illos, qui magorum itineri bieunium aſſignant) ſtabat, uel mouebatur. Stellę huius tandem ſtatio, ſeu motus, imperium uocabatur, & uerbum domini. Secundò ſimiliter habes à ſimili, quid circa conditiones huius nubis aſſeuerare poſſis. Nam ſicut ſtella in ſex conditionibus ab alijs ſtellis differebat, ita etiam nubes hæc à cęteris nubibus diſtaſſe uidetur. Primò ab alijs ſtellis differebat in ſitu. Non enim ſtella localiter 1 ſita erat in cœlo, ſicut alię; ſed pendebat in aëris meditulio. Neque igitur localiter nubes iſta, ubi erant aliæ nubes, poſita erat; ſed in aere proximo pendebat circa tabernaculũ. Secundò in fulgore. Nam alijs ſtellis ſplendidior erat, in cuius 2 ſignum ſplendorem illius ſplendor ſolis non poterat obfuſcare. Neque igitur nubem hanc ſplendor ſolis diſgregabat, uel reſoluebat, ſicut alias nubes diſgregare ſolet, uel reſoluere. Tertiò in motu. Nam circulariter, ut aliæ ſtellæ, non 3 mouebatur; ſed quaſi motu animalis, & proceſſiuo, cùm, more uiatoris, præcederet Magos. Similiter nec motu continuo, ut aliæ ſtellæ; ſed diſcontinuato per quietem (ut a ſimili de nube dictum eſt). Neque igitur nubes iſta ad modum aliarũ nubium, neque circulariter, neque continuè, uel quaſi continuè, mouebatur; ſed motu quaſi animalis, & proceſſiuo, cùm Iſraelitas, more uiatoris, præcederet. Quartò in origine. Cæteræ 4 namque à principio mundi creatæ ſunt, iſta uerò nouiter. Neque igitur nubes hæc per attractionem Solis, ut cæteræ, facta eſt; ſed nouiter per creationem producta. Quintò 5 in officio. Aliæ ſiquidem ſtellæ factæ fuerunt in ſigna, & tempora; iſta ad hoc tantùm, ut magis ipſis uiam monſtraret. Neque igitur nubes hæc facta eſt ad hoc, ut terræ naſcẽtibus deſeruiret (quemadmodum aliæ nubes fiunt); ſed ad hoc tantùm, ut uiam Iſraelitis oſtenderet. Sextò in duratione. Aliæ 6 namque ſtellæ nunquam deſinent eſſe; iſta autem, officio ſuo peracto, rediit deficiens in præiacentem materiam. Neque igitur nubes hæc aliarum durationem maiorem, uel minorẽ ſecuta eſt; ſed tandiu durauit quouſque Iſraelitas in terram

promiſſam deduxit, ac poſtmodum in materiã præiacentem conuerſa eſt officio iſto completo.

¶Applica ad ly (Matth.2.) Vidimus ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum, &c.

Text. IGitur die, quo erectum eſt tabernaculum, operuit illud nubes &c.

Concl. 6. *Digne communicantibus, ſeu cum paſchatis iuſtificationibus paſcha celebrantibus, datur ſpecialis ducatus Spiritusſancti tum in tempore conſolationis, tum in tribulationis.* [Ex eo.]

Ratio. IGITUR de ſpeciali ducatu filiorum Iſrael à Spiritusſancto ſub ſpecie nubis, & ignis mentio immediatè poſt iuſtam celebrationem ipſius phaſe facta eſt, ut documentum concluſionis præſentis nobis per hoc inſinuaretur. In cuius ſignũ eſt, quòd iſte ducatus poſt huiuſmodi celebritatem cum illatiua coniunctione (ſcilicet ly Igitur) ſubiunctus eſt. Dicit enim littera ſic. Apud uos facient phaſe domino iuxta ceremonias, & iuſtificationes ſuas, præceptum idem erit apud uos tàm aduenæ, quàm indigenæ. Igitur in die, quo erectum eſt tabernaculum, operuit illud nubes &c. Ecce, quòd per illatiuam coniunctionem præmiſſus ducatus poſt prædictam celebritatem inducitur. Quaſi per ipſum contextum dicatur: Ex celebratione phaſe cum iuſtificationibus ſuis, ſequitur, quòd ipſi celebrantes à Spiritusſancto ducatu ſpeciali ad terrã ſupernæ promiſſionis iuuentur, & hoc ipſi per talem celebrationem merentur. Quod ſi ex ipſius phaſe antiqui obſeruantia habebatur, procul dubio magis ex noſtri phaſe.i. Euchariſtiæ digna obſeruatione trahetur. Specialis ducatus (inquit concluſio). Nunquid nõ ſpecialis tibi uidetur, quando ad quoslibet paſſus Iudæorum, ad quaslibet manſiones, ducatus ille præſens erat, oſtendens per ſingula, quid, quo tempore, qua hora, quo momento, fieri oporteret? Imò non ſpecialis modò, uerùm & ſpecialiſſimus, ſupraque (ſi dici licet) talis ducatus erat. Per diem (inquit littera), & per noctem. Quid ſpiritualiter per diem, niſi conſolationis, & per noctem, niſi deſolationis tempus intelligis? Etenim per diem adeſt Sol illuminans, calorẽ cauſans, malosque conſumens humores, per noctem uerò totum oppoſitum adeſt. Nonnè igitur per diem rectè conſolatio, per noctem uerò rectè deſolatio intelligenda uenit? Ducatus autem Spiritusſancti præmiſſus facit, ut in conſolationibus non eleuemur, & in deſolationibus non deprimamur. Facit, ut in die bonorum uè ſimus immemores malorum, & in die malorum ne immemores ſimus bonorum, ſecundum quòd admonemur ab Eccle. 11. Ducit nos igitur per ſemitas æquitatis, cùm faciat nos non declinare ad dexteram per ineptam lætitiam, neque ad ſiniſtrã per immoderatam triſtitiã.

Applica ad ly Qui manducat me, ipſe uiuet (Euangelium) propter me. Hoc eſt. Ego ſpecialiter habebo curam ipſius, qui dignè manducat me. Vel ad ly (idẽ) In me manet, & ego in illo. Hoc eſt. In me manebit ille per hoc, quòd totus animi cuique meo uoluntariè ſubdetur: ego manebo in illo per hoc, quòd illum ſpeciali cura ubique ſemperque protegam. Vel ad huiuſmodi &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

CONCLUSIO hæc 6. cap. 9. deſtruit affatim hæreſes Enthuſiaſtarum, Armenorum, & Tandemi, de quibus cum earum damnatione, habes ſupra Gen. 49. con. 2. & Exod. 16. conclu. 6. Hic enim, magnam utilitatem afferri ex Euchariſtiæ cibo ſacramentali, patet; ſi uel minimam collationem figuræ ad figuratum quis (ut debet, ex Leuit. 8. con. 2.) faciat. Damnatur, & à Concilio Triden. ſeſſ. 13. cap. 2. ubi multis fructibus Euchariſtiæ narratis, poſtea cano. 5. inquit. Si quis dixerit, uel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, uel ex ea non alios effectus prouenire, anathema ſit. Hæc ibi. Item à Chriſto ipſo Ioan. 6. ubi paſſim tanti ſacramenti mirabilia, quæ in ipſum dignè manducantibus cauſat, uerbis perſpicuis edocet. Hinc Chriſti dicta ipſa explicans & Cyrillus lib. 4. ſuper Ioannem, capit. 17. ait: Pias quæſo cogitationes ſuſcipias, ſtudioſè ſanctéque uiuas, & benedictionẽ participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolum, uerum etiam morbos omnes depellit. Sæpè enim, cùm in nobis maneat Chriſtus, membrorum noſtrorum legem mitigat, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, & ſicut bonus paſtor, qui animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit, ab omni nos erigit caſu. Hæc ille. Et Chryſoſtomus Homil. 45. ſuper Ioan. ſpeciatim de ſanguine in ſacramento hoc nobis dato, inquit. Hic ſanguis effuſus vniuerſum abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebræos proſecutus eſt. Hic ſanguis abdita, & ſancta ſanctorum purgabat. Quòd ſi eius figura tantam habuit uim in templo hebræorum, & in media Ægypto liminibus aſperſus, longè magis ueritas. Hic ſanguis aureum altare ſanctificauit. Sine hoc princeps ſacerdotum penetralia ingredi, non audebat. Hic ſanguis ſacerdotes faciebat; hic ſanguis peccata purgabat. In quæ ſi tantam habuit uim; ſi umbram ita mors horruit, quantoperè quæſo ipſam formidabit ueritatem? Hic noſtrarũ animarum ſalus eſt, hoc lauatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic ignè clariorem noſtram mentem reddit, & auro ſplendidiorem. Huius ſanguinis effuſio cœlum peruium fecit. Admiranda ſanè Eccleſiæ myſteria, admirabiſe ſacrarium. Ex paradiſo fons ſcaturijt, à quo ſenſibiles fluuij emanarunt. A menſa hac prodijt fons, qui fluuios ſpiritales diffundit. Iuxta hunc fontem non ſteriles ſalices germinant, ſed quercus cœlum ipſum attingentes, quæ fructus tempeſtiuos, & ſolidos ſemper producunt. Si quis æſtuat; ad hunc fontem ſe conferat, & recreabitur. Mundat ſqualorem, & ſordes, æſtus mitigat, non ſolares, ſed quos ignitæ ſagittæ imprimũt. Etenim ortum ſuum supernè habet, indè radicem, unde irrigatur. Multi huius fontis riui, quos paraclitus diffundit, & filius arbiter eſt, neque bidente, neque ligone uiam facit, ſed animos noſtros aperit. Hic fons lucis diffundens radios ueritatis; hic ſuperiores aſtiterunt uirtutes fluctuum eius pulchritudinem inſpicientes. Nam manifeſtius, quàm nos, illæ propoſitorum uirtutem, & fulgorem inacceſſibilem intuentur. Hæc ille. A quo diſcas, optimum fieri proceſſum ex figuris ad figurata; & à fortiori uerificandũ eſſe de figuratis uirtuoſum illud, quod de figuris uerificatum præceſſerat. Simile habes de proceſſo huiuſmodi à Concilio Hiſpalenſi ſecundo, ad litteram obſeruatum, & elicitum, ſupra Leuit. 8. conclu. ſecunda. Faciunt prædicta etiam pro octaui cap. concluſionibus 8. 9. & huius 1. 2. 3. Valent quoque contra impios errores de templis &c. ſupra Geneſis 12. conclu. 3. 5. & cap. 28. conclu. 3. 4. & cap. 35. conclu. 1. narratos, atque damnatos. Item Leuit. 26. concluſio prima, & capit. 27. conclu. 5. Item Numer. 4. conclu. prima, & capit. 7. conclu. 1. 2. Sed & Exod. 25. concluſ. quarta, & cap. 26. concluſ. prima, & cap. 38. concluſ. prima, & cap. 39. concluſ. prima. Item ualent contra hæreſes timorem Dei in hominibus eneruare conantes, quæ narrantur, atque damnantur ſupra Geneſis 40. concluſ. ſecunda. Item Leuit. 21. conclu. ſeptima, & cap. 22. concluſ. ſecunda, & cap. 7. conclu. quarta. Item Leuit. 6. conclu. quarta, & capit. 24. conclu. prima. Cùm enim tot, tantaque mirabilia in ſacramento altaris reperiantur, quod ſacramentum in templis aſſeruatur; patet, quòd quæ ibi contra templa, eorum uè cultum, euomuntur, errores damnabiles ſunt. Rurſum. Quis non uideat, timorem maximum in hominibus requiri accedentibus ad tale Euchariſtiæ ſacramentum; cùm tanta maieſtas ibi tot mirabilibus effectibus comitata reſideat? Et per conſequens, quis tàm cæcus, qui non commeatur, eá, quæ dicuntur talem reuerentiæ timorem ad ſic tremendam Maieſtatem diminuentia, eſſe errores manibus pedibusque ab omni catholico obnixè reprobandos? Vide tu omnia loca ſupra citata; & inde, erroribus quibuſcunque depulſis, concluſionem præſentem contra illos pugnantem confirmari uiciſſim (applicando ſingula) conſpicies.

CONCLV-

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO X.

Text. Vibus conuocare poſſis multitudinem, ſi exieritis ad bellum &c. Clangetis vlulantibus tubis &c. ſi quando habueritis epulum, canetis tubis &c.

Concl. 1. *Clangor tubæ in die iudicij tria fienda ſignificat, ſcilicet congregationem uniuerſorum populorum ante Dominum Deum, punitionem uniuerſalem impiorum, & uniuerſalem bonorum retributionem.* [Ex eo.]

Ratio. Ecce. Tubæ iſtæ, quas fieri iubet dominus, ad tria officia ordinari dicuntur: videlicet ad congregandum populum, ad bellum intimandum, ad feſtum ſolemnizandum. Hæc in figura diei iudicij dicta ſunt, quando angelici ſpiritus in tuba Dei clangent. Tunc ſiquidem ad Chriſtum congregabuntur omnes gentes; tunc armabitur omnis creatura in ultionem inimicorum; tunc leuabunt iuſti capita ſua .i. diem feſtum agent, quoniam appropinquabit redemptio ſua. Ideò ad ſignificandum tale Angelorum miniſterium dicitur hic, quòd non quæcunque, ſed filij Aaron ſacerdotis clangent tubis. Qui ſunt principales filij Aaron ſacerdotis, niſi Angeli? Hi namque ob hoc ſepius in ſcripturis abſolutè dicuntur filij Dei. Nonnè Aaron ſacerdos Chriſtum ſummum ſacerdotem, qui Deus eſt, ſignificat?

¶Applica ad ly (Apoſtolus) Ipſe dominus deſcendet in uoce Archangeli, & in tuba Dei. Vel ad ly (Eccleſia) Tuba mirum ſparget ſonum per ſepulcra &c. Vel ad &c.

Text. FAc tubas argenteas. Cùm increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis. Clangetis ululantibus tubis, ut eruamini de manibus inimicorum ueſtrorum. Si quando habebitis epulum, &c. canetis tubis &c.

Concl. 2. *Campanarum uſus, & ſonus, ſonuſque diuerſus, eſt à Deo, atque ad tria illa ſonus ordinatur, ſcilicet ad conuocandum populum in templum, ad poteſtates aduerſas coheercendas, ad aliquem diem feſtum ſignificandum.* [Ex eo]

Ratio. Tubæ iſtę campanas in Eccleſia Dei futuras repræſentant, tùm ex materia, tùm ex forma, tùm ex fine. Ex materia quidem, quia argenteę ſunt; ex forma deinde, quia ductiles ſunt; ex fine demum, quia ad tria ordinatę ſunt. Vnde campanas ex argento conficiendas, ductu quodam percuſſiuo pulſandas, ad tria ordinandas rectè figurant. Cùm itaque tubarum iſtarum & uſus, & ſonus, & ſonus uarius, & triplex harũ finis à Deo ſit, clarum relinquitur, quòd omnia hæc de campanis præfigurata hic à Deo ſint. Repetiuntur ergo campanæ; quare? Quia Deus ſic in hac figura conſtituit. Sonant campanæ; quare? Quia ſic Deus inſtituit. Variè, iuxta tempora diuerſa, ſonãt: quare? Quia ſic Deus iuſſit. Pulſantur ad conuocandum populum in Eccleſiam; quare? Quia ſic Deus iniũxit. Pulſantur ad poteſtates aduerſas comprimẽdas, puta grãdinem, fulmina, Demones iſta huiuſmodique commouentes; quare? Quia ſic Deus uoluit. Pulſantur ad feſtum aliquod ſignificandum; quare? Quia ſic Deus ordinauit.

¶ Sacra ergo inuocatio, exercitatioque campanarum, eſt in Eccleſia Sancta Dei. A ſacris ergo .i. aliquo ordine initiatis hominibus pulſari tantùm campanæ deberent. Vnde ad hoc ſignificãdum datur ordo, qui hoſtiariatus dicitur, à quo deinde hoſtiarius, ſeu ſacriſta, denominatur. Ad hoc etiam ſignificandum in littera præſenti dicitur, quòd filij Aaron ſacerdotis (hi nunc dicuntur omnes clerici) clangent tubis. Hoc autem, quòd .ſ. campanæ à clericis largè ſaltem dictis pulſari tantum deberent, ſit de congruitate maiori dictum, non de neceſſitate. Actus enim omnium ordinum minorum fieri poſſunt per non habentem aliquem ordinem (teſtatur D. Thoma), quia ſic habet cõſuetudo generalis Eccleſiæ. Cupit tamen Concilium Trid. & rectè, ut miniſteria etiam quatuor minorum ordinum à clericis in dictis ordinibus tãtùm exerceantur, ut patet ibi Seſſ. 23. cap. 17. de refor.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

EX Concluſione hac 2. (ſicut ex 3. 4.) capit. 10. inferas, quòd ſonus campanarum ipſarum pertinet ad genus cultus diuini. Et reuera ſic eſt. Quamuis enim non ſint primi ordinis pertinentium ad talem cultum (cuiuſmodi nunc eſt ferre crucem, ſtatuas ſanctorum, ſeu reliquias, in proceſſionibus, ſicut in lege antiqua erat geſtare archam Domini): tamen eſt ſecundi; & per conſequens magis ad diuinum cultum pertinens, quàm illa, quæ ſunt ordinis tertij. Nam ſonus campanarum, puta ad Miſſam, ueſperas, prædicationem, & huiuſmodi, eſt uia præparatoria ad Diuinum cultum, ſicut in antiqua lege erat præparatio uictimarũ excoriando, lauando, & huiuſmodi. Et quia talis uia præparatoria eſt ſimultanea cum ipſo cultu (ut patet); ideò ſonum ipſum campanarum magis pertinere dixi ad diuinum cultũ, quàm illa, quæ ſunt tertij ordinis. Hæc enim quamuis ſint etiam preparatoria, non tamen ſunt ſimultanea, ſed per diem unum, uel plures antecedentia, ut eſt ornare templum, mundare ſcopis ipſum, conficere hoſtias pro Miſſis celebrandis. Patet igitur ex prædictis, quòd pertinentium ad cultum diuinum aliqua ſunt conſiſtentia in ipſo cultu (Hæc dicta ſunt, primi ordinis), aliqua ſunt pręparatoria ad cultum diuinum, ita quòd ſunt ſimultanea cum ipſo (Hæc dicta ſunt, ſecundi ordinis), aliqua ſunt præparatoria, ſed non ſimultanea (Hęc dicta ſunt, tertij ordinis). Conſequenter ergo patet ex iis, quòd concluſio iſta 2. cum 3. & 4. ualet contra negantes, cultum diuinum exteriorem. De quo errore, cum authoribus, & damnationibus ſuis uide ſupra Exod. 25. con. 4. & cap. 26. con. 1. & cap. 38. con. 1. & cap. 39. con. 1. Item Leuit. 26. con. 1. Item Numer. 4. con. 1. Item Exo. 30. cõ. 4. & cap. 40. con. 1. Item in Elucid. Addi. ar. num. 310. Ex his dic contra illos errores, quòd campanæ meritò benedicuntur, ſeu dedicantur, ſicut & ueſtes cãdelæ, ac huiuſmodi, quæ pertinent ad cultum diuinum in primo, uel ſecundo ordine.

ET erit recordatio ueſtri coram domino Deo ueſtro. Text.

Concl. 3. *Campanarum ſonus, ſeu pulſatio, ad implorandum impetrandumque auxilium diuinum ualet.* [Ex eo.]

Ratio. Tunc dicitur Deus recordari noſtri in bonum (ſicut in textu, Recordari, ſumitur) quando noſtri actualiter miſeretur .i. nobis actualiter auxiliatur. Quid modò habes in littera? Quòd clangor harum tubarum erit recordatio quędam noſtri coram dño Deo noſtro .i. faciet modo ſuo, quòd Deus recordabitur ad utilitatẽ noſtram. Cùm ergo tubarum clangor ſonum campanarum figuret (ut ex antedictis habetur) patet id, quod in præſenti concluſione docemus.

ERit uobis in recordationem Dei ueſtri. Text.

Concl. 4. *Campanarum ſonus ordinatur ad hoc; ut nos recordemur beneficiorum Dei.* [Ex eo.]

Ratio. Erit (inquit) uobis in recordationem Dei ueſtri. Hoc eſt, ordinabitur ad hoc, ut nos recordemini actualiter Dei ueſtri, hoc eſt beneficiorum à Deo ueſtro uobis collatorum.

Corol. ¶ Ergo rectè inſtitutum eſt, vt pulſetur, Aue Maria. Nam iſta pulſatio fit in recordationem Dei noſtri, i. ordinatur ad hoc, vt nos recordemur beneficij præcipui à Deo nobis facti, quod eſt incarnatio unigeniti Dei patris, ſiue annunciationis Dominicę. Ergo rectè ordinatum eſt, ut in ciuitate Fauentię hora ſecunda noctis Aue Maria, quæ dicitur Angeli, ab una tantùm Eccleſia pulſetur. Nam fit hoc in recordationem nobis Dei noſtri; quia ſcilicet tali hora beneficium iſtud illi urbi a Deo factum eſt, quòd uidelicet Angelus tunc nullo homine uiſibiliter campanam pulſauit. Vnde quia hoc eſt beneficium particulariter, ideò ab una tantùm Eccleſia pulſatur: quia verò illud eſt beneficium maximè uniuerſale, ideò ab omnibus Eccleſijs pulſando recolitur. Quod autem de Aue Maria, pulſatione in huius beneficij recordationem dixi, ad aliorum beneficiorum pulſationes applicari proportionaliter poteſt. Diſcurras ergo tu.

Not. ¶ Pro ſupradictorum faciliori captu, quòd ſcilicet tubæ iſtæ campanas figurẽt noſtras, aduertas & hoc aliud. Eritque (ait littera) hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Hæc ergo ceremonia adhuc in Eccleſia Chriſti, quã ſynagoga præſignabat, inueniatur, oportet. Quid modò aliud pro figurato iſtarum tubarum conuenientius (ut uiſum ſupra fuit) adduci poteſt, quàm campanæ? Campanarũ igitur, uel alicuius loco illarum, uſus ſemper in Eccleſia Sãcta Dei perdurabit. Alioquin quomodo hoc eſſet legitimum ſempiternum in generationibus noſtris?

Text. NVbes quoque domini ſuper eos erat per diem, cum incederent.

Concl. 5. *Spiritus Sanctus non tantùm oſtendit nobis uiam, per quam incedamus: ſed etiam dum per illã uiam incedimus refrigerat nos, conſolatur nos, quodam mirabili modo à defatigatione cuſtodit, ab omnique peccato ac aduerſitate defendit.* [Ex eo]

Ratio. NVBES iſta Spiritum Sanctum in nube quandoque, vt in Chriſti transfiguratione, apparentem ſignificat. Quid faciebat iſta nubes? Viam Iſraeli oſtendebat, quid quo tempore fieret admonebat, iuxta id, quod in nono capitulo littera docet. Quid aliud faciebat? Populum illum ab æſtu, utpotè ſuper illum extenſa, protegebat, ac per hoc conſolationem illi mirabiliter afferebat. Spiritus Sanctus ergo nos operari facit, & diſcrete operari (hoc ſignificauit nubes, per id, quòd quandoque mouebatur, quandoque immota manebat); nos uitam actiuam uiuere aliquando, aliquando contemplatiuam facit (hoc etiam nubes per id, quod nunc diximus denotauit. Hinc, quando immobilis manebat, in textu dicitur, quòd Iſraelitæ erant in excubijs domini. Quid eſt eſſe in excubijs domini ſtando, niſi apertè uitam contemplatiuã deſignare?); & tamen, dùm per uias illas incedimus, nos obumbrando refrigerat, ab æſtu tentationum protegit, atque mirabiliter à fatigatione tuetur.

Corol. ¶ Ergo rectè canit Eccleſia in Sequẽtia 1. de Spiritu ſancto, quòd Spiritusſanctus eſt in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium: Ergo rectè Pſalmus de anima, in qua eſt Spiritusſanctus, ait: Terra tremuit, & quieuit. Tremuit, quare? Quia uarijs laboribus occupatur, multis operibus inſiſtit, tribulationibus plurimis grauatur, ac præ multiformi operum paſſionumque uarietate nunquam in eodem ſtatu permanere uidetur. Quieſcit, quare? Quia rore Spiritusſancti dulcedine intus refocillatur; diuinis conſolationibus intus ſubleuatur, gratia Dei munere in unum intus colligitur, ac ſemper in omnibus eadem perſeuerat. Ecce, quomodo terra in in eodem tempore tremit, & quieſcit. Quis non tremeret per deſertum (ut alter Iſrael) quotidianarum afflictionum incedens, cùm ſibi ſerpentum uariæ facies occurrunt, cùm ſibi difficultas itineris indies inſtat, cùm ſub dìuo continuè manere cogitur, cùm panis, & aqua ſibi crebrò deficiunt, cùm terra cœlorum promiſſa uiuentium differtur, & ſua dilatione affligit animam, ac terrena inhabitatio deprimit ſpiritum multa cogitantem? Quis non quieſceret Spiritus Sancti nube protectus, tota perfuſus protectione ſecurus? Nubes hęc non datur niſi per deſertum incedentibus; quia Spiritus Sancti conſolatio non niſi ab his, qui uitam præſentem horridũ deſertum (ut decet), æſtimant, percipitur. Quia tremit terra ſimul & quieſcit, dicebat anima in canticis; Nigra ſum, ſed formoſa. Nigra ratione afflictionum, formoſa ratione conſolationum. Quia tremit terra ſimul & quieſcit, dicebat Apoſtolus. Licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem. Quia nubes datur, ſed in deſerto datur, dixit Pſalm. Renuit conſolari anima mea (en deſertum), memor fui Dei, & delectatus ſum (ecce nubes). Quia nubes datur in deſerto tribulationum exercentibus, dixit Apoſtolus: Fidelis Deus, qui non patietur, uos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut poſſitis ſuſtinere. Vide fidelitatem Dei. Non tantum non grauari nos ſupra uires patitur: uerum & nobis grauatis nõ ſupra id, quod poſſumus, conſolationes impartitur, ut ſuſtinere poſſimus. Quia igitur nos, grauari patitur, ideò nos per deſertum ambulare facit, quia uerò nõ patitur, nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed facit cum tẽtatione prouentum; ideò nobis in deſerto laborantibus nubem extenſam in continuam protectionem donat. Apoſtolus igitur, Pſalmus, Cantica, & Eccleſia nubem hanc in deſerto per ſpiritum uiderunt, qñ ſupradicta protulerunt.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Nubes lucida obumbrauit eos. Quos, eos? Eos, qui in monte transfigurationis, id eſt, malæ ſ. uitæ in bonam, manent. Vel ad ly (Pſalmus) Per diem ſol nõ uret te. Quare? Quia Nubes domini (ut hic dicitur) ſuper eos erat per diem, cùm incederent. Vel ad ly (Euangelium) Spiritusſanctus obumbrabit tibi. Quare? Quia eſt nubes. Quotquot ergo huic nubi in bonum tribuimus, tot Spiritui Sancto tribuere potes. Vl ad &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 5. cap. 10. deſtruit hæreſim, contra quam Concilium Mileuitanum fuit congregatum. Quæ autem ſit illa, prudens lector facilè percipiet ex damnatione ab ipſo Concilio pronunciata contra ipſam capit. 4. Quiſquis dixerit, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid uitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque ualeamus; Anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus; Scientia inflat, charitas uerò ædificat, ualdè impium eſt, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti, ad eam, quæ ædificat, non habere, cùm ſit utrunque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. Hæc ibi, & recitantur partim, de conſecra. diſtin. 4. cap. Quiſquis dixerit. Ex quibus benè applicatis firmatur etiam præſens concluſio.

Text. SVrge domine, & diſſipentur inimici tui.

Concl. 6. *Situs corporales Deo attributi, important eius effectus.* [Ex eo.]

Ratio. SITVS corporeus eſt ſtare, ſedere, ſurgere &c. Hic littera Deo attribuit ſurgere (ut patet), & conſequenter ſitum corporeum. A ſimili ergo, quid alij ſitus huiuſmodi in Deo dicant uidebimus; ſi inſpexerimus quid ſurgere in ipſo dicat. Surgere itaque quid ponit in Deo? Non mutationem, ſeu uariationem aliquam, ſed effectum ſolummodo ipſius. Quomodo? Audi: Surge (inquit) Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Ac ſi apertius dicat. Tuum ſurgere erit diſſipatio inimicorum tuorum, & odientium te fuga. Tunc ſurges, quando inimicos tuos diſſipabis, & odientes te in fugam conuertes. Tunc, & non prius, te ſurrexiſſe cognoſcemus, quando inimicos tuos diſſipari, & odientes te fugari uidebimus. Ab effectu igitur ſitus Dei cognoſcitur a nobis. Et quoniã ſitus talis incorporeo immutabilique Deo competere non poteſt; ideò ſitum ipſum nil pręter effectum appoſitum importare neceſſariò fatemur.

Not. ¶ Appoſitum (dixi nunc) effectum, quoniam pro diuerſitate appoſitę litterę effectũ diuerſum ſurgere ipſum deſignat. Subiunctus igitur textus quædam notificatio eſt, cuiuſnam ſenſus ipſum ſurgere tunc capax exiſtat. Senſum itaque prædictum faciliè eſt agnoſcere, licèt uarius ſit, quandoquidem contextus litteræ hunc omnibus patenter indicat. Verbi gratia.

tia. Exurge domine, adiuua nos, & libera nos. Exurge domine, & ne repellas in finem. Excitatus eſt dominus, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora. Surge domine in requiem tuam. Et alia huiuſmodi. Quid eſt Exurge domine, adiuua nos, niſi apertè monſtrare, quòd exurgere illic ſtat pro adiuuare, & liberare? Quid eſt, Exurge & ne repellas in finem; niſi clare monſtrare, quòd illic ſtat exurgere pro non repellere in finem? Quid eſt, Excitatus eſt dominus, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora; niſi fateri patenter, quòd excitati idem ibi eſt, quod percutere inimicos ſuos in poſteriora? Quid eſt, Surge domine in requiem tuam; niſi manifeſtè dicere, quòd ſurgere ibi ſtat pro dare nobis requiem ſuam ſanctam?

QVÆSTIO.

SEd inquies. Si ſurgere, exurgere, excitare &c. ſolummodò effectum dicunt in Deo (ut præmiſſum eſt): ergo ſuperfluè uidetur apponi ly Surge, ubicunque apponitur; quod eſſet quędam nugatio. Verbi gratia. Surge domine, & diſſipentur inimici tui. Si ly Surge, idem eſt quod inimicos diſſipari, poterat breuius dicere; ò Domine diſſipentur inimici tui, nec uidetur fuiſſe neceſſe addere ly Surge. Quomodo ergo hic non ſuperfluitas & nugatio, ſi, quæ dicta ſunt, uera ſunt?

RESPONSIO.

QVOTIESCVMQVE ad alicuius ſignificati expreſſionem ualet id, quod apponitur; tunc illud non dicitur ſuperfluitas, atque nugatio. Quoniã igitur ly ſurge ad alterius ſignificati expreſſionem ualet; ideò non ſuperfluè, ac nugatoriè, ſed neceſſariò ſatisque compactè in textu apponitur. Licet enim aliud nõ importet ly Surge, quàm diſſipare inimicos; ut ly Aliud nominat ſitum, aliud tamen imò plura, importat ly Surge; vt ly Aliud non dicit ſitum. Quæ ſunt illa plura, per ly Surge, importata? Primum eſt alicuius inanimati Deum repręſentantis huiuſcemodi ſituatio: ſecundum eſt diuinorum ab hominum actis deſcriptio: tertiũ eſt incarnationis diuinę præſignatio: quartum eſt facilitatis Dei in quacunque operatione tali denuntiatio.

1 ¶ Pro primi capiti ſciendum in propoſito, quòd arca iſta Deum repręſentabat. Hinc eſt, quòd arca mota dicebatur Deus moueri, arca ſtante dicebatur Deus ſtare; arca ſurgente dicebatur Deus ſurgere; arca depoſita dicebatur Deus ad multitudinem exercitus Dei reuerti (ut habetur in litera). Quod autem dico de arca; de omnibus Deum repręſentantibus (puta Nube, ſupra. 9. Rubo, Exodi 3.) dicendum eſt.

2 ¶ Pro ſecundi intelligentia illud apoſtolicum aduertas. ſ. quòd inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Hinc eſt, quòd per conformia humanis actibus diuina ſępè deſcribuntur, ut ex nobis notis, remota imperfectione omni, retenta que perfectione, in cognitionem ueniamus ignotorum. Verbi gratia. Quid facit homo iratus? Punit; uindictam exercet. Attribuimo ergo iræ Deo non paſſionem illam (hæc imperfectum aliquid habet), ſed punitionẽ (hæc perfectum quippiam, cùm dicat actionem, ſonat) ſignificare dicitur: Quid facit homo ſurgens? Vires ſuas in hoc oſtendit, aduerſarios terret, ſua tuetur, ſuis ipſum uidentibus animum præſtat, eſt ad pugnandum expeditus, eſt bellatori ſimilis, eſt ad ambulandum paratus, & fortitudine ſe præditum eſſe per hoc ipſum demonſtrat. Surrectio igitur hic attributa Deo nõ ſitum illum partialem (imperfectum quid ille, cùm motionẽ inferat, dicit); ſed uniuerſa nunc prædicta deſignat. Idem ergo eſt, ac ſi per ly Surge dicatur: O Deus uires tuas oſtende; aduerſarios terre; tuum populum, tuum honorem, tua omnia tuere; nobis creaturis tuis animum adauge; ſis pro nobis ad pugnandum feſtinus; ſis pro nobis belligerans, & belligerando uictor (Nam quamdiu belligerans quis ſtat rectus, tandiu non uincitur, ſed uincit: quoties ex duobus bellantibus unum ſuccumbere oportet); fac nos ad ambulãdum paratos in uia tua; & te fortitudine ubique ualere demonſtra. En quot, & quãta ſignificat ly Surge; quando Deo, ut Deus eſt, aſcribitur.

3 ¶ Pro tertij notitia apoſtolicum illud memora, quòd ſ. omnia in figura contingebant illis. Quid per omnia hic intelligis? Omnia corporea, ſeu ad corpus attinentia, dicta de Deo. In figura cuius contingebant? In figura incarnationis unigeniti Dei. Cum enim Deus tunc futurus eſſet homo, hominique ad litteram corporei ſitus, corporeaque reliqua conuenitant; Aurtmp patet, quòd Deus, inquantum homo, ſituationes huiuſmodi, ſicut & cætera corporea, ad litterã habiturus erat. Cõgruenter ergo iſta Deo & iuxta literæ ſenſum, tribuebãt antiquitus.

¶ Pro intellectu quarti recole, quòd ſurgere in Deo, ut Deus eſt, effectum (puta liberationem, percuſſionem &c.) tantùm importat. Quaſi ergo dicatur. Deus eadem facilitate liberat, percutit hoſtes, diſſipat inimicos, ſe odientes fugat, aliaq; facit, qua facilitate robuſtiſſimus quis, ut Deus exiſtit, ſurgere a ſeſſione poteſt. Imò facilitatem maiorem in Deo cognoſce per hanc ſcripturarum locutionem ſciens, quòd figura illa, quæ contraria ipſi hyperbole eſt, ſacrum eloquium frequẽter uti ſolet. Minus ergo dicit, plus ſignificat, cùm Deo inquit; ſurge, & diſſipentur, &c. ideſt maiori facilitate diſſipabuntur, ſeu diſſipari poſſunt a te inimici tui; quam robuſtiſſimus quiſpiam è terra ſurgere ualet. 4

APPENDIX.

HINC habes primò, quòd ly Et, accipitur hic pro ideſt, cùm dicitur, Surge domine, & diſſipentur &c. Si enim ſurgere Dei eſt ſuus effectus (ut dictũ eſt), dicemus nos. ſurge, & diſſipentur; hoc eſt ſurge, ideſt, diſſipentur. Diſſipentur enim eſt quædam declaratio illius uerbi, Surge. Hoc & in alijs ſimilibus locis (puta, ſurge & libera: Exurge & adiuua: Excitatus eſt dominus, & percuſſit &c.) per omnia intelligito. Secundò habes (ab oppoſitis), quomodo in ſenſu uero gloſandum ſit quicquid Deo ſeſſionẽ, dormitionem, aut huiuſmodi ſurgere ipſi contrarium, aſſignat.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XI.

CVmque clamaſſet populus ad Moyſen; orauit Moyſes ad dominum, & abſorptus eſt ignis. *Text.*

Concl. 1. *Benefaciunt, qui ad Deum recurrunt per interceſſores medios.* [Ex eo]

FLAGELLATVS populus à Domino; ad dominum populus per Moyſen recurrit; Dominus exaudit Moyſen pro populo, ab eoque flagellum remouet. Vide; quantum proficit mediatoris. Indignus eſt populus exaudiri, quoniam murmurat contra dominum, & tali murmuratione, ut nihil ſupra. Habentes enim manna pro cibo præponunt ei, & cepe, & porros, & allia. En ingratitudo, & quanta. Intolerabilis ſanè. Quem non ad iracundiam concitaret tale murmur? Indignus igitur eſt populus, ut exaudiatur; imò dignus, ut flagellis maioribus conteratur: & tamen id, quod per ſe non poſſet multitudo; per unum interceſſorem apud Deum obtinet. Multitudo defecit, unus profecit. Non ergo in multitudine dominus, ſed in eo, qui timet dominum. Verè bonus dominus, qui tantæ multitudini per unius ſerui ſui orationem parcit. Quoties huic multitudini per illius famuli ſui interuentionem indulſit? Plena ſunt omnia. Nec tantum populo fideli, ſed & infideli (puta Pharaonico) huius Moyſis intuitu miſertus ſæpè fuit dominus. Vide, quantum ualeat interceſſio ſanctorum. Nonnè præſens ſimile factum rememorat Eccleſia cùm in multis collectis Deo dicit: Vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur? Vel, Vt quod noſtris meritis non ualemus, eius patrocinio aſſequamur? Vtique. *Ratio.*

NOTATIO.

QVID ergo miraris; ſi Chriſtus unus exiſtens totum humanum genus tanta indigniſſimum Deo patri reconciliauit; ut ab iſto ignem amoueret inferni; & iſti carnem ſuam manducandam tribueret affluenter? Quid ergo miraris, ſi mundum totum in maligno poſitum orationes ſanctorum, & Beatiſſimæ Virginis matris præcipuè, ſuſtentãt adhuc; ac, nè ſubitò à furore domini igne ſuccendatur, efficiunt? Hoc in ſenſu intelligere potes illa ſcri

pmræ dicta; quæ nobis à tot annis indies diem, qui per ignẽ futurus eſt, propinquiſſimum prædicatur. In quo ſenſu in hoc, ꝙ ſcilicet, ſi non eſſent ſanctorum interceſſiones, mundi machina citius conflagraretur. Ad hunc modum quandoque teſtamentum uetus colligendo, aiebat Pſalmiſta: Et dixit, ut diſperderet eos; ſi non Moyſes ſtetiſſet in confractione in cõſpectu eius. Ecce. Dixit (in Apocalypſi) ſe citò ad ſubuertendum urbem uenturum; Dixit (in B. Vincentio confeſſore ordinis prædicatorum), ſe citò ad iudicium comparitururum; Dixit (in B. Brigida, & ſimilibus), ſe citò mundum diſperditurum: ſed hæc omnia intelligũt conditione tali, ſi non Moyſes, ideſt ſanctorum quiſque ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius. Attende quæſo. Si potuit Moyſes actualem confractionem (ut in præſenti capitulo, & mille alijs locis, patet) oratione ſua ſuſpendere, quantò magis oratio Dei genitricis confractionem iudicij futuram poterit in longinquum, abſq; diuinæ ordinationis præiudicio, differre? Etenim oratio Virginis matris multò ſatis orationi Moſaycæ præſtat, & caſtigatio futura minor, ut futura, quàm præſens, ut præſens, exiſtit.

APPENDIX.

Hinc habes, quàm bonũ ſit, etiam indigniſſimo orationibus alicuius ſancti ſe commẽdatum facere. Quam
1 bonum igitur erit, orationibus omnium ſanctorum (ut fit in letanijs) ſe commendare? Etenim Moyſes erat & unus, & adhuc uiator, & adhuc peccator: ſancti uerò ſunt & plures, & comprehenſores, & nunquam amplius defectibiles. Moyſes erat in charitate quidem, ſed reſpectu illorũ parua; ſancti uerò in charitate, & reſpectu omnium uiatorum maxima. Si igitur Moyſes per charitatem paruam ad orãdum pro indignis ſe petentibus mouetur toties, & exauditur; quantò magis ſancti per charitatem maximam pro immeritis ſe flagitantibus ad orandum mouebuntur pluries, & exaudiẽtur? Maxima ergo fiducia ad ſanctos, ut pro nobis orent, recurrere debemus, & pro certo tenere, quòd Deus nos propitius non deſinet intueri, quis tantorum ſuorum amicorum precibus cõceſſerit adiuuari. Hæc omnia ſæpè uidimus, nunc quoque uidemus,
2 per Moſaycam orationem eſſe adimpleta. Secundò habes, ꝙ ſtulti ſint illi, qui orationes ſanctorum pro nobis (quas interceſſiones uocant) paruipendere non uerentur. Huiuſmodi ſunt hæretici in uniuerſali paruipenſionem ipſam facientes, & mali chriſtiani in particulari eligibili ſimilem paruipenſionem committentes. Hæreticis ergo, nulla indulgẽtiæ ſpes relinquitur; ſi ab oppoſitis iſthinc arguas. Sicut enim per interceſſionem alterius, ſcilicet Moyſis, alter ueniam obtinuit; ita per non interceſſionem alterius, ſanctorum ſcilicet, hæreticus noxæ remiſſione carebit. Cùm igitur nec per ſe, ut qui ſit indignus; nec per aliom, ut qui ad ipſum recurrere cõtemnat, inuetur hæreticus; reſtat, ut nulla reconciliationis cum Deo ſpes (quantum ex parte hæretici eſt) tali homini relin-
3 quatur omninò. Tertiò habes, quòd probi uiri non ſibi ſolis tantùm in præſenti uita, ſed etiam alijs ſunt auxilio. In horum igitur perſona dictum fuit à ſapiente: Videte, quòd non mihi ſoli laboraui; ſed omnibus exquirentibus ueritatem.
4 Quartò conſequẽter habes; quòd multum debemus æſtimare ſanctos homines etiã in præſenti uita; tùm quia digni ſunt (en amor amicitiæ), tùm quia nobis utiles ſunt (en amor cõ-
5 cupiſcẽtiæ). Quintò habes, quòd ſupradicti hæretici minus æſtimãt diuinam maieſtatem; quàm terrenam. Quid uides in terris? Nobiles decuriones multos mediatores, antequam ad colloquendum regi appropinques; & hoc, ut Rex in ſua maieſtate cõſiſtat, ab omnibusque magis exiſtimetur, timeatur, honoretur, in reuerentia, & admiratione habeatur. Hunc morem, hunc procedendi modum, hunc ad Regem accedendi ordinem non tantùm fideles, ſed etiam hæretici laudant. Quare ergo morem hunc, modum hunc, ordinem hunc, in locutione ad Deum, in impetratione ad Deum, in accedendo ad Deum, damnant, ſtomachantur & quãtum in ipſis eſt, annullãt? O uerè inſenſati, ac faſcinati nimium, qui per interceſſionem illarum hominum, aut non uident, aut uidere nolunt; nobis à fortiori monſtrari interceſſionem ſanctorum. Nunquid non Dei maior incomparabiliter, quàm quantumuis Regum, Dominorum, Ducum, Principum, Imperatorũ, non ſolum diuiſim, ſed etiam coniunctim ſumptorum maieſtas exiſtit?

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

Hæc Concluſio 1. cap. 11. facit contra errores, atque hæreſes, recitatas, & damnatas ſupra Exod. 32. concl. 3. Item in Elucid. addi. art. nu. 314. 315. 356. Damnantur quoque, & meritò, in Pſalm. 120. Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Ecce, quòd à montibus, ideſt ſanctis interceſſoribus, adiutorium deſcendit ſuper eos, qui ad ipſos leuant oculos, ideſt qui recurrunt pro interceſſione ad ipſos, ut ſcilicet dignentur eſſe medij interceſſores inter eoſdem homines, & Deum. Nec ob hoc fit iniuria Deo (ut inſipientes quidam ſomniarunt); quoniam ſpes, quæ habetur ab hominibus illis in ſanctos (propter quod dicuntur leuare oculos ſuos in montes) non eſt principalis, ſed ſubordinata ſpei in Deum, quemadmodum & auxiliũ, quod ipſi homines a ſanctis illis expectant, nõ eſt principaliter ab eiſdem ſanctis expectatum, ſed ſolum, ut ſubordinatum auxilio Dei, ab ipſoque dependens. Vnde Pſalmiſta idem, tanquam ipſorum inſipientium prædictam erroneam phantaſiã deturbans, ſubdit ſtatim ibidem: Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum, & terram. Quaſi dicat (ut ex Auguſtino ſuper Pſalmos habetur): Noli putare, quòd ipſi montes tibi dabunt auxilium. Accipiunt enim, quod dent, non da ſuo dant. Hæc Auguſtinus. Sed & hocipſum Eccleſia catholica diſcrimen inter Deum, atque ſanctos à nobis pro interceſſoribus ſuppliciter adhibitos, deſignat in Letanijs ipſis dicens, Pater de cœlis &c. Fili Redemptor &c. Spiritusſancte &c. Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis. Sancta Maria Dei genitrix uirgo uirginum, ora pro nobis. Per hanc enim rogationem uariam nonnè uides auxilium diuerſimodè expectari à Deo, & à ſanctis? Et conſequenter recurſum noſtrum ad Deũ per interceſſores non importare minorem ſpem in Deum, quàm debeamus; ſed redundare in maiorem ipſius Dei gloriam? Nam ideo auxilium a ſanctis erga nos ſperatum reducit ipſa litania noſtra etiam uocaliter in Deum. Cæterũ multa Conciliorum &c. de hac re, uide in locis ſupra citatis.

In mentem nobis ueniunt cucumeres, pepones, porri &c. Anima noſtra arida eſt, nihil reſpiciunt oculi noſtri, niſi man. *Text.*

Concl. 2. *Ingrati, ac de beneficijs diuinis gratias, aut nullas, aut incompactas agentes, miranda cæcitate mentis percutiuntur.* [Ex eo.]

Erat manna cibus ſuauiſſimus adeò, ut in prouerbio uulgatum ſit, hoc uelut manna ſuaue eſt. Hoc itaque delicatiſſimo cibo paſcebatur iſte populus. Quid eſt ergo, quòd lamentatur? Quid eſt, quòd de mannæ abundantia murmurat ad nauſeam uſque? Non utique ex mannæ defectu prouenit hoc, ſed ex populi huius infecto palato. Vnde huic tam indiſpoſitus guſtus, ut porros, atque allea cibos ruſticorũ præponat mannæ cibo imperatorum? Ex huius ingratitudine nimia, qua tanta Dei beneficia toties (ut ſupra ſparſim ubique habetur) aut parui, aut nihil duxit. Ex hoc namque in tantam dari cęcitatem meruerunt, ut & infantibus, ac furioſis eorum pateſiat inſania. Quid? Nunquid nõ porros anteferre mannæ ſtultiſſimum eſſe iudicat quiſque puer? Nè uerò, unde tantus eorum ſenſus reprobus dimanet, in dubium reuocetur, ipſimet ſuis uerbis id aperiunt. Quid aiunt? In mentem nobis ueniunt porri, cepe, atque allia: Anima noſtra iam arida eſt; nihil reſpiciunt oculi noſtri, niſi man. Quid ſibi nolunt uerba iſta? Populum iſtum inſinuant maioris feciſſe porros, quàm manna; & tantò magis hoc demonſtrant, quantò manna in pręſenti erat, porri uerò minimè. Triſtiſſima enim res eſt, ꝙ obiectum præſens magis mouet, quàm abſens. Multum ergo anteponebant mannæ porros; quandoquidem à remotis porris mouebantur, à manna uerò proxima nequaquã. Quid eſt ergo, quòd cibaria uiliſſima nobiliſſimis præferunt, niſi quia ſimile ſimili gaudet? Quia enim uiliſſimus eorum animus erat, ideò uiliſſimos cibos appetebat. Quia ruſticanus erat, ideò ruſticanos cibos amabat. Quia per ſuperbiam infla- *Ratio.*

tus

rus erat, ideò cibos groſſos diligebat. Ab effectu igitur cauſam cognouimus, a uerbis prolatis mentem ipſorum, ab exitioſo cibo appetito animi appetentis diſpoſitionem intelleximus. Qualis unuſquiſque eſt, talia concupiſcit. Erant uillani, uillanorum cibaria concupiebant.

E X A M E N.

TANTAM mentis cæcitatem cunctis populis, iſtis murmurantibus exceptis, pluſquam admirabilem iuſtū Dei iudicium Iſraelitis immiſit. 1.2. quæſtio. 79. artic. 3. Beneficia namque diuina, ſi benè tractentur à nobis, in noſtram indicibilem utilitatem proueniunt; ſi autem econuerſo tractata fuerint, in noſtrum ineffabile (defectu noſtri) uertūtur exitium. Quia uerò gratias de manna habita, aut nullas, aut incompactas referebant Deo homines iſti; idcircò in reprobum ſenſum dati ſunt, ut faciant ea, quæ non conueniunt. Iniuriam Deo per non gratiarum actionem irrogarunt, iniuriam ſibimetipſis per uerborum talium prolationem fecerunt. Iuſtum quippe fuit, ut iniuria iniuria puniretur, & inconueniens inconuenienti caſtigaretur. Et ſicut Deum, ſeu Dei beneficia habere in notitia, ſeu cognoſcere non probauerunt, id eſt non ſecundum decentiam curarunt, ita ſemetipſos habere in uera notitia, ſuis hoc exigentibus meritis, non potuerunt. Quomodo enim ſeipſos in notitia uera habuiſſent, qui ordine ad naturam ſuam tranſuerſo cibos appetierunt?

¶ Ille gratias Deo reddere dicitur incompactas, qui uoce tantùm, non uita, Deum recognoſcit. Et quia horum aliqui, licèt Deum uocali gratiarum actione recognoſcerent, non tamen uitali; ideò diximus in concluſione, quod gratias incompactas Deo referebant. Ad hoc autem ſignificandum, ait Pſalmiſta: Et dilexerūt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Populus enim iudæorum iſte dilexit Deum in ore ſuo, & lingua ſua mentitus eſt ei, quando tranſito mari rubro, manna primò recepta, ſimilibuſque Dei beneficijs in principio perceptis, Deo ipſi gratias referebant: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius, quando uitam uerbis, mores linguę, facta loquellæ conformare neglexerunt. Quod ſi quandoq; feciſſent, citò ad priſtinos malos mores reuertebantur. Hoc ipſum Pſalmiſta idem notificauit dicēs: Citò fecerunt, obliti ſunt Dei, qui ſaluauit eos. Quid eſt, citò fecerunt, niſi in uia bona, quam ceperant, non perdurarunt? Ingratus ergo ille eſt, qui uel nullas Deo gratias refert, uel non uita refert, uel non uita perſeueranti refert. Et hi omnes tres à Deo cæcari merentur iuſtiſſimè, ſicut de iudæis iſtis adimpletum uidemus. Gratias ergo incompactas eſſe in concluſione intelleximus, uel quia à uoce uita diſcordat, uel non perſeueranter concordat.

A P P E N D I X.

HINC habes, iudæos iſtos ſignificare malè communicantes, tepidevè. Quemadmodum enim illi in affectu ſuo uilia nobiliſſimo anteponunt; ita prædicti communicantes uilia nobiliſſimo, imò pluſquam nobiliſſimo in ſuis affectibus præferunt. Vnde ſi iſtorum ingratitudo cunctis abhominãda, atque intolerabilis (ut in tex.) uidetur; multò magis præmiſſorum communicantium ingratitudo ſtomachãda uenit ab uniuerſis. Et ſicut inter manna & Euchariſtiam infinitam diſtantiam eſſe nouimus; ita inter iudęorum horū & præfatorum communicantium ingratitudinem immenſum interſtitium eſſe agnoſcere debemus; Qui ſunt communicantes illi, qui uilia nobiliſſimo in affectu ſuo anteponūt?

Minus digne cō municā tes, qui ſint. Illi, qui magis terrenorum, quàm iſtius Euchariſtiæ, dignitatem practicè attendunt. Illi, qui magis terrena, quàm Euchariſtiā, ſapiunt atque guſtant. Illi, qui nullo ſpiritus feruore ducti, ſed tantùm aſſuetudinē quadam communicant. Illi, qui ad Euchariſtiam, uel ad Miſſam celebrandam, ſæpius accedere ex quadam animi diſſolutione grauantur. Illi, qui cibum ſupernaturalem hunc aruditare quadã mentis conſpiciunt, atque deſumunt. Anima (inquiunt) noſtra arida eſt. O mira res. Inter tot pinguia non uiſa tantùm, ſed comeſta, non ſemel tantùm, ſed multotiens, anima arida eſt. Quia verò arida eſt, ideò omnem eſcam abhominata eſt anima eorū. Et quid ultra? Appropinquauerunt uſq; ad portas mortis.

Pſalm. 106. Si ergo arida non fuiſſet, appropinquaſſent utiqua illi ad portas uitę. Quidni eos appropinquaſſe uſq; ad portas mortis dixerim, qũ poſt omnis eſcæ abhominationem (hæc iſtic narratur) eos a Deo morte percuſſos uideo, ut in hoc cap. habetur? Ex ariditate igitur animæ proceſſit, quòd omnem eſcã abhominata eſt; ex hac ipſorum abhominatione uenit, quòd appropinquauerunt uſque ad portas mortis; ex iſta appropinquatione factum eſt, ut ipſi mortui ſint. Videant igitur communicantes, ne ipſorum anima arida ſit, quoniam ex hac Euchariſtiam abhominabuntur (.i. in affectu ſuo practico parui facient illam); ex hoc verò ad portas æternæ mortis appropinquabunt; demumque ex hoc, ut moriantur omninò inter epulas ſupercæleſtes, atq; uitam accipiēdo moriãtur. Videãt quoque prædicti communicantes, ut anima eorum uindis ſit, atque deuotione pinguis, quoniam ex hoc ſiet, ut labijs exultationis laudet dominum; ex hoc uerò naſcetur, ut in velamento alarum diuinarum exultet, vt adhæreat tota poſt eum, ut eam ſuſcipiat dextera domini, ut inimici eius in uanum quærant illam. Secundò habes, quòd homines aliqui ouo duro aſſimilantur. Quid uides in ouo duro? Quòd quantò plus ad ignem manet, tãtò magis dureſcit. Quid indurat ouum? Ignis: non ex natura ignis (alioquin non mollificaret cerã); ſed ex tali diſpoſitione oui. Quid hic uides? Homines ingratos, atque corde duriſſimos. Quid indurauit eos? Beneficia diuina, non quidem ex beneficiorum talium natura (alioquin non mollificarent corda proborum); ſed ex mala diſpoſitione huiuſcemodi hominum; qua ſit, ut quãtò magis beneficijs à Deo donantur, tãtò plus obdureſcãt ad ignē: Deus enim noſter ignis conſumens eſt. Ideò non mirū, ſi ad ignem hunc molleſcunt boni, & mali dureſcunt; quoniam & in igne materiali talem doctrinam uidemus. Hinc eſt, quod neminē inuenit deteriorem D. Auguſtinus, quàm qui in monaſterio defecit; neque meliorem, quàm qui in monaſterio profecit. Hinc eſt, quòd Hieremias dicit, ficus bonas uiſas penes templum fuiſſe bonas ualde; & malas ibi uiſas fuiſſe malas ualde. *Exempl.*

¶ Ergo non tantùm orandus Deus, ut nobis beneficia præſtet; ſed etiã ut nos beneficijs præſtitis bene uti faciat: & hoc dico, ſiue ſint beneficia iam data, ſiue danda.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

PRÆDICTA Concluſi 2. cap. 13. multum deſtruit ab effectu (ut profundius conſideranti patet) hæreſim Eunomij (ut refert Prateolus, uel Anomi) dicentis, quod Deus a nobis nihil aliud requirit, quàm ut ipſum ſolum cognoſcamus. Ex eo enim, quod beneficiati ab ipſo Deo, etiam quod cognoſcant eum eſſe benefactorem ſuum, cæcitate mentali percutiuntur, niſi præaddiderint ſimul gratiarum actiones debitas & cordium, & uocum, & operum, patet, quod Deus aliquid aliud requirit à nobis, præter quàm quod cognoſcatur à nobis. Damnatur quoq;, & meritò, ſupra Geneſ. 27. concl. 5. Item in Elucid. Pri. par. ar. num. 4. Damnatur & 1. Cor. 13. Si habuero omnem ſcientiam, & prophetiam, & nouerim omnia myſteria; & ſi omnem fidem ita, ut mōtes trãſferam; charitatem autem non habeam, nihil ſum. Ecce apertè uides, fidem, quæ nos facit cognoſcere Deum, non ſolum requiri à nobis; ſed aliquid aliud plus. Item à Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 11. & canon. 19. 20. 21. ut allegatum uidebis in Elucid. ſupra citatis.

VVlgus quippe promiſcuum &c. iunctis ſibi pariter filijs Iſrael &c. *Text.*

Concl. 3. *Malæ ſocietates multum nocent.* [Ex eo]

VVLGVS promiſcuum contra dominū murmuraſſe inducitur, & ad ſuū ipſorum exēplū tranſiſſe filios Iſrael. Quid erat illud vulgus promiſcuū? Mala ſocietas. Quid erãt filij Iſrael? Bona plantatio. In ſignum huius promiſcuum vulgus illud fuerat ab initio ſine Deo in hoc mundo, utpotè gentilis populus, licèt poſtea conuerſus fuerit ad iudaiſmum; & filij Iſrael diuina cognitione in priſcis etiam patribus claruerãt. Niſi enim vulgus id promiſcuum, de quo meminit Exod. 12. gentili ſemine natum eſſet, nō diceretur, quòd ſiens erat iunctis ſibi filijs Iſrael. Si namque & ipſum vulgus eſſet de ſtirpe Iſrael, quid neceſſe fuit dicere, iūctis ſibi pariter filijs Iſrael? Adhæſerunt ergo filij Iſrael promiſcuo vulgo in murmurationibus. *Ratio.*

tionibus. Vt, quantæ ruinæ cauſa ſit mala ſocietas, apertè oſtēderetur. Tam enim in malum potēs eſt iniqua collectio, ut exteros malos hic uideas ad malum inducere Iſraelitas primitus bonos. Per uulgus igitur promiſcuum potes etiam apertè intelligere illos, qui tibi noti non ſunt. Cognoſcendus eſt, itaque benè circa mores aliquis; antequam conuerſationem habeas cum illo; & hoc eſt cautè ambulare, ſecūdum monitum Apoſtoli.

NOTATIO MEMORANDA.

RECOLE ob hanc litteram duo exempla, unum Pſalmiſtæ, alterum B. Vincentij confeſſoris ordinis prædicatorum. Illud Pſalmiſtæ eſt, quòd homo aſſimilatur ueſtimento Pſal. 101. hoc B. Vincentij eſt, quòd homo comparatur carboni. Quare homo ueſtimento? Quia ueſtimentum ſecundum diuerſa receptacula mutatur in plicas uarias: & homo ſecundum ſocietatum diuerſitatem in uarios mores illi ſocietati conformes uoluitur. Quare homo carboni? Quia ſicut carbo mortuus uiuis carbonibus adiunctus uiuus & ipſe efficitur, ita homo improbus multis bonis aſſocians morigeratus euadit. Et ſicut non adeò intensè accenſus eſt carbo; quin, ſi ponatur in aqua, non ſtatim moriatur, ita non adeò bonus eſt homo, quin ſi conuerſetur cum malis (hi per aquam frigidam ſignificantur. Vnde eſt illud pſalmi; Circundederunt me, ſicut aqua, tota die), non citò à bona uita deſciſcat.

Text. CVmque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter, & man.

Concl. 4. *Non niſi quietis mentibus, & in ſe conſiſtentibus datur cœleſtium dulcedo, atque ſapor.* [Ex eo.]

Ratio. QVID eſt, quòd tantùm de nocte manna è cœlo deſcendit, de die uerò non; imò tunc, cùm incaluiſſet ſol (ut habes Exo. 16.) liquefiebat? Hoc eſt illud, quod in p̄ſenti docuimus. Audi. Quid eſt man, niſi cœleſtis dulcedo guſtata, de qua dicitur: Vincenti dabo manna abſconditum? Quid eſt nox, niſi aliquod quietum, tenebroſum, abſconditum? Deſcendit ergo manna de nocte; quia dulcedinis cœleſtis guſtus datur quietis mentibus, aliorum facta quæcunque ſint non uidentibus, & ſe intra ſe abſcondentibus. Non ergo, ab oppoſitis, deſcendit de die manna, imò liquefit iam cœlo dimiſſum; quia cœleſtium ſapor inquietis mentibus, ſe de aliorum uita nimium intromittentibus, & ſe intra ſeipſas occludere negligentibus, denegatur; imò iam datum manna aufertur. Vide, quantam in nobis donorum ſupernorum iacturā cauſet maledicta curioſitas, atque propriæ uitæ inconſideratio.

Not. ¶ Ideo noctis tenebroſitas (ut ex dictis habetur) negationem curioſitatis, quod eſt aliorum uitam minimè indagare, importat; quia hoc ipſum æthimologia declarat. Tenebræ n. interpretantur tenens palpebram. Tenet ſiquidem oculos tenebra, & uiſum prohibet. En eo igitur, quòd uiſum prohibet, factum eſt, ut congruenter ſignificet incurioſitatem, ſeu curioſitatis negationē; q̄ ſanè importat aliorum dictorū, factorū, ſiue uitæ non inueſtigationem. Hinc, quia ſcilicet nox eſt tenebroſa, ſequitur, quòd etiam ſit abſcondita, inquantum ſcilicet abſcondit homines de nocte ambulantes. Eſſe autem abſconditum dicebamus ſignificare propriam ſuipſius cōſiderationem. Nam hæc conſideratio fit per id, quòd homo ſeipſum intra ſeipſum abſcōdit.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd Pſal. apertè monſtrauit, quid importet manna dari è cœlo de nocte, cùm alloquens dominū aiebat; Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quā abſcondiſti timentibus te. Monſtrauit enim tunc; q̄ manna dulcedinem diuinam, & non abſconſionē quandā, & deſcen-

2 dere ipſum dari a Deo, figuratè repreſentabat. Habes & ſecundò, quomodo intelligas ly Abſcōdiſti. Quid eſt iuxta ſupradicta abſcondiſti, niſi de nocte dediſti? Quid eſt, ſecundō prædicta de nocte dediſti, niſi quietis, non curioſis, ſuimet cōſideratiuis, dediſti. Habes cōſequēter, quid ly timētibus te deſignet. Tria ſiquidem iam dicta ſignificat. Habes & à ſimili, quomodo huiuſmodi auctoritates, ubicunque in ſcriptura inueniantur, ſano modo intelligas; ut eſt illud, quòd iam de Apocalypſi retulimus: uidelicet, Vincenti dabo manna abſconditum. Hinc edoctus ad prædictam intellectus normā faciliter inflectetis. Et illud: Verè tu es Deus abſcōditus. Quare dicitur abſconditus? Quia non niſi a mentibus quietis, à non curioſis, à ſuipſorum conſideratiuis, guſtari poteſt. Vnde quaſi explanans, quare dicatur abſconditus, alibi talia proteſtabatur; Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, quietum, & trementem ad ſermones meos? Iſa. Modò quis eſt humilis homo, quietus, ac tremens ad ſermones diuinos? Ille, qui eſt ſecundum formam narratam abſcōditus, ideſt quietus, incurioſus, ſuimet conſideratiuus. Ex ſupradictis quoque habes, quomodo illud Pſalmi intelligas, ſcilicet q̄ Deus poſuit tenebras latibulum ſuum. Quare dicitur poſuiſſe tenebras latibulum ſuum, ideſt habitare, ſeu latere in tenebris; niſi ut ſe non niſi ab habitantibus in tenebris (ſed non in umbra mortis) ideſt quietis, incurioſis, ſuipſorū conſideratiuis, guſtari poſſe inſinuaret? Per uniuerſa autem hæc, & ſimilia monſtratur iſtud in capitulo præſenti dictum, quòd. ſ. manna deſcendebat nocte.

Corol. ¶Ergo Meſſias rectiſſimè ad nos è cœlo uiſibiliter deſcendit. i. natus eſt de nocte; non de die. Meſſias enim per ipſum manna cui, in Ioannis Euangelio tanquam figuræ comparatur, deſignatus fuit. Quia ergo manna de nocte in caſtra deſcendebat, ideò Chriſtus deſcendit nocturno tempore in caſtra noſtra, tanquam pro nobis militaturus. Vnde ad hoc innuendum non dicitur tantùm, q̄ manna deſcendebat, ſed q̄ deſcendebat ſuper caſtra. Et quia Chriſtus in tali militia futurus erat uictor, ideò non dicitur quòd manna deſcendebat tantùm in caſtra, ſed quòd deſcendebat ſuper caſtra. Si enim tantùm in caſtra deſcendiſſe manna diceretur; poterat intelligi, q̄ ipſum māna abſorberetur à terra, ut in pluuia fieri uidemus. Nunc uerò, per ly Super, neceſſariò intelligendum relinquitur, q̄ manna deſcēdens remanebat ſuperior, quàm terra. Hoc itaque figurabat, quòd Chriſtus & in caſtra noſtra militaturus erat deſcenſurus, & in militando ſuperior hoſte erat futurus.

¶Applica ad ly (Euangelium) Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Quid regnum cœlorum? Manna illud, diuina dulcedo, Deus. Quare dicitur tale regnum eſſe abſconditum? Audiſti iam in ſuperioribus, quia. ſ. non niſi abſcōditis conceditur. Vel ad ly (Euangelium) Ecce Virgo concipiet &c. & uocabitur nomen eius Emanuel. Vbi enim nos habemus uirgo habent Hebræi Alma. i. (ut ipſi dicunt) abſcondita. Oportuit ergo, ut mulier Chriſtum paritura non tantùm uirgo eſſet (ut habet noſtra catholica tranſlatio), ſed etiam abſcondita. Quomodo abſcondita? Illo triplici modo, quem ad longum ſupra declarauimus. Fuit ergo illa fœliciſſima Virgo & mēte quieta, & cognitione non curioſa, & conſideratione ſuipſius fructuoſa. Vel ad prædicta.

IRatuſque eſt furor domini ualdè &c. Cras comedetis carnes &c. Text.

Concl. 5. *Impios concupitis temporalibus donari à Deo eſt ſignum diuinæ uindictæ; & conſequenter eſt ſignum malum, & non tantùm diuinæ uindictæ, ſed etiam diuinæ uindictæ ſatis magnæ; & conſequenter eſt non ſolum malum ſignum, ſed ualde malum.* [Ex eo.]

Ratio. ISRAELITAE, murmuratoreſque iſti omnes, cōcupiſcunt temporalia iſta. ſ. carnes. Quid facit Deus? Murmurantibus his donat carnes, & abundantius, & melius, quàm petierunt. Melius quidem, quia petentibus carnes nullo addito carnes optimas, coturnicū. ſ. tradidit, abundantius uerò, quia carnes nulla mentione de abundantia facta poſtulantibus dedit carnes in abundantia tanta, ut ſexcentis millibus menſe integro ſufficerent, imò ſuperfluerent. Quid de iſta abundantia loquitur textus? Populus (inquit) congregauit coturnicū multitudinem, qui parum, decem choros & ſiccauerunt eas. Vide, q̄ illi, qui parum de coturnicibus congregauerunt decem choros congregauerunt. Si igitur qui parum de eis congregarunt, tot collegerunt, quid de illis ſentiemus, qui multum de coturnicibus congregauerunt? Vnde tam illi, quàm iſti, nè tanta coturnicum multitudo ſucceſſu dierum putreſceret (nō enim uno die, uel duobus, uel tribus, poterat quiſque tantam multitudinem collectam comedere), ſiccauerūt eas, ut habes in litera: Audi & litteram de abundantia iſta loquentem

loquentem. Et tu (inquit Moyſes ad dominum) dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro. Hanc quoque abundantiã ſi penetrare melius uis, attende, ꝙ Moyſes tam ſanctus, tam iuſtus, tam fidelis, uidetur præ rei magnitudine à fidei totali perfectione deficere. Dicenti nanque domino; Vt dem uobis carnes uſque ad mẽſe dierũ, reſpondit Moyſes, quaſi utcũque diffidens: Sexaginta millia populi ſunt; & tu dicis, Dabo eis eſum carnium menſe integro? Vnde Moyſi tanquam parum diffidenti à Deo protinus reſponſum fuit: Nunquid manus domini inualida eſt? Iam nunc uidebis, utrum meus ſermo opere compleatur. Si itaque tantus uir Moyſes de tanta abundantia adeò mirabatur, ut eam uix crederet, aut ſperaret; quomodo non abundantia hæc pluſquam abundans fuit? De hac etiã ſereniſſimus propheta dicit? Et pluit (ſcilicet Deus) ſuper eos (ſcilicet murmuratores) ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris uolatilia pennata. Vbi nota tria; quòd ſcilicet abundantiam hãc uocat & pluitionem, & pulueri terræ comparabilem, & arenæ maris in multitudine ſimilem. Ad rem noſtram modò. Cùm Deus igitur murmurantibus his non tantum ſuum ipſorum deſiderium attulerit; ſed & ſuprà deſiderium (ut uiſum eſt), cur ſcriptura hanc Dei ſuper murmurantes largitatem introducere uolens ait, Iratus que eſt furor domini ualdè? Notate uerba. Iratus eſt. Quis? Furor domini. Proculdubio quando furor iraſcitur maiorem iram cernimos, quàm cùm homo iraſcitur. Plus ergo iræ importat, Iratus eſt furor domini, quam ſi diceretur, Iratus eſt dominus. Vis uidere? Quid eſt furor, niſi ira, & ira magna? Si ira igitur magna adhùc iraſcitur, & creſcit, quantam illam iram putabis? Erat ergo pluſquam magna ira domini; cùm dictum eſt, Iratus eſt furor domini. Vtquid etiam addidit ly Valdè, dicens; Iratus eſt furor domini ualdè? Vt illam iram domini non magnam tantùm, nec pluſquam magnam tantùm, ſed in ſummo magnam. i. maximam, hinc agnoſceres. Magna ſanè, quia furor; pluſquam magna, quia furor iratus eſt, maxima, quia furor iratus eſt ualdè. Quid indè? Quia ira hæc maxima fuit; ideò maximam largitatem in carnibus donatis (ut ſupra uidimus) oſtendit. Quod autem iſta largitas ab illa ira prodierit, in littera patet, cum dicitur: Cras comedetis carnes: Ego enim audiui uos dicere &c. Quaſi dicat. Iratus ſum maximè ob auditionem murmurationum ueſtrarum: & hac de cauſa uobis carnes mãducandas craſtino die præſtabo affluẽtiſſimè. Vide, quòd ideò carnium beneficio tanto diuinitus donatus eſt Iſrael, quia dominus iratus erat. Quid ira domini? Nonnè uindicta domini? Vindictæ ergo ſignum fuit carnium donatio; uindictæ maximæ fuit carnium donatio maxima. Carnẽs has nunquid non iſti concupierant? Vtique, & maximè quidem, id quod non murmur tantùm, ſed murmur cum fletu demonſtrat. Dare ergo concupita temporalia

Vide. ſceleſtis eſt malum ſignum, & tantò magis malum, quantò abundantius illis talia dantur.

APPENDIX.

1 HINC, ab oppoſitis, habes, quòd negare temporalia concupita hominibus, & præcipuè ſceleſtis, eſt ſignũ bonum, ac eò magis bonum, quò magis talia illis negantur.

2 Secundò conſequenter habes, quòd magnum ſignum miſericordiæ diuinæ eſt carere temporalibus concupitis in hoc mundo. Ab oppoſitis ergo, magnum ſignum diuinę iuſtitiæ eſt contra malos, quando mali ipſi concupita temporalia habent; & maioris, quando magis illa habent; & maximæ,

3 quando maximè habent. Tertiò hinc habes, quantum humanum decipiatur iudicium. Totum enim oppoſitum eorũ, quæ diximus, ſepè iudicat homo.

¶ Exaltatę ſunt igitur uiæ Dei à uijs noſtris, & cogitationes Dei à cogitationibus noſtris, ſicut exaltantur cœli à terra.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Veh uobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem ueſtram. Vel ad ly (Luc. 16.) Tu recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu uerò cruciaris. Quid intelligit ibi per diuites? Malos homines. Quando dicuntur habere conſolationem ſuam? Quando concupita temporalia habent. Ideo notanter dicit, ueſtram. Quaſi dicat: Conſolatio illa ueſtra eſt, quia eam conſolationẽ, ſ. habere ſic uel ſic temporaliter, uos concupitis. Aliud enim eſt conſolatio, aliud conſolatio ueſtra, ſicut aliud eſt dies, aliud dies tua (Luc. 19. quãdo Ieſus fleuit ſuper ciuitatem), aliud eſt uita, aliud uita tua Luc. 16. Quid intelligit per recipere bona in uita ſua, loquendo ad malos homines? Recipere concupita temporalia. Et mala? Non recipere concupita temporalia. Secundum ergo epulonis, ſimiliumque iudicium Lazarus mala habuerat in hoc mundo; quamuis reuera eſſent bona, ut probarunt exitus: & ipſe epulo habuerat bona luc; licèt reuera eſſent mala, ut mõſtrauit euentus. Nunquid ergo in utraque Euangelij auctoritate conſpicis liquidò præſens concluſionis documentum, ꝙ. ſ. malos temporalibus concupitis magis uel minus potiri, eſt ſignum malum ſecundum magis uel minus, utpotè ſignũ maioris uel minoris iræ diuinæ. Vel ad &c.

ADhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus: & ecce furor domini &c. *Text.*

Conclu. 6. *Deus punit malos, quando minus id timent, ſeu credunt: Et quandoq; non punit eos tunc, cùm apud homines credibile eſt.* [Ex eo]

CREDIBILIUS erat apud homines, ꝙ Deus in principio puniret iſtos murmurantes, maximè cùm in principio dictum ſit, quòd iratus eſt furor domini ualdè. Ad hoc enim in principio dictum eſt hoc, vt credibilitas iudicij humani circa punitiones diuinas in malos pingeretur, qua. ſ. credunt homines, Deũ iratũ, & furore, & ualde ſtatim punire. Conſequẽter igitur minus credibile erat, ꝙ poſt tãtã patientiã, imò poſt tantam largitatem diuinam, Deus non puniret; uel, ſi puniret, ſaltem leuius, & non plaga magna nimis. Quid eſt; Percuſſit plaga magna nimis; niſi grauiſſima percuſſione puniuit? En quantum à iudicio humano diſtet iudicium diuinum; ut tunc grauiſſimè caſtiget, quando uel oblitus creditur, uel nõ caſtigaturus, uel ſaltem leuiter caſtigaremus. Hac de cauſa, ut ſcilicet diſtantiam illorum iudiciorum prædictã deſcriberet, appoſuit textus ly Ecce, dicens: Ecce furor Domini concitatus in populum. Quaſi dicat: Mira res uiſa eſt, quæ non amplius expectabatur, uel credebatur. Quis crediſſet, manducantes manducando morituros, qui fameſcentes, famen patiendo, uiderat adhuc uiuos? Quis crediſſet, illos morte ſubita à Deo percutiendos, qui a Deo tunc præſentialiter tanto beneficio uiderat eſſe donatos? Heu, quis crederet unquam, eos tunc in gaudio defecturos repente, qui eos in fletu magno conſpexerat non defeciſſe? O uerè, ut Pſal. 35. habet, iudicia Dei abyſſos multa. Dùm omnia credunt proſpera mali, tunc è ueſtigio in aduerſa mutantur uniuerſa. Ducunt in bonis dies ſuos; & inter ſic ducendum illos, in pũcto ad inferna deſcendunt Iob. 21. Iſta humanitus (dempta fide catholica) tam à ſeſe diſſimilia collato fine ad principiũ quãdo crediturus eſt homo? Ideò (ut diximus) appoſitum eſt ly Ecce. Vndè autem pręmiſſum diuerſum iudiciũ fiat, per notationem ſequentem uidebimus.

Ratio. (margin)

NOTATIO.

PROPRIUM paſſionis eſt ſubito operari, ſi poteſt: rationis uerò proprium eſt opportuno tempore operari; nõ prius, etiam quòd poſſit. Quoniam autem homines irati, ut plurimum paſſionis inclinationi adhærent; icircò ſubitam uindictam, ſi poſſunt, faciunt. Et quia ex frequentatis actibus generantur habitus; ideò hominum iudicium ordinariè eſt, ꝙ Deus, cum dicitur iratus, ſubitò punire deberet; uel ſaltem, cùm eum audiunt iratum, citam uindictam præſtolantur. Quid? Adeò iſtud iudicium in pectoribus hominum illorum defixum eſt, ut de Deo uindictam in malos protelante ſcandalizentur fermè aliqui & plures murmurent. Horum perſonam induerat Hieremias capit. 12. ubi Deo more lamentabili, ac quærulosò dicebat: Quare uia impiorum proſperatur, & benè eſt his, qui operantur malum? Plantaſti eos, & radices miſerunt &c. Hoc dicebat propheta ille eò, ꝙ Deum uindictam in malos non facere uidebat; uti homo ſolebat. Quia igitur homo ualdè iratus citò percutit hoſtem; & quò magis eſt iratus, hoc citius eum percutit; ideò per effectum hunc, quod eſt citò percutere, cauſam illam. ſ. eſſe uehementer iratum, deſcripſit Ioãnes. Vbi? In Apocalypſis ultimo, ubi de iudicis aduentatione in eius perſona loquens ait: Ecce uenio citò Quid eſt, uenio citò: & tamen annorum millia preteriere? Vbi eſt illud, citò? Sed notãdum, ꝙ per effectum cauſam prædictam monſtraſſe his uerbis intendit. Ac ſi patenter dixiſſet. Ego ueniam ad iudicãdum iratus, & maximè iratus.

Vis

Vis uidere, ꝙ maximè iratus? Quia non tantùm citò, ſed citiſſimè ueniet. Audi in propheta quodam iudicem loquentē. Adhuc modicum (inquit): & ego commouebo cœlum, & terram. Adhùc Chriſtum audias in Euangelio. Sicut (inquit) fulgur exit ab oriente, & apparet uſque in occidentē, ſic erit aduentus filij hominis. Dic mihi. Quantum temporis intermittitur inter fulguris exitum ab oriente, ac eius apparitionem in occidente? Nullum prorſus, uel minimum; cum non citò tantùm, ſed citius atque citiſſimè hoc fiat. Quomodo ergo, ſic erit aduentus filij hominis; ſi tantùm atque tantùm tēporis à Chriſti loquella huiuſmodi, & aduentum iudicis huc uſque ſolummodò, an. 1590. interceſſit? Non enim citò, nec citiſſimè iudicis aduentum fuiſſe ab illo tempore futurum uidetur; ſed tardè, tardius, atque tardiſſimè. Pro intelligentia itaque harum ſimiliumvè ſcripturarũ reſpondendo dicendum eſt, ꝙ ibi cauſam per effectum homini irato familiarē, tanquam a notioribus nobis procedendo, depingere canonici ſcriptores uoluerunt. Quam cauſam? Iram. Per quem effectum? Per citò, uel citiſſimè uenire .i. punire ſeu uindictam expetere. Voluerunt ergo per talem loquendi phraſim nobis intimare hoc, ꝙ ſcilicet iudex ueniet iratus, & maximè iratus. Iratus, quia uenio citò; maximè iratus, quia ſicut fulgur erit aduentus filij hominis. Et quia ira in Deo dicit punitionem; ideò tali loquella inſinuare uoluerunt ipſi; quòd iudex maximè, ſeueriſſimè, horrēdiſſimèq; caſtigabit. Tarditatē n. ſupplicij quia grauitate cōpenſabit, ideò tardũ ipſum ſupplicium dicere auſi nō ſunt, imò citiſſimũ illud uocarunt. Ac ſi dixiſſent. Quantò citius dicimus, tantò grauius intellige, hoc eſt loco tēporis grauitatē proportionaliter ſumito. Vt ſi tēpus in materia iudicij aliquod dicimus, grauitatē in iudicio futurā reſpectu puniendorũ intellige; ſi tempus citum, grauitatem magnam; ſi citius, grauitatem maiorem; ſi citiſſimum, grauitatem maximam. Ex præmiſſis igitur omnibus, maximè in notationis principio, relinquitur, ꝙ ira in nobis, quia eſt paſſio, idcircò ſubitaneam uindictam expoſcit. In domino autem Deo ira non eſt paſſio; ſed iræ effectus, ideſt punitio ſit nominatur. Ira igitur cùm in Deo non ſit; non mirum, ꝙ ibi ſubitanea punitio neceſſariò non inueniatur. A quo concitatur ergo Deus, ut puniat delinquentes? A ſeipſo, ideſt à iuſtitia ſua ſapientiam indiuidualiter ſequente, quæ ſapientia ſuperius in principio notationis à nobis ratio appellata eſt. Proprium uerò rationis, ſeu ſapientiæ, quid eſt? Puniendos punire tempore oportuno, non tempore feſtino, uel non feſtino. Adeò, ꝙ temporis feſtinantiam, uel tarditatem, non attendit in agendo ſapientia, ſeu ratio; ſed temporis oportunitatem, uel importunitatem. Manifeſtiſſimum eſt autem cuicunque uel tenuiter inſtructo, quòd Deus omnia, quæ facit, ſemper facit tempore oportuno. Vnde ſi tempus citum eſt oportunum, tunc tempore citò facit; non tamen quia citum, ſed quia oportunum eſt. Si tempus tardum, uel citiſſimum, uel tardiſſimum, oportunum eſt; temporibus talibus facit; non tamen quia talia ſunt, ſed quia oportuna ſunt. Ratio igitur & paſſio reſpectu temporis aliquid agendi multum diſtant; tùm ratio tantùm oportunitatem formaliter in tempore attendat, & paſſio ſolùm uelocitatem.

APPENDIX.

1 HInc habes, ꝙ Deus non tardat (ut ſæpius inuenies in ſcripturis) promiſſiones ſuas, ſiue ſint de nos exaudiendo, ſiue de nobis ſuccurrendo, ſiue de malos puniendo, ſiue de bonos præmiando, ſiue de quocunque alio; licèt iudicio humano, ſeu opinioni, tardare uideatur. Ratio horum omniũ eſt; quia diuerſis fundamentis Dei iudicium, necnon huma-
2 num, ſuperædificatur, ut ſupra uiſum eſt. Secundo habes, ꝙ lento gradu diuinam ad ſui uindictam procedere iram, intelligitur nō tantum ratione temporis; ſed etiam ratione imperceptibilitatis. Non enim ſolum temporis interſtitium inter culpam pœnamq; uenit; ſed etiam cùm pœna uenerit, eo tempore uenit, quo homines uenturam ipſam non timent, aut cogitant. Lento igitur gradu procedere dicitur ad modum furis, ſeu latronis. Vnde Apoſtolus de omnibus Dei uindictis ſub principali uindicta, iudicio ſcilicet, tanquam ſub primo analogato, loquens aiebat: Dies domini, ſicut fur in nocte, ita ueniet. Si principalis uindicta ad modum latronis ueniet, ergo & reliquę omnes, cùm primum analogatum imitentur cętera analogata. Quomodo incedit latro? Lento gradu. Dùm incedit hoc modo, quid accidit? Duo; ſcilicet & quòd multũ temporis ante actionem eius conſumatam intercurrit, & ꝙ ab alijs motus eius ad furandum minimè percipitur, niſi ualdè uigiles exiſtant. Hoc quoque modo dicitur, ad ſui uindictam procedere, Deus; quia in uindictis ſuis peragendis duo ſunt ſimilia. Primum eſt, ꝙ multum tempus antequam ultio ueniat in totum, ut frequenter abſumitur: Secundum eſt, ꝙ (ſecundum ordinarium curſum loquendo) motus eius ad caſtigandum non percipitur. Ex eo enim, quòd in tempore, quo putabant homines, uindicta non uenit, fit, ut amplius ipſam uenturam, aut non, aut uix æſtiment. Hinc eſt, quòd dicitur repentinus interitus ab Apoſtolo. Cum enim (inquit) dixerint, Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Quid eſt hoc? Ideſt tempore, quo non putabunt, ueniet flagellum Dei. Hinc eſt, ꝙ ad uigilandum ſæpè ab Euangelio inducimur. Ac ſi dicat Euangelium: Latro non niſi a ſatis uigilibus percipitur in eundo, ita & uos motum uindictę meæ nō percipietis, niſi admodum uigiles fueritis. Hinc, quia ſcilicet ut fur procedit, eſt, quòd in ultimo ferè ſemper flagellis agit in hominem, non autem in principio. Vidiſti ſupra in Exodo de Pharaone. Vidiſti in Geneſi de fratribus Ioſeph uendentibus. Quādo enim pro peccato iſto puniti ſunt? Poſt multum tempus, quo non putabant, ut ex utroque ſcripturæ loco colligitur. Vigilemus ergo, quia, qua hora non putamus, filius hominis ueniet ad faciendam uindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligādos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Tertiò habes, quòd diuina iudicia, horum tempus; & ab oppoſitis diuinæ miſericordiæ, harum tempus, ſecundum iudicium humanum menſuranda non ſunt; imò nec conſequenter aliquæ uiæ Dei. Ad hoc ſignificandum dicebat Pſal. Miſericordiam, & iudicium eius quis requiret?

Exempl

Pſal. 149. 3

¶Applica ad aliquod ſupradictorum, ſimiliumvè. Vel &c.

POrta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.

Text.

Concl. 7. *Superiores debent inquirere utilitatem ſubditorum, non ſuam, principaliter; plus amari ab eis debent appetere, quàm timeri; compaſſionem erga eos, ſi deliquerint, debent habere; attentè curare, nè hi ab aliquo offendantur, & eos pro poſſe ſuo defendere ubique debent; eis de inſtructione, de uita corporalis (magis ergo ſpiritualis) neceſſarijs, tenentur; eis recreationes aliquas, & conſolationes congruentes, & honeſtas debent concedere, etiam quòd hi non poſtulent; eos in deſolationibus poſitos, uel aliàs cùm oportuerit, conſolari tenentur; eorum miſerias inquirere, ac eas debent ſubleuare; bonum ſtatum eorum ſemper debent habere cordi, ac eum pro uirili ſua procurare tùm corde orando, tùm ore monendo, tùm opere faciendo; eorum defectus, calamitates, imperfectiones, ac huiuſmodi, debent reputare ſuas proprias; nulli labori, nulli incommodo, parcere debent, ut ſalutem ubique promouebant ſubditorum.* [Ex eo.]

Notabiliſſima, ſancta, et practica da. cōcluſio.

Clarum eſt, quòd Moyſes erat prælatus, iudæorumque populus eius erat ſubditus. Quid iubet Deus Moyſi? Vt portet illum populum. Quomodo? Modo illo, quo nutrix portare, ſeu aliàs nutrire, ſolet infantulum. Quia igitur nutrix erga infantulum modis illis, quos diximus, ſenſibiliter ſe habet, ideò ſuperiores quicunque ſiue temporales, ſiue ſpiritales modis præfatis proportionaliter, erga ſubditos ſuos habere ſe debent. Videamus per ſingula, & à notioribus nobis (ut littera docere nos intendit) ad ignotiora ingrediamur intelligenda, operibusque adimplenda.

Ratio.

¶Nunquid nutrix infantuli utilitatem non inquirit? Et quidem auiditate tanta, ut ſuam propriam poſthabeat (hoc patet ad ſenſum), infantulique ſuam æſtimet. Nutrices ergo nonnè Apoſtolus ſuperiores uoluit eſſe, cùm in prælatorum omnium perſona ſic loquebatur: Non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalui fiant? 1

¶Nunquid nutrix ab infantulo non plus appetit amari, quàm timeri? Hoc ad ſenſum patet. Nonnè ergo nutrices uolebat nos eſſe Beatus Auguſtinus ſic dicens in regula: Præpoſitus a nobis plus amari appetat, quàm timeri? Vtique. 2

¶Nunquid non compaſſionē multam, etiam ipſum (quantum poteſt) excuſando, habet nutrix ad infantulum delinquentem? 3

quentem? Hoc experientia docet. Nutricis ergo more ſe
Chriſtus, prælatos in hoc docens, habuit, inquiens: Pater
4 ignoſce illis, quia neſciũt, quid faciũt (ecce excuſatio poſſibilis.
¶Nunquid non attentè curat nutrix, nè infantulo quippiã
offendiculi occurrat; &, ſi occurrerit, eum pro poſſe defen-
dit? Teſtatur hoc ſenſus. Nutricem ergo Chriſtus, in hoc ſu-
periores monens, agebat ad patrem orando ſic dicens: Rogo,
5 ut ſerues eos à malo.

¶Nunquid non infantulum nutrix inſtruit, ac uitæ neceſſaria, utiliaque illi miniſtrat? Nulli hoc dubium. Nutricem ergo Petrum uoluit eſſe Chriſtus, quando illi ter dixit: Paſce oues meas. Paſce ſcilicet uerbis docendo. Paſce moribus ſeu exemplis tuis bonis, inſtruendo (inſtructio namque uerborũ minimè proficit, ſi mores diſcordent à verbis. Nam, ſecundum Beatum Gregorium, cuius uita deſpicitur, reſtat, ut eius prædicatio contemnatur): Paſce. ſ. rebus, corporaliter nutriẽdo.

6 ¶Nunquid non infantulo conſolationes, recreationes, ſubleuationes dare ſatagit, abſque infantis poſtulatione nutrix; dũm uarias ad ipſius leuamen cantilenas modulatur, uaria pro illius oblectatione facit, ei pluries corridet? Experientia eſt rerum harum magiſtra. Nutricem ergo agere prælatos docebat Apoſtolus ubi dicebat: Conſoletur (. ſ. prælatus) puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Item ad prælatos reſpectu ſubditorum; Manus (inquit) laſſas erigite, genua trementia roborate. Item quando toties ſcriptura ſacra cõſolatur, & uarijs quidem modis, auditores ſuos, quid aliud, niſi nutricis morem, agit?

7 ¶Nunquid non, cùm infantulum triſtari uiderit nutrix, ipſum dulciter conſolari ſtudet? Vtique. Nutricem ergo agit Chriſtus, ubi pauperes eſſe beatos profert; vbi miſellos in hoc mundo fœlices in alio futuros prædicat; vbi perſecutiones ob iuſtitiam patientibus, pœnitentiæ opera uolũtariè amplexantibus, uoluntatem propriam (ſeu animam ſuam) ubiq; in mundo iſto odientibus, & regnum cœlorum, & gaudium Angelorum, & uitam æternam pollicetur. In his enim mœrentes conſolatur?

8 ¶Nunquid non infantuli miſerias, ſi non occurrunt, diligentiſſimè inquirit nutrix; cùm, ſi minxerit in cunis, uel ſi cacarit in pannis, uel ſi in capite moleſtiam patitur à pediculis, uel ſi &c. uigili cura uenatur? Vtique. Nutricem ergo uoluit eſſe prælatum modò ſibi ritè conuenienti Deus, ubi per ſcripturam unicuique prælatorum dixit: Agnoſce uultum pecoris tui; ac unumquemq; ad uigilandum ſuper gregem ſuũ multotiens adhortatur.

9 ¶Nunquid non infantuli ſui ſtatum bonum ſemper in corde gerit nutrix; ac pro ſuo poſſe ſtatum hunc illi modis uarijs die, noctuq; procurat? Experientiam uideto. Nutricem ergo agebat Apoſtolus, prælatosque hanc ad ſui exemplum agere monebat, quando de ſemetipſo ait: Inſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum.

10 ¶Nunquid non infantuli ſui calamitates reputat nutrix eſſe ſuas? Vtique. Sic & D. Paulus, prælatorum forma, docebat, cùm de ſe dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?

11 ¶Nunquid non incommodo nulli, nulli labori, parcit ipſa nutrix; quò infantuli ſui corporeæ ſaluti conſulat; nec unquam benè ſe habet, quandiu non ſatis benè puero conſultũ uiderit? Hoc ipſum ſenſus edocet. Nutricem formabat Apoſtolus, ubi Timotheum ſic inſtruebat: Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Et iterum. Tunc benè ualemus, quando uos benè ualetis. Vndecim ergo conditiones has omnes & ſingulas habeant ſuperiores; quas ut faciliter per nobis notiora ſcriptura doceret, hic ait ad Moyſen: Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum.

¶Applica ad ly (Euãgelium) Ego ſum paſtor bonus. Hic namque conditiones, quæ bonum paſtorem faciunt, habes undecim. Vniuerſaliter itaque, cum de ſuperioribus alicubi mentio fit, huius loci recolito. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA concluſio. 7. cap. 11. confirmatur maxime, & declaratur, ex Cõcilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. de refor. Sacroſancta Synodus illud primum paſtores admonendos cenſet, ut ſe paſtores, non percuſſores, eſſe meminerint; atque ita præeſſe ſubditis oportere; ut non in eis dominentur; ſed illos, tanquam filios & fratres diligant; elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreãt, nè, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogãtur. Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare cõtigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cùm ſæpè plus corrigendo agat, beneuolentia quàm auſteritas; plùs exhortatio, quàm cõminatio; plùs charitas, quam poteſtas. Sin autem ob delicti grauitatem uirga opus fuerit, tunc cũ manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cũ lenitate ſeueritas adhibenda eſt, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſeruetur; & qui correcti fuerint emendentur; aut, ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animaduerſionis exemplo à uitijs deterreantur, cùm ſit diligentis & pij ſimul paſtoris officium, morbis ouium leuia primũ adhibere fomenta; poſt, ubi morbi grauitas ita poſtulet, ad acriora & grauiora remedia deſcendere; ſin autem nè ea quidem proficiant, illos ſubmouendo, cæteras ſaltem oues à cõtagionis periculo liberare. Hæc ibi. Vide idem Conciliũ ſeſſ. 23. cap. 1. de refor. Item 24. q. 3. cap. reſecandæ, & c. corripiãt. Item diſt. 45. in prin. & diſt. 94. cap. ult. & diſt. 95. c. eſto ſubiectos. Item 1. Petr. 5. ſed forma gregis ex animo &c. & Actu. 20. Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus &c. Faciunt præmiſſa etiam ad ſequent. concluſ. 8. 9. 10. Applicabis tu iſta pro quanto ſufficit.

CONGREGA de ſenioribus, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri. *Text.*

Concl. 8. ***Non omnes ſenes populi ſunt ſenes populi, nec oẽs magiſtri magiſtri; & ſic de huiuſmodi.*** [Ex eo]

SI omnes populi ſeniores eſſent populi ſeniores, & omnes magiſtri magiſtri; non diceret Deus Moyſi, congrega mihi ſeptuaginta de ſenioribus, quos tu noſti eſſe ſenes, & magiſtros. Ad quid enim de ſenioribus dicitur; Quos tu noſti eſſe ſenes, niſi ut oſtendatur, non omnes ſenes eſſe ſenes? *Ratio.*

APPENDIX.

HINC habes, quòd dupliciter conſideratur ſenex, ſcili- 1
cet ætate, & moribus. Senex ætate eſt notus omnibus,
quod eſt ſenex, moribus uerò ſenex eſt notus tantũm ſapiẽtibus,
quòd eſt ſenex. Ideoq; dicitur hic, quos tu Moyſes noſti eſſe
ſenex; & non dicitur, quos cuncti norũt eſſe ſenes. Hoc autem
fit, ut agnoſcas, locutionẽ hic fieri de ſenioribus ratione mo-
rum principaliter. Secundò igitur conſequenter agnoſcito 2
hinc, quòd non omnes ſenes ſunt apti ad gubernandum; ſed
tantùm ſenes moribus. Qui autem ſint ſenes moribus in præ-
miſſa immediatè concluſione audiſti. Sunt enim illi, qui con-
ditiones illas undecim prælatorum bonorum habent. Condi-
tiones igitur illæ non tantùm inferunt aliquos eſſe prælatos
bonos, ſed etiam eſſe prælatos ſeniores. Prælati itaque boni,
& prælati moribus ſeniores, conuertuntur, ſicut prælati ma-
li, & prælati moribus iuniores, conuertuntur. En ſenex ætate,
moribus uerò iunior, in ſcriptura ibi: Puer centum annorum
morietur Eſa. 5. Si cẽtum annorum, ergo ætate ſenex: ſi puer,
ergo moribus iunior. E contra igitur & iuniorem ætate, mori-
bus autem ſeniorem inuenies ut Sap. 4. Senectus uenerabilis
eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani
autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, uita immacula
ta. Ex his igitur ſcripturæ locis multa ſcripturarum loca intel
ligas, & concordabis. Tertiò conſequenter habes hinc, quod ſe- 3
nex quis tribus modis dicitur; ſcilicet ætate ſolùm, mo-
ribus ſolùm, ætate ac moribus ſimul. Et (ab oppoſitis) iuue
nis dicit tribus modis, ætate ſolũ, moribus ſolũ, utroq; ſimul.
At ſenex utroque melior eſt alijs duobus: ſicut puer utroque
alijs duobus peior uidetur. Nã puer tãtùm moribus, ætate ue
rò ſenex; aliquam ſaltem reuerentiam ad hominem in-
fert; puer autem etiam ætate nullam (ut patet), licèt illi ſe-
ni magis diſcõueniãt mores pueriles, quam iſti puero. Hac
de cauſa maledictum puerum centum annorum ſcriptura
dixit, & non ſic de puero trium, uel quatuor annorum,
maledictionem acriter protulit. Quoniam igitur de meliori-
bus prælatis, qui reperiri poſſent, ſuo populo prouidere nole
bat altiſſimus (Ecce maxima Dei bonitas erga populum to-
ties, etiam tunc actualiter, ingratiſſimum), iccircò dixit nũc

Moyſi, ſe populo hebræo de 70. ſenioribus ætate maturibusq; prouiſurum. Quartò habes ex littera quòd non omnes filij alicuius cõgregationis, domus, uel cõuentus ſunt eius filij. A ſimili enim arguens dic: Si non omnes ſenes ſunt ſenes, nec omnes magiſtri magiſtri: ergo nec omnes filij congregationis, domus, uel conuentus ſunt filij, nec omnes patres patres, & ſic de cæteris.

¶Hinc dicitur ab Apoſtolo, quòd non omnes, qui ſunt ex Iſrael, Iſraelitæ ſunt. Hinc dicitur vulgo, quòd non omne, quod uidetur, eſt. Hinc etiam dicitur, quòd non omnes religioſi ſunt religioſi (aliàs; quod habitus non facit monachũ); quòd non omnes, qui incedunt in ueſtimentis ouium, ſunt oues (aliàs; quòd datur hypochryſis). Hinc fit, ut non omnes filij Abrahæ numerentur ab Euangeliſta Matthæo cap. 1. nec omnes filij Iſaac. Hoc ſiquidem agitur, non tantùm ad ſignificandum, quòd non ex illis omnibus Chriſtus traxit originem; ſed etiam ad ſignificandum illud, quòd nunc annotauimus. Hoc idem, quod præſens littera capituli denotauit, innuebat Apoſtolus dicens; Viduas honora, quæ uerè uiduæ ſunt. Ergo aliquæ ſunt uiduæ re, ſed non moribus. Hoc & Chriſtus ibi: Verè liberi eritis. Ergo aliqui liberi, ſed nõ uerè. Quare? Quia non moribus liberi.

Text. QVos tu noſti, quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri.

Concl. 9. *Ad ſenes ætate pertinet inſtruere iuniores.* [Ex eo.]

Ratio. NOTATO verba contextus. Prius dicit: Cõgrega de ſenioribus; poſtea inquit; Qui ſenes ſint, & magiſtri. Non facit mentionem de magiſterio in prima ſententia, & tamen primam ipſam ſententiam repetens magiſterij meminit. Quare? Quia uoluit per hoc oſtẽdere, quòd in ly ſenioribus implicitè claudebatur eſſe magiſtrum.

Corol. ¶Non ſunt ergo dignitate ſenes cenſendi, qui ſciẽtiam, qua inſtruere alios ualeant, nõ hñt. Ergo habes ex his, quid intelligatur, quando dicitur, quòd ſenectus eſt ueneranda, ſenex eſt uenerabilis. Intelligitur ſiquidem, quòd ſenes ſciẽtiam, qua moueant alios, habere debent bonis moribus coniunctam. Quam ſi nõ habuerint (ut de ſenioribus Suſannæ, & de ſenioribus iudæorum tempore Chriſti, patet), audiẽt illud iam præmiſſum: Maledictus puer centum annorum; ſeu puer centum annorum morietur.

Not. ¶Ob hanc cauſam attribui ſolet ſenibus, quòd regant populum, quòd uæh illi domui, in qua nullus adeſt ſenex, & ſimilia. Ob quam cauſam? Quia ſ. habere ſcientiam bene docẽdi alios, & eſſe magiſtrum, pertinet ad ſenes; ita ut unum ad aliud (ut ex littera colligitur) indiuidualiter ſequi uideatur. Hinc eſt, quòd ſenes honore proſequendos prædicat Apoſtolus; neophitos verò non item.

Text. AVferamque de ſpiritu tuo, tradamque eis; vt ſuſtentent tecum onus populi.

Concl. 10. *Plures rectores tunc ſecundum Deum benè ſubditos gubernant, quando ſibi inuicem uoluntate ac intelligentia concordant.* [Ex eo.]

Ratio. AD hoc, ut iſti ſeptuaginta rectè ſecundum Deum gubernarent cum Moyſe, dicit Dominus, quòd de ſpiritu Moyſis uult tradere illis. Clariſſimum utique eſt, quòd illi eodem ſenſu, modo, uoluntate, intellectuque gubernãt, qui eodem ſpiritu gubernantur in regimine. Vnde ſi eodem ſpiritu in regimine ducunt Moyſes & 70. utique ſenſu, modo, uoluntate, intellectu eiſdem populum gubernabunt. Quaſi ergo per illa uerba dixiſſet Deus Moyſi: Ego ſpiritum ſimilem tuo ſpiritui, quem dedi tibi, tradam ipſis ſeptuaginta, ut ipſi una tecum bene ſuſtentent onus populi. Si nanque 70. illi aſſumerentur ad ſuſtentandum tecum onus populi, & tamen non ſimili ſpiritu tecum gubernarent populum, tunc non benè ſuſtentarent tecum onus, ſed malè. Regnum enim omne in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. i. regnum ſi non ſit idem ſpiritus in regendo, ſed ſpiritu diuerſo alter ab altero regent, tunc regimen illud caſurum eſt, ac deſolandum. Vt igitur regimen, quod ego inſtituo, perſeueret, a caſuque (iuxta prouiſione regiminis facta) proſeruetur; uolo, eandem uoluntatẽ in regimine donare illis ſeptuaginta, quàm tibi donaui. Ad oſtendendum vero, quòd uoluntas intellectusque regendi populum erunt in ſenioribus ſimilia totaliter uoluntati ac intellectui Moſaycis in regẽdo Deus utitur iſto modo loquendi, qui ſequitur. Auferam (ait) de ſpiritu tuo, & tradam eis. Quaſi dicat. Quemadmodum illud, quod aufertur ab aliquo homogeneo, eſt illi reſiduo ſimile (ut caro ablata à carne eſt caro; aqua ab aqua eſt aqua; lumen à lumine lumen.): ita, quia ſpiritum ſimilem ſpiritui tuo inſpirabo ſenioribus in regendo, ideò ablatus à ſpiritu tuo uidebitur ſpiritus tradẽdus ſeptuaginta illis.

EXAMEN.

NON igitur diminuendus ſignificatur ſpiritus in Moyſe ad regendum populum per id, quod dicitur: Auferam de ſpiritu tuo; ſed ſimilis ſpiritus de nouo dandus ſeptuaginta ipſis denotatur. Nec etiam ex hoc habetur, quòd ſpiritus regiminis a Moyſe diffuſum ſit in ſeniores; quaſi quòd Spiritus Sanctus procedat ab homine, aut ab homine dari poſſit homini. Spiritus enim Sanctus quoniam à patre procedit; ideò ab ipſo dandus dicitur. Non enim inquit littera, tu Moyſes de ſpiritu tuo trades illis; ſed ego tradam de ſpiritu tuo illis. Tradidit ergo Deus ſpiritum ſuum; & tradidit de ſpiritu Moyſi. Quare ſuum, non Moſaycum? Quia à Deo patre Spiritusſanctus procedit; nõ à Moyſe. Quare de ſpiritu Moyſis, cum nõ ſpiritum Moyſis? Quia ſpiritum ſimilem ſpiritui dato Moyſi donauit, licet ſpiritus donatus nõ procedat à Moyſe. Ly ergo, de ſpiritu tuo, dicit ſimillimam ſimilitudinem Spiritusſancti. i. doni Spiritusſancti ad bene regendum (ſic intellige ſupra. ſ. ſenioribus datum eſſe Spiritũſanctum), non authoritatem aliquam Moyſis reſpectu doni illius, neq; proceſſum aliquem doni à Moyſe, neq; diminutionem doni in Moyſe. Hoc ultimum quò melius intelligas, aduerte. Dabantur iſti ſeniores Moyſi ad cooperationem regiminis, quia. ſ. Moyſes non ſufficiebat per ſe ſolus regere. Ecce, quòd ſpiritus Moyſis non erat ſufficiens ad regimen multitudinis. Si ergo nullus alius ſpiritus datus fuiſſet ſenioribus, i. ſi maiorẽ gratiam non diceret ſpiritus ſeniorum adiunctus Moſayco ſpiritui, quàm dicat Moſaycus ſpiritus per ſe ſolus; tunc ſicut Moyſis ſpiritus non erat par in Moyſe ad gubernandum populum, ita Moyſis ſpiritus in ſenioribus diſpenſatus non fuiſſet par ad idem. Quem enim uigorem maiorem accepiſſet Moſaycus ſpiritus per diuiſionem in pluribus hominibus, quàm per unionem in uno homine, qui erat Moyſes? Nullum prorſus: Imò (ſi fieri potuiſſet) uigorem minorem idem numero ſpiritus in plures homines diſpẽſatus per hoc accepiſſet. Dicitur in prouerbio, quòd uirtus unita fortior, diuiſa autem debilior. Diminutum igitur fuiſſet donum Spiritusſancti in Moyſe, quod eſt magna pœna; non fuiſſet facta gratia Moyſi; cuius tamen contrarium apparet in littera. In fauorem nanque Moyſis factum eſt, ut ſeptuaginta illi adderentur, & de ſpiritu ſuo ipſis traderetur, ad ſimul gubernandam Iſraelem. Fuiſſet etiam tunc minus prouiſum regimini multitudinis, uel ſaltem non magis (ut ſupra deduximus): cuius tamen oppoſitum littera innuit. Ad quid enim adduntur ſeptuaginta, ipſisq; de ſpiritu Moſayco traditur, niſi ut melius ſufficientius, atque facilius multitudo regatur a Moyſe cum illis? Ne igitur pœnam hic fuiſſe datam Moyſi, (cuius fauor prætenditur); nè minús, ſeu non magis regimini Iſraelis prouiſum, (quod littera renuit) aſſeramus, ſententia iſta catholicè exponenda eſt, ſicut ſupra expoſita fuit. Sit ergo modus loquendi, ad rectorum inſtinctum ſimilem denotandum.

APPENDIX.

HINC habes, reſpublicas quomodo bene gubernes. 1
Bene enim gubernãtur, ſi à pluribus ſuis rectoribus eodem ſpiritu gubernẽtur. Vides nanque illarum gubernationem hic deſcriptam fuiſſe à Deo. Habes conſequenter ſecũdò, quòd reſpublica placet Deo. Quomodo enim non placeat; cuius qualitatem regiminis, ſ. quòd eodem ſpiritu ab omnibus rectoribus gubernetur, inſtituit? Tertiò habes, unde conſeruatio, & ruina rerum publicarum proueniat. Ex his enim conſeruamur (inquit philoſophus), ex quibus ſumus. Si igitur reſpublica fit per hoc, quòd eodem ſpiritu à rectoribus uniuerſis gubernatur (ut littera docet); quid dicemus? Quòd tandiu conſeruabitur reſpublica aliqua, quandiu rectores eius inſtinctu eodem, eodemque ſpiritu eam regere ſtudebunt

re ſtudebunt, & quòd tunc ruinę proxima erit, quando diuerſo ſpiritu rectores in ipſius gubernatione ducentur. Et modum igitur conſtituendi bene rempublicam, & modum ipſam bene conſeruandi & modũ ipſam deſtruendi textus docet. Quartò habes, quòd tunc eodẽ ſpiritu rectores oẽs benè rempublicam gubernabunt, quando nõ quodcunque caput, ſed principale inter illos aſpicient, modò ſapiens exiſtat, ac timens Deum. Non enim ſine cauſa dictum eſt non cuicunque, ſed Moyſi, Auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, ſed hoc ipſi dictum eſt ad deſignandum, quod dicimus. Potuiſſet ſiquidem aliquis ſciens, rempublicam eodem ſpiritu ab omnibus regendam, ſic inquirendo dicere. Si idem ſpiritus requiritur in rectoribus, à quo nam rectorum illorum debent cæteri ſpiritus ſimboleitatem aſſumere, atque ad eius inſtar ſpiritum proprium formare? Et ideò, ut huic inquiſitioni præueniente reſponſo ſatisfiat, dicitur in littera Moyſi: Auferam de &c. Quaſi dicat? Primi capitis timentis Deum, ac ſapientis ſpiritum attendant alij rectores (ſicut primum analogatũ cætera analogata reſpiciunt): & ſuum proprium ſpiritum indè, idest ad eius inſtar, forment. Alioquin ſemper eſſet reſpublica quoad ſuum regimen in ancipiti, ſi nullus inter ipſius rectores daretur potior, cuius ſpiritui reliqui in gubernando conformarentur. Ex quibus uniq; habes, quomodo intelligas illud Euangelij: Non poteſtis duobus dominis ſeruire. Intelligitur enim, iuxta prædicta, ſic. Non poteſtis duobus dominis diuerſo ſpiritu gubernantibus ſeruire. Si namq; diuerſa præcipient, quomodo amborum præcepta ſeruare poterimus? Vnde ſi dominos tales hic 70. cum Moyſe inſtituiſſet Deus, utique impoſſibilia præcepiſſet, quod eſt impoſſibile. Nam inſtituendo rectores, uoluiſſet, nos regi ab eis: & conſequenter nos ſeruire illis, idest illorum uoluntati. Impoſſibile modò eſt contrariarum uoluntatum dominis contrarias .ſ. uoluntates ipſas mandantibus deſeruire. Vt ergo Dominos tales ſe non inſtituere, & ſe in dominio iſto impoſſibilia non præcipere, oſtenderet, dixit Moyſi: Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, idest uolo, ut nos omnes rectores uniformibus ordinationibus populum regatis, & non contraria mandata illi detis, quod quidem faciliter eſſet, ſi non ſpiritum ſimilem uos rectores haberetis. Ex his etiam patet, quòd non duobus tantùm, ſed etiam pluribus dominis poſſumus ſeruire, dummodo ſpiritu eodem dominentur, idest eadem præcipiant. Ecce, ſeptuaginta uiros inſtituit ad regendũ multitudinem hanc, ut pluribus illis multitudo uniuerſa deſeruiat. Veruntamen, ut illis deſeruire poſſit hæc, eundem ſpiritum eis infundere curat.

DECLARATIO

PER ſpiritum eundem in pluribus exiſtentem intelligas eandem intentionem, eundem zelum, eundem amorẽ, eaſdem ordinationes, idem iudicium, idem cognoſcere, idẽ uelle, idem ſapere &c. Quoniam autem in rectoribus creatis non una natura numeraliter inuenitur, ſed plures; ideò per ſpiritum eundem intellige in illis ſpiritum eũdem in ſpecie, idest ſpiritum ſimilem .i. ut vulgariter dicitur, che ha de quello iſteſſo andare. Quoniam uerò in rectoribus increatis una numeraliter natura inuenitur, non plures, ideò per ſpiritum eundem in ipſis intellige ſpiritum eũdem numero. Tres ergo perſonæ diuinæ nos omnes regunt eadem numero intentione, eodem zelo, eodem amore, iiſdem ordinationibus, eodem iudicio, eadem cognitione, eodem uelle, eodem ſapere &c. Nam in his tribus cuncta iſta ſunt ſimplicia. Hinc fit, ut tres perſonaliter rectores illi ſint abſolutè, ſeu eſſentialiter unus rector tantùm. Hinc fit, ut nullum regimen ſit æternum, niſi diuinum. Cùm enim regimen durationem habeat ex eo, quòd eodem ſpiritu adminiſtratur, ſequitur, quòd tantò magis durabit, quantò magis eodem ſpiritu adminiſtrabitur. Si modò eundem ſpiritum ſpecie ad eundem ſpiritum numero comparemus, tunc uidebimus, quòd identitas numeralis identitati ſpecificæ præualet. Vnum enim magis eſt, quod eſt unum numero, quam quod eſt unum ſpecie. Regimen ergo omnium rectorum Deo inferiorum, cum non ſit eodem ſpiritu numero adminiſtratum, diuinum autem ſic; patet, quòd nullum in duratione æquale eſt gubernationi diuinæ. Hinc etiam fit, ut regimẽ diuinum ſit optimum, & nullum ad eius bonitatem attingat. Quare? Quia uno ſpiritu numero inſtituitur, idest in illo regimine unus tantùm numeraliter ſpiritus (ut ſupra) inuenitur, in nullo autem alio unus numeraliter inueniri poteſt ſpiritus. Cum igitur proportionaliter bonum ſit, ſecundum quòd unitatem ſpiritus habet, clarum eſt, quòd diuini regiminis bonitati nullum aliud regimen æquiparatur, ſed nec æquiparari poteſt. Ad ipſius tamen normam humanum omne regimen (ſi aliquo modò bonum eſſe debeat) figurandum fore deſignat hic Deus, cum innuit, quòd eodem ſpiritu rectores plures regere debent ſubditos.

¶ Sed dices: Licèt in pluribus creatis rectoribus non poſſit eſſe idem ſpiritus numero, tamen in uno tantùm rectore poteſt eſſe vnus, & idem ſpiritus numero. Et ideò licèt nullum reipublicæ cuiuſuis dominium diuino æquiparari poſſit in bonitate, tamen (hac ſola, ſcilicet eiuſdem ſpiritus, attenta ratione) uidetur, quòd dominium vnius tantùm rectoris puta Regis, Ducis &c. diuino æquiparari poſſit. Huic inſtantiæ ſic reſpondetur. Si per ſpiritum intelligeremus potentiam naturalem, puta uoluntatem, uel intellectum (Horum enim aliquo intendimus, zelamus, amamus, cognoſcimus, volumus, iudicamus, ſapimus &c.); tunc, hac ſola ratione attenta, ſequeretur inſtantia aliquo modo: ſed quoniam per ſpiritum intelligimus potentiarum ipſarum effectus, puta intentionem, zelum, amorem, iudicium &c. ideò nullo modo ſequitur obiectionis intentum. Intentiones enim in quolibet creato multiplicantur, uariantur, uiciſſitudinem recipiunt, & ſimiliter zeli, amores, iudicia &c. ita ut vna numero potentia exiſtente plures numero ipſius dentur effectus. Ex textu itaque præſentis capituli ſic examinato concludendum reſtat, quòd nullũ creatum, ſiue plurium, ſiue vnius, regimen diuino regimini, nec in bonitate, nec in diuturnitate æquiparari valet.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) Regi ſeculorum immortali. Quaſi dicat. Regnum Dei eſt immortale, honorabile, & glorioſum; & hoc ſolum regnũ anthonomaſticè tale eſt. Quare? Audiſti cauſam; quia ſcilicet eodem ſpiritu gubernatur, & cõſtat. Non enim in Deo ſunt plures numero intentiones, zeli, amores, voluntates, cognitiones, iudicia, plura ſapere &c. ſed omnia hæc vnũ tantùm numero, iuxta illud Eccleſiæ ad ſanctam Trinitatem. Simplex eſſe, ſimplex noſſe, ſimplex uelle, ſimplex poſſe; Cuncta ſunt ſimplicia. Vel ad ly Regnum omne (Euangelium) in ſe diuiſum deſolabitur. Vel ad ly (Euangelium) Non poteſtis duobus dominis ſeruire. Vel vtcunque de bonitate, vel duratione regnorum loquuntur ſcripturæ &c.

DOmine mi prohibe eos. At ille, quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis dominus ſpiritum ſuum? *Text.*

Concl. 11. *Virorum ſanctorum eſt magis amare gloriam Dei, quàm gloriam propriam, etiam quòd in maiori gloria Dei quandoque uideatur importari apud homines minoratio gloria propria.* [Ex eo.]

GLORIA maior apud homines Moyſi erat, ſi ſolus Moyſes prophetaſſet, & ſpiritum Dei habuiſſet, idcircò hoc attendens Ioſue volebat à Moyſe prohiberi prophetantes. Moyſes autem quia gloriam Dei augeri uidebat ex hoc, quòd in plures diffundebatur prophetia; ideò prohibitionem huiuſmodi facere noluit; imò ipſimet diſplicuit æmulatio prædicta, qua ipſe Ioſue pro gloria Moſaica æmulabatur. Hoc uerò ſuadebat Moyſi Ioſue non, quia gloriam hominis præponeret gloriæ diuinæ maiori; ſed quia gloriam domini in Moyſe tantùm conſiderabat maiorem, atque minorem; non autem maiorem abſolutè, vel minorem. Maior quidem gloria domini in Moyſe apparebat, ſi ſolus ipſe prophetaſſet; ſed tamẽ minor erat illa gloria abſolutè, ſi in plures non diffunderetur ſpiritus domini. Cùm enim bonum ſit ſui ipſius diffuſiuum; patet, quòd quantò in plures diffunditur, tãtò magis bonum eſt, ac pro maiori debet haberi. Maior igitur Dei bonitas apparebat per hoc, quòd pluribus hominibus Dei ſpiritus donabatur, quam ſi vni tantùm datus fuiſſet. Et cùm bonitatem gloria proportionaliter ſequatur, patet, quòd maior Dei gloria eſt abſolutè, ſi pluribus detur prophetia, quam ſi vni tantùm. Hoc conſiderauit Moyſes, & idcircò prophetantes non tantũ prohibere noluit, ſed etiam prophetiam dari vniuerſo populo deſiderauit. Hoc ſi & Ioſue attendiſſet, illam Moyſi ſuaſionem non feciſſet. Verùm nec in hoc peccaſſe mortaliter Io-

 Ratio.

ſue dicendus eſt; quoniam non gloriam hominis .ſ. Moyſis magis optauit, quàm Dei, talia uerba Moyſi dicendo; ſed gloriam Dei maiorem, uel minorem in uno homine conſiderauit ſolummodo, ad maioritatẽ, uel minoritatem gloriæ Dei abſolutam non attendens. Quis verò neſciat, gloriam Dei in vno homine maiorem cenſeri, ſi ſoli illi præ cæteris gratia diuina donetur?

EXAMEN.

GLORIA Dei in homine tunc apparet, quando gratia illi datur; maior autem gloria Dei, quando præ cæteris illi datur. Abſolutè ſiquidem talis homo laudabilis eſt, & comparatiuè. Abſolutè, quia Dei gratiam habet: comparatiuè, quia ſolus illam habet. Ex hoc nonnè vides liquidò, quòd Dei gloria maior eſt in vno homine, quando illi ſoli homini gratia donatur? Hanc conſiderationem (vt tetigimus) faciebat Ioſue, quando Moyſi ſuadebat prophetantium cohibitionem. Ioſue igitur per non conſiderationem peccauit, ſiue per intellectum, minus autem per uoluntatem. Ferebatur ſiquidem ipſius Ioſue voluntas in Dei gloriam maiorem; ſed quæ nam eſſet Dei gloria maior, non intelligebat. Decipiebatur enim in hoc ꝙ maioritatem gloriæ ſecundum quid attentam putabat eſſe maioritatem ſimpliciter. Cùm igitur in Dei gloriã ipſius uoluntas intenderet, non contra charitatem Dei ambulabat; ſed cùm intellectus eius Dei gloria, quæ maior ſimpliciter eſſet, non penetraret, præter Dei charitatem agebat. In id enim uoluntas Ioſue ferebatur magis, quod à Ioſue magis intelligebatur: Et conſequenter magis in Dei gloriam ſecundum quid maiorẽ, quam in ipſammet ſimpliciter maiorẽ. Quòd ſi ſciuiſſet actualiter hãc eſſe maiorem ſimpliciter, illam uerò ſecundum quid maiorem, & illam huic præuoluiſſet; tunc utique dici poſſet, ꝙ peccaſſet mortaliter; utpotè charitatis ordine ſcienter ex induſtria inuertens. Nunc aũt qa non tot conſideraſſe Ioſue ponitur, ideò nõ peccaſſe mortaliter dicitur, quoniam licèt ordinem charitatis inuerterit, tamen hoc ipſum minus uoluntariè (cùm non ſciuerit actu conſiderando) fecit. Reſtat ergo, quòd præter charitatem, non autẽ contra charitatem fecerit; & conſequenter quòd uenialiter (ſi peccauit), non mortaliter deliquit. Moyſes uerò & maiorem Dei gloriam, & maiorem ſimpliciter quærebat, ideò iure ipſi Ioſue obſtitit dicens: Quid æmularis pro me? Non ſolum autem in hoc eſt Moyſes commendandus, quòd maiorem Dei gloriam ſimpliciter appetebat; ſed etiã quia in hoc appetitu propriæ gloriæ diminutionem apud homines includebat. Ad Dei nanque maiorem (ut præfertur) gloriam propriæ gloriæ decrementum ſequi, Moyſes cernebat, & tamen ab appetitu illo ſanctiſſimo per propriæ gloriæ diminutionem uiſam non retardabatur. A ſeipſo igitur diſiunctus Moyſes uidebatur in hoc, & in Deum totus abſorptus. En Moſayca grandis charitas. Charitas (inquit Apoſtolus) non quærit, quæ ſua ſunt; & Moyſes calcauit, quæ ſua ſunt. Quantum ergo longè fuit à quærendo ſua, qui tantùm pronus fuit ad ſuppeditandum ſua? Charitatis igitur eſt, & quærere gloriã Dei, non ſuam; & quærere gloriam Dei, cum ignominia, ideſt minori reputatione ſua. Charitatis eſt, magis amare bonum ſalutis proximi, quàm bonum uanitatis ſui.

APPENDIX.

1 HINC habes, quomodo in charitate, an exiſtas, coniecturare poſſis. Ad hoc enim, quantũ .ſ. æſtimes in ueritate gloriam Dei, inſpiciendum tibi eſt, iuxta ſupradicta.
2 Secundò habes, quòd & ſancti uiri, cuiuſmodi erat Ioſue, quandoque decipiuntur, licèt ipſi benè ſe agere credant.
3 Tertiò habes, quòd exiſtens in feruida charitate uellet, omnes eſſe ſanctos, ac pro ſanctis reputatos apud homines; licèt ipſemet ex hoc ipſo minus apud illos homines reputaretur.
4 Quartò conſequenter habes, quòd Sancti uiri propriam gloriam ſe habere tunc ſolummodò exiſtimant, cùm gloriã Dei floreſcere uiderint: & gloriam propriam tunc minui autumant, cùm Dei gloriam ſimpliciter minui perſpexerint. Amor ergo Dei extaſim facit, nec compatitur, feruidum amatorem conſiſtere in ſemetipſo.

Vide ſanctum Dionyſium.

5 Quintò habes conſequenter, ꝙ cruciatus maior eſt homini ſancto uidere inglorium Dei .ſ. inter peccantes habitare, quàm tribulatio quæcunque temporalis. Quanto enim ingloriam diuinam uiderit, & ſuam reputarit, tantò plus anguſtiabitur hinc, quàm aliundè tribulatus, quantò gloriam propriam homo magis diligit, quàm quælibet alia, & ingloriam propriam refugit magis, quam alia quæuis. Cùm itaque in propria gloria affligi, omnem terrenam ſuperet anguſtiã, reſtat, quòd inter peccantes habitare, Sancto uiro tribulatio tãta eſt, ut nihil ſuprà. Imò quia uir ſanctus Dei gloriam magis quam ſuam (ut de Moyſe littera teſtatur) diligit, conſequens eſt, vt de inhonoratione Dei magis, quam de ſui, crucietur. Ineffabilis ergo tribulatio illa dicenda eſt homini probo, quando inter peccantes, ipſos peccare uidendo, habitat. Hanc tribulationem expreſſiſſe uoluit B. Petrus Apoſtolus, quando de ipſo Loth dixit, quod habitabat inter illos, q quotidiè ſuis malis operibus cruciabant animam eius. Ex dictis nunquid non liquidiſſimum eſt, quomodo intelligatur illud, .ſ. Omnes, qui piè uolunt uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur? Vtique. Tales enim piè uiuentes, etiam ſi nullam aliam paterẽtur unquam tribulationem, maximam perſecutionem patiũtur in hoc, quòd uident peccantes. Quoties naque hoc uident; toties tribulantur, ac dolent. Vis, perſecutionem huiuſmodi cognoſcere eſſe magnam? Ad Moyſen hic oculos erige, & attendè. Homo iſte erat mitiſſimus (ut in ſequenti habetur capitulo) & tamen uiſis tot peccatis adeò affligebatur, ut mortem ſibi potius optaret, quam inter peccantes hos ingratiſſimos habitare. Magna igitur non tantum eſt, uiris iuſtis inter iniqua agentes commorari, ſed maior maxima. Nonnè mors omnium terribilium ſupremum eſt? Vtique; Et tamen minoris facit mortem Moyſes, cũ eligat ipſam, quàm inter impios manere, cum hoc plus, quàm illam exhorreat .ſ. Vide, quid dixerit. Cur (inquit domino) afflixiſti ſeruum tuũ? Ecce ad litterã, quòd uidere peccata uiro iuſto afflictio, & quidem antonomaticè intellecta, exiſtit. Quare (inquit) non inuenio gratiam coram te? Et cur impoſuiſti pondus uniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego concepi omnem hanc &c.? Vndè mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? Flent contra me dicentes: Da nobis carnes, ut comedamus. Dicas mihi, rogo. Quid ſibi uolunt tot Moyſis interrogationes, totque per uerba ſingula peccatorum rememorationes? Hæ utique duo maximam Moyſis oſtendunt paſſionẽm. In maxima ſiquidem paſſione conſtitutus lamentationem ſuam non niſi modo interrogatiuo profert (hic modus energiam tribulati, magnitudinem tribulationis, admirationemque tribulati de ſua tribulatione, importat); atque facta contra ſe ſingillatim proferendo conſiderat. Sic & Moyſes hic interrogando lamẽtatur; & quid per ſingula dixerint murmurantes in medium adducit. Ex modis igitur his loquendi tribulationem eſſe maximam agnoſce homini iuſto inter iniquos manere. Sed adhuc id clarius audias, & ipſam tribulationem maiorem maxima ad litteram coniectuiabis. Non poſſum (inquit Moyſes) ſolus ſuſtinere hunc populum: quia grauis (.ſ. antonomaticè) eſt mihi. Sin aliter tibi uidetur (ut .ſ. ſolus ſuſtineam hũc populum), obſecro, ut interficias me, nè tantis afficiar malis. Ecce. Non tantùm mortem præeligit Moyſes, ſed etiam obſecrauit, ut ueniat. O igitur maior omni tribulatione alia iuſtis uiris, inter delinquẽtes habitare. Hinc eſt, ꝙ & lamentabatur Eſaias dicens, Veh mihi, quia in medio populi polluta labia habentis ego habito. Ex impiorum enim cohabitatione affligũtur uiri Sancti, tùm quia diuinam offenſam uidere nõ poſſunt; tũ quia, nè & ipſimet in Dei offenſam per inaduertentiam fragilem ducti, ualdè paueſcunt. Et ideò vltimum hoc timens Eſaias dixit: Veh mihi, quia in medio &c. Quaſi apertiùs dicat: Ex populi polluta labia habentis (cuiuſmodi erant murmurantes iſti in deſerto) cohabitatione timeo, nè mihi ſubrepat aliquando peccatũ aliquod, per cuius admiſſionem mihi debeatur Veh .ſ. damnatio æterna. Exẽplũ hẽs de Moyſe ad aquas contradictionis (ut dicitur in Pſal.), qui propter malorum hominum cohabitationem adeò vexatus eſt, ut ad impatientiam quandoque, aliquando ad fidei modicitatem, nonnunquam ad iracundiam & puſillanimitatem, deductus uideatur. De qua re uide in multis locis horum librorum. Graue itaque vehementer ducunt Sancti homines manere inter peccãtes, cum ex hoc magnum animę ſuę diſpendiũ uel mortale, uel ueniale, timeãt. Vides ne modò, quàm uerum ſit, quòd omnes, qui piè nolunt uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur, etiam ſi perſecutiones extrinſecas in corpore non haberent.

Vide tu, et de hoc cum propheta time.

NOTATIO. I.

TALEM æmulationem, qualem pro Moyſe habuit Ioſue, habuerunt diſcipuli Chriſti, quando illi dixerunt:

Domine

Domine uidimus aliquem, qui non ſequitur nos, eijcere dæmonia in nomine tuo: Vis ut prohibeamus illum, uel, vis prohibere illum? Sed Chriſtus, tanquam in hoc capitulo figuratus, quoad factum ſimile prohibitionem illius renuit; imò illum commendauit. Talem & æmulationem habuerunt pro Ioanne Baptiſta ſui diſcipuli; quando de Chriſto dixerunt: Magiſter; ille, cui tu teſtimonium perhibuiſti ad Iordanem, ecce baptizat. Sed Ioannes Baptiſta, uelut alter Moyſes, ipſos diſcipulos ibi compeſcuit. Talem æmulationem (ut Apoſtolus, & actus Apoſtolorum conteſtari uidentur) habuerunt multi iudæorum pro lege Moſayca (tanquam alter Ioſuè hic pro Moyſe), quando Petrum Apoſtolũ, eò quòd ad Cornelium Centurionem introiſſet, repræhenderunt; & quando Apoſtolos perſequebantur, atque Chriſti Eccleſiam; & quando interficiendo chriſtianos arbitrabantur, obſequium ſe præſtare Deo. Hinc Apoſtolus de illis tale perhibet (ad Romanos) teſtimonium, quòd æmulationem quidem Dei habent; ſed non ſecundum ſcientiam. Talis erat & iſta ipſius Ioſuè ęmulatio, ſ. nõ ſecundum ſcientiã, atque illam iudæorum prædictam figurabat. Sed ſicut Ioſue a Moyſe, pro quo æmulabatur, repreſſus eſt, nec ſuum ſortitus eſt Ioſue intentum: ita iudæi a lege Moſayca, pro qua æmulabantur, ac æmulantur, reprimuntur (ſi legis Moſaycæ catholicum ſenſum teneant), nec ſuum unquam ſortiti ſunt, aut ſortientur, intentum. Quod intentum? Nè alij à Moyſe, puta Eccleſiæ gentium populi, prophetent, ac ſpiritu diuino repleãtur. Quare ſuum hoc intentum nunquam ſortientur? Quia Moyſes. i. Lex Moſayca illorum conatus fruſtratorios fore inanes, ac uanos, multis in locis (in prophetarum libris maximè) prædixit, & hoc totum figuratum eſt per iſtã cohibitionem a Moyſe uerſus Ioſue factam. Tales omnes præmiſſas, ac ſimiles oſtendit ſe odiſſe ęmulationes Apocalypſis, dùm ait: Qui audit, dicat, ueni. Quid eſt. Qui audit dicat, ueni, niſi qui ſpiritum Dei habet (uelut Moyſes), alios eũdem habere appetat, atque ad hoc, ut cæteri ad hanc perfectionem ueniant, operam det? Seruauit igitur Moyſes, ſeruauit & Chriſtus, ſeruauit & Ioannes Baptiſta, hoc Apocalypſis monitum a Spiritu ſancto edocti antequã per os Ioãnis Euangeliſtæ tale documentum Spiritus Sanctus ediceret.

¶ Nec prætereundum, ꝙ Moyſes in hac ſua exultatione, quando ſcilicet alios prophetare uidit, B. figurauit Apoſtolum: qui uiſa pſeudoapoſtolorum prędicatione in ſpiritu lętabatur dicens; Modò glorificetur Chriſtus, in hoc gaudeo; ſed & gaudebo. Ac ſi dixiſſet, ut etiam innuit: Etiam quòd mihi ex pſeudoapoſtolorum prædicatione uincula ſeu minor gloria, famæque ac de ſanctitate opinionis diminutio, ſubſequentur; tamen de huiuſmodi meo apud homines detrimento non curo, dummodò Chriſti gloria diffundatur per illos aliquo pacto. Quid? Parum dixi dicendo; Non curo: cùm ibi dicat Apoſtolus; In hoc gaudeo, & gaudebo. Magnopere igitur Dei gloriam proprię anteponebat Apoſtolus, quãdo de propria ingloria præ gaudio de gloria Dei habito lętabatur. Hoc ipſum hic de Moyſe eſt etiam ſentiendum, quod in Apoſtolo tempore nouiſſimo uidimus adimpletum. Moyſes igitur Apoſtoli, ſimiliumque, in hoc figura fuit, & figuratum ipſum, quid in figura implicitum contineretur, explicauit. Nonnè ex Apoſtolico de ſe dicto trahis, ꝙ etiam Moyſes, quamuis hic taceatur, plurimum de gloria Dei cum propriæ laudis decremento coniuncta gaudebat? Vtique. Minus ergo dicitur hic in textu, & plus ſignificatur. Quid dicitur? Quòd Moyſes non prohibuit alios prophetare, etiam quòd ab Ioſue ad hoc ſuaderetur. Duplicem ergo tentationem uicit Moyſes, & gloriæ propriæ naturaliter appetitæ, & gloriæ proprię illi ab exteriori amico per modum ſuaſionis propoſitæ. En grandis animi uirtus. Tentationi interiori iungitur exterior tentatio, & ab amico magno quidem. i. à Ioſue, & tamen Moyſis animus ad gloriam propriam non inclinatur. Minus dixi, non inclinatur: imò gloriam hanc propriã cum maximo ſtomacho repellit inquiens ipſi ſuadenti: Quid æmularis pro me? Quaſi dicat. Hanc gloriam propriam, quę in tua ſuaſione includitur, ego deteſtor, abhominor, ſtomachor, & horreſco. In textu modò quid plus ſignificatur? Quod non prohibitio hæc ex Moyſis gaudio magno de diuina gloria proceſſit. Factum itaque magnum fuit; & facti magna radix. Quod fuit factum? Nõ prohibitio. Quæ fuit huius facti radix? Gaudium magnum de gloria diuina etiam cum propriæ detrimento magno apud homines.

NOTATIO. II.

HINC diſcant uniuerſi; quantum à uanæ gloriæ appetitu diſtet animus ſanctorum quando ingloriam quoque propriam non curant, imò cum gaudio ſuſcipiunt anhelantes. Hinc diſcant etiam, quantæ ruinæ ſit cauſa uanæ gloriæ appetitus, & quãti boni origo eiuſdem gloriæ calcatio. Vide. Si Moyſes gloriam uanam appetijſſet, prophetantes ipſos compeſcuiſſet. Conſequenter igitur primò ſcandala in populo ſuſcitaſſet, ſecundò gloriam Dei maiorem impediuiſſet, tertiò ſuperbus apparuiſſet, quartò inuidus habitus eſſet, quintò utilitatem proximorum ex ipſa prophetia uenientẽ ſuſpendiſſet, & ita charitati tùm Dei, tùm ſui, tùm proximi, multipliciter infenſus fuiſſet. Nunc autẽ, quia uanamgloriam ſpreuit, omnia inconuenientia uitauit, & omnia illis oppoſita conuenientia fabricauit. Tota ergo uiribus uanagloria uitanda eſt, nec paruæ ſpiritualis ruinę exiſtimanda. Vana gloria igitur uitium merito dicitur capitale, quoniam ex ipſa multa uitia (ut uidimus) oriuntur. Etenim capitale ſic diffinitum á D. Tho. in quæſtionibus diſputatis habes. Hinc tertiò diſcant omnes, quòd nulli amico iuxta infraſcripta ſine rationis diſcuſſione credendum eſt, ſuiſque, conſilijs obtẽperãdum. Hoc eſt; amicus ex eo præciſè, ꝙ amicus eſt, audiẽdus non eſt; ſed ex eo maximè, ꝙ nobis ſalutifera proponit. Nec alicui quantumcunque Sancto amico ſtatim aures ſunt adhibendæ; ſed ponderandum prius, utrum ſpiritus amici ex Deo ſit. Ecce. Ioſue erat Moyſi amicus, & magnus, & inter maximos habitus, & ſanctus (ut patebit ex eo, quòd populum uociferantem contra dominum mitigauit; & ex eo, ꝙ Moyſi in populi ducatum ſucceſſit): & tamen ipſius monitis aurem Moyſes non accommodauit. Sed quid egit? Huius monita, ſuaſioneſque, an ex Deo eſſent prius examinauit: & poſt, cũ ex Deo non eſſe amici talis ſpiritum inſpexiſſet, ipſum cum ſancta indignatione mox repulit. Hoc etiam notẽt amici, ꝙ ſub amicorum ueſtibus diabolus ad alterum uenit amicum, intrinſecus autem inimicus exiſtit. Nunquid non ſub perſona Ioſue amici uenit nunc diabolus ad Moyſen; intrinſecus autem crudus hoſtis erat? Audiſti ſuprà. Aduertatur & Sancti Auguſtini dictum ex hoc loco, uel huic ſimilibus probabiliter fuiſſe tractum. Quod nam dictum? Alios autem (.ſ.à canonicis ſcriptoribus) Doctores ita lego; ut quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò uerũ putem, quod ipſi ita ſenſerint, uel ſcripſerint. Quaſi dicat. Rationis examen dicta ſanctorum uiatorum ſubire debent: & tantùm, quantum recta ſuadet ratio, amplectenda; & nihil plus. Hanc Beati Auguſtini ad Beatum Hieronymum ſententiam ad hoc tantùm adduximus; ut ratio recta ſuaſioni amici aliàs Sãcti præponenda noſcatur; non ut Sanctos etiã uiuos in minori reuerentia habeamus. Cur. D. Aug. ſentẽtiam præmiſſam pronunciauit? Quia hic Ioſue ipſum ex amicitia loquentem, & uirũ Sanctum, in dictis ſuis à uerò defeciſſe conſpexit. Sit ergo alter Moyſes, quiſquis amicorum ſuaſionibus decipi, præter illorum intentum, non uult.

¶ Applica ad aliquid prędictorum. Vel ad &c.

CRas comedetis carnes. Ego enim audiui uos dicere &c. Donec exeat per nares veſtras, ac uertatur in nauſeam. *Text.*

Concl. 12. *Bonitas Dei cum malitia hominum certatim pugnat; cuius bonitatis diuitias ſi contemnant, theſaurizant ſibi ipſis iram in die iræ.* [Ex eo]

CONCLVSIO hæc continet duo, ſcilicet quòd bonitas Dei cum hominum malitia &c. & ꝙ eius bonitatis diuitias ſi contemnant &c. Iſtud primum, quòd ſcilicet bonitas Dei cum malitia hominum certatim pugnet, etiam alibi ſupra oſtenſum eſt, unde hic parum circa hoc inſudabimus. Solummodo hoc ipſum tetigiſſe ſufficiat dicendo, quòd huiuſmodi primum in littera hac demonſtratur per coniunctionem rationalem. *Ratio.*

RATIO DICTI PRIMI IN CONCLVSIONE.

COMEDETIS (inquit) carnes. Et quare? Ego enim, inquit, (ly Enim eſt coniunctio rationalis) audiui vos dicere: Quis dabit nobis eſcas carnium? Quaſi dicat. Cauſa, propter quam carnes vobis concedentur, eſt murmur veſtrum. Non autem hoc ratione murmuris intelligas; ſed ratione bonitatis diuinæ ex murmure bonum hoc elicientis. Nam murmur ſecundum naturam ſuam ad negandum id, de quo murmuratur, ſuperiorem inclinat, cùm ipſum ad iracundiam prouocet. At murmure dato, ſi ſuperior poſtulata concedat (& maximè ſi abundantiſſimè concedat, ut hic fit), tunc maior bonitas ſuperioris attenditur, quàm ſi illa conceſſiſſet nullo murmure interueniente. Hinc Deus non bonus tantùm, ſed plusquam bonus apparet, dùm à malo non tantum uinci nequit, ſed etiam in bono uincit malum. Hinc Deus plusquam omnipotens manifeſtatur, dùm malum permiſſum ſua bonitate deſtruit, ac eius naturam mutare uidetur. Quæ eſt natura mali? Vt ſemper malum faciat, ad malum prouocet, ſemper noceat. Malum autem hoc nõ malum, ſed bonum fecit; non ad malum, ſed ad bonum prouocauit; non murmurantibus nocuit, ſed profuit. Vnde hoc? Non utiq; ex natura mali, ut nunc dictum eſt, ſed ex Dei omnipotentia. Maxima enim potentia eſt ſinere inimicum comparere, & ſic comparentem ſtrictum tenere, nè faciat, quod voluerit. Maioris namque potẽtiæ hoc argumentum uidetur, quàm ſi, nè inimicus compareret, totaliter impediretur. Victori ſiquidem laus maior inde, quàm hinc; & hoſti confuſio indè, quam hinc maior conſurgit. Quid ergo? Si bonum ſinit malum comparere, & comparens ipſum ligat, nè quod appetit faciat, nunquid hoc maximæ potentiæ argumentum exiſtit in bono? Vtique. Hac ratione ductus Diuus Auguſtinus ipſum quod eſt elicere bonum ex malo (hoc eſt ligare inimicum in ſtudio comparentem, nè quod vult faciat), attribuit omnipotentiæ diuinæ; & non tantum ipſi, ſed etiam bonitati immẽſæ. Dicit enim: Nunquam permitteret Deus malum, niſi adeò bonus, & potens eſſet, ut ex quolibet malo eliceret bonum. Hac ratione quoque adductus D. Thomas probat mali totalem deſtructionem fieri à Deo tunc, quando ex malo permiſſo bonum educit, ut in quæſtione 2. art. 3. ad primum, in prima parte, habetur. Ac ſi ibi dicat Doctor Angelicus. Bonum, quod Deus eſt, tunc maximè deſtruere quodcunque malum dicendum eſt, quando ex ipſo permiſſo comparere in bonũ trahit. Sic enim ipſum in ſui præſentia vincit, quod non eſſet, ſi malum non comparuiſſet. Cùm itaque uincere inimicum in ſui præſentia, ſit & laudabilius, & fortitudinis maioris ſignum, patet, quòd & bonitas maior, & maior potentia Dei oſtenditur per hoc, quòd ex malo permiſſo elicit bonũ, quàm ſi Deus malum, nè compareret, totaliter impediret. Sic enim Deus uinceret malum in ſui abſentia, quod eſt minus, quàm uincere ipſum in ſui præſentia. Cùm igitur maior ſit deſtructio mali hæc, quam illa, patet, quàm profundiſſima fuerit Diui Thomæ reſponſio illa prima ad argumentum. Videas ipſum Doctorem ſanctum ibi in art. pulchra dicentem. Sufficit enim nobis oſtendiſſe, quòd malum progignere bonum non naturæ mali, ſed Deo ex natura mali id elicienti aſcribendum eſt, & quòd quando ſic facit Deus, tunc bonitas ſua cum malitia noſtra certatim pugnat. Quod ſi uerum eſt, quòd ſcilicet idem ſit, bonitatem diuinam cum malitia noſtra pugnare, & Deum ex malo bonum elicere: tunc uerum quoque erit, quòd ſemper Deus iſtam ſuauiſſimam pugnam, & admirabilem exercet; quandoquidem non tantum ex aliquo malo, ſed ex quolibet malo bonum trahit. Hinc iure uocatur Deus, Deus exercituum, & quaſi uir pugnans, & ſimilia, cùm ſemper in tali ſanctiſſima, ſibi glorioſiſſima, nobis utiliſſima pugna exiſtat. Hinc (quòd ſcilicet tale bellum ex parte Dei ſummam ipſius bonitatem infert, atque potentiam ſummam) fit, ut tale bellum ex parte noſtri ſummam ingratitudinem inferat, necnon impotentiã ſummam. Si enim bonitate in bello pugnat illud, quod diximus, infert, utique & malitia contra bonitatem belligerare, iſtud vltimò dictum cõcludet. Datur namque à philoſophis regula, quòd oppoſitorum eſt eadem diſciplina. Quomodo eadem, ſi oppoſita ſunt? Imò nonnè magis diſciplina oppoſita; quia ipſa oppoſita ſunt? Eadem utique, & oppoſita ſimul; ſed ratione diuerſa. Nam oppoſita, ſi ſic conſideratur: Eadẽ, ſi modus ſuo oppoſito correſpondens attendatur. Audi. Habes ſupra & bonitatem, & malitiã. Nonnè iſta oppoſita ſunt? Maximè. Diſciplina bonitatis, quæ eſt? Inferre bonum, atque potentiam. Diſciplina malitiæ, quæ eſt? Inferre malum, ac impotentiam. Eſto. Inferre bonum, atque potentiam nonnè eſt oppoſitum huic, quod eſt inferre malum, ac impotentiam? Vtique. Inferre bonum, atque potentiam nonnè dicit modũ correſpondentem per oppoſitum huic, quod eſt inferre malum, ac impotentiam? Procul dubio, cùm tunc malum correſpondeat ad ly Bonum, & impotentia ad ly Potentia. Oppoſitorum igitur cùm ſit eadem diſciplina, certamen illud in prima parte concluſionis narratũ eſt ex parte Dei laudabile uehementer, ex parte uerò noſtri uituperabile ſatis.

RATIO DICTI SECVNDI IN CONCLVSIONE.

SECVNDVM in concluſione poſitum (ſ. quòd ſi bonitatis diuinitas prædictas contemnant homines, ipſi theſaurizant ſibi iram in die iræ) ex littera præſenti, & ex calce præſentis capituli, patet. Donec (inquit) exeat per nares ueſtras, & uertatur in nauſeam. Quomodo carnes poſſunt exire per nares? Poſſunt quidem uerti in nauſeam; ſed, quomodo per nares exire poſſint, non uideo. Notandum igitur, quòd hic eſt modus loquendi ad punitionem, quæ inſligenda erat, ſignificandam. Ac ſi dicatur: Sicut inſolitum eſt, ac admirabile, ac ferè impoſſibile creditu, quòd carnes comeſtæ per nares exeant; ita punitio, qua uos caſtigabo, erit inſolita, ualdè mirabilis, ac fermè incredibilis. Subitanea enim mors improuiſa, inter delitioſas epulas habita (quæ omnia punitio illorum iudæorum fuit) & inſolitum quid, & mirabile, & fermè incredibile uidetur. O quam pulchrè dicitur de iſtis ingratis, quòd carnes exibunt per nares ſuas, ut pœna oſtendatur conformis culpæ. Sicut enim horribile eſſet uidere, carnes exire per alicuius nares; ita horribilem fuiſſe horum culpam ſic loquendo deſignauit Deus, ac horribilem ſubſecuturam pœnam. Et ſicut carnes indigeſtę ſunt, quando exeũt per nares, ita per hoc dictum mõſtrauit altiſſimus, quòd ideò hi caſtigati tam acerbè fuerunt, quia beneficium diuinum (quod carnes erant) indigeſtè tractauerunt. Quid eſt indigeſtè beneficium tractare? Non conſiderare illud, non penetrare, de illo gratias non agere. Huiuſmodi fuerunt, & philoſophi, quos (ad Romanos 1.) recenſendo Apoſtolus ait: Qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Et quid indè ſequitur? Dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Vides nè illos iudæos hic ab Apoſtolo ſub figura philoſophorum deſcriptos, & quoad culpam, & quoad pœnam? Quoad culpam quidem, quia beneficij magni indigeſtio fuit; quoad pœnam uerò, quia beneficij magni inopinata perditio extitit. Culpa itaque fuit inconſideratio: pœna etiam inopinata eſt ſubſecuta. Indigeſtum beneficium habuerunt, indigeſtum pro tali culpa tormentum ſubierunt. Carnes habitas pro magno beneficio iudæi iſti non habuerunt; in cuius ſignum gratias, ſicut oportuit, Deo non reddiderunt; & ideò loco magni beneficij magnam pœnam receperunt. Noluerunt benedictionem; & ideò eius uice maledictionem ſuſceperunt. Quid eſt, nolle benedictionem? Beneficij magnitudinem non intelligere, paruiducere, de ipſo gratum eſſe Deo, uel in affectu, uel in effectu, aut parum, aut uix, aut nihil, curare; beneficium eſſe beneficium obliuiſci. Quid eſt, eius uice maledictionem recipere? Eſt pro huiuſmodi circa beneficium ingratitudine tantas proportionaliter dare pœnas, quanti ualebat beneficium. Hinc eſt, quòd philoſophi illi ſtulti facti ſunt, & murmuratores iſti carnibus perierũt. Quare illorum pœna fuit ſtultitia? Quia ſtultitia cognitioni, quæ beneficium erat, opponitur. Et tanti ualet in malum ſtultitia, quanti ualet in bonum cognitio. Ecce, iuſtum Dei iudicium. Ecce, quòd per quæ quis peccat, per hæc, & torquetur. Peccarunt philoſophi per abuſum cognitionis, ideſt per ingratitudinem de cognitione, torti ſunt per priuationem cognitionis, imò & per cognitionis oppoſitum, quod eſt ſtultitia. En quid facit ingratitudo. Quare murmuratores illi carnibus perierunt? Quia mors inter carnes habita donationi carnium, quod beneficium erat, opponitur. Carnes donatas iudæi in pretio gratioſo non habuerunt, pro quanto de illis grati non fuerũt, & ideò carnes donatas ad uitã, fuiſſe iiſdem factas nouimus ad mortem. Ex parte Dei miſerentis ad uitam donatæ fuerũt; ex parte populi recipientis in mortem factæ ſunt per culpã; ex parte Dei iuſtè iudicantis in mortem populo illi factæ ſunt per pœnam. Miſericordia ergo Dei fuit, quòd carnes ad uitã donauit, ſed ex diuina iuſtitia proceſſit, quòd ad exitium euaſerunt

ſerunt

ſeruat. At quod miſericordiæ fuit, Deus nullo id promerente fecit; ſed quod iuſtitiæ erat aliquem id promerentem ſupponebat. Miſericordia igitur illa non tantum bonitas; ſed diuitiæ bonitatis iure in concluſione, conformiter ad Apoſtolum Roma. 2. uocantur, & punitionem talem ſibiipſi theſaurizans ingratus dicitur. Niſi enim ingratus ſibi punitionem conficeret, illum Deus non puniret. Semper enim ſuppoſito peccato, quod ingratitudo illa nunc eſt, puniuiones infert Deus.

COROLLARIVM.

ERGO ſicut ex malo Deus per ſuam bonitatem elicit bonum, ita ex bono homo per ſuam ingratitudinem elicit malum. Et ſicut ex malo illo non ratione mali elicitur bonũ, ita ex bono illo non ratione boni elicitur malũ. Et ſicut Deus ſummè laudandus eſt, quando taliter bonum trahit, ita homo ſummè uituperandus eſt, quando taliter malum trahit. Illud maximam bonitatem dicit in Deo, iſtud maximam malitiam dicit in homine. Malum tunc ſupra ſeipſum malum contra ſui naturam trahit Deus; bonum tunc infra ſeipſum bonum contra ſui naturam trahit homo. Ex maleficio igitur hominis beneficium in ſui laudem, & hominis utilitatem, Deus elicit; ex beneficio Dei maleficium in ſui perniciẽ, & diuinam offenſam, elicit homo. Iſta eſt pugna illa, quæ cõtinuè inter Deum hominemque uerſatur. Iſtud eſt illud prælium magnum, id eſt magna admiratione dignum, quod Ioãnes in Apocalypſi uidit factum fuiſſe in cœlo. Quod enim tunc fecit in cœlo diabolus cum Deo; nunc facit in terra homo cum Deo. Quid fecit tunc diabolus? Ex Dei beneficio ſibi maleficium comparauit. Quid facit homo? Ex diuino beneficio ſibi maleficium (ut in præſenti capitulo uidere eſt) comparat. Hinc eſt, quòd omnes peccatores, cùm Deo ingrati ſint, filij Diaboli uocantur. Quare? Quia ipſum in hoc prælio, quod diximus, imitantur. Hinc eſt, ꝙ peccatores Spiritui ſancto reſiſtere dicũtur Actu. 7. Quare? Quia Dei beneficium quod ipſa ad uitam, quantum in ſe eſt, contulit, ipſi ad maleficium conuertunt, ut hic in littera docetur.

¶Applica ad ly Pſ. Quam bonus Iſrael Deus? Admiratur propheta iſtam Dei bonitatem, inexplicabilemque ea modo loquendi ſignificat illam, quòd. ſ. ex malo, & quolibet malo, eliciat bonum. Ab oppoſitis ergo dicamus cum Pſalmiſta Quàm malus Iſrael homo? Hoc eſt admirari, inexplicabilemque inſinuare malitiam hominis hanc, quòd. ſ. ex bono elicit malum, & ex quolibet bono malum trahere poteſt, 3. q. 3. ar. 8. ad 1m. Ex hoc (inquiebat argumentum) ꝙ perſona filij Dei eſt incarnata, multi impediti fuerunt a uera Dei cognitione, ea, quæ dicuntur de filio ſecundum humanam naturam, referẽtes ad ipſam filij perſonam; ſicut Arrius qui poſuit inæqualitatem perſonarum, propter hoc quod dicitur Ioan. 14. Pater maior me eſt; qui quidam error nõ prouenſſet, ſi pſona patris incarnata fuiſſet. Nullus enim æſtimaſſet, patrem filio minorem, ergo conueniens magis fuiſſet, ꝙ perſona patris incarnaretur, quàm perſona filij. Ad primum (inquit reſpondendo) dicit, quòd NIHIL EST, QUO HUMANA MALITIA NON POSSIT ABUTI, quando etiam ipſa Dei bonitate abutitur, ſecundum illud Rom. 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Vnde, etiam ſi perſona patris fuiſſet incarnata, potuiſſet ex hoc homo alicuius erroris occaſionem aſſumere, quaſi ꝙ filius ſufficere non poſſet ad humanã naturam reparandam. Hæc ibi. Quæ in totum adducere uoluimus ut uideas, quàm uerum ſit, quod ſupradiximus. ſ. malitiam hominum elicere malum ex bono.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆc concluſio 12. cap. 11. deſtruit abundantiſſimè hæreſim, quã Nouatianus (ut refert Prateolus tit. Cœleſtiani) blaſphemauit; Deũ eſſe crudelem. Nam patet hic totũ oppoſitũ, id eſt quòd benignitate pleniſſimus eſt Deus, imò quòd benignitas ipſa eſt. Quomodo? Hoc ſcilicet, quòd ſicut contrarium in abſtracto ſignificatũ, puta caliditas, uincit aliud ſuum contrarium, inquantũ nec minimum quid de frigiditate admittit, imò nec admittere poteſt; ita Dei benignitas ſuum contrarium, id eſt malitiam hominum uincit, & quidem mirabiliſſimè (ut ex littera uidimus): Quãdo enim a malitia hominum prouocatur ad hoc, ut eis digniſſima flagella inferat, ea bonitate ſua ſuſpẽdit ſæpe quantiſſimè punitionem; & quando tandem infert illa, ex ſapientiſſima iuſtitia infert; id quod non crudelitatem ullam, ſed bonitatem reuera dicit. Damnatur quoque & meritò, à ſcripturis ſanctis Gen. 3. con. 1 c & cap. 6. con. 3. 7. Item Exod. 12. con. 6. Item Leuit. 1. con. 6 & cap 26. con. 11. 12. Eandẽ uideas etiam damnatam ab Elucid. pri. par. q. 20. ar. 1. 2. & q. 21. ar. 3. & q. 37. ar. 1. Item in Elucid. Addi. art. num. 431.

CONCLVSIONES
EX NVMERI.

CAPITVLO XII.

LOcutaque eſt Maria, & Aaron contra Moyſen &c. Quod cum audiſſet Dñs, iratus eſt ualde. Text.

Concl. 1. *Deus maximè zelat pro ſanctis uel ſeruis ſuis, etiam uiatoribus contra murmurantes de illis, uel detrahentes illis.* [Ex eo] Ratio.

¶ECCE. Maria cum Aaron murmurat cõtra Moyſen, ſiue ipſi detrahũt propter Æthiopiſſam; uel probabiliter quia Æthiopiſſa exaltabat Moyſen dicens, ꝙ ipſi marito ſuo locutus erat Dominus præ alijs; uel quia Moyſes uxorem Æthiopiſſam acceperat; & ſic (cùm ex concupiſcentia illam accepiſſe, Mariæ Aaronique forſan uideretur) alijs hominibus ſimilis, ſeu non multum ſuper alios meritis excellens, fortè iudicabatur à ſorore ſua cum fratre. Nam (inquiunt murmurando, ſeu detrahendo) per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nõne & nobis ſimiliter eſt locutus? Si Æthiopiſſa (ut præfati ſumus) Moyſen exaltabat (ſiue per ſeipſam loquens illum exaltaret, ſiue ab alijs ſic locutam ipſam circa Moſaycã exaltationem referretur), tunc directè ipſius uerbis uerba Mariæ Aaroniſque reſpondent ad litteram. Nec ſolum reſpondent; ſed etiam cum diminutione quadam Moyſis, & ſua ipſorum exaltatione. Hæc duo. ſ. Moyſis aliqualem depreſſionem, & ſuam ipſorum exaltationem innuunt locutiones illæ textus cum interrogationis nota prolatæ: & prima quidem primũ; ſecunda uerò ſecundum. Sin autẽ propter Æthiopiſſam ideò detraxiſſe Moyſi dicantur, eò quòd Moyſes accepiſſet (ut prædiximus) eam uxorem, tunc Mariæ Aaroniſque uerba ita gloſanda ſunt, ac ſi inferre uoluiſſent, quòd Moyſes non tantus erat ſanctus, ac Deo familiaris, quãtus credebatur a populo. Siue autem illo primo modo, ſiue iſto ſecundo intelligas, ly Propter uxorẽ Æthiopiſſam, ſemper Mariæ Aaroniſque uerba eſſe Moyſis depreſſiua conſpicies, & conſequenter iſtis à Deo rectè fuiſſe per increpationem dictum: Quare nõ timuiſtis detrahere Moyſi ſeruo meo? Detractio enim, iuxta Doctor: ſanctũ 2. 2. q. 73. ar. 1. eſt famæ p uerba denigratio, ſeu diminutio; cum intentione illam denigrandi, ſeu diminuendi. Audiſti contra ſeruum Dei uiatorẽ obloquẽtes; audias nunc quid pro ſeruo ſuo contra illos egerit Deus. Quod (inquit littera) cùm audiſſet Deus, iratus eſt ualdè. Quomodo ualdè? In uerbis, in factis, in dilatione exauditionis. Vide per ſingu- 1 la. In uerbis iratum Deum conſidera, cùm detrahentes ipſos durè increpat dicens; Quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo? In uerbis quoque iratum Deum penetra, cum ipſe Moyſen præ alijs laudat dicens: At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore ad os loquor ei; Palam, & nõ per ænigmata, & figuras uidet Deum. Quid eſt, palam &c. uidet Deum? Eſt (ut Diuus Thomas ex hoc loco ſumit 1. q. 12. ar. 11.), uidere Deum per eſſentiã. Ecce maxima Moyſis commendatio, ac eius maxima cum Deo familiaritas; id quod uerba detrahentium ſuperiùs expoſita è diametro retundit. Licèt autem uerba domini hæc ſint ad laudandum Moyſen prolata, ſunt tamen etiam uerba ad puniendum detrahentes aptiſſima. Et iccircò diximus, quòd in his uerbis Deum iratum, id eſt punientem inſpicere debebas. Vis uidere quomodo ſunt uerba punientis? Erubeſcentiã non tantùm pœnam, ſed pœnam magnam eſſe conſidera, & detractores iſtos plurimum erubuiſſe coram Deo arguente, ac uerba illam Moyſis laudem contra ipſos proferente,

profundius penſa, & tunc in uerbis illis Deũ iratum fateberis. Nõne & tu, ſi aliquis te magis uerax eum, quẽ uituperaueras, in faciẽ tuã extollit, erubeſcis? Vtique, & tãtò magis erubeſcere cogeris, quãtò maior fuerit ipſius à te uituperati cõmendatio. Cùm itaque Deus non tantùm quõcunque Moyſen in horum faciem extulerit, ſed ipſum ſuper omnes antiquos ſanctos (Nullus enim antiquorum diuinam eſſentiam uidit, excepto Moyſe, ut D. Thomas una cum D. Auguſtino teſtatur 1. q. ead. ar. eod.) ſingulariſſimè commẽdarit; quid relinquitur dicendum? Quòd adeo in uerbis his confuſi ſunt detractores, ut nihil ſupra. Si enim erubeſcentia eſt magna pœna (ut inquiunt canones), quãtã pœnam attuliſſe credimus erubeſcentiã tantã? In uerbis quoque ſcripturæ iratum conſpice Deum, ubi dicitur: Statim locutus eſt dominus ad eum, & ad Aaron, & ad Mariam. Quando quis ualdè iratus eſt, tu hoc inde conijcis, quando eum uideris ad punitionem procedere ſtatim. Cùm igitur dicat littera, quòd dominus ad punitionem ſtatim proceſſit, quid indè tibi conijctandum relinquit, niſi quod Deus iratus erat ualdè? Iratus, quare? Quia ad punitionem proceſſit. Valdè, quare? Quia ſtatim ad hanc proceſſit.

2 Secundò in factis iram Dei uehementem conſpici poſſe diximus. Nonnè in factis Deus agnoſcitur iratus, quando ſcriptum eſt, quod poſtquam locutus eſt Deus increpatiuè ad Aaron & Mariam, iratus contra eos abijt? Quaſi dicat. Nõ expectauit excuſationem aliquam: nullum uerbum bonum poſt dura uerba illis locutus eſt: nè mitigabilem illum crederes in hoc, abijt. Increpans enim quis aliquos ſi ſtatim poſt

Exempl. increpationes abit, quod tibi per iſtud factum ſignum oſtendit? Malum; quòd ſcilicet non iratus modò, ſed iratus eſt ualdè. Si enim iratus tantùm eſſet, increpaſſe illos, quibus infenſus eſt, contentaretur, nec aliud indignationis monſtraret indicium; ſed quia iratus eſt ualdè & increpat, & mox à facie increpati, quaſi uideri amplius ab increpato indignum iudicãs, abit. Iratus ergo eſt, quare? Quia increpat. Valde, quare? Quia mox abit. Si abit: ergo præ iracundia nullam excuſationem ſe faciliter admiſſurum demõſtrat, ſe per hoc factũ inexorabilem fermè declarat; increpatos illos in ſua ipſorũ confuſione relinquit. Duplicem igitur confuſionem illis affert, qui poſt increpationes abit. Nam illos increpando cõfudit prius: poſt in confuſione, nullam de conſolatione ſpem relinquendo, dimiſit. In factis quoque iram Dei magnam attende, quando littera dicit, quod nubes, quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum. Ac ſi dixiſſet: Non ſat fuit Domino poſt increpationes abijſſe; ſed etiã nullum ſui ueſtigium apud increpatos remanere uoluit. In magna ergo deſolatione illos diſcedendo reliquit; quos non ſua præſentia modò, uerum & ſuæ præſentiæ ueſtigio priuauit. Quid igitur iudicas hic, niſi Deum iratum ualdè? Imò ſi ipſum per hoc, quod poſt increpationes abijt, iratum ualdè dicebas; quid nunc per hoc, quod ſui quoque ueſtigium ab illis recedere facit, niſi ipſum pluſquã ualdè iratum dices? Sic itaque concludes, quòd ſupra minus dixit littera, & plus ſignificauit. Vbi ſupra? In principio ferè capituli, ibi: Quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt ualdè. Dixit ergo, ualdè, & ſignificauit, pluſquam ualdè. Quod ut melius capias, uide quod ſequatur. Et ecce (inquit) Maria apparuit candens lepra, quaſi nix. Nunquid non magis hoc in facto Deum pluſquam ualdè iratum conſpicis? Si enim per ueſtigij aliqualis diſceſſum pluſquam ualdè iratum illum intelligebas; multò magis hocipſum per punitionem hanc poſitiuam intelligere debes. Multò enim magis poſitiua pœna (ut ſic) caſtigat, quam priuatiua (ut ſic); & conſequẽter illa Deũ plus infert iratum, quàm iſta. At ſi proſpexeris, quòd poſitiua pœna hæc eſt intolerabilis, abhominabilis (ad hoc ſignificandum leproſi à cæterorum conſortio ſegregabantur) fœtida, contagioſa, multumque hominem corrodens, tunc profectò Deum non modò pluſquã ualdè, ſed ſatis pluſquàm ualdè iratum fateberis. Ira ſiquidem Dei nihil aliud, niſi punitio, eſt. Tertiò (ut in principio diximus) iratum Deum ualde cognoſcimus per dilationem exauditionis. Vbi eſt dilatio exauditionis? Ibi, Separetur ſeptem diebus. Vide. Non uult ergò pœnam tantam, tam mortiferam, ut quaſi mortuam feciſſe Mariam, in littera dicatur, tam uilem, ut ceu abortiuum, quod proijcitur de uulua matris ſuæ, feciſſe Mariam, textus fateatur, tam corroſiuam, ut in minimo temporis ſpatio, & ferè momẽto, iam medium carnis Mariæ deuoratum à lepra, Aaron enũciet, tollere, quamuis à Moyſe rogetur. Heu, heu, quam iratus Deus. Moyſes non ſolum amicus, ſed Dei amiciſſimus, nõ ſolum orat, ſed orãdo clamat, nõ clamat ſolum, ſed clamando obſecratur, & tamen Dominus adhuc exauditionem differt. Verè, iratus ualdè nimis. De tali ira maximè loquebatur Pſal. cùm domino tremens aiebat: Quis nouit præ timore tuo iram tuam dinumerare? Ex his igitur antedictis omnibus, tùm uerbis, tùm factis, tùm difficultate dilationeque exauditionis patet, quã uericiſſima ſit præſens concluſio.

APPENDIX.

HINC habes à fortiori, quòd Deus magis zelabit etiam temporaliter, id eſt in hoc mundo (ſi id melius iudicabit) pro ſanctis ſuis iam comprehenſoribus, acerbiſſimè; uidelicet puniendo illos, qui de his murmurant, his maledicunt, hos blaſphemant, his detrahunt, hos quomodocunque inhonorant. Si enim pro ſeruo uno ſuo uiatore, nec adeo amico, ut comprehenſor eſt (nam qui minor eſt in cœlo maior eſt illo, id eſt uiatore) tam ſeuerè zelauit, quantum zelum putas habiturum Deum pro uno comprehenſore, & multò magis pro pluribus? Et ſi pro uno, uel pluribus comprehenſoribus, multò magis pro ſuæ ſanctiſſimæ matris honore, & adhùc magis pro ſuiipſius. Ad hoc denotandũ dicebat per prophetam quendã altiſſimus: Gloriã meã alteri nõ dabo, i. nũquã pro cuiuſquã honore, ſicut pro meo zelabo. Si zelũ igitur pro Moyſe habitũ uix dinumerare potes; quo irã diuinã pro cæteris ſupradictis enumerare, i. quanta ſit futura æſtimare ualebis? Secundò (à fortiori) habes, quod multò magis Deus zelabit contra offendentes in factis ſeruos ſuos, ſiue adhùc uiatores, ſiue comprehenſores. Seruos ſuos uiatores offendunt in factis illi, qui eos (maximè clericos) iniuſtè grauant, ſiue gabellis, ſiue angarijs, ſiue pedagijs, ſiue quibuſcunque alijs oneribus quomodocunque nominatis. Hi ergo (ſi qui ſunt) & ſimiles, ab ira Dei magna ac pluſquam magna etiam in hoc mundo (nam in hoc mundo Maria caſtigata fuit) timeant, & emendo reſipiſcant. Alioquin uix per amiciſſimorum Dei clamoroſas obſecrationes pœnas ab ipſo iuſtiſſimè inflictas euadent, ad quod dilatio exauditionis in textu poſita ſignificat. Seruos Dei cõprehenſores offendũt in factis illi, qui templa ſubuertunt, imagines ſanctorum conculcant reliquias pro nihilo ducunt, qui tũ imagines illas, tũ illa templa ſiẽda, tũ reliquias illas uenerandas eſſe, negant. Hi omnes ergo, ac ſimiles, ab ira Dei pluſquam grandi etiam in hac uita ſibiipſis uentura fugere per condignam præſentiam feſtinent, ac tantò maiorem hanc irã diuinam in tales deſcenſuram agnoſcant, quantò maiorem admodum, ſic agendo, culpam committunt.

Exemp.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Qui uos ſpernit, me ſpernit. Quid hic oſtẽditur? Quòd Deus pro ſeruis ualde zelabit. Quare? Quia ego (inquit) hominibus deſpectus ſum in nobis ſeruis meis. Sicut ergo Deus ſeipſum negare non poteſt 2. Tim. 2. quin ſ. ſui inhonorem uendicet, & ſuam gloriam quærat; ita non poteſt non uindicare ſanctos ſuos, & gloriam ipſorum non quærere, quod totũ eſt zelare, ut ait concluſio, pro ſeruis ſuis &c.

LOcuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſen propter uxorem Æthiopiſſam &c. *Text.*

Concl. 2. *Superbia non parcit conſanguineis, nè illas ſcilicet offendat in fama; & conſequenter in rebus, in perſonaque.* [Ex eo]

TAM Maria, quàm Aaron, ſuperbia tacti erant: & iſta fuit origo detractionis eorum contra Moyſen. Si nanque detractionis præmiſſæ uerba legas attentius, quàm uerum ſit, quòd ſuperbia cordiali tacti fuerint, clare uidebis. Nam per ſolũ Moyſen (inquiunt) locutus eſt dominus? Nonnè & nobis ſimiliter eſt locutus? In his duabus ſtomachoſis interrogationibus non tantum eorum ſuperbia; ſed etiã plures ſuperbiæ ſpecies apparẽt. Vt autem id apertius noueris, quatuor eſſe ſpecies ſuperbię aduertas. Prima eſt, cum quis ſe ita extollit, ac ſi bonũ non haberet à Deo. Secunda eſt, cum ſic extollit ſe quis, ac ſi ſuis meritis illa haberet à Deo. Tertia ẽ, cũ aliquis per bonum, quod non habet, ita extollitur, ac ſi illud haberet. Quarta eſt, cum aliquis deſpectis cæteris ſingulariter appetit uideri bonum, quod habet. His annotatis, uidere facillimum eſt, quòd Maria & Aaron in tertia, & quarta ſpecie ſuperbiæ peccauerunt, & quod quem defectum intus habebant, extra per uerba ſonabant. Num per ſolum Moyſen

Ratio.

ſpecies ſuperbiæ.

(inquiunt)

(inquiunt) locutus eſt dominus? Vilipendium eorũ circa Moyſen hic aſpice;& conſequenter quartam ſpeciem ſuperbiæ intuere. Deſpectiuè namque talia prompſiſſe uidentur:& maximè quia propter uxorem Æthiopiſſam iſta locuti ſunt. Quaſi deſpiciendo ſic dixerint:Num tantùm excellens eſt Moyſes, ut à uulgo tenetur, uel ab Æthiopiſſa dicitur? Non utique. Nam per ſolũ Moyſen nõ eſt locutus dominus. Vide ſuperbiam illam, quam diximus: uide & ipſorum mẽdacium. Nam dominus per ſolum Moyſen ſe locutum modo, quo in terra ad aliquem prophetarum doctrinam ſubiũctum eſt, apertiſſimè teſtatur. Hanc autem teſtificationem facit dominus, ut illorum prædictum conuincat mendacium. Nonnè & nobis (inquiunt) ſimiliter eſt locutus? Ecce tertia ſuperbiæ ſpecies. Quod enim non habent, nec unquam habuerunt bonum, putant ſe habere, uel habuiſſe. Licèt enim illis dominus fuerit locutus, nũquã tamẽ ſimiliter eſt locutus. Nam uel mediatè.i.mediante Moyſe locutus eſt; uel ſi aliquãdo immediatè, in creatura.ſ.apparendo illis: nunquam tamẽ facialiter, ſicut Moyſi. Mendacium ergo & hic dixerunt, non tantum ſuperbiam admiſerunt. En quàm uerum, quòd omnis homo mendax: quando.ſ.humana loquitur. Humana autem (ut ſic) tunc loquitur, quando peccat, cum ſenſus hominis, & cogitatio ad malum prona ſint ab adoleſcentia ſua. Cuiuslibet autem peccati initium quod eſt? Nonnè ſuperbia? A' primo igitur ad ultimum dicere omnis homo mendax, eſt dicere omnis ſuperbus mendax.

¶ Viſo itaq; concluſionis principio quod ſupponebatur.ſ. ꝙ Maria Aaronq; fuerint in hoc ſuperbi, reliquum iam cõcluſionis uideamus.ſ. ꝙ tales.i. ſuperbia affecti non parcunt conſaguineis &c. Vide. Moyſes erat iſtorum conſanguineus, & magno ſanguinis glutino iunctus, cum eſſet illorũ frater. Vis cernere & aliud, unde mirandum magis erit tibi, quam ſi ad nudam cõcluſionis literã inſpexeris? Quid? Audi. Moyſes (ultra ſanguinis primã ad illos cõiunctionẽ) fuerat illis multipliciter multoque tempore benefactor, ut in ſuperioribus libris ſæpius expreſsè habetur de Aaron, & à ſimili ferè de Maria. Moyſes ultra hæc erat homo ſanctiſſimus, ac per hoc maximè uenerandus, ac in honore habendus. Moyſes ultra tria hæc erat omnium mitiſſimus, ac ideò digniſſimus, ut à nemine lingua tangeretur, utpote qui nemini ipſe iniuriam uel minimam feciſſet, faceret, aut facere intenderet. Nunquid ſuperbia forſan ad quatuor præmiſſa attendit, & à quatuor præmiſſis impedita fuit nè in detractionis uerba contra uirum tantum proruperit? Imò abſque fræno ullo prorupit, & cum magno ſtomacho quidem.

APPENDIX.

HINC habes, quod non eſt tutum habere amicitiam uel naturalem, uel politicã, cum ſuperbis. De his enim quomodo in tui abſentia confidere poteris, nè te mordeant, quando illi Moyſen unum tã iniuſtè, ac feruidè corroſerunt? Cum humili ergo familiaritas tua ſemper exiſtat. Secundò habes, ꝙ mala loqui de abſente ſignum ſuperbiæ eſt. Vndè ab oppoſitis abſentem ſemper, quoad fieri poteſt, excuſare, bonum ſignum extat. Tertiò (à fortiori) habes, quòd ſuperbi nemini parcunt, quin de illo mala dicant uel uera, uel conficta. Si enim conſanguineis non parcit ſuperbia, multò minus alijs parcere credenda eſt.

Text. ERat Moyſes uir mitiſſimus inter omnes, qui morabantur in terra. Statim &c.

Concl. 3. *Deus pro illis maximè uindictam facit; qui ſeipſos per ſe defendere per uindictam nolunt.* [Ex eo.]

Ratio. DS mititate maxima Moyſis facit mentionem, moxque ad uindictam narrandam, quam Deus pro Moyſe fecit, tranſit. Quare uindictæ diuinæ interſerit Moyſicã mititatẽ? Vt, quod nunc in concluſione dicimus, uerum eſſe demonſtret. Quaſi ex hac interſitione dixerit. Moyſes de ſe ultionem minimam expetere nolebat, nec ultionẽ ipſam appetebat; id quod eius mititas maxima importat: ideò pro Moyſe Deus ultionem, & pergrandem ſanè, contra iniuriantes exercuit. Vndè quantò minus illam Moyſes expoſcebat, hoc magis à Deo exercebatur.

Nov. ¶ Nouerint ergo hinc uniuerſi, quòd ira uiri iuſtitiam Dei (Iacobus) non operatur. Hoc eſt. Deus iuſtitiam ſuam uindicatiuam non exercet propter hoc, ꝙ nos ſumus contra nos iniuriantes irati. Si enim propter hoc ipſam iuſtitiam exerceret; nunc Mariam pro detractione contra Moyſen non puniſſet. Nam Moyſes contra Mariam non erat iratus. Quare? ſcilicet Quia Moyſes erat mitiſſimus. Ab oppoſitis igitur etiam diſcant, ꝙ Dei iuſtitia uidicatiua non ſequitur humores hominum ſeipſos ulciſci ſic uel ſic uolentes. Quare ergo punit, & ſic, uel ſic, punit? Quia iuſtus eſt, & iuſtitia ſua taliter, uel taliter, punitionem exigit: non quia homo, vel inimicus ſic uel ſic appetat, ſiue non appetat. Huius ſignum eſt, quòd Pſal. hoc Deo aſcribens de hominis iniuriati uoluntate nihil prorſus meminit; ſed tantum de Dei ueritate.i.iuſtitia, dicens: Qui cuſtodit ueritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam patientibus. Diſcamus ergo hinc conſequenter, ꝙ iniurias remittens, ſuique vltionem obliuiſcens ſibi magis benefacit, quam inimico, quam iniurianti, quàm detrahenti. Nam ipſe hinc.i. ob iniuriarum remiſſionẽ meretur apud Deũ laudẽ (in huius ſigni laudatur à Diuina ſcriptura Moyſes, ꝙ ultionem iniuriarum non appetierit, cum dicitur, quòd erat mitiſſimus), & tamen iniuriantes à Deo grauiſſimas pœnas recipiunt. A' ſimili ergo caſum hunc reſolue. Quem? Furatus eſt quis Ioannis 20. ſcuta; Ioannes illa ſcuta nõ inueniens furanti, ipſo tñ fure neſciente, dimittit ex dono: Verum fur ille in conſcientia ſit tutus? Dicendum ex hoc loco, quòd nõ. Quemadmodum enim ex remiſſione Moyſis Maria non excuſatur, quin propter iniurias Moyſi factas puniatur; ita ex remiſſione Ioannis tali non excuſabitur fur, quin pro furto 20. ſcutorum puniatur à Deo. Et hoc propter duo. Primò, quia per remiſſionem Ioannis non tollitur culpa furis, ita quòd non furatus fuerit; ſecundò quia nec per hanc tollitur obligatio furis ad reſtitutionem. Declaro primum; quia culpa nõ tollitur, niſi per illius contritionem, qui culpam admiſit. Declaro ſecundum; quia fur ille neſcit animum Ioannis donantem; & conſequenter ex dono non tenet rẽ, ſed ex furto ſemper. Vnde ad reſtitutionem ſemper tenetur. Pro quo etiam uigilanter aduertendum, quòd illa donatio Ioannis uidetur quodammodo inuita; cum ideò donet, quia furum inuenire non poteſt. Et hinc eſt, quòd multò minùs fur ille in conſcientia eſt tutus. Si (in propoſito) Maria ex remiſſione Moyſis eſſet tuta undique, cur puniretur? Sed punitur, ut per pœnam hanc reſtitutio famæ Moſaycæ fiat, & culpam inordinatam pœna ad ordinem ducat. Ideò culpas omnes caſtigat Deus, quia nihil inordinatum uult ſine ordine dimittere, qui eſt omnium ordinatiſſimus. Hac intelligentia ductus gloſabis illud; Quæcunq; à Deo ſunt, ordinata ſunt. Quomodo? Quæcunque à Deo permiſſiuè ſunt, ordinata ſunt.i. ſine ordine nõ relinquentur; hoc eſt, peccata omnia caſtigabũtur. Vide, quãtum Deus diligit ordinem, ut etiam inordinata ad ordinem modo, quo fieri poteſt, redigat. Nunquid non, quando uidebatur à populo Mariæ punitio, agnoſcebatur ab illo, quòd Maria Moyſen falſo infamarat; & conſequenter Moyſi fama reſtituebatur? Vtique. Ecce igitur, quòd per remiſſionẽ ſolam patientis iniuriam nõ remittitur culpa delinquentis, niſi fiat reſtitutio, modo iam declarato.

¶ Applica ad ly (Deuteron. 32.) Mihi vindictam, & ego retribuam eis in tempore.ſ.opportuno. Nè dicat ergo quis: Ego faciam illi homini iniuriam, quoniam non quæret ultionem. Quare hoc dicere non debet? Quia eſt Deus, qui illam ultionem quærat, & iudicet, quantum.ſ. iniuria homini facta ponderet. Et ſi non retribuet nunc, uel tunc; utique tamen retribuet in tẽpore.ſ.opportuno, ſibi ſolummodo noto. Vel ad ly (Euangelium) Ego gloriam meam non quæro, per uindictam.ſ.propriam (Si enim meipſum nunc uindicarẽ, gloriam mihi pararem) eſt qui quærat pater, & iudicet, quantum.ſ. contumeliæ ueſtræ appendentur. Vel ad ly &c.

Text. AVdite ſermones meos &c. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in &c.

Concl. 4. *Propter maledicta hominum de aliquo proximo, uel ſancto Deus multoties gloriam illius proximi, uel ſancti manifeſtat.* [Ex eo]

Ratio. DANS nondum gloriam tantam Moſaycam, quantam hic manifeſtauit, uerbis hominibus expreſſerat. Nunc uerò

illam

illam exprimit. Cur? Quia à Maria Moyſes maledicta receperat. Neceſſitas ergo manifeſtandæ laudis Moſaycæ fuit iniuria illi à Maria irrogata. Tolle maledictum hoc Mariæ, non eſt neceſſaria manifeſtatio bonitatis Moſaycæ. Ideò ad Mariam & Aaronē loquitur dominus, dùm Moyſis præconia dicit, ut uel hinc agnoſcas, quòd hęc manifeſtatio laudis, ex maledictis eorum occaſionaliter proceſſit.

APPENDIX.

1 HInc habes, quòd homines magis uobis utiles ſunt, dùm nos calumniantur, quàm cùm nos beatos dicũt. Cùm enim nos calumniantur, tunc nos Deus beatos dicit, ut hic uides; cùm uerò nos extollunt, Deus tunc, ut plurimum tacet. Audiſtin unquam in ſuperioribus, Deum commẽdare Moyſen, quando Moyſes ab aliquo homine cõmendabatur? Non credo. Et tamen ut primum hic maledictis ipſum homines inſequuntur, ipſum Deus prędicat uehementer. Nonnè ſatius igitur eſt ab hominibus perſecutionem pati, quàm ipſos habere laudatores? Vtique. Non enim qui ſeipſum commendat, uel (quod in idem cedit), qui ab homine commendatur, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat. Non fugiendę igitur, ſed magis appetendæ ſunt propter Deum perſecutiones humanæ. Non tantum igitur nobis benefacere poſſunt homines amando, quàm benefaciunt odiendo iniuſtè, vel perſequendo. Exemplum habes de hoc in martyribus, quos tyranni affligendo in cœlum occaſionaliter extulerunt, & tamen eos beneficijs (quæ tyranni ipſi pro beneficijs habebãt) donando non tantum iuuaſſent, imò nec iuuare tantùm unquam potuiſſent.
2 Secundò habes, quàm miſerrimi ſint hi, qui laudis humanæ cupidi ſunt. Suum enim bonum, atque illamen uerum diffugiunt, & iure illo priuantur, dùm falſum bonum, atque iuuamen appetunt, aut inquirunt. Vide. Conuicia hominum appetere, uel ſaltem pro nihilo ducere deberent: & tamen non tantum non iſta faciunt; ſed illis oppoſitũ diligunt, ac totis neruis proſequuntur. Propter hominum uituperia laudari à Deo promereri poſſent, & propter laudum humanarum ſitim laudes diuinas perdere non grauantur. Quid? Non laudes diuinas tantùm perdunt ipſi tunc, ſed etiã uituperia merentur à Deo. Receperunt (inquit Euangelium) tales mercedem ſuam. Quæ merces erat iſtorum bona facientium? A Deo commendari. Perdiderunt ergo commendari à Deo. Et quare? Quia receperũt mercedẽ ſuam. Hoc eſt. Quia ipſi habuerunt illud, quod pro mercede quæſierũt. Quid pro mercede quæſierunt? Laudem humanam. Habuerunt hanc, & diuinam perdiderunt. Imò quia appetentes habuerunt hanc, meritò negligentes perdiderunt diuinam. Nunquid nõ apud Deum uituperium magnum eſt, propter laudem humanam perdere diuinam? Imò & apud omnes rectè ſentientes. Ab oppoſitis
3 ergo habes tertiò, quàm ſapientiſſimi ſint illi, qui gloriam humanam propter Deum ſpernunt, ac iniurias, atq; perſecutiones quaſcunq; deſiderant. Sapientia iſta eſt ſapientia ſanctorum, quam narrant populi; & laus iſta eſt ſanctorũ laus, quam nunciat Eccleſia. Vident ſiquidem ſancti, ſe per hominum infamiam ad diuinam famam, ad famam ſcilicet à Deo datam proficiſci, & ideò hominum ludibria non tantum pro nihilo ducunt, ſed etiam cordis affectu toto percupiunt. Vident, hominum conuicia generare laudem, hominum maledicta procreare benedicta, hominum uituperationes gignere exaltationes; & ideò conuicia illa, maledicta illa, illas uituperationes æquo animo ferunt, imò propter Deum
4 ſitiunt. Quartò conſequenter habes, quomodo intelligas illud; Beati, cum uos oderint homines &c. Beati, qui perſecutionem patiuntur &c. Ac ſi in his, ſimilibusque auctoritatibus dicatur. Cùm uos oderint homines, & nomen ueſtrum propter me eiecerint; ego uos diligam, ego nomen ueſtrum eſſe bonum, & acceptabile oſtendam. Quando perſecutionem ab hominibus patiemini propter me uos mei ſerui; ego uos defendam. Ob hanc defenſionis excellentiam clamauit ſemel Apoſtolus ad Chriſti ſeruos: Nõ uos defendentes chariſſimi. Ac ſi clamaſſet. Turpe eſt, quòd uos, qui à Deo defendimini, uelitis uoſipſos defendere. Quintò habes, quòd uerè inuidia
5 interpretatur ſine uiſione, ſimiliter & ira non ſinit cernere uerum. Cur? Quia maledici (hi uel ira, uel inuidia aguntur) unũ credunt, & aliud faciunt. Credunt enim per ſua maledicta famam proximi minuere, & ipſam adaugent; credunt ipſorum
2 proximorum honorem deprimere, & ipſum attollunt, credũt proximorum reputationẽ humiliare, & ipſam exaltant. Quia igitur aliud credunt, aliudque faciunt, ideo non uidere, eſſe ſine uiſione, non cernere uerum, dicuntur. Heu quanta cæcitas in inuidis, & iratis. Minutio famæ proximi, depreſſio honoris proximi, humiliatio reputationis proximi eſt ab illis hominibus; auctio autem illius, illius ſublimatio, atque exaltatio eſt à Deo. Hi ergo per ſua maledicta cogunt quaſi, licèt non abſolutè (quod eſt impoſſibile) Deum ad hoc, ut ſeruorum ſuorum bona hominibus pandat, dùm ipſorum famam denigrare ſtudent. Huius exempla in uitis ſanctorum patent. Vides namque multoties ibi, quòd detrahens aliquis ſanctorum excellentiæ à Deo puniebatur, & mox ad illius ſancti inuocationem ille ſanabatur. Nunquid non hic propter hominum maledicta de ſanctis cernis gloriam ſanctorum fuiſſe demonſtratam? Gloria enim ſanctorum hæc habet teſtimonium à Deo, per miracula, ſiue alio modo teſtificante, quòd ipſi ſunt ſui amici. Sextò conſequẽter habes, quare dùm ma- 6
gis affligitur ab hominibus Eccleſia, hoc magis à Deo exaltatur. Id uidimus eſſe factum in primitiua Eccleſia; uidemus, & quotidie fieri, dùm uel per tyrannorum, uel per hæreticorum, uel per paganorum, uel per iudæorum maledicta occaſionaliter factum cernimus, miracula multa circa Eccleſiaſtica dogmata (hoc utique in Eccleſiæ honorem cedit) patrata fuiſſe, & eſſe. Ad hunc ſenſum Pſalmus canebat altiſſimo: Tranſiuimus per ignem, & aquam; & eduxiſti nos in refrigerium. Quare per ignem, & aquam? Quia per uaria hominum maledicta. Quomodo eduxiſti nos in refrigerium? Maledicta illorum oſtendendo eſſe falſa per hoc, quòd noſipſos commendaſti, & eſſe bonos toti mundo in cõfuſionem inimicorum demonſtraſti. Hoc uerè apparuit, ſemperque (ut diximus) apparet in Eccleſia Sancta Dei. Tranſiuit enim, ac tranſit per ignem, & aquam; & educta eſt, ac educitur in refrigeriũ; imò quia tranſitum hunc facit, & fecit, ideò refrigerium hoc ſortita eſt, atque ſortitur. Mendaces ergo ſunt filij hominum in ſtateris, ut inquit Pſalmus. Quare in ſtateris mendaces exiſtunt? Quia in ponderando, ſiue cogitando decipiuntur, dùm ſtateram deorſum trahere putant, & illam ſurſum trahunt. Dùm enim famam alicuius denigrare uolunt, nonnè tunc ſtateram deorſum trahere putant? Dùm autem per ſua maledicta fit, ut illius proximi fama lucidior euadat, nonnè tũc ſtateram ipſos ſurſum traxiſſe conſpicis? Quia igitur deprimere uolentes aliquem, ipſum eleuare noſcuntur, & ſeipſos eleuare intẽdentes per ſuas de alijs oblocutiones, ſeipſos deprimere dignoſcuntur, ideò rectiſſimè appellantur eſſe mendaces in ſtateris, id eſt in iudicio ſuo. Hæc omnia hic uides impleta circa Mariam; dùm ipſa propter ſua maledicta per caſtigationem depreſſa eſt, & tamẽ eleuari propter ipſa (ut in ſuis duabus interrogatorijs detractionibus apparet) credebat: & Moyſes propter ipſa per Dei commẽdationem exaltatus eſt, & tamen propter ipſa deprimẽdum eſſe Moyſen Maria credebat.

QVare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? Text.

Conclu. 5. *Detractio in ſanctos ſacta eſt deteſtabilior, quàm in coniunctos.* [Ex eo.]

MOYSES & Mariæ Aaronique coniunctus, & ſanctus erat. Ratio.
Cur ergo dominus iſtorum detractionem reprehendere uolens de Moyſis coniunctione non meminit; ſed tantùm de ſanctitate? Non enim dixit: Quare non timuiſtis detrahere conſanguineo ueſtro Moyſi; ſed, Quare ergo &c. Vbi ly Ergo ſanctitatem præmiſſam Moyſis apertè refert, non conſanguinitatem, de qua ſermo non fuit. Quaſi per ly Ergo dixiſſet. Cùm tantus in ſanctitate (hæc in familiaritate cum Deo, atq; ipſius agnitione conſiſtit) ſit Moyſes; quare non timuiſtis detrahere illi? Meminit igitur Deus ſanctitatis Moſaycæ, ut detractionem eſſe hinc grauiorem, quàm ſi in coniunctum tantum fuiſſet, oſtenderet.

APPENDIX.

HInc habes, quàm huic ſcripturæ conformiter ſcripſerit Diuus Thomas 2.2.q.75.ar.2. Ibi enim deriſionem 1
in ſanctos anteponit deriſioni in parentes; quando tamen parentum deriſio inter alias quaſcunque primum tenet. Se- 2
cundò habes conſequenter, quòd detractio, ſiue offenſa quæuis alia, tantò maior dicenda eſt, quantò perſona offenſa eſt ſanctior. Quia igitur Deus eſt ſanctitatis infinitæ, ideò in eum offenſa eſt infinita, & ſic ſucceſſiuè de ſanctis, tùm in patria, tum in uia.

Quare

Text. QVare non timuiſtis detrahere ſeruo meo.

Concl. 6. *Deus pro ſeruis ſuis, etiam quòd nihil illi dicant, pugnat; etiam ſi offendantur ſolummodo uerbis:* [Ex eo.]

Ratio. NVNQVID Moyſes dixit domino, ut pugnaret pro eo? Minimè. Et tamen non tantum Deus pro Moyſe pugnauit; ſed ſtatim, ut Moyſen diffamatum audiuit, pugnare cœpit. Non enim ſine cauſa in textu dicitur: Statimque dominus locutus eſt &c. Quomodò offendebatur a Maria Moyſes? Verbis, non factis. Quid faciunt uerba? Verba ſecundum ſe uolant, & non lædunt lapidem. Quid faciunt facta? Multum quidem lædunt. Quid fecit Deus? Audiſti. Pugnauit non rogatus, & ſtatim, & utiliter, & acerbè ſatis (hæc omnia in ſupradictis documentis habentur). Verbis ergo quando ſerui ſui tanguntur (ideò dixit, ad hoc denotandum, in Pſalmo: Nolite tangere Chriſtos meos, ideſt ſeruos meos a Chriſto filio meo denominatos), Deus uigilantiſſimè pro illis pugnat. Quid ergo pro ſeruis ſuis faceret, ſi factis perurgerentur; quando pro uerbis tantum contra ſeruos ſuos prolatis ſic excanduit? O beati, terque, quaterque beati, qui Chriſto Domino ſeruiunt. Hi ubique ſecuri incedunt, & quieti. Quieti, quia nihil dicunt; ſecuri, quia maximum pro ſeipſis propugnatorem habent. Quid in dicam maximum, quando etiam ipſis ſeruis ſuis neſcientibus (nè dicam, non orantibus) propugnator ipſe Deus ſeruorum ſuorum offenſores caſtigat uerbis, ac factis? Verbis quidem abſente Moyſe Moyſis offenſores Deum caſtigaſſe littera monſtrat, cum dicit, quòd Dominus uocauit Aaron & Mariam quando corripuit illos; & nullam de Moyſis præſentia tunc mentionem habet. Factis quoque abſente eodem caſtigationem peractam fuiſſe, innuit littera dicens, quòd Aaron uidens Mariam perfuſam lepra ad Moyſen hoc retulit, pro ipſius liberatione rogans. Quòd autem uniuerſa hæc Dei pro Moyſe decertatio facta ſit eò, quòd Moyſes eſſet eius ſeruus, aperit littera dicens. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? Quaſi dicat. Ego pro Moyſe pugno, & pugnare magis adhuc uolo; non quia Moyſes eſt Moyſes; ſed quia Moyſes eſt ſeruus meus.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare. Vel ad ly (Euangelium) Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt. Vel ad ly (Euangelium) potuit unguentum hoc uenundari multo, & dari pauperibus: Quid perditio hæc? In omnibus his contextibus præmiſſis uidebis Mariam Magdalenam in uerbis offenſam tùm a Martha, tùm à Phariſæo, tùm a diſcipulis: & Dominum, abſque Magdalenæ uel tantillo rogatu, in uniuerſos offenſores illos excanduiſſe, & Mariam Magdalenam præ illis extuliſſe. Vbi duplex concluſionis prædictæ documentum conſpicis, & quòd ſcilicet Deus pro ſeruis ſuis etiã non rogantibus, imò etiam neſcientibus (Magdalena enim nõ uidit cogitationes Phariſæi, quibus offendebatur: & ideò neſciebat, ſe ab illo offendi; tamen Deus pugnat, & uincit; antequam Magdalena offendi ſe norat. Quare? Quia Magdalena ſerua ſua eſt.) acerrimè pugnat; & quòd propter maledicta hominum fit, ut a Deo laudemur (ideſt ut maledicta hominum in bonum noſtrum ueniant) etiam in hoc mundo quandoque, & publicè. Hoc Apoſtolus denotauit inquiens: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. Vel ad &c.

Text. QVare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi?

Concl. 7. *Sanctitas eſt de ſe ueneranda, & timoris cuiuſdam in alios inductiua; & conſequenter ſanctitas hominis facit ipſum uenerandum, timendum, admirandum.* [Ex eo.]

Ratio. ANTEA uarrauerat dominus ſanctitatem Moſaycam, ipſum non per figuras Deum uidere, dicens; nunc ex præmiſſis concludendo ait: Quare ergo non timuiſtis detrahere &c. Quid eſt ly ergo? Coniunctio illatiua. Quid infert? Concluſionem hanc, ſcilicet detrahere Moyſi. Vnde infertur? Ex ſupradictis, ſcilicet ex ſanctitate Moyſis prænarrata. Quaſi ergo dicatur. Sanctitas Moſayca ad reuerendum illum, timendum, ac admirandum, debuiſſet uos adducere. Vnde quoniam ad hoc ex ipſa adducti non eſtis, ualde mirandum eſt. Hinc fit, ut cum quadam admirationis uita loquatur textus dicens: Quare non timuiſtis detrahere Moyſi? Ex quo loquendi modo trahimus, quòd non tantum uenerationem inducit ſanctitas, ſed etiam magnam uenerationem.

APPENDIX.

HINC habes ab oppoſitis, quòd uitioſitas inducit irreue- 1
rentiam, & contemptum. Secundò habes, quòd ſupe- 2
riores debent eſſe ſancti, ſaltem ut in honore apud homines
habeamur. Nam ſi uitioſi fuerint (quod abſit) cauſa quodam
modo erunt irreuerentiæ ſubditorum erga ſeipſos. Tertiò 3
habes, quòd quilibet etiam pauper, & ſecundum mundum
uilis (ut Moyſes, Pius V. de ordine fratrum prædicatorum)
poteſt ſibi abſque ſuperbia maximam facere exhiberi a cæteris reuerentiam, atque timorem. Quis non reueritus eſt Pium V. A quo non timebatur? A quo nõ in admiratione habebatur? Quis eum offendere non timebat? Quis eius præcepta non audiebat, atq; ſeruabat? Etiam Turcha, hæretici hũc ipſum pauebant; & infideles quique. Nec ab re prorſus. Non enim tantùm nomine & officio, ſed rei ueritate ſanctus erat. Hæc erat ratio timoris, amoris, admirationis, reuerentiæ, & plus poterat illa ad hæc hominibus etiam magnis incutienda, quam ſanguinis ſeu originis exilitas ad oppoſita. De prædictarum, aliarumque rerũ de Pio ueritate, uide uitam eius a domino Hieronymo Catbena cõſcriptã. In ſignum uerò, quòd etiam magnis perſonis ſanctitas alicuius obſeruãtiam erga illum inducat, eſt, quòd nõ tantùm Mariæ, ſed etiam Aaroni dicitur: Quare ergo non timuiſtis detrahere Moyſi? Maria namque ſicut paruos, ac fœminas quaſcunq; ita Aa-
ron magnos, ac uiros quoſcũque figurat. Quartò igitur ha- 4
bes, quòd ſibijpſis quodammodò ſuperiores imputare poſſunt, ſi ab inferioribus in paruo precio quandoque habentur. Cõcludamus ergo ex huius cap. uerbis, & ſenſu, quòd prælatorum ſanctitas authoritatem oriat, dum reuerendam ipſam ſubditis efficit; & ipſorũ diſſoluta uita authoritatem in uili precio apud inferiores ponit.

Not. ¶ Cur autem ſanctitas uenerationem ac timorem in alijs efficiat, ratio eſt, quia ſancti ſunt dij participatiuè. Participant ſiquidem illud, quod Deo conuenit per naturã. Deo autẽ uerò, & naturali, nonnè timeri attribuitur, & amari (quod amorem reuerentialem ſonat), iuxta illud Pſalmiſtæ, Sanctum, & terribile nomen eius? Nunquam legiſti quòd Deus improperat Iſraelem dicens; Si ego dominus, ubi eſt timor meus? Quia ergo id, quod Dei maximè eſt, ſanctis participatiuè cõmunicatur; ideircò ſanctitas uenerabilitatem ſecum affert, & ſecundum analogiam. Secundum analogiã dixerim, ideſt ſecundum quòd ſanctus ſecundum hoc uenerabilis, hoc eſt ſi minus ſanctus, minus uenerabilis; ſi magis, magis; ſi maximè, maximè. Ab oppoſitis igitur loquendo radix nihilipẽſionis (iuxta tamen analogiam ſuam, modo declarato) eſt elõgatio a Deo, id quod moribus fit, non locis.

¶ Applica ad ly (Pſal.) Sanctũ, & terribile nomẽ eius. Ideò namque terribilitatem ſanctitati coniungit, ut documentum præſens affirmet. Vel ad ly (Matth.) Et timuerunt ualdè. Videntes traſfigurationem, ſanctaſque perſonas, quare timent Apoſtoli? Vt præſenti documento ſubſcribant. Hoc & in antiquo teſtamento, & nouo pluries circa angelorum uiſiones comperis. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DICTA Concluſio. 7. cap. 12. ea abundanter deſtruit hæreſim Vigilantij, dicentis, ſanctos nõ eſſe ab hominibus honorandos. Eademque concluſio monſtrat apertè, quam impiè hæretici, qui uocabantur Orphani, fecerint in hoc, quòd ſanctorum imagines, reliquias, aras, Eccleſias, monaſteria, ſacraria, oppugnabant, & deſtruebãt. Cùm n. ſanctitas, etiam in præſenti uita, ſit de ſe ab alijs ueneranda, ut per textualem concluſionem oſtendimus, patet, quòd multò magis ſanctitas eorum, qui ſunt in patria, hoc ipſum ab hominibus ratione utentibus de ſe meritò requirit. Nam ſanctitas comprehenſorum multò maior eſt, quàm uiatorũ, loquendo etiam de uno, & eodem, qui hic erat ſanctus, antequam ad patriam migraret. Damnantur quoque prædicti

erro-

errores & impietates;& per conſequens concluſio iſta confirmatur, à Chriſto Ioan. 12. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus. Si enim Deum ipſum honorare ſanctos, proteſtatur, per hoc utique uehementer excitat omnes catholicos ad honorandum eos;ſimulq; condemnat cunctos, qui Vigilantio,& Orphanis prædictis cõformari nõ uerentur. Si Deus ſanctos honorat; utiq; illos honorãdos, cunctisq; honorabiles per hoc oſtẽdit. Si Deus ſanctos honorificat, per hoc utique monſtratur, ꝙ & ij, qui honorant eoſdẽ, ſunt ex parte Dei, & ij, qui eoſdem inhonorant ſunt contra Deum. Item à Pſal. 138. damnantur apertiſſimè. Ibi enim Dauid in perſona totius Eccleſiæ catholicę loquens ait. Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus. Quaſi, per ly Aũt, clarius diceret Ad differentiam Eccleſiæ malignantium, quã meritò odiui Pſal. 25. ego loquor Deus, quæ impia Eccleſia non honorat, nec honorare uult; imò multiplicitur & inhonorat, & inhonorandos falſiſſimè annunciat, amicos tuos. Dãnantur & ab Elucid. Addit. art. numer. 314. 315. 356. & ſupra Numer. 11. con. 1. Item à Gen. 35. con. 1. & cap. 5. con. 3. 4. & cap. 28. ar. 3. 4. Item Leuit. 22. con. 1. & cap. 26. con. 1. & cap. 27. con. 5. contra detrahentes imaginibus ſanctorum (quod faciant Orphani prædicti) uide ſuper omnia Compend. Alb. li. 5. cap. 58. Schol. & ca. 60. Schol. Item ſupra Gene. 47. con. 5. & cap. 23. con. 2. Item Exo. 20. con. 2. & 24. con. 5. Videre potes, illos errores damnari etiã in Elucid. pri. par. q. 17. ar. 3. De ueneratione ſanctorum, & reliquiarũ ſi uis authoritates. DD. Auguſtini, Hieronymi, &c. contra hæreſes illas, uide Ioannẽ Bunderium de Gandauo ordinis prædicatorum in ſuo Compendio concertationis huius ſeculi ſapientium ac Theologorum ſuper erroribus &c. Titul. 24. arti. multis. Notabis autem pro intelligentia dicti Pſal. 138. illam philoſophi regulã (hanc & ubique ſeruare debes in huiuſmodi) ſcilicet, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, ita maximè ad maximè. Si ergo mihi honorati ſunt amici tui Deus; tantò magis honorati ſunt, quantò magis amici tui ſunt. Clarum uerò rationalibus omnibus eſt, quòd exiſtentes in patria magis ſunt amici Dei, quàm in uia: ergo ſi in uia amicos tuos honore proſequutus ſum, multò utique magis erga exiſtentes in patria taliter me habui. Valebunt prædicta hucuſque etiam ad con. 3. 4. 5. 6. huius capituli.

Text. NVbes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum. Et ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix.

Concl. 8. *Receſſus rerum bonarum, ſeu hominum bonorum, eſt ſignum, ꝙ Deus uult punire illos, à quibus talis fit receſſus, ſeu à quibus ſic recedunt.* [Ex eo]

Ratio. PAVCVL dubio nubes illa erat ſignum bonum, cùm præſentiæ diuinæ ſignum eſſet. Res ergo bona cum eſſet, res bonas præfigurabat. Quid eſt ergo; quòd mox poſt ipſius à Maria receſſum Mariæ punitio narratur, niſi ut oſtendatur, quod nunc edocemus, ueriſſimum eſſe? Poterat utique abſque talis receſſus immediato ſermone ſacrum eloquium de punitione Mariæ facere mentionem: at, quia tunc ſecretum huiuſmodi non inſinuaſſet, ideò abſque receſſu nobis caſtigationem delinquentis introducere noluit. Hinc eſt ꝙ etiam ad Mariæ correctionem appoſuit ly Ecce. Non enim dicit, Maria apparuit candens &c. ſed dicit, Ecce Maria. Nec id ſuffecit, ſed, ut ſententias huiuſmodi à ſeſe dependere cognoſceres, coniunctionem quoque copulatiuã adijcere uoluit. Dicitur enim poſt nubis receſſum: Et ecce. Quaſi per hoc dicatur: Ideò Mariæ caſtigationem receſſus nubis coniũgo; ut aduertas, ꝙ ad bonorum receſſum, dependentia quadam delinquentium caſtigatio copulatur. Quid hinc ſequi conſpicis? Quod bonorum præſentia malis dandam punitionem retardabat. Nam ſicut affirmatio eſt ſignum affirmationis, ita negatio eſt ſignum negationis. Hoc eſt. Sicut bonarum rerũ receſſus eſt ſignum, ꝙ citò illi, à quibus res ipſæ diſcedunt, punientur, ita illarum rerum præſentia eſt ſignum, quòd caſtigatio differetur delinquẽtium. Hæc duo ſunt miranda ualde, ideirco in textu appoſuit ly Ecce.

NOTATIO.

DE Beatiſſimo Papa Pio Quinto ordinis prædicatorum hoc patuit. Nam, quando diſceſſit Pontifex ille, mundus documenti huius præſagus fuit. Plurimi enim, & ferè omnes uiſa ipſius morte, quaſi ex uno ore dicebant; Veh nobis, veh nobis; quoniam boni tolluntur a nobis. Quod ſanè mundi præſagium didicimus etiam per experientiam fuiſſe uerum. Poſt namque Turcha iam à chriſtianis depilatus, pennas iterum emiſit; & chriſtianorum principum fœdus contra Turcam tunc ſub tanto Pontifice initum, proſpereque ſuos progreſſum infirmari paulatim cœpit, & citò tandem ad nihilum prorſus redactum eſt. Oſtendit utique ex hoc unio ipſa, à quonam cauſata fuiſſet, atque conſeruaretur. Si enim (ut uerum eſt) remota cauſa remouetur effectus, & Pio illo Quinto remoto faſciculus is diſſolutus eſt; quis per hoc non uideat, Papam illum cauſam fuiſſe unionis huiuſmodi & in eſſe, & in conſeruari? Hoc autem inconuenienti dato; ſcilicet unionis prædictæ ſciſſione; multa alia accidere contingens, imò neceſſariũ, fuit. In Francia nonnè Vgonotti iam emortui reuixerunt? Flandria nonnè tota ebullijt? Quòd Turcha Maltham, atque Anconam per dolum rapuerit, nihil ferè abſtitit. Mitto & alia plurima ex tanti boni paſtoris receſſu mala, quæ chriſtianæ reipublicæ prouenerunt. Simile quid, quod de Pio V. diximus, in Loth conſpicere licet, ut finis ætatum coniungatur principio. Loth enim præſente ciuitas Segor aliàs ſubruenda non decidit, hocq; diſcedẽte, mox proprio robore dimiſſo corruit Gen. 19. Idem & in Exo. 1. reperies, ꝙ ſ. mortuo Ioſeph mala plurima appræhenderunt filios Iſrael. Quid hoc proteſtatur, niſi quòd bonorum receſſus caſtigationem futuram ſuper eos, à quibus diſceſſio fit, ſignificat? Quod etiam ad ingreſſum Iacob ad Laban (ut habes in Geneſi cap. 30.) ipſe Laban diues effectus ſit, & ad introitum ipſius Ioſeph in Ægyptum, ut habet Geneſis cap. 41. ipſa Ægyptus à famis penuria nimia eruta fuerit; hæc inquã duo, & ſimilia, quod nunc per concluſionis documentum annotauimus, declarant.

LOcuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſen &c. Quòd cùm audiſſet dominus, iratus eſt ualde &c. Text.

Concl. 9. *Prælati rarò à Deo publicè caſtigantur; & conſequenter ab Eccleſia & rarò, & cum difficultate caſtigari coram eorum ſubditis debent.* [Ex eo.]

VIDE. Non ſolùm Maria, ſed & Aaron in Moyſen peccauit; nec ſolùm contra Mariam, ſed & contra Aaronem (ut ex littera habetur) Deus iratus eſt ualde; & tñ de publica Mariæ punitione, non autem de Aaronica, legis. Nunquid Deus partialis eſt, ut ex duobus delinquẽtibus unum puniat, alium uerò non? Abſit. Non enim acceptor perſonarum Deus eſt, neque cuiuſquam perſonam reſpicit; ſed æqua lance delinquentes quoſque caſtigat. Quinimò potentes potentius torquentur, id eſt ſuperiores, ſi deliquerint, a Deo ſeueriore caſtigatione punientur. Quid eſt ergo, ꝙ hic non tantùm non ſeueriorem in Aaron factam, ſed nec caſtigationẽ aliquam in ipſum efferbuiſſe, legimus? Hoc illud eſt, ꝙ in concluſione dictũ audiſti, quod & in Exodo cap. 32. habuiſti. Ratio.

¶His tamen non obſtantibus, Aaronem abſque debita punitione tranſiſſe credere noli. Si namque literam inſpexeris, quod nunc annotamus, inuenies. Quid habet litera? Quòd dominus iratus eſt ualde, cùm illud audiſſet. Contra quos iratus eſt? Contra detractores. Quos? Aaronem, & Mariã. Quid ira domini importat? Caſtigationem. Si ergo Deus contra utroſque iratus eſt, utroſque profectò caſtigauit. Vides igitur dominum iuſtum, nec perſonarum acceptatorem; ſi ad caſtigationem in uniuerſali inſpicias. Quòd ſi ad explicitam caſtigationem, id eſt ad caſtigationis qualitatem, attendas, ſolam Mariam fuiſſe punitam comperies. Non ſolùm igitur iuſtus Deus; ſed & in iudicando prudentiſſimus. Iuſtum agnoſce ipſum, dùm utroſque punit; prudentè coniice illum, dum ſecreta punitione ſuperiorem caſtigat. Subditos igitur caſtigandos, ſuperioreſque docuit littera, dum iratum Deum contra detractores hos nulla diſtinctione facta meminit; punitione uerò publica, ut ſubditi, ſuperiores non facilè caſtigandos inſtruxit, dùm Aaronis punitionem explicitam ſilentio inuoluit. Not.

APPENDIX.

HINC habes primò, quòd punitiones delinquentium debent fieri diſcretè, id eſt ſecundum qualitatem perſonarum

ſonarum. Debent ſiquidem prælati à ſuperioribus ita caſtiga
ri, ſi defecerint, ut prælatorum ipſorum auctoritas à ſubditis
reuerenda remaneat, & (ſi fieri poteſt) nō minuatur. Ob hanc
enim rationem Deus Aaronem in publico non punit. Hac
de cauſa ductus quoque Diuus Auguſtinus in regula aiebat
delinquentibus prælatis in correctione ſubditorum ſuorum,
ut ſubditis uenia non petant, quos offenderunt: Nè (inquit),
dùm nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctori-
tas. Ex quo Diui Auguſtini pronunciato didicimus, Euan-
gelij monita eſſe cum diſcretione ſeruanda, id eſt eo modo tā
tùm ſeruanda, quo incōueniens aliquod non ſequatur. Verbi
gratia. Iubet Deus, ut de proximo meo curam habeam. Nū
quid ob hanc iuſſionem hebræorum uel aliorum infidelium
pueros debeo baptizare inuitis parentibus? Minimè omniū.
Sed inquies: Præcepit Deus &c. Reſpondeo, ꝙ præcepit qui-
dem &c. ſed abſque inconuenientis ſequendi caſu obſer-
uandum. Non pecco igitur, ſi non non baptizo puerum infide
lium inuitis parētibus, imò, ſi eum ſic baptizarem, peccarem.
Quare? Quia præcepta ſua uult Deus ſeruari, atque intelligi,
cum diſcretione. i. ita, ut nil contra Dei intentum ſequatur.
Quando ergo uides, quod ad talem, uel talem, mandati diui-
ni intellectionem aliquod contra Dei intentum neceſſariò
ſequitur ſecundum ſe, tunc dicito, quòd talis intellectio ex
fonte diuino non procedit; & conſequenter quòd non eſt bo
na. Vtputa. Ad talem intellectionem præcepti illius diuini de
baptiſmo, quòd. ſ. pueri infidelium baptizētur inuitis paren-
tibus, neceſſariò ſequitur ſecūdum ſe, ꝙ fieret contra iuſtitiā
à parentibus erga ſuos infantes naturaliter habitam (hoc eſt
contra intentum diuinum), & propterea talis intellectio præ-
cepti illius non eſt ſecundum Deum, ſed ſecundum homi-
nem, & conſequenter non bona, ſed mala. Pro ſimilibus in-
telligentijs falſis, quomodo. ſ. falſę ſint, notificandis facit re
gula iuris 88. Certum eſt, ꝙ is committit in legem, qui legis
uerba complectens contra legis nititur uoluntatem. De regu.
iur. in 6. Ad rem modò noſtram. Mandat Deus caſtigari de-
linquentes. Si ad intellectum aliquem iſtius mandati quippiā
contra aliud intentum diuinum ſequitur ſecundum ſe ne-
ceſſariò, talis mandati intellectus non bonus, ſed malus erit.
Dato enim bono intellectu (dicebat Philoſophus in phyſicis
tractatu de loco, de tēpore, & alibi) inconueniens oē diſrum-
pitur; tm̄ abeſt, ut inde ſequatur. Modò ſi p̄lati publicè, ut ſub
diti, punirentur; eorū auctoritas à ſubditis flocipenderetur; id
quod magnū in re publica malum cauſaret. Iuſtitia ergo ſer
uatur, dū caſtigant: ſeruatur nihilominus eorū apud ſubditos
auctoritas, dùm occultè caſtigantur. Nec ob id me damnare
intelligas illos, qui publicè delinquentes prælatos publicè
caſtigant. Nè ſiquidem id intelligeres, in concluſione appo-
ſui ly Raro, & cum difficultate. Quandoque etenim de au-
ctoritate eorum nihilipendenda à ſubditis periculum non
erit (utpotè quia à ſuis officijs in pœnam abſoluentur); imò
ædificatio maior liquido apparebit, utpotè quia nec magnis
perſonis à diſciplina parcitur: magis namque tunc alij à deli-
ctis abſtinebunt: & tunc publicè peccantes prelati publicas
dare pœnas, conueniens eſt. Hoc modo Apoſtolum intelli-
2 ge dicentem: Publicè peccantes publicè argue. Secundò ha-
bes illorum eſſe magnam temeritatem, qui in prælatorum
uitia murmurando, ſeu publicè detrahendo, deſæuiunt. Si
enim Deus prelato peccāti, & publicè quidem (hoc magis pa
tet in Exodo 32.) à publica pœna pepercit, nè prælati uileſce
ret apud inferiores auctoritas; non uideo, quomodo tales prę
latorum detractores non ſint maximè de temeritate reprę hē
dendi. En confuſionem noſtram. Deus (ut littera docet) re-
uerentiam (ſi ſic loqui licet) circa prælatos propter ſubdito-
rum bonū demōſtrat, dū ipſos publicè peccantes publicè nō
punit: & homo ſubditus prælatum ſuum delinquentem pu-
blicè diffamare non exhorreſcit. Peccant hi, qui in cœlū po-
nunt os ſuum, & niſi reſipuerint, lingua eorum tranſibit in
terra. Aſſimilabuntur enim ipſi Can filio Noè in pœna, ſicut
illi aſſimilari in culpa non formidarunt. Quæ culpa fuit ip-
ſius Can? Quòd uidens uerenda patris ſui nudata nunciauit
hoc fratribus ſuis, ut & eos illa uidere faceret. Quæ pœna fuit
Can? Quòd maledictus à patre ſuo fuit, & libertate priuatus.
Legitur nāque in Geneſis 9. cap. Maledictus Chanaan puer;
ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Et bene puer, quoniam
intellectum amiſerat, quando præmiſſam culpam admiſit.
Verenda patris ſui nudata quis uidet, niſi is, qui prælati ſui ui
tia conſpicit? Quis hoc fratribus nunciat, niſi qui in publicis
ſermonibus (hinc meritò ſub excommunicationis intermi-
natione id iam prohibitum omnibus fuit) prælatorum ui-
tia notat, uitam ipſorum mordet, ipſorumque mala diuul-
gat? Tales iure maledici merentur apud Deum, & apud ho-
mines bonis temporalibus priuari. Si enim Can ipſe ob hu-
iuſmodi ſcelus libertate priuatur, id quod omnibus bonis
temporalibus præſtat, multò magis quibuſuis alijs tempora-
libus bonis iſti temerarij priuari merētur. Talis Can Luthe-
rum, aliaque ſimilia monſtra ſignauit, quæ in prælatos tot
maledicta uarijs modis, nunc per ſe, nunc per alios, nunc ver
bis, nunc factis, congerunt, ut nullus ſit eorum finis. Iccircò
ſi Lutherus & huiuſmodi fuerunt ipſi Can in culpa ſimiles,
non mirum, ꝙ & in pœna ipſi ſimiles effecti ſint. Maledicti
nanque ſunt a Deo, dùm poſt oris miſſionem in cœlum in ua
rias hæreſes prolabi, permiſſi fuerunt, & libertate priuati.
Quomodo non libertate priuati, cum adhuc uiuentes a ſeſe,
illud negando liberum arbitrium tollant? Libertate ergo
magis priuati ſunt, quàm ille Canaan. Nam licèt Can liberta
tem amiſerit, tamen ſeipſum hac pęna non affecit, ſed à Deo
tali mulctatus eſt: iſti uerò liberum arbitrium dùm negant,
ipſi ſemetipſos in ſeruitutem peſſimam redigunt. Rurſum.
Licèt actuali libertate Can priuaret, non tamen fundamenta
li (liberum ſiquidem arbitrium habere ſe nouerat); hi verò,
dùm arbitrium liberum in homine negant, & actuali & fun-
damentali ſe libertate priuant. Quid? Non tantùm hac peſ-
ſima mulcta ſe puniūt, ſed & alios omnes homines, dùm om
niū liberū negant arbitrium, tali caſtigatione punire conten-
dunt. O peſſimam generationem. Verè omnibus (vt olim cla
mauit Apoſtolus) hominibus aduerſantur hęretici. Tertiò 3
igitur ab oppoſitis habes, ꝙ illi a domino, & ab hominibus
benedici merentur, qui prælatorum ſuorum uitia (ſi quæ ui-
derint, vel audierint) diffamare nolunt. Hi nanque aſſimila-
buntur ipſis Sem & Iaphet; qui operuerūt uerenda patris ſui
pallio, nec ipſa uidere uoluerunt. Nec ipſi igitur ea uiderunt,
nec alijs uidenda propoſuerunt; imò, nè viderentur, pallio ſu
perpoſito prohibuerunt. Tales, inquam, ſunt boni ſubditi.
Hi enim dùm & apud ſemetipſos, & apud alios peccata ſuo-
rum prælatorum, ut poſſunt, excuſare ſatagunt, ea nec ipſi ui-
dent, nec alios uidere ſinunt. Et ſi quandoque (quod rariſſi-
mum crediderim) prælatos aliquos excuſare non ualuerint,
aut ipſis id poſſe facere non uidebitur, aut id non expedire iu
dicabunt; tunc cum iſtis duobus filijs Noè incedant retror-
ſum. i. tacere potius eligant, uel inde ad litteram, ubi de tali-
bus uerba fiunt, recedant. Dicere enim debent intra ſe: Deus
(in duodecimo Numeri, Exodique trigeſimo ſecundo capi-
tulis) tantam reuerentiam erga pręlatos non ſuos, ſed à ſe in-
ſtitutos, monſtrauit, ut ipſos etiam horribiliter delinquentes
in præſentia ſubditorum illorum noluerit caſtigare: Et ego,
quaſi Deo ſapientior, prælatos delinquentes coram ſubdi-
tis caſtigare verbis audebo? Abſit. Quin potius vel per meip-
ſum, vel per alium ad hoc meliorem tali prælato correctio-
nem fraternam faciam 2. 2. q. 33. ar. 4. ut Moyſen correctionē
talem Aaroni facientem (in Exodi. 32.) imitari ualeam. Sic
enim & prælatum, ſaltem quantum eſt in me, ſaluabo; & mi-
hi benedictionē tùm à Deo, tùm ab hominibus promerebo,
& ſubditis ſcandalum non dabo. Scandalizantur ſiquidem
ſubditi omnes, etiam non ſui, audiendo prælatorum quo-
rumcunque uitia; cùm de his uitijs ſibimet pallium facinorū
faciant, & ad mala animentur dicentes: Si prælati qui melio-
res nobis eſſe deberēt, id faciunt; multò magis id, & peiora,
nos facere poſſumus. Hinc B. Auguſtinus in regula nos, quan
do uidemus prælatos errantes, admonuit, ut ipſorum miſere-
remur, & non ut ipſos morderemus, ſeu diffamaremus. Miſe
remur autem ipſorum in corde, quando noſtram fragilitatē
penſando erga ipſos compaſſione mouemur; & in opere, quā
do erga ipſos correctionem fraternā uel per nos uel per alios
ad id meliores cum reuerentia humiliter, charitatiuèque
facimus. 2. 2. ſupra. Ecce, quomodo ſanctorū dicta ſacræ ſcri
pturæ in prædictis capitulis ſunt conformia.

¶ Quartò conſequenter habes, quòd iſti prædicti ſubditi
duobus his fratribus ſcilicet Sē & Iaphet, ac Moyſi ſimiles,
habent & zelum Dei, & ſecundum ſcientiam. Inquantum
enim prælatos emendari uellent, habent zelum Dei: inquan-
tum uerò ad hunc finem proportionatis medijs utuntur, ha-
bent ſecundum ſcientiam. Proportionata uero media ad il-
lum finem ſunt correctio fraterna, & ad Deum pro ipſis præ
latis oratio. Et hi zelum Dei habentes ſecundum ſcientiam
ab Apoſtolo commendantur. Qui autem prædictis fratribus
non aſſimilantur, hi uel nullum zelum Dei habent, uel zelū
Dei habent non ſecundum ſcientiam. Nullum zelum Dei
habent, qui ſic agendo non prælatorum emendationem, ſed
confu-

confuſionem ipſorum apud populos, inquirunt. Tales ſunt hæretici, lutherani, uel etiam mali chriſtiani, qui, ſi emendationem in prælatis ſic agendo quærerent, ſe de peccatis reprehenſis in illis, uel de peioribus emendarent. Mitto, quòd medium ad emẽdationem proportionatum non accipiunt; quoniam nec ipſam prælatorum emendationem intendunt. Zelum Dei habent non ſecundum ſcientiam, qui emendationem prælatorum ſic agendo intendunt, non autem ipſorum confuſionem, uel aliud inconueniens. Tales enim non aſſumunt ad emendationem procurandam medium proportionatum, & ideò non habere ſcientiam zeli dicuntur. Scientia namque eſt, quæ ad concluſionem intentam debita media accipit. Non enim ſciens reputatur, qui ad ſuam concluſionem deducendam principia totaliter extranea ſumit. Ex proprijs namque eſt demonſtratio, non ex extraneis, imò de genere in genus trãſcendere demonſtrantem uitium magnum eſt. Propria hic appello, quæ ſunt proportionata; impropria uerò ſiue extranea, quæ ſunt fini improportionata; de genere autẽ in genus trãſcendere eſt, quãdo finis intentus & media ad illũ finẽ non ſunt proportionata. Verbi gratia. Ad concludendum, ꝙ homo ſit riſiuus; aſſumo, ꝙ arbor habet animam uegetatiuam. Ecce, hic eſt error ſecundum logicam. Quare? Quia medium & finis non proportionantur; cùm ab inuicem non dependeant. Sicut ergo hæc non eſt ſcientia, ſed error in ſpeculatiuis; ita non eſt ſcientia, ſed error in moralibus, quando ad mores intentos proportionata media pro illorum introductione non aſſumuntur. Dic modò mihi. Quæ proportio ad prælati emendationem eſt, ipſum in propatulo diffamare? Nonnè hoc magis incentiuum odij eſt, & oia, ut ad peccandum prælato fiat frons meretricis, ex quo in publico diffamatus eſt? Sed dicis: Iam diffamatus ex facto notorio erat: Ego eum non diffamo. Eſto, ſed tamen medium hoc tuum ad ipſius emendationem non eſt proportionatum; & ideò ab Apoſtolo arguendus uenis, qui omnes zelum Dei non ſecundum ſcientiam habentes damnat. Nunquid non à Pſalmiſta audiſti, ꝙ honor Regis iudicium diligit? Quis eſt honor Regis? Zelus Dei. Quare iudicium diligit? Quia uult eſſe ſecundum ſcientiam; non ſecundum inſipientiam.

ARGVMENTA.

MVLTA ſunt (inquies) quæ monſtrare uidentur, zelũ talem ultimò dictum eſſe ſecundum ſcientiam. Primo, quia prælati illi compulſi à timore hoc, nè ſcilicet in publico audacter arguantur à concionatoribus in ſuggeſtu, emendabunt ſeipſos; uel ſaltem à ſcandalizandis populis aliqualiter cauebunt. Secundò eſt etiam proportionatum medium, quoniam boni ſubditi animabuntur ad bonum; & mali deterrebuntur à malo; dùm facinora ſine acceptione perſonarum à concionatoribus audacter reprehendi uiderint. Tertiò eſt quoque proportionatum medium, quoniam ſic minus ſcandalum accipient ſubditi à prælatis, ex quo admoniti fuerint; ꝙ prælatis ſic facere non licet, & (niſi reſipiſcãt) acriter à Deo punientur. Quartò eſt medium proportionatum, quoniam ſic ora ſubditorum clauduntur dicentium; Concionatores accipiunt perſonas, quia magnos reuerentur in palam reprehendere, minores autem acrius arguunt. Quintò item dicentium: Prælati nolunt, nos à concionatoribus acriter argui, ſi malè agimus; ſi malè uerò ipſi agunt, argui ab ipſis nolunt. Alligant ergo onera grauia ſuper nos, digito autem ſuo nolunt ea mouere, dùm ſibi à concionatoribus parci uolunt à publica reprehenſione, nobis uerò non.

DOCTRINA PRO RESPON.

HIS & ſimilibus, antequam per ſingula reſpondeamus, notandum eſt, quod dicit in pluribus locis philoſophus. Verum (inquit) eſt illud, ad quod nullum inconueniens ſequitur, illud autem falſum (licèt uideatur uerum) quod retro inconueniens aliquod ſequitur. Illud ergo, ex duobus ueris probabilibus, magis uerum erit ad quod pauciora inconuenientia ſequentur; id autem minus uerum, quod plura inconuenientia ad ſe trahet. Verum igitur, & bonum cùm conuertantur; illa, quę dicta ſunt de uero, applicemus ad bonum, & ſic. Bonum eſt illud, ad quod nullum malum ſequitur, & malum eſt illud, ad quod (natura ſui conſiderata) malum ſequitur. Illud ergo, ex duobus bonis probabilibus magis bonum erit, ad quod pauciora mala ſequentur; id autem minus bonum, quod plura mala ad ſe trahet. Ex his philoſophi dictis quid habes? Quòd malum eſt, uitia prælatorum in ſermonibus publicis redargui, ideſt eos in propatulo diffamare. Nã multa ad id ſequuntur inconuenientia ex diffamationis natura. Et licèt, ſi in publico non diffamentur, ſequantur inconuenientia aliqua, tamen hæc pauciora ſunt, & ſequuntur per accidens. Taceo, quòd non debet aliquis facere mala, ut ueniãt bona, cùm horum damnatio iuſta ſit. Quoniam igitur diffamare in publico prælatos eſt ſecundum ſe malum; ideò, ut indè ueniat bonum, faciendum nunquam eſt. Quòd autem huiuſmodi diffamatio ſit ſecundum ſe mala, patet ex diuinis exemplis tùm hic, tùm in Exodo. Quare enim nõ punit Deus publicè Aaronem? Nè peccata prælatorum diffamet. Nonnè (inquis) erat iam peccatum Aaronis diffamatum? Vtique, maximè de peccato uituli aurei loquendo. Quia ergo uidit Deus non eſſe bonam excuſationem hanc pro accuſatione prælati publica, dicere ſcilicet iam erat ſuum peccatum diffamatum; ideò ex hoc, quòd prælati peccatum etiam publicum publicè non diffamauit, ſubditos quoſque ad palliationem ſui errorις, illam ſæpiſſimè adducere demonſtrauit. Concludamus igitur, quòd hoc (.ſ. in publicis ſermonibus ad populum repræhendere uitia in prælatis) eſt ſecundum ſe malum, etiam quòd prælati uitium ſit notorium, & eſt ſecundum ſe multorum inconuenientium generatiuum; ideò eſt ab Eccleſia prohibitum ſub pœna excommunicationis, ideò nullo modo eſt faciendum, ideò hoc non eſt medium proportionatum zelanti alicuius prælati ſalutem.

RESPONSIO AD I.

AD primum igitur quo probabatur hoc eſſe medium proportionatum ad ſalutem prælati, ex quo prælatus ſaltẽ timore compulſus &c. dicendum, quòd hic effectus eſt per accidens, ſi aliquando ſequitur. Cùm enim repræhenſio talis ſit mala ſecundum ſe (ut oſtenſum eſt), effectum bonum ex ſui natura procedentem habere non poteſt. Talis igitur effectus uenit ex diſpoſitione aliqualiter bona prælati dicentis: Nolo ego talem erubeſcentiam quotidie in publico. Exinde, quia ſcilicet homines ſaltem reueretur, procedit, tanquam ex cauſa, quòd uel ſeipſum ueraciter emendet, uel à ſcandalizandis ſicut antea populis abſtineat dicens: Si non caſtè, ſaltem cautè. In ſignum huius ſi ſit prælatus, qui nec etiam homines reuereatur; nec ſeipſum uolet emendare, nec à ſcandalis ſubditorum parcere, etiam quòd publicè, ut ſupra, arguatur. Ecce, ꝙ iſtud argumentum non erat uera cauſa boni illius effectus, cùm ipſa poſita non ponatur effectus, ſicut bona illa prælati diſpoſitione poſita, ponitur præmiſſus effectus.

RESPONSIO AD II.

AD ſecundum, ꝙ ſcilicet tunc boni ſubditi animabuntur ad bonum &c. dicendum, ꝙ totum oppoſitũ fiet, ſi ad ea, quæ ſunt per ſe, reſpectus habeatur. Nam boni ex eo, ꝙ concionatorẽ contra Dei ordinationem in publico prælatos arguere uidebunt, de concionatore ſcandalizabuntur, & mali ex eo, ꝙ uitia prælatorum audiant ad malum animabuntur, tùm ſcilicet ad irreuerentiam erga prælatos, tùm ad taliũ peiorumque facinorum patrationem. Bonis ergo talis concionator erit actiuum ſcandalum ex eo, quòd contra Deum facit: malis uerò ex eo, ꝙ uiam ad peccandum latam ipſis aperit. Ecce zelus non ſecundum ſcientiam. Voluit enim concionator talis auditores ædificare; & ipſos undique ſcandalizauit nolens. Sed tamen illi peccatum imputatur, quoniam ad ea, quæ ſunt per ſe, habere oculos debuerat, non ad ea, quę ſunt per accidens. Per accidens enim erat, ꝙ boni infra animarentur ad bonum, & mali deterrerentur à malo, tùm quia hoc, ut in paucioribus accidit, tùm quia nõ indè accidit, tùm quia indè per ſe contrarium accidit. Quòd autem, & in paucioribus accidat, & per ſe contrarius affectus, ex dictis ſupra patere poteſt. Quòd uerò hoc (.ſ. ꝙ boni animentur ad bonũ, & mali deterreantur à malo) non indè accidat, patet; quia ex bona audientium diſpoſitione, uelut ex cauſa, id ſit. Ponatur enim bona diſpoſitio in audientibus, bonus ille ſequetur effectus, remoueatur illa diſpoſitio, non ſequetur. Ecce, ꝙ ex diſpoſitione præmiſſus uenit effectus, non ex tali prælatorum redargutione. Tali ſiquidem argutione poſita, non ſequitur ille bonus effectus, ex conſequenti talis argutio non eſt huius uera cauſa. Cæterùm dicet concionatorum quiſpiam. Ego diſtinguere neſciui inter per ſe, & per accidens; ideò deceptus ſum, ideò ſum excuſabilis ab errore tali. Nos autẽ illi reſpondemus,

demus, ꝙ debuerat illam diſtinctionem, utpotè aliquid pertinens ad officium ſuum, noſſe. Item fatemur quidem, quòd ſi illam neſciuit, eſt deceptus; ſed negamus, ꝙ propterea ſit excuſabilis. Excuſabilis quidem non eſt, quia (ut diximus) hanc debuerat ſcire. Et ſi ex iſta parte aliquo modo excuſari poſſet, tamen ex iſta alia nullo modo excuſari poteſt. Nunquid enim non ſcit, ꝙ tenemur ſimpliciter obedire? Nunquid non ſcit, fuiſſe à propheta concionatoribus dictum, nè ponerent os ſuum in cœlum? Nunquid nō ſciunt Dauidem ipſum ſcrupulum habuiſſe de hoc etiam, ꝙ ſuperioris ſui. ſ. Saulis oram paruam clamidis ſcidit? Si indè tetigit Dauid cor ſuum, id eſt
1. Regũ 24. ſcrupulum peccati ſibi fecit; quem ſcrupulum conſcientiæ habendum per hoc ſignificauit ab his, qui prælatorum ſuorum peccata coram populo detegunt? Adeſt & præceptum Eccleſiæ de hoc inhibitorium, quod concionatores ſcire tenentur; imò & excommunicatio, ut in Concilio Lateranen. ſub Leo X. Quia igitur omnes ad obedientiam ſe teneri ſciunt, ideò talis concionator nullo modo ab errore ſuo excuſandus uenit. Veruntamen inſtat adhuc: uolebã, inquit, ſubditorum per hoc ſaluti conſulere. Ad hoc, dimittendo, ꝙ non ſunt facienda mala, ut ueniant bona, dicimus nos, quòd uia erat alia, & bona, & ſatis accommoda ad auditorum ſaluti conſulendum. Quę erat? Arguere uitia populi, ipſum ad uirtutes per ſanctorum exempla animare, atque per remunerationis magnitudinem, necnon a uitijs tùm per malorũ exempla, tùm per ſupplicia, deterrere. Vnde nota, Deum per Iſaiã dixiſſe concionatori: Annuncia populo meo ſcelera eorum; non, ſcelera prælatorum, & domui Iacob peccata eorum; nō peccata ſuperiorum. Domus enim, & populus, ſubditum eſſe ſonant; non autem eſſe prælatum. Sed adhuc inquiunt concionatorum quidam: Opinantur deinde ſubditi, ꝙ nos adulemur prælatis, uel ob timorem mundanum moueamur, quando uitia eorum à nobis ſciuntur, nec tamen redarguuntur in prædicationibus. Ad hoc, & ſimilia, dicendum eſt, ꝙ de tali ſubditorum ſcandalo ex huiuſmodi ſua opinione orto curandum nō eſt, quoniam ſcandalum paſſiuum eſt. Ex meo enim benefacto, ea hoc. ſ. ꝙ non reprehendo prælatos propter obedientiam, hi ædificari ſecundum facti naturam habent, & nō
Aureum ſcandalizari. Et uniuerſaliter quando de obedientia agitur, obedire ſimpliciter debemus; non autem ad huius, uel illius opiniones, uel dicta, reſpicere; aut propter huiuſmodi ab obedientia ſimplici retardari.

RESPONSIO AD III.

AD tertium, ꝙ. ſ. ſic minus ſcandalum accipient ſubditi à prælatis &c. dicendum eſt, ꝙ ipſi iam fuerunt moniti à Chriſto de hoc, & ꝙ ad hoc ſufficit rigida concionatoris uitiorum in uniuerſali expugnatio. A Chriſto quidem fuerunt moniti apertiſſimè, nè uitam prælatorum ſedentium ſuper cathedram Moſaicam imitarentur. Quare hoc, niſi ad oſtendendum, & ꝙ peccata ex eo, ꝙ ſunt in prælatis, non deſinunt eſſe peccata; & ꝙ indè prælati (niſi reſipiſcant) acriter punientur? Sufficit & naturalis rationis dictamen ad oſtendendum, ꝙ peccata, in quocunque ſint, non ſunt ſub hoc prætextu amplectenda; nec ſic ea amplectentes excuſantur. Concionatoris etiam rigida expugnatio contra uitia in uniuerſali, i. non nominando aliquo modo prælatos, ad id multum facit, maximè cùm dicitur contra uitia; ꝙ maiora iudicantur ex perſona in qua ſunt, & ꝙ ſine acceptione perſonarum Deus quoſcunque caſtigabit delinquentes. Chriſtus ergo, naturalis ratio, taliſque modeſtiſſima concionatoris contra delicta locutio, faciunt, ut prędicator à prælatorum maiori redargutione excuſetur; & ſubditi, ſi uitia prælatorum ſequantur, reddãtur prorſus inexcuſabiles.

RESPONSIO AD IIII.

AD quartum, quòd ſcilicet ſic ora ſubditorum clauduntur &c. dicendum eſt, quòd ad guſtum auditorũ malè diſpoſitum non debet reſpicere, ut eum ſequatur, concionator. Puta ſi ad fabulas audiendas geſtit populus, nunquid ad fabulas narrandas ob hoc debet animari prædicator? Artem Ciceronianam, eloquentiam Demoſthenianam, & huiuſmodi, quærit auditor, nunquid ob hoc ad talia facienda debet moueri concionator? Audi Apoſtolũ. Ad fabulas (inquit) conuertentur, & q̃rent magiſtros prurientes auribus. Hoc dixit de auditoribus: audi modò, quid, hęc conſiderans, dicat ſingulis concionatoribus. Tu uerò (inquit) uigila, opus fac Euangeliſtæ. Nunquid ait; Tu uerò auditorum appetitum ſequere? Abſit. Imò uigilandum iuſſit. Quare? Quia magna concionatori opus eſt uigilantia, nè erret; quando inter conſcientiã, & talem auditorum appetentiam reperitur; dùm bonum unicuique, ſi poſſet, ſatisfacere uellet. Quid autem tunc facturus ſit, audiſti; quærat. ſ. fructum, conſcientiam. ſ. ſequendo, & de folijs minimè curet. Sic in propoſito igitur fructum auditorum, & non guſtum, timetur; ſi ceruere uelit, an expediat in publico diffamare prælatos. Et cùm uiderit hoc, & contra cõſcientiam, & contra fructum, ſecundum ſupradicta exiſtere, tunc de guſtu auditorum non curet. Nè ſit uelut Lutherus cum ſimilibus; qui, ut auram popularem ſibi facilius attraheret, ora tumentia contra ſuperiores clericoſque in ſuggeſtu laxauit. O ſi, fructum in populo quæſiſſet, quemadmodum gloriam propriam. Quid dixit? Ego habebor homo, qui in frontem cuiuſquã non reſpiciat, & inde reputabor magnus, quia impeto audacter magnos. Tenebor uir, non meticuloſus homuncio ab his, qui me, (minimis omiſſis, imò & ſub pallio maiorũ per me uel explicitè, uel implicitè, excuſatis) ad altas arbores carpendas conſcendere uiderint. Dicent nãque auditores mei. O certè; Hic eſt uerus concionator, qui hominum perſonam nō reſpicit, ſed omnia quæcunque ſcit uera, nobis abſque uelamine confidenter prædicat. Certè magni cordis eſt iſte homo, magni feruoris, magni zeli diuini honoris, magni amoris ſalutis noſtræ, qui ſic animosè ſcelera magnatorum detegit, atque reprehendit; qui diuinum honorem reſpectibus humanis antepoſuit; qui nobis uiam, nè uelut ſimplices maiorum uitijs ad hærentes cadamus, tàm ualide aperit. Iſtæ ſunt præconizationes, quibus pro ſancto à populis extollebatur Lutherus, nondum mortuus. Has ipſe cum prælatorum iniuſta iniuria quæſiuit, & has pro laborum tantorũ mercede accipere cõtentus fuit. Quidni contentaretur? Siquidem & meritum ſuum inane, & præmium hoc illi correſpondens inane fuit, ut omnia proportionarentur. Meritum ſanè illud inane fuit, quia peccatum fuit; præmium hoc inane fuit; quia tranſiuit. Beatos utique nos in facto iſto, ſi Deum ſolum eſſe Deum nobis vidiſſetis, & non neſtram gloriam alium Deum uobis feciſſetis. Tunc enim Deo Iſrael in facto ſimili (in prælatorum uitijs detegendis uel non) aſſimilati fuiſſetis, & (quod Apoſtolus prohibuit) nobis non placuiſſetis. Intellexiſſetis utique tunc ab Apoſtolo dictum: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt; omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Quid eſt omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt; niſi fateri, quòd non omnia uera expedit prędicare? Omnia (inquit) mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Ecce Lutherus maiorem ſe facit, quam Apoſtolus. Apoſtolus ſub poteſtate non redigi ſe, pro inconuenienti habet, & Lutherus, ꝙ ipſe non ſub poteſtate redigatur, pro inconuenienti æſtimat. Vide. Ex eo, quòd Apoſtolus ſub poteſtate redigi uult; ideò non omnia uera, non expedientia. ſ. dicere audet. Ex eo igitur, quòd Lutherus ſub poteſtate redigi non uult, ideò omnia uera, etiam non expedientia, prædicare audet. Signum ergo, quòd quis ſub poteſtate eſſe uelit, eſt, quando non omnia illa uera prædicat: ſignum uerò, ꝙ ſub alicuius poteſtate eſſe renuit, eſt, quando ab illis ueris diuulgãdis non parcit. Quid indè trahis? Quod detrahere publicè prælatis modo dicto, etiam ꝙ bonum quibuſdam uideatur, ex ſuperbia magna oritur, & non ſic detrahere, ex humilitate naſcitur. Quo circa illud peccatum eſt, iſtud uero meritum. Nonne magna tibi uidetur ſuperbia, atque peccatum, uelle plus Deo ſapere? Sapere Dei eſt prælatos etiam delinquentes (dummodo illos in officio prælaturæ relinquat) per pœnam publicam non diffamare, ut hic uidimus: ſapere Lutheranorum eſt, prælatos tales publica pęna linguarum audaciſſimè, immodeſtiſſimè, frequentiſſimè, caſtigare. Quod ſi facta poſſent, quid agerent? Interficere illos arbitrarentur obſequium ſe pręſtare Deo; audaciſſimè, immodeſtiſſimè, frequentiſſimè caſtigare. O utinam Lutherani, & ſimiles ſaperent ad ſobrietatem cum Apoſtolo, & ſe non extenderent ultra menſuram, quam hoc in loco menſus eſt illis Deus.

RESPON. AD QVINTVM.

AD quintum, ꝙ ſ. prelati (ut dicunt) nolunt, nos, à concionatoribus &c. dicendum eſt, ꝙ prelati faciunt hoc pro utilitate ſubditorum. Si enim D. Auguſt. (in regula) timet, ne prelatorum frangatur auctoritas, dùm nimia ab eis

erga ſubditos ſeruatur humilitas, nonnè magis timendũ eſt nè prælatorum frangatur apud ſubditos auctoritas (id quod ſubditis in maximum cederet malum), dùm ipſorum corã plebe à ſermocinantibus promulgaretur iniquitas? Non igitur quia accipiant perſonam, id prælati prohibent, ſed quia cum Deo hic pro communi utilitate zelant. Cum Deo ergo non zelant pro bono communi contrarium dicentes, uel facientes, ſed cum diabolo pro deſtructione cõi. Ecce, quantum damnificant huiuſmodi nominetenus cõcionatores Eccleſiam ſanctam Dei; &, ſecundam experientiam, damnificarunt. Ad corollarium igitur (ſcilicet Alligãt ergo onera grauia &c.) factum eſt ſatis, quoniam hanc prohibitionem non eſſe onus ſubditorum, imò eſſe leuamen, oſtenſum eſt. Nec etiam eſt onus, quòd populos ipſos de uitijs reprehendant; quoniam hoc, ut leuamen, in populi utilitatem uenit; dùm illis ſua delicta cognoſcenda declarant, ac per hoc illis uiam ad indulgentiam parant. Hac de cauſa publicè Mariam à Deo punitam fuiſſe ſcriptura præſcios edocet, & non Aaronem, ut nouerimus reprehẽſiones publicas populorum eſſe fructuoſas, & ſufficere; reprehenſiones uerò publicas prælatorum eſſe nociuas, & a nullo ſapiente tollerandas fore.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 9. cap. 12. deſtruit abundanter errores Io. Vuiclef dicentis, quòd Parochiani poſſunt decimas ob peccata prælatorum ſuorum ab eis ad libitum auferre. Et Liberorum dicentium, illam eſſe libertatem, cum quis ſeſe eximit, & emancipat, à decimis, cenſibus redditibus, & ab obedientia ſuorum ſuperiorum, ſeu principum. Et Caluiniſtarum dicentium, quòd inſtitutiones maiorũ non modo eſt integrum renunciare, ſiuè ab eis recedere, ſed & honeſtum, pium, ac ſalutare. Vide Gen. 3. con. 2. de libertate. Et deſtruit errorem Lutheranorum dicentium, bona Eccleſiæ eſſe diripienda. Et ſimiles errores narratos, ac damnatos ſupra Exod. 32. con. 5. Item Leuit. 23. con. 2. & cap. 25. con. 10. & Numer. 3. con. 11. Pro tanto autem omnes prædicti nunc referuntur hic, pro quanto prælatos publicè etiam à ſubditis per ſubtractionem decimarum, obedientiæ &c. puniri propter peccata ipſorum prælatorum uolunt. Patet enim ex iſta textuali concluſione, & quidem ab exemplo diuino, totum contrarium. Nam Deus per hoc, quod publicè caſtigare Aaronem noluit, clariſſimum reliquit, quòd multò minus ulli ſubditorum licitum eſt caſtigare priuatiuè aut poſitiuè, ſuos prælatos etiam delinquentes. Diſcolos etiam prælatos caſtigari ſic, à ſubditis, erroneum eſſe; uide ſuprà Gen. 14. con. 6. & ca. 16. con. 5. Item Exo. 18. con. 1. Item Numer. 2. con. 10. & cap. 4. con. 3. 4. Item Elucid. Addi. art. nu. 413. 80. 74.

Text. OBſecro mi domine; nè imponas nobis hoc peccatum.

Concl. 10. *Quando offendimus alios, nos facimus illos nobis ſuperiores, & noſtros iudices.* [Ex eo]

Ratio. AARON uidens leprã ſororis, et accidiſſe illi propter detractionem in Moyſe ſciens, ad Moyſen tanquam ad iudicem conuertitur, ut pęnam remittat. Quis fecit Moyſen iudicem in hoc ſpeciali facto? Quis illi dedit hanc poteſtatem, vt poſſit Mariæ delinquẽti pęnam relaxare? Maria. Quomodo? Peccando in Moyſen.

APPENDIX.

HINC habes, quòd non ſine cauſa delinquentes in nos uocamus debitores noſtros in oratione Dominica. Nam debitor, ut debitor, eſt minor creditore, dùm creditor debito-

Vide. rem poſſit uel grauare, uel relaxare. Ergo creditor eſt quaſi liber reſpectu debitoris, & debitor eſt quaſi ſeruus. Quis fecit illius hominis ſeruum, contra Apoſtoli iuſſionem dicentis: Nolite ſerui effici hominum? Ipſemet debitor. Quis illi creditori tantam libertatem donauit? Item debitor. Voluntariè enim illum creditorem fecit, & ſe illi debitorem, dùm in illum peccauit: Et conſequenter uoluntariè libertatem ſupra ſe, ſupra animam ſuam, ſupra ſalutem ſuam, ei donauit. Vnquid putas Deum nolle pœnam relaxare Mariæ, niſi Moyſes conſentiat? Profectò, quia iam Maria in ſeruitutem Moyſis tranſierat. Quia uerò non eſt æquum, ut de ſeruo alicuius ſine licentia eius aliquid diſponatur; ideò non eam Deus prius à pœna uel tantillum relaxat, niſi Moyſis uoluntatem circa id conſulat. Hac de cauſa & Aaron ad Moyſen pro Mariæ liberatione currit, quoniam, Moyſen eſſe à Maria ſuper ſuam ſalutem dominum factum, nouit. Et unde hoc nouit? Inde quia, ipſam in Moyſen peccaſſe, nouit. Idcircò nunc ad ipſum pro ſororis leuamine recurrens dicit: Domine, quod quidem nomen ſuperioritatem ſonat ſuper id, de quo loquimur. Habebat ergo Moyſes ſuperioritatem ſuper corporalem ſanitatem Mariæ, quoniam poſt ly Domine de ſalute corporali Mariæ fit ſermo.

¶ Secundò habes, quod offenſi non debent triſtari, ſed magis gaudere, quando a proximis offenduntur. Nam ſuper tot ſublimantur: a quot deprimuntur. Hinc legimus Decium ſe torqueri à B. Laurentio conqueſtum Valerianũ a B. Hypolyto, Neronem a Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, Terentianum a Beatis Ioanne & Paulo, & alia huiuſmodi poſt tyrannidem in martyres exercitam. Ab illis igitur, quos offenderant, tanquam à dominis, quos ipſi ſuper ſuam ſalutem ultrò fecerant, inuoluntariè torquebantur. Gaudendum ergo eſt illis magnopere, qui ab aliquo offenduntur; quoniam offendentes ad magnum honoris faſtigium nos, ſic agendo, extollũt. Sic ergo pauper quilibet dominus euadere poteſt; dum pauper offenditur, & patienter tribulationem ſuffert. Hac de cauſa, ut. ſ. ad fieri ſic dominum patientiam requiri noueris, habuiſti in principio capituli poſt iniuriam Moyſi irrogatã, quòd Moyſes erat mitiſſimus. Stabunt (ecce dominium illud) iuſti in magna cõſtãtia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt Sapi. 5. O grande dominium, & ſtabunt, & in conſtantia ſtabũt, & in magna conſtantia ſtabunt, & aduerſus olim ſe anguſtiãtes ſtabunt. Anguſtiantes hoc dominium præ ſui magnitudine effugere non poſſunt; poſſunt tamen facere, ut illud non ſit aduerſus ſe cõtinuè, ſed ab eſſe aduerſus ſe conuertatur ad eſſe pro ſe. Ecce; Maria anguſtiauit Moyſen, Dominiũ Moyſis fuit aduerſus Mariam; quoniam lepra ob hoc percuſſa eſt. At dominium illud idem pro Maria poſtmodum conuerſum fuit, quoniam ad pręces Moſaycas Mariæ pęna & minorata, & totaliter ſublata eſt. Quomodo illud, quod erat aduerſus, conuerſum eſt pro? Per orationem Aaronis. Domine mi (inquit ad Moyſen) obſecro, nè imponas nobis hoc peccatũ. Et tu ergo, ſi aliquem offenderis, etiam in uerbis, ad exorandum illum pro indulgentia confuge, ut ly Aduerſus, conuertatur in pro. Grande quoque illinc præmiſſum dominium agnoſcas, quòd ad illa extenditur cauſanda, ad quæ nullum terrenum dominium ſufficit. Dic mihi. Vbi nam dominium adeò magnum in terris inuenies, quod ſuper corpoream ſalutem uel tollendam, uel dandam, ſic faciliter extendatur? Et tamen Moyſis offenſi tale dominium fuit. Nam citò & ſalutem à Maria tulit, & eandem Marię reddidit. Domine (inquit) Deus ſana eam. En quam breuibus eam uerbis ſanitati reſtituit, quam ſanitatem illi primo nihil dicendo, iuſtè abſtulerat. Dixi ly Nihil dicendo; quia ut per totum capitulum patet nunquam precatus eſt Deum pro auferenda ſanitate a Maria. En quanta facilitate ſanitatem ipſam ſorori abſtulit. Sed dices: Moyſes ipſam non abſtulit; ſed Deus. Et ego dico: Nec Moyſes hoc modo ſanitatem illi reddidit, ſed Deus; cùm tamen Moyſen utrunque feciſſe, dictum ſit. Quia igitur Deus ad intuitum Moyſis utrunque fecit, ideò Moyſes utrunque feciſſe verè dicitur, cum quę per alios facimus, quodammodo per nos facere dicamur. Sicut enim Deus ad Moyſis orationem Mariam ſanauit; ita Deus ad Moyſis cõtumeliam receptã lepra Mariam percuſſit. Facit.n. Dominus (teſte Pſal.) iudicium iniuriã patientibus.i. iuſto ſuo iudicio iniuriam irrogantes pro iniuriam patientibus, puniũtur. Per hoc.n. quòd quis formaliter patitur.i. cum debita patiẽtia patitur iniuriã, prouocat ad ſui uindictam ipſum Deum. Patientiam ergo gerit uices oris, & orationis, ad iuſtam uindictam pro offenſo. Sed ſi (inquis) propter Moyſen utrunque fecit, quare non pro pœna rogaſſe Moyſen textus dicit; ſicut pro ſalute reddenda rogaſſe affirmat? Hoc facit, ut ſanctorum pietatem erga ſuos offenſores demonſtret, qui non tantùm non ipſos re offendere, ſed etiam ipſis benefacere uolunt.

¶ In patiẽtia igitur dominium ſanctorum eſt ſuper inimicos ſuos. Hinc uides, quòd, dum patientes erant martyres, torquebantur terrarum Principes. Patientiam ergo ſanctorũ dixiſſes eſſe cruciatum grande tyrannorum.

¶ Tertiò habes conſequenter, quòd ideo Chriſtus conſtitu-

tus

Vide

tus eſt à Deo iudex omnium inimicorum ſuorum, quia ad plagas ab hoſtibus inflictas patiens extitit. Poſſumus ergo, iuxta ſupra dicta, fateri, quòd hoſtes Chriſti, nolendo, Chriſtum ſuipſorum iudicem fecerunt. Quare? Quia uolendo Chriſtum afflixerunt. Nunquid non & Maria ſupra ſe Moyſen iudicem ſeuerum fecit, quando contra Moyſen linguam ſuá exacuit? Signum hoc profectò fuit, quòd ſynagoga Chriſtum ſupra ſe iuſtiſſimum iudicem factura erat, quando contra Chriſtum ad eum crucifigendum linguas ſuas relaxatura erat. Vndè etiam ſicut Maria non niſi per Moſaicam orationem ad ſalutem reuertitur, & tardè.i. poſt ſeptem dies, & poſt ab aliorum conſortio ſeparationem, ita non niſi per Chriſti orationem ſynagoga ad ſalutis ſuæ uerum auctorem reuertetur, & poſt multos dies.i. in fine mundi, & poſt longum ab aliorum conſortio exilium, quod nunc uſq; in finem patitur, ac patietur. Et ſicut Maria propter peccatum in Moyſen lepra omnibus exhorrenda percuſſa eſt; ita ſynagoga propter peccatum in Chriſtum talibus ſupplicijs percuſſa eſt, ut & omnibus (tanquam lepra) exoſa ſis, & ſibiipſi (tanquam lepra leproſo) grauis ſit, & doctrina falſa (tanquam lepra) ſcateat; atque adeò falſa, ut ſacrarum ſcripturarum ueritatem ſua falſitate corrumpat.

4 Quartò habes, quòd lingua mala ſibiipſi potius, quàm alteri magnum nocumentum affert. Dic mihi. Quod nocumentum Moyſi detractio Mariæ attulit? Nullũ; imo emolumentum maximum. Nam hinc occaſionaliter factum eſt, ut Moyſes ſupra omnes prophetas, Deique familiares, ab ipſo Deo (quod in immenſum Moyſis commendationem amplificat) laudatus ſit, ac exaltatus. Quod nocumentũ maledica lingua, Mariæ attulit? Lepram, talemque lepram, ut ad eius uiſum Aaron ipſe nimium exhorruerit, & ad Moyſis inſtantes (quod ly Obſecro demonſtrat) orationes in totum remitti non potuerit. Magnum miraculum. Pharaonis nonnullæ plagæ (ut habes in Exodo) ad unum Moſaicum ſuſpyrium totaliter ſublatæ fuerũt, & plaga Mariæ ad Moyſis precationem ſuſtollenda differtur. Hoc fecit Deus, ut hinc, quantum ſibi linguæ peccatum diſpliceat, notificaret. Erat quidẽ Pharaonis peccatum peccato Mariæ admodum maius, ſed tamen peccatum Mariæ leuius, quàm re uera eſſet, habebatur. Vt igitur grauius eſſe Mariæ peccatum, quàm opinabantur homines, aperiret Deus, orationẽ Moyſis ſibi amiciſſimi non citò exaudiuit. Sicut ergo illinc in Exodo ex cita exauditione nõ minoritatem delicti, ſed magnitudinem precis Moſaicæ infers, ita hinc ex lenta exauditione non maioritatem detractionis reſpectu delicti Pharaonis, ſed maioritatem ipſius reſpectu opinionis hominũ, inferas. Quis enim neſciat; Pharaonis peccatum peccato Mariæ peius fuiſſe? Hoc norunt omnes; ſed pauci tamen Mariæ peccatum, eò quòd linguæ peccatum eſſet, tanti exiſtimabant, quanti æſtimandum erat. Nunc autem illud; & conſequenter alia oris peccata, maioris facere coguntur, quando tenaciori pœna quàm putauerant, huiuſmodi delicta plectuntur. Nunquid non meritò pœnam ipſam tenaciorem appellauerim, quam Deus, licèt à ſibi amiciſſimo feruẽtiſſimè rogetur, remittere negat ad uotum? Nec tamen ſi ad orationis Moſaicæ magnitudinem inſpiciamus, illam hinc ullo modo labefactari uidebimus. Rationi namque conſentaneum eſt, orationẽ multò magis minora, quàm maiora, impetrare poſſe, ſi ad orationis magnitudinem reſpectus habeatur. Vndè ſi Moſaicæ preces in Pharaonicis plagis tollendis tantoperè ualuerunt, tantò magis in Mariæ plaga una auferenda ualuiſſent. Reſtat igitur, ut in huius exauditionis tarditatem non ad magnitudinem precum remunerandam, ſed ad opinionem falſam hominum conuincendã, reſpectus habitus fuiſſe dicamus. Ex quo igitur peccata oris in prælatos, & grauiſſima (utpotè lepra) & pœna ferè indiſpenſabili (utpotè ad Moyſis intuitum citò nõ remiſſa), caſtigantur, quid elicis? Quòd in duobus magnopere humanum iudicium decipitur; ſcilicet in peccatis linguæ, ac in murmurationibus contra prælatos. Nam & illa, & iſtas, minimi faciunt, cùm tamen utrunque peccatum Deus hic maximi faciat. In ſignum autem, quòd ambo parui ducant homines, eſt, quòd inter homines frequentatiſſima ſunt, nec de illis (ut deceт) cõteri ſatagunt.

5 Quintò conſequenter habes, quòd quantitas pœnarũ non arguit ſemper quantitatem culparum in ſe; cùm quandoque minori culpæ maior pœna detur, iuxta præmiſſa. Licèt enim abſolutè.i. etiam pro uita futura uerificetur, quòd ſecundum menſuram delicti erit & plagarum modus; tamen in hac uita non ſemper hoc, propter aliqua occurrentia, uerificatur. Nam ad culpam non habetur ſolummodò reſpectus in præſenti uita; ſed etiam ad hominum aliorum inſtructionem, qui ex pœnis uiſis abhorrẽt magis culpam, quam prius ipſam abhorrendam intelligerent. Et ſic ex ignorantia, uel ſimplici, uel prauæ diſpoſitionis per pœnas uiſas educuntur. Verbi gratia. Magis detractionis peccatum in prælatos præſumptionis erga noſipſos (dicendo ſcilicet. Nunquid ſoli meo prælato locutus eſt, nunc Deus? Et mihi locutus eſt) nũc à plaga Mariæ edocti fugiendum æſtimamus, quam antea, quando huius peccati grauitatem tantã, quanta eſt, non ponderabamus. Hinc eſt, quòd pœnæ hic pro peccatis habitæ uocantur medicinæ, quia ſcilicet, uel nos, uel proximi ex pœnis noſtris proficimus, uel in uera ſcientia, uel in uera uita, uel in uera prudentia ad debellandum inimicos ſpirituales, uel in uero conſilio ad conſulendum alijs circa requiſita à nobis, uel in huiuſmodi.

SI pater eius expuiſſet in faciem eius, nonnè debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus, & poſtea reuertatur. *Text.*

Concl. 11. *Iudicium diuinum eſt ſecundum rectam rationem humanam, non contra illam.* [Ex eo.]

HVMANA dictabat ratio, ut ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffunderetur filia ex patris expuitione in eius faciem. *Ratio.* Hinc uerò deducitur, quòd Maria ex lepra à Deo habita debet ſeptem diebus rubore ſuffundi, i. præ rubore ab alijs ſeparari. Hoc autem ex illo deducitur non ſolum ad ſignificandum præſens concluſionis documentum, quòd ſcilicet iudicium diuinum eſt ſecundum ueritatem omnibus inſertam; ſed etiam ad ſignificandum, quòd iudicium diuinum non eſt crudele, ſed humanum. Quaſi per hanc ſententiam dicatur: Quale iudicium meum in hoc caſu futurum ſit, ueſtro iudicio ſuppono. Vnde ſi uos propter minorem deformitatem habitam.i. patris expuitionem in faciem iudicatis filiam talem debere ſaltem diebus ſeptem ab aliorum conſpectu ſeiungi (quod eſt ipſam rubore ſuffundi, cùm rubor ab aliorum conſpectu ſeiunctionem ſuadeat, atque cauſet. Sic ergo per cauſam, ideſt per ruborem, ſignificauit hic effectum, ideſt à cæteris ſeparationẽ. Vnde & in littera locò ly Rubore ſuffundi ſubiungitur ly Separetur), non magnum eſt, ſi propter maiorem deformitatẽ habitam.i. lepram ego iudico filiam talem.i. Mariam ſeptem diebus à cæterorum conſpectu ſeiungi. Vbi etiam adoertas, quòd iudicium diuinum ſignificatur eſſe non tantùm humanum, ſed etiam mitius, quam humanum. Mitius enim eſt, propter maiorem deformitatem indicere dierum ſeptem pœnam, quàm propter minorem.

APPENDIX.

HINC habes, quòd nulla intellectualis creatura poteſt (modò ratione utatur) lamentari de iudicio diuino, uel contra ſeipſam exercito, uel contra aliud quodlibet. Quid? Imò habes, quòd omnis talis creatura (modò ratione utatur) non poteſt non approbare iudicium diuinum, ſeu iuſtitiam diuinam in quouis exercitam. Quid? Imò habes, quòd omnis creatura talis (modò ratione utatur) non poteſt non laudare diuinam iuſtitiam quomodolibet exercitam. Primum habetur ex eo, quòd iudicium diuinum eſt humanum, non crudele; ſecundum ex eo, quòd eſt ſecundum rectam rationem; tertium ex eo, quòd eſt mitius, quam iudicium hominum. Et hoc tertium innuebat David in libris Regum, quando dicebat; Melius eſt mihi incidere in manus domini, quia ſunt multæ miſericordiæ eius. Nec mihi obijcias illud Apoſtoli; quòd horrendum eſt incidere in manus Dei uiuentis; & alia huiuſmodi. Licèt enim iſtæ auctoritates durius eſſe iudicium Dei, quàm hominum, ſignificent; tamen huic litteræ; & conſequenter noſtro propoſito, minimè obſtant. Durius namque Dei iudicium eſſe ratione pœnarum inflictarum, ſtat cum hoc, quòd illud idem ſit minus ratione miſericordiarum commixtarum. Vnde & David mititatem grandiorem iudicij domini ſupra adducens de miſericordia cõmixta fecit mentionem dicẽs; Quoniam ſunt multæ miſericordiæ eius: &, Apoſtolus duritatem ipſius iudicij extollens de pœnarum inflictione (ut patet in contextu) memoriam fecit. Cur autẽ ſic fecerunt, niſi ad oſtendendum, utrunque de iudicio diuino dictum pro uarietate conſiderationis prædi-

ĉta eſſe uerum? Sit ergo, ac ſi dixiſſemus. Ideò iudicium diuinum durius eſſe dicimus, quàm humanum; quia Deus duriores pœnas infligit, quàm homines infligant. Ideò autem, mitius, quia Deus grandiori miſericordia utitur in huiuſmodi pœnis infligendis, quàm homines. Quomodo poſſunt hæc fieri; ꝙ .ſ. maiores pęnas infligẽs miſericordia maiori utatur, & minores infligens minorem miſericordiam pœnis immiſceat? Audi. Potentiam, & uoluntatem punientium utrinque conſidera, prædictaque mox una ſtate liquidò conſpicies. Potentia Dei qualis eſt? Vt maiores inferre poſſit alicui pœnas, quàm homo. Potentia hominis qualis eſt? Vt minores admodum pœnas alicui infligere ualeat, quàm Deus. Voluntas Dei qualis eſt? Vt non uelit pro nunc maiores, quàm faciat, inferre pęnas; imò ut uelit iſtis, quas infert in hac uita cõſolationes aliquas adijcere. Volũtas hominis qualis eſt? Vt non uelit ullam miſericordiam pœnis illius, cui uehementer iraſcitur, admiſcere, imò ut uelit, ſi poſſet, maiores pro tunc illi pœnas infligere. Dic ergo. Si Deus poteſt pœnas augere huic, & non uult, imò pœnis ipſis conſolationem quandoque immiſcet, utique iudicium Dei eſt ualde mite. Ruſum. Si homo maiores pœnas augere huic uult, licèt non poſſit, & nullam conſolationem pœnis his admiſcere uult, utique iudicium hominis eſt ualde durum. Quia igitur mitiratem punientis duritiemque ex uoluntate imprimis perpendi ſcimus, non ex potentia: ideò mitius diuinum iudicium puniens aſſeueramus, quàm humanum. Nã minoritas pœnarum in homine undique dependet ex potentia, non ex uoluntate; minoritas autem illarum in Deo undique (reſpectiuè .ſ. ad potentiam, & ad meritum, non ad pœnas ab homine illatas) dependet ex uoluntate, non ex potentia. Siue igitur attingas, ſiue non attingas aliqua iudicia Dei, ſemper in omnibus eum laudare teneris, quia miſericorditer tecum agit; licèt duriora uerbera intorqueat. Nunquid nõ miſericorditer ſe egiſſe hîc cũ inflictione grauiſſimę pęnæ .ſ. lepræ monſtrauit, quando ad primam, breuiſſimamque Moyſis orationem Deus Mariam ſanauit? Quis valdè iratus tam faciliter offenſam, pœnamque remittit. Quis valdè iratus conſolationem magnam inſuper offenſori adijcit? Conſolationem magnam Mariæ peccanti appoſitam teſtata eſt littera, dùm ait, ꝙ populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria. Hoc enim dixit ſcriptura ſignanter, dùm lepram Mariæ narrabat, vt populum compaſſionem habuiſſe ad Mariam afflictam hinc intelligeres, nec eam ob ſui abhominabilem pœnam contempſiſſe. Vide Moyſen non paſſum, ꝙ Mariæ redderetur malum pro malo, ideſt contemptus pro contemptu: licèt ipſa tùm ratione culpæ (contempſerat .n. Moyſen) tùm ratione pœnæ (lepra enim cõtemptibilem reddebat perſonam leproſam) contemni mereretur. Nec ergo Moyſes eam contempſit, quoniã pro ea orauit; nec ab alijs eam contemni uoluit, quoniam populum de loco ſuo uſque ad Mariæ reuocationem moueri noluit. Id autem totum in Mariæ honorem uergebat, ac reuerentiam, ut patet. Non tantum ergo Moyſes malum pro malo non reddidit, nec ad ſui intuitum reddi paſſus eſt; ſed etiam (quod maiorem infert perfectionem) bonũ pro malo, & à ſe, & à cæteris pro ſe reddi efficaciter procurauit. Bonum ſiquidem, & magnum ſanè, ſibi fieri quiſq; tribulatus exiſtimat ab aliquo, cũ iſte illi cõpaſſionem habet. Magna verò alicui oſtenditur compaſſio ub aliquo cum ab iſto in ſuũ conſortium ille tribulatus accipitur; uel cum expectatur, ut in conſortium accipiatur. Hæc autem omnia erga Mariam à toto populo (en quanta erga illam reuerentia) fieri fecit Moyſes: id quod per litteram hanc (populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria) inſinuatur. Hanc autem totam conſolationem prædictã Dominus cauſauit per Moyſen, & populum, in ſubſidium af-
2 flictæ Mariæ. Secundò habes, quòd, quando recta ratio humana nobis dictat aliquid puniendum, tunc ſecundum iudicium diuinum etiam punitione dignum eſt. Vndè dicitur à Chriſto cuidam: Ex ore tuo te iudico; &, ex ore tuo condemnaberis, ad denotandum .ſ. id, quod nunc dicimus. A ſimili ergo habes, quòd, quando recta ratio humana dictat aliquid uel faciendum, uel omittendum, uel patiendum, vel præmiandum, vel &c. tunc ſecundum iudicium diuinum etiam tale quid faciendum eſt, uel omittendum, uel patiendum, uel præmiandũ vel &c. Vndè ad hoc denotandũ inquit Pſal. Signa-
3 tum eſt ſuper nos lumẽ uultus tui domine. Tertiò habes, ꝙ iudicium diuinum, ſi (mala uoluntate remota) attingatur, ab omnibus approbatur. Si enim rationẽ rectam hominis non deſtruit, ſed aſtruit, iudicium diuinum, ideſt ſi rationi non eſt contrarium, ſed (ut hæc littera dicit) conforme; profectò ab omnibus hominibus approbari, ſaluatis præmiſſis conditionibus, neceſſe eſt. Iudicium ergo diuinum in die nouiſſimo ab omnibus electis approbabitur, ideſt & pro iuſto habebitur, & pro laudando; ſed à reprobis quoad primum tantùm approbabitur, inquantum .ſ. pro iuſto habebitur. Reprobi nanque bonam uoluntatem non habebunt; ideoque iudicium illud blaſphemabũt, & bonum intellectũ habebũt, ideòque iudicium illud pro uerò æſtimabunt. Ecce, ꝙ non bonus intellectus, ſed bona uoluntas, bonum facit hominem.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Ex ore tuo damnaberis, uel iuſtificaberis. Hoc eſt. Recta ratio tua, quid de te a Deo fiendum ſit uel in malum uel in bonum, facilè demonſtrabit. Hæc tamen prędicta intellige ſolummodò quantum ad illud ad quod ratio noſtra ſe extendit, non aliter. Vt prædeſtinationem, reprobationem, diuinamque gratiam, hinc excepta eſſe noueris. Vel ad aliquid huiuſmodi applica.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XIII.

MItte uiros, qui conſiderent terram Chanaan, quam daturus ſum filijs Iſrael. *Text.*

Concl. 1. *Deus uult Principes exercitus; & conſequenter omnes primatos, facere, quod recta prudẽtia ſuadet, ad alicuius ciuitatis uel &c. expugnationem, etiam quòd uictoriam ſibi diuinitus impertiendam certiſſimè ſcirent.* [Ex eo]

PROMISERAT Deus multotiens terram hanc Iſraelitis, eamque illis de proximo dandam à ſe nunc ſpondet; & tamen uult, Moyſen mittere uiros ad explorãdam terram; nec tantùm uiros, ſed uiros ex principibus. Quid eſt hoc? Nunquid Deo defecerat conſilium, atque ſcientia, aut exploratoribus ad terram expugnandam opus habebat? Minimè: Imò ſciebat, exploratores expugnationi terrę contrarios futuros; cũ omnes ferè puſillanimes reddiderint (ut hic ſubiungitur) filios Iſrael ex improuida ſua relatione. Cur ergo miſit illos Deus? Vt præſens concluſionis documentum nobis aperiret. Si enim Deus, qui certò ſciuit exploratores malos futuros, illos miſit ad terrę explorationem, multò magis nos ex hoc exploratores, de quorum malitia futura certam notitiam non habemus, ad explorationem hoſtium mittere debemus. *Ratio.*

APPENDIX.

1 HINC habes à ſimili, ꝙ ſi quis certiſſimè ſciret ſe prædeſtinatum; adhuc tamen ſatagere deberet operari quæcunque poteſt, & recta ratio ſibi dictat. Ecce. Hi erant certiſſimi de accipienda terra Chanaan in dominium: & tamen uult Deus, vt exploratores ad eã mittant, & (ut uidebis ad longum infra) quæcunq; ad belligerantes attinent faciant, ac ſi nihil de poſſidenda illa terra certitudinis haberẽt. Si ad opera iſtorum Iſraelitarũ conſpexiſſes, dixiſſes; Iſtis nulla data eſt certitudo de ſubiuganda terra Chanaan, adeò bellicis ordinibus, ac operibus, intẽti erant. Si promiſſiones tot ad iſtos à Deo factas de terra dominanda attendiſſes, clamaſſes (ſecundũ hominem loquor): Iſti nihil de opere bellico faciundo ſoliciti eſſe debent. Et tamen quid, tantis promiſſionibus factis, Deus Iſraelem facere circa terræ ſubiugationem uoluerit, & iam audiſti, & infrà multis in capitulis ad litteram audies. Quare igitur tàm ſoliciti erant, ſecundum diuinum mãdatum illi? An quia ſpes, ſeu certitudo, iſtis defecerat? Abſit hoc a Moyſe fideliſſimo in tota domo Dei: Abſit hoc & à Deo, ut per opera iuſta ſpem in iſtis certitudinemque ſupprimere intenderet. Cur ergo tàm ſoliciti erant? Quia ad finem, quem ſe adepturos certò tenebant, ſine medijs debitis perueniri poſſe impoſſibile iudicabant. Tu autem, qui media neceſſaria ad finem (etiam tota prophetia clamante) eſſe noſti,

& tamen

& tamen finem te adepturum certò neſcis, quanta ſolicitudine circa opera ad finem debita moueri debes? Tu, qui trepidas de finis adeptione, quomodo ad media te habere debes, quando ſecuri de fine ſic ad media ſeſe habebant? Deus ergo reuelando aſſecurauerat iſtos de fine, non torporẽ his immiſerat circa media ad finem. Aliud eſt enim tollere ſolicitudinem de fine, aliud eſt tollere ſolicitudinem de medijs ad finem. Primum abſtulit Deus dicẽdo, daturus ſum filijs Iſrael terram Chanaam: ſecundum non abſtulit ſic iubendo, Mitte uiros, qui conſiderent terram Chanaam. Vbi ſunt nunc hæretici dicentes; prædeſtinatum non debere ſolicitum eſſe circa ea, quæ ſunt ad finem, puta circa bona opera pro aſſequendo beato fine facienda? Quia (inquiũt) eſt certus de fine tali adipiſcendo. Heus tu; nonnè & Iſrael erat à ueraciſſimo Deo certificatus, & ſæpius quidem, de terra iſta habenda? Vtique. Et tamen &c. ut audiſti ſupra. Quis eſt igitur hæreticus iſte inſtabilis & indoctus. 2. Petr. 3. qui circa media ſolicitudinem coam his, qui de finis adeptione certificati non ſunt, auferre conatur? Nunquid maior eſt Deo, qui nec his, quos de fine certificauit acquirendo, ſolicitudinem tollere, circa media uoluit; imò illis iſtam hic iuſſit? Quem ſeipſum facit? Voluit diabolus ſimilis eſſe altiſſimo; & iſte hæreticus
2 diaboli filius extolli uidetur ſupra altiſſimum. Secundò habes à ſimili, ꝙ in omnibus rebus debet homo facere, quod
3 in ſe eſt. Tertiò habes, quomodo nunquam Deus diſpoſat hominem a faciẽdo id, quod humana ſibi recta ratio dictat: etiam ꝙ de fine tali aſſequendo ipſum hominem certo certius certificaret. Quartò conſequenter habes, quòd illi malè faciunt, qui media a recta ratione dictata (puta orationes, uigilias, ſtudia, &c. circa quancunque materiam dimittunt dicentes, ueniet quicquid Deus uoluerit; Quod neceſſum eſt fieri, fiet; Deus prouidebit abſque me, & ſimilia. Hi talia dicẽtes Dei ſenſum hic habitum impugnãt, tantum abeſt, ut Deo placeant. Ex ſuo igitur ipſorum ſenſu talia proferunt: & ſibi ipſis, hominibusque ſic dicendo placere deſiderant.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Non tentabis Dominum Deum tuum. Is enim tentat Deum, qui nõ facit ex parte ſua, quod recta ratio ſuadet, circa aliquod negocium. Vnde nè tentarent, Deum Iſraelitæ in caſu belli, iuſſit illis Deus, ut exploratores, & ex primis, mitterent. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 1. cap. 13. deſtruit hæreſes Huſſitarum dicentium, ꝙ orationes ſunt inutiles, quia omnia ſiũt neceſſitate abſoluta: Et eorundem, Ioãnis Vuiclef, & Lutheri, dicẽtium, omnia ex neceſſitate abſolutum fieri, nec poſſe fieri aliter, q̃ fiunt: Et Algazelis philoſophi (ut refert Directo. inquiſi. 2. p. q. 4.) dicentis; omnia eueniunt de neceſſitate, quare homines ignorantes ſunt, qui ſperant, qui deſiderant, qui timent futura: Et Lutheri dicentis, ꝙ liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo, & dũm facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Patet enim per concluſionem hanc textualem bene conſideratam totum oppoſitum eorum, qui ſupradicti ſunt, errorum. Nam ſi neceſſitate abſoluta fierẽt omnia, tunc fruſtra fiendus conſuleretur conatus à principibus in textu narratis ad aſſequendum aliquid, ſimiliter fruſtra orationes fiendæ, aliæuè prouiſiones ad aliquem finem habendum, aut cauendum. Et, ſi facere quod in ſe eſt, eſſet mortale peccatum; nunquam ad faciendum quod in homine eſt, hominem ipſum hortaretur iſta concluſio ex ſacra ſcriptura pendens. Per hoc igitur, quòd ad uniuerſa illa homines adhortatur, damnat uique omnes prędictos errores. Dãnantur quoque, & conſequenter firmatur concluſio, à Gen. 8. con. 6. & cap. 20. con. 4. Item ab Exod. 2. con. 1. Item damnatas uidebis illas hæreſes in Elucid. pri. par q. 19. ar. 8. & q. 22. ar. 4. & artic. numer. 255. 412. 569. Item in Elucid. addi. ar. nu. 43. 61. 300. 316. ualent prædicta etiam ad ſequ. con. 2.

Text. COnſiderate terram, qualis ſit, & populum, qui inhabitator eius eſt; Vtrum fortis &c. Pauci numero &c. Ipſa terra bona, an mala: urbes quales &c.

Conclu. 2. *In bello iuſto licitum eſt, facta hoſtium inquirere diligenter, ac ſingillatim: ut exinde, quid nobis iuſtè bellantibus agendum ſit, ſcire poſſimus.* [Ex eo.]

VIDE hic: Moyſen, cui bellum iuſtum contra Paleſtinos incumbit, præſens tibi concluſionis documentum exprimere. Quid facit? Facta hoſtium, munitiones ſcilicet, fortitudinem, numeroſitatem, terræ illorũ pinguedinem, adamuſſim inquirit. Quis dicat; Moyſen in hoc deliquiſſe? Imò & promeruit, cùm idipſum, ut diuinum exequeretur mandatum, effecerit. Talem autem inquiſitionem faciebat Moyſes; ut, ſibi quid poſtmodum faciendum eſſet, ex relatis facilius poſſet conijcere. Sciebat ſanè hoc, quòd ſcilicet erat ſibi contra illos pugna futura: ſed qualiter, quoad particularia quædam, ſe circa pugnam habiturus eſſet neſciebat. Quod hinc facilè patet. Si enim populus paleſtinus erit fortis, ſi urbes muratæ; tunc uigoroſius, animoſius, cautius, pugnandum fore contra illos decernet Moyſes: ſin autem debilis, ſi abſque muris urbes; tunc imperterritè magis ſine tanto ſuorum numero, & huiuſmodi, bellandũ coniectare poterit. Per Paleſtinũ uerò populum, ſeu Paleſtinos, hic & in cõſimilibus locis intelligo gentes: quæ habitabant in terra promiſſionis. Quia n. Paleſtini interpretantur filij alieni; & omnes gentes illæ erant à regno Dei alienę, ideò bẽ rnẽ uocant Paleſtini. Ratio Vniuerſale.

APPENDIX.

HINC habes ab oppoſitis, ꝙ bello exiſtente iniuſto, tales explorationes fieri non licèt his, qui iniuſtè pugnant. Quòd enim liceat; hinc pendet, quia ſcilicet finis eſt rectus. Cuius enim finis bonus eſt (iuxta logicos); ipſum quoque medium ad talem finem ordinatum, ac reuera proportionatum, bonum eſt. Vnde quamuis ex parte Moiſyca tales mittere exploratores licuiſſet; non tamen hoc ex Paleſtinica parte. Paleſtini ſi quidem iniuſtè ſecundum Deum, quamuis non ſecundum ſeipſos, aduerſum Moyſen pugnabant: Moyſes uerò iuſtè ſecundum Deum, quãuis non ſecũdum peruerſos hoĩes, cõtra Paleſtinos dimicabat. Secũdum Deum, inquam, non ſecundum ſeipſos; quia Deus iam illos ob eorum demerita terra illa priuarat, ac Moyſi tradiderat: quamuis hoc ipſi forſan ignorarent. Vndè bellum forſan iuſtum Paleſtini agere credebant contra Moyſen; quod tamen in ueritate iniuſtiſſimum erat. En; ꝙ conſcientia erronea à peccato non excuſat; quemadmodum ligat 1. 2. q. 19. ar. 5. 6. Non enim à peccato bellandi contra Moyſen Paleſtini excuſati ſunt, licèt (ut probabile eſt) ſe bene in hoc facere crederent. Et in hoc figurarunt illos ſiue iudæos ſiue gentiles, qui bellando contra chriſtianos, ſe bene agere credebant, credũt, ſeu credent. Secundo habes, quòd non quicunque de aliorũ factis ſolicitus eſt, curioſitatis notam incurrit. Si enim ob utilitatem aliquam, uel ſibi, uel proximo, inde uenientem, tali ſolicitudine agitatur, non ſolum non curioſus, ſed maximè negocioſus, dicitur; ac per hoc non ſolum nõ peccat, ſed meretur. Talem ſolicitudinem ſè Apoſtolus habere conteſtatus eſt, quando ſolicitudo quotidiana omnium Eccleſiarum ſibi inerat; quando Timothæum ad uidendum, quid circa ſuos ſpirituales filios ageretur, mittebat; quando uitas ſuorũ ſubditorum diligenter inquirere uel pręſens, uel abſens, uehementer ſtudebat. 1 2

¶ Ad ſolicitudinem talem paſtores omnes hortabatur Petrus Apoſtolus erga ſuum gregem, eis intimans, qui pro grege ſuo reddituri ſunt rationem. Quaſi hinc a fortiori ſic habeatur. Si Moyſes pro corporali utilitate ſui gregis adeò ſolicitus fuit; ut etiam in huius ſolicitudinis partem plurimos 12. ſcilicet & ſtrenuiſſimos (principes tribuum) ſibi aſciuerit: Quid cuique præpoſitũ pro ſuarum ouium ſpirituali utilitate agendum eſt? Non igitur de factis aliorum quælibet inueſtigatio prohibita eſt: ſed ſola illa, unde nihil emolumenti naſcitur. Mitto; ꝙ Moyſes aliorum facta dum inueſtigat, propria ſua facta inueſtigare dicendus eſt. Cur enim illa indagare contendit? Vt ſibi ipſi prouideat: ut inde, quid facto opus ſit, addiſcat. Cum facta ergo propria, non aliorũ, ſint finis talis indaginis, Moyſes nunc dicendus formaliter eſt, indagare facta ſibi propria, ſeu ad ſe pertinentia; quando mittit exploratores ad perſcrutandam terram; uel alia huiuſmodi facit. Cùm aũt nulli propria facta, propriaſq; futuras operationes, inueſtigare, uitio detur, ſed maximę prudentię: ideò non mirum, ſi Moyſes hęc agendo commendatur, ac Moyſi ſimiles. Materialiter ſiquidem tantùm ad aliena in- Vide.

inquiſitionem tēdunt,& formaliter ad ſui,quicunque ex alio tum aiſis utilitatem propriam carpunt. Nec ſolum utilitas propriæ finis propriam hos inquirere ſalutem inſinuat, ſed etiam motiuum primum. Vndè mouentur hi ad aliorum factorum inquiſitionē? Ex neceſſitate,uel ex utilitate,propria. Vndè motus eſt Moyſes ad tàm uigilanter(ut littera docet inquiens: Conſiderate terram populum, urbes,nemora) inquirendum alienam uitam? Ex propria utilitate, & neceſſitate. Videbat namque uidit, ne dicam neceſſe, ad Paleſtinorum terras ſubigendas, ſi talem de illis explorationem faceret; ideòque ad iſtam faciendam accenſus eſt animo, & opere cō pleuit. Quis modo reprehēdat factū,imò quis non laudet illud; cum.ſ. ex uera utilitate, ſeu neceſſitate propria mouetur quiſpiam ad aliud faciendum,patiendū,admittendum, omittendum,uel huiuſmodi? Etenim utilitatem propriam diligere, atque illius deſiderio ad aliquid moueri, natura omnibus inſertum eſt. Hinc,quoniam.ſ.utilitas propria eſt finis in mouendo,fit quod dictum eſt,quòd ſcilicet ad ipſam ordināntur quæcunque hic à Moyſe fiunt. Nam quodcunque eſt finis cauſa,eſt etiam finis effectus ſecundum tñ uariā conſiderationē. Eſt enim cauſa in appræhenſione;eſt effectus in executione. Res nāque illa, quæ prius mouebat appræhēſionem agentis, poſtmodum ab eodem agente educitur ad opus. Verbi gratia. Vtilitas capiendæ terræ primò appræhenſionem Moyſis mouit ad mittendum exploratores, poſtmodum à Moyſe ſeu à ſucceſſore Moyſis (is in hoc reputatur uelut alter Moyſes) illa utilitas ad opus educta eſt,inquantum.ſ. terram ceperunt. Ecce,ꝙ utilitas mouit,& ad utilitatem omnia ordinata ſunt à Moyſe. Vnde hi, qui ad utilitatem illa non omnia ordinarunt, & Moyſi diſplicuerunt,& Domino. Qui fuerunt hi? Exploratores alij à Ioſue,& Caleph. Hi namque relationibus ſuis, atque ſententijs deterruerunt Iſraelem a capienda terra: & conſequenter utilitatem illam, quantum in ipſis fuit,deſtruxerunt. Quid retulerunt? Terram illam habere cultores fortiſſimos, urbes grādes,atque muratas,ſtirpem Enach gyganteam,ab omni parte munitam,à montanis uidelicet per Ethæū,Iebuſæum, Ammoræū; à planicie per Chananæū;à meridie per Amalech. Cuius ſentētiæ in concludendo fuerunt? Quòd nequaquam ad hunc populum ualebant aſcēdere,quia fortior illis erat. Qualiter deterruerunt Iſraelem? Taliter,ut de regreſſione in Ægyptum,& de præficiendo ſibi ad reuertendum capite Iſrael cogitauerit.

¶Tales non fuerunt Ioſue,& Caleph, qui uniuerſa ad utilitatem illam primo intentam ſententiando ordinauerunt. Quomodo? Dixerunt Iſraeli: Aſcendamus,& poſſideamus terram;quoniam poterimus obtinere eam. Et rurſus. Nè timeatis populum terræ huius,quoniam ſicut panem,ita poſſumus eum deuorare. Et iterum. Receſſit ab eis omne præſidiū. Et item. Dominus nobiſcum eſt,nolite timere. Vide,quomodo exploratorum malorū ſentētias confundunt abſque mendacio,& Iſraelem a pauore ꝓmiſſo educere nitūtur. Dixerant mali exploratores, populum illum eſſe proceræ ſtaturæ, eſſe fortiſſimum. Hoc in exteriori apparentia non poterant negare hi boni duo exploratores. Quid faciunt? Ad interiorem aduerſariorum exiſtentiam,quę utique exteriori præponderat, cōuertuntur,& dicunt: Receſſit ab eis omne præſidium. Hoc eſt. Receſſit ab eis omne cor,omnis audacia,omnis de uictoria ſpes. Verum hi dixerunt,& prophetando dixerunt. Nam (in libro Ioſue) hoc idem Raab meretrix effectualiter accidiſſe in habitatoribus grandis Hiericò proteſtata fuit. Dixerant mali,populum illum non poſſe ſuperari ab Iſraele,utpote Iſraele fortiorem. Ad hoc reſpondent boni,ꝙ non tantum poterit Iſrael ad populum illum aſcendere.ſ.illum ſuperare; ſed etiam,quòd ſicut panem poterit illum deuorare. Quare? Quia(inquiunt)Dominus nobiſcum eſt. Quaſi dicant ad malorum rationem. Licèt populus hic ſit fortior nobis, nobis tantùm conſideratis;eſt tamen multò infirmior nobis,nobis cum Deo conſideratis. Tota ergo fiducia noſtra in Deo ſit, inquiebant hi boni,ut de acquirenda terra ſperemus, & ſperando acquiramus, non autem fiducia noſtra ſit in nobis, nè deſperemus, & deſperando terram acquirere non poſſimus. En ꝙ fiducia in Deo eſt uia ad ſalutem, fiducia in ſemetipſo eſt uia ad perditionem. Deus igitur fuit medium, per quod malorum exploratorum detruſa ſunt argumenta, atque concluſiones; necnon medium fuit, per quod populi Iſraelitici reuocarunt animos boni exploratores. Tertiò conſequenter, à figura ad figuratum, habes, ꝙ reuera diabolus fortior nobis eſt,& cum hoc tamen debilior admodum eſt. Vndè ſi ad noſtras præcisè uires inſpiciamus, deſperādum utiq; cum iſtis Iſraelitis eſt; ſi autem ad Deū nos pro ſua miſericordia fouentem oculos attollamus,de uictoria ſecuriſſimè cum bonis exploratoribus cōfidendum. Hinc in Pſalmo non utcunque dictum agnoſcas: Inimicos noſtros uentilabimus cornu, & ſpernemus inſurgentes in nobis;ſed in te (Deus) inimicos noſtros uentilabimus cornu,& in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Hinc pariter uideas,eſſe dictum in Pſalmo: Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me; & poſtmodū, ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Ex ereptione igitur Dei prouenit,ideſt ex auxilio efficaci diuino, ut inimicos noſtros deſpiciamus,ſeu (quod idem eſt) ut ſuper inimicos noſtros deſpiciat oculus noſter. Hinc Diuum Apoſtolum quandoque ſe infirmum dicentem, ac infœlicem contra ſpirituales nequitias,& ſupra modum grauari attende;quandoque uerò ſe fortem,omnia potentem,non tentari ſupra ſuum poſſe,cognoſcas ore ſuo confitentem. Aſpicere ad nos igitur eſt cauſa diffidentiæ, infidelitatis, debilitatis, ruinæ noſtræ omnis; aſpicere ad Deum (ideſt in ipſo confidere) eſt cauſa ſpei,fiduciæ,fortitudinis,ac totius ædificationis noſtræ.

EXAMEN I.

MOYSES volebat, ut exploratores referrent fortitudinē Paleſtinorum Iſraeli, quò Iſrael magis ad Dei adiutorium,audita hoſtium magnitudine,confugeret,quaſi ab ipſa neceſſitate coactus. Propter quem finem & Deus multotiens Iſraelem in uarias tribulationes cadere permiſit, tùm in deſerto,tùm extra deſertum. Sed Iſrael, uelut equus retrorſum abiens (hunc dicunt,cauallo reſtio), fortitudine Paleſtinorū audita,à diuino adiutorio defecerunt;dùm ipſius auxilij, cuius artas maximas millies habuerunt, obliti ſunt, & ex ipſa obliuione in deſperationem prolapſi fuerunt, ut hic patet. Animoſiores eos facere, ex Paleſtinorum fortitudine audita, uoluit Moyſes; & ipſi ſuo uitio ex illius auditu meticuloſi euaſerunt. Hoc & modo Chriſtus quatenus Moyſes figuratus, propoſito Euchariſtiæ ſacramento feruentiores uolebat reddere diſcipulos;& tamen eorum quidam illo ſermone audito retrorſum abierunt,& obdurauerunt, & (quod peius eſt) ſuam ipſorum duriciem ſermoni impoſuerunt dicentes: Durus eſt hic ſermo. Preſſuram, inquit ibi Chriſtus, in mundo habebitis;& mitto uos,tanquam oues,inter lupos. Nunquid per hæc,& ſimilia, diſcipulis ſuis animum adimere uolebat? Abſit; quinimò ſic eos ad animi grandiorem magnitudinem uocabat. Hoc eſt enim, ac ſi alicui pugnaturo dicas; Hoſtis tuus fortis eſt. *Exempl.* Hunc namque his uerbis ad maiorem animū, uires,prudentiam,induenda inuitare intendis; non animum eius a belligerando reuocare. Nonnè,ſi ſanguinem elephanti demonſtras,elephantis animum ad bellum acuis? *Exempl.* Vtique. Nonnè, ſi aquæ curſui obicem paras, aquæ impetum maiorem cauſas,ac(ut ita dicam)ſagaciorem in aqua conquiſitionem ad rimulas pro decurrendo inueniendas efficis? *Exempl.* Certè. Naturam igitur hanc inanimatam, & irrationalem Iſraelitas imitari Moyſes uolebat, dùm inimicorum ipſis ferocitatem narrari ab exploratoribus concedebat. Verùm contra prædictorum naturam Iſraelitæ illi fecerunt,dùm obice uiſo, curſum ſuum retrorſum uerterunt, & ex inſpecto ſanguine animos depoſuerunt. Et quia contra naturam agere peccatum eſt;ideò in facto iſto Iſraelitæ peccarunt. Peccatum igitur eſt, a ſuperuenientibus obiectis animo frangi; ſicut è contrario laudabilis uirtus eſt, à ſuperuenientibus impedimentis ab incepto bono non tepeſieri. Hæc autem de Chriſtiano maximè uerificantur,qui in medijs aduerſis(tanquam alter Ioſue, & Caleph) Dei adiutoriam præ oculis ſemper habere debet, ac in ipſo inimicos quoſque ſuos cum propheta deſpicere. Maiores enim abſque proportione de habenda in Deum ſecuriſſima confidentia arras chriſtianus habuit, quam uetus Iſrael; & icircò chriſtiano in Deum diffidentia maius peccatum eſt,quod Iſraeli minus eſſet. Quod autem de chriſtianis omnibus reſpectu Iſraelis dicimus, tu de chriſtianis inter ſe, pro beneficiorum diuinorum uaria magnitudine,dictum intelligas. Vtputa,ad magis de Deo fidendum tenetur ſacerdos ſecularis, quam purus ſecularis, magiſque ſacerdos regularis,quam ſacerdos ſecularis,& ſic de cæteris huiuſmodi; quoniam maiorum beneficiorum præteritorum in his reperitur exhibitio,atque minorum. Magis enim beneficiatus à Deo, in ipſum magis fidere debet. Idem iudicium facito in de relatione urbium grandium, atque muratarum,quod circa relationem,hominum fortiſſimorum factum eſt.

¶Ex præmiſſis elicito tu, ꝙ ubicunque nobis Deus difficilia

lis proponit, uel proponi permittit; tunc à nobis ſegnitiem propulſare intendit, animumque adijcere. Abſit enim, ut aliquando uerbis quibuslibet ſuos filios ad puſillanimitatẽ inducere uelit, qui ipſam per Apoſtolum, per Iſaiam, & ubique cum ſtomacho deteſtatur.

EXAMEN II.

SCIEBAT Moyſes ex diuina reuelatione multiplici, quòd terra illa erat bona, non autem mala: & tamen uidendum exploratoribus iniungit, utrum bona terra, uel mala ſit; necnon ad probationem illius fructus ad ſe afferre. Scis quare? Quia uoluit, ex fructibus ipſis, tãquam ex ſenſu ipſo, conuincere incredulos, credulosque magis firmare. Neceſſariam igitur horum fructuum allationem iudicauit Moyſes nõ propter ſeipſum; ſed propter Iſraeliticum populum. Quemadmodum & Chriſto nõ erat neceſſaria oratio uocalis propter ſeipſum; ſed propter nos. Poterat enim ſilentio orare (ut inquit Auguſtinus); ſed ſic ſe uoluit exhibere precatorem, ut meminiſſet ſe eſſe noſtrum doctorem. Ad hunc quoque modum poterat Moyſes non iubere, afferri fructus ad probandã qualitatem terræ (& reuera, ſi ad fidem ſuam tantùm reſpexiſſet, hoc tanquam ſuperfluum non iuſſiſſet); ſed ita uoluit ſe exhibere præcipientem, ut meminiſſet ſe eſſe populi ſolicitum inſtructorem. Qui ergo de aliquo dubitare uidetur, nõ ſemper in ſeipſo dubitat, & qui de aliquo quærit, non ſemper pro ſeipſo quærit; licèt nil aliud exprimat; ſed quandoq; pro alijs dubitat, illorum dubitationem exprimit, & pro ipſorũ quiete ſolutionem quærit. Tale quid in Euangelio ſucceſſit de beatiſſimo præcurſore, quando duos diſcipulos ad Chriſtum mittens, dixit illi: Tu quis es? Quia enim dubitabant diſcipuli, utrum eſſet Meſſias; ideò dubitationem illorum, tanquam in propria perſona, expreſſit charitatiuus magiſter, & ſolutionem quæſiuit. Sic & Moyſes nunc, tanquam antiqua figura præcurſoris in prædicto facto, mittit ad uidendum, & ad probandum, vtrum terra ſit bona, non quia ipſe de illius bonitate dubitet; ſed quia alij de hoc ſecundum magis, & minus, dubitabant. Sicut ergo in illa præcurſoris inquiſitione diſcipulorum infirmitatem, non ipſius magiſtri quærẽtis, agnoſcis; ita in hac Moyſis inueſtigatione Iſraelitarum plurimorũ minorem fidelitatem, non ipſius iubentis, uel minimam incredulitatem, aduerte. Et ſicut in illa charitatem præcurſoris admirari ſoles, qua ſic amicabiliter (puta diſcipulorum perſonam induens) filijs ſuis auxiliari uoluit; ita in hac Moſaycam charitatem ſuſpice, qua ſubditis ſuis circa credulitatem terræ illius ſuccurrere intendit ad ſenſum. Nec mireris præcurſoris illud exemplum cum hoc ſic per ſingula conquadrare, quoniam hoc illius figura, illudq; huius figuratum exiſtit.

EXAMEN III.

CIRCA hanc Moyſis de qualitate terræ inquiſitionem animaduertas aliud, quòd hinc trahitur; ſcientiam experimentalem non ſuperfluè inquiri poſt ſcientiam ſpeculatiuam. Scientia nanque ſpeculatiua, utpotè per fidem edoctus, nouerat Moyſes terræ bonam qualitatem: ſed adhuc ſcientia experimentali hoc ignorabat. Similis ergo illis in hoc erat illorumque figura, qui per fidem ambulant, & deſiderant uidere per ſpeciem. Deſiderium igitur illud Moyſis, quo terræ fructus probare uolebat, nõ ex incredulitate procedebat; ſed ex credulitatis perfectione; ſicut nec horũ deſiderãtiũ uidere per ſpeciẽ appetitus ex imperfectione credulitatis, imò ex ipſius perfectione promanat. Eſt enim hoc deſiderium, tãquã redundãtia quędã ex fide, ut ex fide creditorũ ueniamus in fidem guſtatorum. Quemadmodum aũt ex animæ gloria in corpus ipſum gloria redundabit; ita ex fidei plenitudine in experientię deſiderium fit redundatio. Vnde ſicut gloria corporis inferet plenitudinem gloriæ in anima; ita deſiderium hoc Moyſis, aliorumq; ſimilium, plenitudinem fidei infert. Non enim, quia dubitat de bonitate fructuũ, uidere uult fructus; ſed quia illorum bonitatem per fidem magnam nouit, ideò illos cernere cupit. Quid hoc, niſi grandem charitatem inſpicis potentiarum animæ ad inuicẽ? Habebat intellectus fidem, in ipſa delectabatur, ipſam deguſtabat. Non habebat ſenſus aliquam de huiuſmodi cognitionem, aliquam deguſtationem, aliquam delectationem. Quid factum eſt? Optauit intellectus facere ſenſum ſuæ cognitionis, ſuæ deguſtationis, ſuæ delectationis eum participem: &, quia non potuit per fidem, cum ſenſus nõ eſſet fidei capax; ideò id exequi uoluit per ſcientiam experimentalem, & dixit; Afferte nobis de fructibus terræ. Ecce; notitia fit ex notitia, guſtatio ex guſtatione, delectatioq; ex delectatione, & (ut ſemel edicam) abyſſus abyſſum inuocat; abyſſus ſcilicet ſcientiæ creditæ inuocat abyſſum ſcientiæ experientiæ. Da virum ſpiritualem & nouit, quod dico, nouit, quod nunc Moyſes concupiuit. Credit iſte uir, multas ineſſe conſolationes, dulciſſimas ineſſe guſtationes, melliſſuas ineſſe delectationes illis, qui cœleſtia, qui uitam Chriſti Ieſu Domini noſtri, & ſimilia deuotiſſimè contẽplantur, & id firmiter credit. *Exempl. appetitus fidelis.* Fide tenet etiam indubia, quòd digne pſallentibus, feruidè orantibus, deuotè communicantibus, magna infundatur diuinitus ſpiritualis dulcedo, mira illuminatio, grandis ad bene pugnandum corroboratio. Quid ex hac ſua fide prouenit? Deſiderium ingens prædicta experimentãdi adeo, ut quanta eſt illa fides, tantum ſit hoc deſiderium. Quantò nanque firmius illa credit, tantò ad illa experimentanda auidius exurgit; & quantò minus firmiter illis fidem accõmodat, tantò remiſſius ad illorum experiẽtiam anhelat. Vt ſuum iſte uir deſiderium prædictum compleat (ſiquidem nouit per fidem, quòd Beatus uir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis), quid facit? Ad contemplandum affectuosè cęleſtia, Domini noſtri ſanctiſſimam uitam, ſimiliaque, ad deuote pſallendum, ad feruenter orandum, ad digne ſæpius communicandum, aſpirat, & iſta faciendo perindè agit, ac ſi potentijs ſuis omnibus dicat; Afferte mihi de fructibus terræ huius. *Pſ. 126.*

¶ Explorator erat uiſus horum terrenorum, itidem & auditus, guſtus, omnesque tam interiores, quàm exteriores potentiæ. His exploratoribus nunc poſt omnia (in ultimis nanque mandatis littera hoc ponit a Moyſe dictum: Vt, ad hoc deſiderium præmiſſę experientiæ hominem non citò uenire, ſcias. Nemo etenim repẽte fit ſummus) nũc inquam, poſt omnia in mundo uiſa, audita, guſtata, in ſe reuerſus clamitat; Afferte mihi de fructibus terræ ſublimis. Quaſi dicat: Hactenus de folijs terræ mundialis, de ſpinis, de fructuum phãtaſmatibus, mihi attuliſtis (omnia enim uanitas uanitatum, quę mihi hucuſque exhibuiſtis; & afflictio ſpiritus.): nunc afferte mihi de fructibus terræ ſublimis lacte, & melle manantis. *Alia expoſitio de terramũdi ad terram cœli tranſitus.* Tũc exploratores hos ſenſus uidelicet exteriores, ac interiores à uiro illo ſpirituali ad creata quæque uidens occluſos, & ad increata uehementer apertos. Tunc cum Apoſtolo clamãt modo ſibi proportionato: Non contemplantibus nobis, quæ uidentur; ſed quæ non uidentur. Ideò cum Moyſe uir ille ſpiritualis dicit exploratoribus illis, potẽtijs ſ. ſuis: Aſcendite ad meridianam plagam, & ite ad montes. Vbi plaga meridiana? Vbi maximè urget ſol; & conſequenter ubi maxima lucidiras adeſt, & calor. Nonnè igitur in cęleſtibus meridiana plaga? Siquidem lucidiratis eius, atque in diuino amore caloris, nullus eſt finis. Ibi omnes lucem habitant inaceeſſibilem, iniquũ tum Dei uiſione participata fruũtur, & in ipſo feruore diei cũ Abrahamo ad oſtium, imò intra oſtium, tabernaculi feſtiui conſident. *Apoſt.* Vbi paſcis, inquit ſpõſa, ubi cubas? Reſpondet ſpõſus: In meridie. *Gen. 18.* Quid de hoc, ſ. ubi cubet ſponſus ex oratione *Cant. 3.* Dominica audiuimus? Pater (inquit) noſter, qui es in cœlis. Si ſponſus eſt cubans in meridie, & per hoc dicitur eſſe in cęlis; ergo cœlum eſt meridies. Meridianam igitur ad plagam Moyſes, uel quilibet alter ſpiritualis, exploratores mittit: cũ potentias ſuas omnes ad contemplanda cœleſtia feruenter dirigit. Vbi uerò ſunt montes, de quibus ſpiritualiter loquitur Moyſes dicens: Cũ ueneritis ad montes? Vbi bonus adeſt aer, nebulę reperiuntur nullæ (mons etenim aliquis talis inuenitur) a cãpeſtribus eleuatio magna reperitur: cœleſtis igitur ora ſignificata eſt per montes. Vnde quia promiſſionis terra cœlum denotabat; ideò montuoſa erat. Vbi (rogo) tam bonus aer, quam in cęlo? Vnde in perpetuum exulant nebulę oculos inficientes; ſicut è cœlo? Quid a terra, æqualiter, uel magis eleuatum, quàm cœlum? Idem igitur per montes ſignificatum fuit, quod per meridianam plagam; ſed alia, & alia ratione. Ratione ſiquidem difficultatis, cœlum montes appellatũ eſt: ratione autem claræ lucis, meridiana plaga eſt nominatum.

¶ Ad fructus itaque ex terra iſta carpendos inſurgit de ſide notitia iſte ſpiritualis, quando fidem ſpeculatiuè habitam ſcientia experimentali guſtare peroptat. Talis erat non tantum Doctor hebræorum hic Moyſes; ſed etiam Doctor gentium Apoſtolus, quando ſe transformari a claritate in claritatem cupiebat, quando ex fide in fidem tranſire uolebat. *Apoſt.*

CORO-

COROLLARIVM.

ERIT non ſuperfluè non ponitur ſcientia experimentalis in Chriſto;etiam ꝗ ſciẽtia ibi ſpeculatiua collocetur 3.q. 12.ar.1. Tali enim ſcientia experimentali profeciſſe dicitur, qui ſcientia ſpeculatiua infuſa minimè unquam profecit. 3.q.12.art.2. Tali ſcientia experimentali dulcedinem quandam, Euchariſtiam in cœna ſumens, nouiter habuit 3.q.81.ar.1.ad 3^m. qui ſecundum ſcientiam ſpeculatiuam nil de nouo acquiſiuit. Tali experimentali ſcientia miratus; qui per ſcientiam ſpeculatiuam admiratus non fuit Multa in ſcripturis de Chriſto quoad ſcientiam hanc experimentalem dicta comperies,quæ ipſi Chriſto quoad ſciẽtiam ſpeculatiuam aptari nõ poſſunt.Chriſtus ergo in multis fuit Moyſes,ut quando ſciẽtia ſpeculatiua prænouerat illa,quæ ipſe ſcientia experimentali,tanquã hac ignota,ſcire cupiebat. De his uide 3.q.11.& 12.ar.&c. Ergo ſectio hæc in ſcientiam ſpeculatiuã ſeu infuſam,& ſcientiam experimentalem,à ſacris litteris adinuenta acceptataque eſt; & non tantum Scholaſticorum Theologorum (ut perſtrepunt aliqui) inuentio atque partitio eſt.

Text. IPſa terra bona,an mala;humus pinguis an ſterilis.

Concl. 3. *Qui de aliquo dubitare uidetur,non ſemper in ſeipſo dubitat, & qui de aliquo quærit, non ſemper pro ſeipſo quærit; licèt nil aliud exprimat; ſed quandoque pro alijs dubitat.i.dubitationem eorum exprimit, ac pro ipſis quietandis ſolutionem quærit.* [Ex eo.]

Ratio. NOVERAT Moyſes pro certo, terram illam eſſe non tantum bonam,ſed & optimam; humum illam non tantum pinguem, ſed & pinguiſſimam: & tamen de his per exploratores ſignanter inquirit. Vide, ut plenius concluſionis huius rationem intelligas ſecundum,& tertium examen concluſionis ſecundæ.

¶ Aduertas quoque, ꝗ,licèt ibi hoc dictum ſit, tamen per modum concluſionis,quaſi digito, monſtrare uolui,quoniã nonnihil momenti, ac utilitatis ſpecialis pro ſcripturarum intellectu habet. Hoc & idem alibi facturi ſumus, ubi talis

Vniuerſale. dabitur occaſio.Ideò nè mirum alicui ſit, quoniam talis non pura erit repetitio eiuſdem; ſed eiuſdem per diſcurſum dicti ſeriosa demonſtratio.

Not. ¶ De terra duo quærit; utrum ſcilicet bona, uel mala exiſtat,& utrum pinguis,uel ſterilis. Hic nõ intercedit nugatio; quoniam,licèt de eodem loquatur, uaria tamen de illo interrogat.Nam terram bonam,uel malam,intellexit quoad aeris temperiem,uel intemperiem,quoad ſitus uiſionem,uiſu ſcilicet nè delectabilis eſſet,uel non; pinguem autem,uel ſterilẽ, quoad fœcunditatem,abundantiam, fructuum quantitatem, ac ſegetum. Bonitatem igitur terræ, uel malitiam retulit ad gratam,aut ingratam inſpirationem,& reſpirationem, ad uiſionis maiorem, uel minorem pulchritudinẽ; pinguedinem uerò,uel ſterilitatem retulit ad noſtrum cibum,potum,atque guſtum.Vnde nulla ſuperfluitas.

¶ Applica ad ly (Euangelium)Non propter me hæc uox facta eſt,ſed propter uos Sic namque & figura Chriſti Moyſes præmiſſam uocem (utrum.ſ.terra eſſet bona, uel mala; pinguis, an ſterilis) fecit non propter ſe, ſed propter populum ſuum. Vel ad ly &c.

Text. REuera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt; ſed nequaquam ad hunc populum ualemus aſcendere &c.

Concl. 4. *Eorum, qui guſtauerunt donum cœleſte, multi retrocedunt, & hi ruinas,etiam quandoque maximas,tùm ſibi dant,tùm alijs.* [Ex eo.]

Ratio. ECCE. Exploratores hi guſtauerunt terræ promiſſionis fructus,cùm ex his pinguedinem terræ cognouerint; ſed tamen ad terram illam noluerunt aſcendere.A fructibus bonis trahebantur, ut aſcenderent (ecce quòd conſolationes diuinæ hic habitæ ad cœleſtium deſiderium trahunt, & ob hoc à Deo infunduntur,ut auidius ad ſuperiora feramur. Ideò ad hoc finem eas deſiderate,cum Pſalmiſta, bonum eſt, ac Deo gratum),à pigritia uerò propria detinebantur ab aſcenſu. Vide quid dicunt. Fructus ſunt boni,& non ualemus aſcendere. Boni ſunt;ergo deſiderium noſtrum ad illos capeſcẽdos mouent;cùm bonum ſit ſui diffuſiuum, idest moueat ad ſui appetitum. Non ualemus aſcendere, ergo deſiderium noſtrum frigeſcit; cùm ad impoſſibile non moueatur appetitus noſter. O quàm melius dixiſſent hi:Non uolumus aſcendere. Figurarunt hi uocatum illum ad nuptias,qui nuncio inuitanti reſpondit: Non poſſum uenire. Culpam ſuam in executionem uertunt, dùm uoluntatem ſuam malam non aſcendendi ſub impoſſibilitatis pallio contegunt. Nec mireris; quoniam culpæ omnis familiariſſimum hoc eſt, ut ſeipſam excuſet. Iniquitates (inquit Pſal. 57. omnes peccatores alloquens) manus ueſtræ concinnant. Quare concinnant? Quia excuſant. Et quare excuſant? Quia initium omnis peccati ſuperbia. Niſi enim ſuperbia in omni peccato eſſet,aliquod peccatum inueniretur,quod ſeipſum non excuſaret. Et ſi ſeipſum non excuſaret, indulgentiam facilius inueniret, ac tepidum peccatorem non conſtitueret. Nunc autem,& indulgentiam, quandiu ſe excuſat, non inuenit,& peccantem in tepiditate fouet. Vis cernere, quòd indulgentiam apud Deum tale peccatum non inuenit? Ad ſequens immediatè capitulum inſpice,& ibi omnes iſtos dicentes:Non ualemus aſcendere,mortis in ſolitudine addictos a Deo uidebis. Nunquid Deus pro eo,ꝗ non ualemus facere,nos punit? Abſit: ſed pro eo, quod non uolumus.Nolle enim bonum,cauſat peccatum:nõ poſſe uerò,peccatum excuſat. Ex pœna igitur à Deo illis inflicta liquido habes,quòd exploratores hi mendaciter dixerunt: Nõ ualemus aſcendere; & ꝗ ueraciter dixiſſent: Non uolumus aſcendere. Duplex ergo peccatum in his uerbis commiſerũt; tùm quia reuera noluerunt in animo;tùm quia hoc ſuum interius nolle per impotentiam cooperuerunt exteriori uerbo. Maximas ergo ruinas ſibiipſis per hoc dederunt; quoniam (ut tactum eſt) mortem corpoream in deſerto ſibi ſic dicendo comparaurunt. Dederunt,& alijs ruinas per hoc, quòd populum in puſillanimitatem, in grande murmur, in rebellionem tantam,ſeditionemque conciterunt:ut de inſtitutione noui ducis,ac reuerſione in Ægyptum tractarent (ut cap. 14.patet).

Aurum

Vide.

Excuſatio peccati, magnorum damnorũ cauſa eſt.

NOTATIO.

VIGILANTER aduertant hic illi, qui aliquid nolentes ad obedientiæ imperium facere, ſeipſos excuſant dicẽdo: Non poſſum:& ſciant, ſe ob hoc iudicium Dei nõ euaſuros; imò maius iudicium contra ſe recepturos; quoniam maiorẽ culpam,ſic inquiendo,admittere non formidant. Et licèt uideatur illis in ueritate, ꝗ non poſſint,tamen ad præcipientẽ obedientiam nunquam hoc dicant. Multa enim poſſumus ex obedientia iubente, quæ non poſſumus ex noſtra uirtute. Et hanc obedientiæ potentiam, cùm nobis aliquid iubetur, attendere debemus,non noſtras præciſè uires. Nunquid præcipiẽs dicit tibi: Præcipio tibi in uirtute tua,ut facias hic? Nequiquam. Quomodo ergo dicit? Præcipio tibi in uirtute Spiritusſancti,uel ſanctæ obedientiæ,ut facias ſic.Nunquid ergo uirtus Spiritusſancti diminuta eſt,aut uirtus obedientiæ(quorum tanta miriſica uidimus,auribus noſtris audiuimus,& patres noſtri narrauerunt nobis),ut non poſſit facere hoc, uel illud ſecundum quòd ſibi placuerit? Imò omnia creaturæ cuicunque impoſſibilia poteſt, & potuit, ſemperque poterit, & faciliimè poteſt,potuit,ſemperque poterit. Vide,quantam iniuriam Deo iubenti faciunt, qui uel mendaci, uel ſibi apparenter uero animo dicunt:Non poſſumus,non ualemus. Debent hi, audita Dei iuſſione, ad uirtutem Dei omnia iuſſa in nobis complentem oculos attollere, & cum Apoſtolo clamare:Non ego autem, ſed gratia Dei mecum; Infœlix ego,ſed omnia poſſum in eo,qui me confortat Chriſtus.

EXAMEN I.

OB hoc peccarunt exploratores iſti dicendo:Non ualemus (ſiue mendaci, ſiue apparenti uero, animo dixerint); quoniam ad Dei auxilium huiuſmodi terram dare uolentis aſpicere debuiſſent. Hoc modo faciendum eſſe ſubditis in caſu obedientiæ docuerunt Iuſue,& Caleph; qui,de auxilio iubentis Dei cõfiſi(ut in ſequenti capitulo per ly Si propitius fuerit Dominus,patet)dixerunt:Aſcendamus,& poſſideamus

deamurterram, quoniam poterimus obtinere eam: & populum terrę, ſicut panem poſſumus deuorare. In ſignum autẽ, quòd inferiores benè faciunt in omnibus etiam ferè impoſſibilibus ad opem præcipientis Dei habere oculos, & ob hoc ſecurè dicere: Poſſumus: in ſignum (inquam) huius eſt, quòd Ioſue ſimul cum Caleph à Deo ibidem, & laudantur pluri- mum, & remunerantur. Solis namque iſtis ex exploratoribus terræ promiſſionis ingreſſum promittit capitulum ſequens. Quò contra illos, qui in caſu obedientiæ dixerunt: Non ualemus, Deus & ibi uituperat, & magnopere caſtigat. Illis namque & tempus itineris in deſerto prorogat multum quadraginta ſ. annorum, & cum hoc etiam ingreſſum illius terræ uiſæ (id quod pœnam exagerat) interdicit. En quòd guſtarunt iſti donum cœleſte; & tamen à proſecutione cœleſtium uiarũ retraxerunt pedem. Vis demum cernere aliud, quod ſupra dicebamus, excuſationis ſcilicet peccatum fouere tepiditatem? Sequens conſpice capitulum, & hos malos non tantùm non doluiſſe de hoc peccato ſuo, quo ſ. dixerunt: Non ualemus aſcendere, uidebis; ſed etiam hoc peccatum pro bono tenuiſſe, alijsque tanquam bonum ſuaſiſſe, intantum, ut regredi in Ægyptum determinarint. Et quid eſt tepiditas, niſi malum

Tepiditas qd.

patrare, ipſumque non cognoſcere; imò ipſum pro bono iudicare? Hæc autem omnia mala, quis non uideat, ꝙ excuſatio peccati generat?

APPENDIX.

1 Hinc habes, quòd dictum Apoſtoli ad Hebræos figuraliter hic pingitur. Quid ibi dicit Apoſtolus? Impoſſibile (inquit) eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaueruntq; donum cœleſte, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam. Vidiſti namque hic, ꝙ ex guſtantibus fructus terræ promiſſionis, & in ſocordiam cadentibus, nullus ad terram promiſſam admiſſus eſt. Aut ergo tales guſtantes prius, & poſtea labentes ſine ulla ſpe damnatur, aut cum difficultate magna ad bonum reuertuntur. Hoc enim ſignificat horum obitus in deſerto. Quis namq; dicere audeat, ex tot, tantisque uiris, nullũ omninò fuiſſe ſaluatum; etſi corporaliter omnes mortui ſint? Imò quamuis corporalem mortẽ crediderim in huius peccati ſui ſatisfactionem tuliſſe. Quid ergo? Cum difficultate tamen ſaluati ſunt, ſi ſaluati fuerunt: quia nõ niſi morte ipſa ſalutis remedium acquiſierunt. Hoc Apoſtolus ipſe cõſiderans nomine impoſſibilis uſus eſt in auctoritate præmiſſa; quoniam mors tantam difficultatem importat,
2 ut de impoſſibili ad ſuſtinendum ferè ſapiat. Secundò ab oppoſitis habes, ꝙ facillimum eſt, eos, qui guſtauerũt donũ cæleſte, & prolapſi ſunt, in prolapſione permanere; aliosque ad collabendum turpiter inducere, ac inductos morte ſempiterna (de temporali ſileo) afficere. Vide. Hi mali exploratores fructuũ terræ guſtatores de caſu in caſum abierunt, alios ad caſum induxerũt, & morte corporali, necnon (ut inter tot peccantes probabiliſſimum eſt) ſempiterna percuſſerunt. At-
1 tende, quò de caſu in caſum, & peiorẽ ſanè, abierunt. Primus caſus horum fuit qñ dixerunt: Cultores fortiſſimos habet, & urbes grandes, atque muratas &c. Hæc enim dicentes animum populi ad puſillanimitatem implicitè ſubintendebant inducere; & ideò rectè caſus ipſum appellatur, licèt uerba
2 expreſſa uerum ſonarent. Secundus caſus illorum fuit, quando dixerunt; Nequaquam ad hunc populum ualemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. Iſte ſecundus meritò dicitur eſſe peior priore; quoniam & contra Caleph directè iſta uelut præſumptuoſi dixerunt, & expreſsè puſillanimitatem populo ſuaſerunt (nam ideo dixerunt ly non ualemus aſcendere), & rationem ſuaſionis adduxerunt (nam ideò, ly quoniam fortior
3 nobis eſt appoſuerunt). Tertius caſus illorum fuit, quando addiderunt, Terram, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos. Per hæc nanque uerba detraxerũt terræ illi, quaſi quòd Deus terram malam promiſiſſet populo Iſraelitico. Verè pro nihilo (Pſal.) habuerunt iſti terram deſiderabilem, alijsque ſic habendam ſuaſerunt. Nonnè pro nihilo eam habuerunt, quando eam deuorare habitatores ſuos autumarunt? Quis non habeat pro nihilo illud; quod habitum mortem affert, ac deuorationem? Vtique is non tantũ pro nihilo illud habet. i. illud habere non curat; ſed etiam pro maximo bono ducit, ꝙ illud non habeat. Ecce in quantam abhominationẽ terram illam, cuius aſcenſum in ſecundo caſu diſſuaſerunt tantummodo, nunc in tertiò Iſraelitis ponere conati ſunt. Ad hanc eandem ſariam pertinet id, quod immediatè in litera ſequitur. ſ. populus quem aſpeximus proceræ ſtaturę eſt; Ibi uidimus monſtra quædam filiorum Enach de genere gygantæo, quibus comparati quaſi locuſtæ uidebamur. His namque uerbis horrorem erga terrã iſtam immittere Iſraeli uolebãt; in cuius ſignum uerba prius dicta ampliabant in immenſum. Prius enim ſe ſtirpem Enach uidiſſe ibi retulerunt, nũc dicto huic adiunxerunt, ꝙ erant monſtra quædã, & de genere gygãtæo, & ꝙ in eorũ cõparatione ipſimet locuſtæ uidebantur. Hæc oĩa ſic exaggerata ſic uerbis extenſa, ſic ad extrema cõparata, quid, niſi ſtomachũ, horrorẽ, abhominationẽ, deteſtationẽ, fugam, animis auditorum erga terrã inducunt? En; quomodo de caſu in caſum, & deteriorem ſanè, prolapſi ſunt. Miſſam facio, inter hæc illorum facinora, admirandã ſubitaneamque cæcitatem. Nunc nunc dixerant iſti, quòd terra fluebat reuera lacte & melle, ut (inquiunt) ex his fructibus cognoſci poteſt: & ſtatim è ueſtigio, quaſi ſuimet obliti, terram ipſam peſſimam, utpotè, deuorantẽ habitatores ſuos aſſeuerant. Et nota ſingula, ut cæcitatem horum, ſimiliumq; conſequenter prius illuminatorum, penetres. Antea quid dixerunt? Quòd terra reuera fluebat lacte, & melle, ut ex illis fructibus cognoſci poteſt. Vide. Non tantum illam terram eſſe optimam (hoc ſignificat ly Fluere lacte, & melle), nedũ bonam, affirmant; ſed cum aſſeueratione emphatica, ſcilicet ly Reuera: & non tantum hoc, ſed etiam probationẽ ad ſenſum induxerunt ad prædicta, ſcilicet ly Vt ex iſtis fructibus cognoſci poteſt. Hinc uiſionem iſtorum fuiſſe maximè claram prius, eosque maximè illuminatos præextitiſſe, agnoſcas, ac eorum ſubitã, miſerrimamque cæcitatem ſubinde mi- raberis amplius. Quam conuenientiam (rogo) habet ly Terra reuera fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt; & ly Terra deuorat habitatores ſuos? Quantum diſtat uita à morte, deliciæ à miſerijs, manducare à deuorari, tantum diſtat primum à dicto ſecundo. Ad hæc iungas, ꝙ iſti prius conabantur probare bonitatem terræ, quod patet ex ly Vt ex his fructibus oſtendi poteſt; nunc terræ malitiam probare ſatagũt dicentes ly Quã luſtrauimus. Ac ſi dixiſſent. Noſtris oculis ita eſſe comperimus; & conſequenter ſenſu omnium uigilantiſſimo, cuique maioris cognitionis prærogatiua datur, de hac terræ malitia certificati ſumus. Ideò & quia numero plures illis duobus, Ioſue ſcilicet & Caleph, ſumus, & quia certum præ omnibus ſenſum in huius ueritatis fidem adducimus; ideò (inquam) nobis credite, nobis aures, animumque ueſtrum, accommodate. Heu cæcitatem. Terræ à Deo promiſſæ uoluerunt detrahere; & conſequenter beneficia Dei eſſe maleficia (quo quid peius, ac magis cæcum?) perſuadere, & ſibimetipſis turpiſſimè detraxerunt, dum uerba ſua prima poſterioribus ualidiſſimè impugnauerunt. Vidiſti caſus iſtorum paulatim multiplicatos, & auctos, reſtat, ut populi ruinam ab iſtis cauſatam, & ſucceſſiuè adauctam, attendas.

EXAMEN II.

Primum igitur ſcandalum iſtorum in populo fuit, quando ex horum dictis murmur oriri cœpit in Iſrael; quod murmur contra Moyſen Caleph compeſcere conatus eſt. 1
Secundum, & peius, fuit; quando & murmurauerunt contra Moyſen, ac Aaron populus, & præ deſperatione nocte tota uociferantes fleuerunt. Secundum igitur addidit primo, & 2
cõſummationem murmuris (nam prius oriebatur murmur, quaſi needum apertum timore omni reſecto; poſt murmurati ſunt apertè. Prius contra Moyſen erat illud murmur; hoc poſtea contra Moyſen & Aaron factum eſt.), & uociferationem, & diuturnum fletum, & conſequenter magnæ deſperationis ſigna. Tertium & deterius fuit; quando magnis no- 3
tis (quod deſignat ly Vtinam) ſe præmortuos in Ægypto deſiderarunt potius, quàm in illa uaſta ſolitudine. Hic tædiũ iſtorum Iſraelitarum conſidera, ac deſperationem. Quar- 4
tum, & nequius, fuit, quando intenſis deſiderijs in ſolitudine illa magis mori (eo aucto tædij uitę ad præmiſſum tertium) quàm induci in terram promiſſionis, nè (inquiunt) cadamus gladio, & uxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Vide. Attribuunt Deo impotentiam, quaſi per illa diffidentiæ uerba dicẽtes: Deus a caſu in gladium, & captiuitatem nos atque uxores ac liberos noſtros in captiuitatem præſeruare nõ poterit. Similes nanque (probabiliter loquẽdo) fuerunt nunc ſibi in alia diffidentia, quando (teſte Pſal. 77.) dixerunt; Nunquid & panem poterit Deus in deſerto dare; aut parare mẽſam populo ſuo? Quis non uideat, hoc eſſe nequius tertio ſcandalo? Hanc impotentiam Dei æſtimatam, alijsque popu-

lis

lis æſtimabilem, uoluit Moyſes excludere in ſequenti capitulo quando Dominum allocutus aiebat: Et dicant (.ſ. gentes) Non poterat introducere populū in terrā pro qua iurauerat, idcircò occidit eos in ſolitudine. Ecce, quòd ideò Iſraeliticum populum deſideraſſe mortē in ſolitudine ex uerbis his Moſaycis coniectas; quia Deum non poſſe Iſraelem ſalua manu introducere in terram illam æſtimauit. Hanc impotentiam æſtimatam Deus etiam ipſe excluſit, quando occiſis ueteranis militibus, nouos tyrunculos in terram illam ualidiſſima manu induxit, ut in ſequenti capitulo iſtis tàm nequiter locutis pollicetur. Clarum enim eſt, quòd ſi potuit neophitos milites uictoria contra Paleſtinos donare, multò magis hoc in ueteranis militibus (quales illorum patres erant) poterat efficere. Tantam ergo blaſphemiam hic in quarto ſcandalo Deo irrogarunt illi mali exploratores, vt & Moyſes mitiſſimus, & Deus patientiſſimus eam funditus euertere curauerint. Blaſphemiam hanc fuiſſe exploratorum, dixi nunc, quia omnia iſta peccata populi erant peccata illorum exploratorum, utpotè ex illorum uerbis inordinatis cauſata. Vide, quanta mala faciat imprudens locutio. Hic certè uidemus, B. Iacobi Apoſtoli dictum uerificari, quàm bellè, q́ ſcilicet lingua modicum membrum eſt, & magna exaltat, quòdque ſicut modicus ignis ualde magnam ſyluam incendit, ſic lingua ignis eſt uniuerſitas iniquitatis.

5 ¶ Quintum ſcandalum, & horribilius auditu, fuit; quando dixerunt, melius eſſe reuerti in Aegyptum. Et nota, quod cum emphaſi magna hoc ipſum dixerint adeò, quòd ratione dicti, & ratione modi dicendi, peccauerunt. Dicunt nanque: Nonnè melius eſt reuerti in Aegyptum? Quaſi dicant: Hoc clariſſimum eſt, eſſe melius, nec de hoc quiſquam dubitare, vel hoc inficiari, poteſt. Ecce, quòd ex modo loquendi augetur illorum peccatum. Minus enim eſſet dubitare de hoc, an ſcilicet ſit melius reuerti, quàm hoc prima fronte tàm aſſeueranter concludere. In ſignum autò, quòd non dubitatiuè interrogationis nota hic utuntur, eſt, quòd ſtatim poſt iſtam loquendi formam dixerunt alter ad alterum: Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum. Si nanque dubitatiuè interrogaſſent, an eſſet melius reuerti in Aegyptum; mox ſequuta fuiſſet reſponſio ad dubitationem, uel affirmatiua, uel negatiua, antequam de conſtitutione noui ducis fieret determinatio. Nunc igitur, cùm poſt interrogationem illam mox de reuerſione in Aegyptum conſtituto duce deliberent, liquidò patet, quòd illam interrogationem fecerunt non ad hoc, ut interrogare de aliquo dubitabili uiderentur; ſed ad hoc, ut luce clarius hoc eſſe manifeſtum tali modo loquendi exprimere intelligerentur. Etenim locutione quadā ab oppoſitis uti, & in quotidiano ſermone ſolemus; quando aliquid de manifeſtatione maxima, uel de huiuſmodi, prænotare uolumus. Sic enim dicimus quaſi dubitantes de aliquo pluſquam patenter ruſticano: Nonnè ipſe eſt aſinus? Quaſi dicamus, hoc norunt omnes. Nonnè ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, fecit, & creauit te? inquiebat Iſraeli Moyſes, Deuter. 32. Quaſi intulerit; Hoc ita eſt manifeſtum, ut dubitationem nō recipiat. Ecce, dubitatiuo modo loquitur, Et tamen dubitationem ſic loquendo à ſententia ſua uult excludere. Nonnè ſi benè egeris (dixit Deus ad Cayn, Gen. 4.) recipies? Ac ſi inferret. Clarum hoc eſt, adeoque clarum, ut nulli dubium id eſſe debeat. Magis ergo de ſtabilitate ueritatis clarificatur in præmiſſis per modum ferè dubitatiuum, quàm fieret per modum poſitiuum (utputa in ſi bene egeris recipies: &, ipſe eſt pater tuus; &, ille eſt aſinus; &, melius eſt reuerti in Aegyptum.) Talis enim modus loquendi, non tantum firmat contrarium, ſed maximè firmat. Hoc etiam modo locutionis uſa eſt Samaritana illa, quando ad conciues ſuos de Meſſiæ aduentu dixit: Nunquid ipſe eſt Chriſtus? Ac ſi illos per hoc ſic allocuta fuerit. Dubitari nō poteſt de hoc, an ſit ipſe Chriſtus: Hoc clariſſimum eſt. Intendebat ſiquidem Samaritana inducere conciues ſuos, ad firmiſſimā credulitatem hanc, q́ ſcilicet Ieſus eſſet Chriſtus: Et ideò id eſſe apertiſſimum his uerbis modum interrogandi ſapientibus expreſſit. Non enim alium modum meliorē ad hanc apertiſſimam ueritatem oſtendendam inuenire potuit, quàm figuratè loqui ab oppoſitis. Ad hunc modum oēs iſti melius eſſe dicunt reuerti in Aegyptum per figuram magis, quam ſimpliciter, ut de hoc dubitationem omnem in cōtrarium eſſe ridiculoſam aſtruant. Nunquid non hoc faciunt ingratitudinem inauditam exprimit, maioremq́, quàm in præmiſſis ſcandalis aperta fuerit? Nam licèt mortem in Aegypto prætulerint morti in ſolitudine, & occiſioni in terra promiſſionis; non tamen uitam in Aegypto uitæ in terra promiſſa prætulerant expreſſè, ut nunc. Et quid dicam? Itineris longiſſimi in Aegyptum minus curam gerunt, quàm breuiſſimi in terram propinquam Paleſtinorum; ſimiles ſtultis illis, ac illos præfigurantes; qui poſtquam totam ferè uitam ſuam in Dei ſeruitio inſumpſerint, poſtquam uias duras propter uerba labiorum diuinorum cuſtodierint, poſtquam ad limen cœlorum iam cum multa fatigatione fermè attingunt: tunc imprudentiſſimè, ridiculoſiſſimè, ſtolidiſſimè, pluſquam inſenſati ad malam frugem reuerti deliberant. Verum his ipſis multoties accidit, quod iſtis accidiſſe iuſto Dei iudicio legimus. Quid legimus? Quòd his ingratiſſimis nec reuerti in Ægyptum datum eſt, nec terram ingredi promiſſam. Sic taliter deliberantibus, ut dictum eſt, obuenit, q́ antequam ad peccatorum appetitas reuertantur delicias moriuntur, & in inferno, tanquam in omnium bonorum deſerto, proſternuntur. Sic, ſic peccata dereliquunt iſtos, non iſti peccata: & tamen peccatorum uolitorum magnas dant pœnas; ac indè nullo modo ſubleuātur, quòd in opere peccata non poſuerunt, quemadmodum nec iſti excuſantur ex eo, quòd in Ægyptum de facto regreſſi nō fuerunt. Ex omni igitur parte confunduntur, & ex eo, quòd à peccatis derelinquuntur, & ex eo, quòd pœnas delictorum illorum ſubeunt, & ex eo, q́ in cœleſtem patriam, cui appropinquauerant, nō admittuntur. Vnde dolebunt hi & de hoc, quòd peccatum in ópere exteriori non commiſerunt, & de hoc, q́ pœnas pro illo peccato tanquam ſi extrinſecus id feciſſent dabunt, & de hoc, q́ cœlum amiſerunt, & de hoc, q́ cœlum propinquum ualdè amiſerunt; & de hoc, q́ in infernum detruſi ſunt, & de hoc, q́ in infernum ualdè iam iam diſtans detruſi ſunt. Dolor ergo illis erit non tantùm ſalutem amiſiſſe; ſed ſalutem tàm propinquam (& tantò magis, quantò de ipſa aliquos fructus anteà guſtauerant); nec tantùm perditionis locum intraſſe; ſed locum iàm antea de propinquo remotam.

Vide ad longum. & caue tibi.

Nō multiformes dolores.

¶ Sextum ſcandalum iſtorum, & quidem ſceleſtius, fuit, 6
quando dixerunt ad inuicem: Conſtituamus nobis ducem & reuertamur in Ægyptum. Nunquid non hic liquido uides ab his excitatum ſchiſma in Eccleſia Dei? In hoc ſchiſmaticorū omnium figura fuerunt. Et quoniam immane monſtrum eſt ſchiſma in Eccleſia Dei, ideò ad hoc ſignificandum, & ſignificandum, q́ nullo modo in ipſa ſuſtineri debet; ſed tùm orationibus, tùm diſputationibus, tùm bellicis armis, ex ipſa profligari ab omni fideli uenit; ideò (inquam) ſchiſmate audito & Moyſes, & Aaron, & Ioſue, & Caleph, ſeſe ualidiſſimè contra illud oppoſuerunt. Mirum certè. Ad tot, tantaſque murmurationes, quæ omnes contra Deum & ſeipſos erant, tacuerunt Moyſes ac Aaron; & nunc uix audito ſchiſmate ad illud ſedandum mox & publicè, & coram omni multitudine, inſurrexerint. Nec putandum eſt, q́ Moyſes id propter honorem proprium ſeruandum (quādoquidem ducem alium ab ſeipſo conſtituere in iniuriam ſibi cedebat) effecerit, quoniā proprij honoris huius uidebatur oblitus. Nam pluries (ut patet Exodi 32. & hic 14.) quando Deus eum ducem ſuper grandiorem populum facere uoluit, id conſtantiſſimè recuſauit, id quod ambitionis regendi deſignat Moyſen nullo deſiderio tactum. Cur ergo id effecit? Quia id inter omnia uidit eſſe peſſimum in Eccleſia Dei. Nec id quam ſit peſſimum probare opus eſt; quandoquidem interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Quid? Id quod ipſi in ſchiſmatum tempore per experientiam uiderunt. Quid enim eſt ſchiſma, niſi diſceſſio membrorum ab uno capite? Confundantur utique omnia, neceſſum eſt, ſi ad unum caput membra non uniantur. Quid monſtruoſius, quam unum corpus naturale duo habere capita æqualia? Sed iſta miſſa interim faciamus, nè à textu examinando nimium recedamus.

De ſchiſmate.

¶ Inſurgunt itaque (ut tactum eſt) ad diluendum ſchiſma omnes boni, qui prius ad tantos tumores taciti erant (hinc agnoſce, quanti damni ſchiſma exiſtat) .ſ. Moyſes, Aaron, Ioſuè, Caleph, Moyſes principes ſeculares ſignificat, Aaron paſtores Eccleſiaſticos, Ioſuè, & Caleph milites, ſtrenuos bellatores, & alios quoſcunque fideles. Hi ergo ſinguli cōtra ſchiſma de Eccleſia tollendum inuigilent. Quid Moyſes, & Aarō faciunt? Ceciderunt (inquit litera) proni in terram coram omni multitudine. Nil aliud hic de illis dicitur. Quid putas per illud dictum voluit inſinuare ſcriptura? Quòd Moyſes & Aaron ad orationem publicam cōfugerunt. In ſignum huius eſt, quòd, nulla alia prece memorata ſubinfertur poſt

pauca

pauca, quòd apparuit gloria domini ſuper tectum fœderis cunctis uidentibus filijs Iſrael, & dixit dominus ad Moyſen. Ad Moyſen utique orantem pro ſchiſmate amouendo intellige locutum dominum, non ad Moyſen aliò tendentem. In ſignum huius loquitur mox ad ipſum dominus de ſchiſmatis ablatione inquiens; Feriam eos peſtilentia, atque conſumam: Te autem faciam principalem ſuper gẽtem magnã, & fortiorem. Quaſi dicat: Ego, ſic agendo, uniuerſum ſchiſma excitatum de medio tollam; &, nè amplius in hoc populo ſuſcitetur, efficiam. Vide, quanto odio Deus proſequitur ſchiſma in ſynagoga, & ſchiſmaticos ipſos. Quid putas circa hoc faciet in Sancta ſua Eccleſia? Tam iratum Deum contra iſtos ſchiſmaticos attende, ut etiam ad Moſaycas preces (quod habes in textu) eos in gratiam promiſſam terram ipſis dandi recipere conſtantiſſimè recuſauerit. Cæterum ſi Moyſes pronus in terram cecidit ad orandum, cur non expreſſit hoc; ſed tantùm dixit, quòd cecidit pronus in terram coram omni multitudine? Audi Ioannem in canonica in ſimili caſu loquentem. Eſt peccatum (inquit) ad mortem, non dico, ut pro illo roget quis. Quando peccatum aliquod igitur pluſquam maliciouſum, quod uocat peccatum ad mortem, uideri dabitur, tunc non audet Ioannes tam Chriſto charus Apoſtolus dicere, ut pro illo dimittendo oremus. Documentum hoc huius Apoſtoli ſeruauit hic ſcriptura, dùm introducens Moyſen modum precantem aſſumentem exterius (hic modus erat cadere pronus in terram) noluit dicere expreſsè, quòd ipſe Moyſes orauerit pro ſchiſmate ſubmouendo. Cũ hoc etiam inſinuauit nobis ſcriptura, quòd ſchiſma in Eccleſia Dei excitatum eſt peccatum ad mortem; & conſequenter quod ſchiſmatici peccant peccato ad mortem; & conſequenter peccato tam ſanctis omnibus odioſo, ut pro illo dimittendo, ac pro illis hominibus ſaluandis uix audeant Deum rogare. Tepore igitur ſchiſmatis ſimul cum Moyſe ad orationes publicas (coram inquit, omni multitudine) & humiles imò humillimas (ceciderunt, inquit, & proni & in terram) eſt recurrendum, vt, ſi Deus iuſtitia ſua ſic exigente, ſchiſmaticis uoluntarijs parcere non uult, ſaltem pro ſui miſericordia tollat ſchiſma de medio. Quid uerò Ioſuè, & Caleph faciunt? Scindunt ueſtimẽta ſua, & alloquuntur plebem pro ſchiſmate ſedando. Quid eſt ſcindere ueſtimenta ſua? Eſt pœnitentiã agere, dolere de peccatis, ieiunare, & caſtigationes uoluntarias aſſumere, abſtinendo etiam ab his, quæ aliàs licita ſunt. Hæc omnia antiquitus ſignificabat uoluntaria ſciſſio ueſtiũ, ut ex multis ſimul ſcripturarum locis adunatis colligitur. Quid etiam ſignificat ueſtium ſciſſio? Prælium corporale, cõflictus exterior, ad debellãdos ſchiſmaticos, ſi opus illo fuerit. Quid tandem ſignificat iſtorum bonorum allocutio ad plebem? Diſputationem ſanctam, prædicationem catholicam, doctrinam ſanam, quibus tempore ſchiſmatis maximè utẽdum eſt, vt ad rei ueritatem uenire poſſint fideles; & conſequenter ut ſchiſma tollatur.

7 ¶ Septimum iſtorum, & quidem importabilius, fuit, quando omnes ad unum uoluerunt bonos lapidibus opprimere. Quibus enim bona debebãt pro bonis tùm orationibus, tùm compaſſionibus (has demonſtrarunt per ſciſſionem ueſtium Ioſue, & Caleph), tùm amicis exhortationibus, eos uoluerunt tunc lapidare. Verè pro bono opere lapidabant illos, figurãtes in hoc nouiſſimos ſuos filios, qui noens Chriſtum, prædicatione eius audita, boniſque alijs operibus, lapidare uoluerũt. Sed ſicut iſti mali patres lapidibus eos bonos opprimere non ualuerunt; ita hi peſſimi filij Chriſtum, licèt ſæpè hoc attentauerint, lapidare non potuerunt. Quare? Quia gloria domini apparuit ſuper tectum fœderis, eoſque, ſic apparendo, à iaciendis lapidibus compeſcuit. Hac de cauſa nequiuerunt filij iſtorum Chriſtum lapidare; quoniam à diuinitate Chriſti, quæ ſuper tectum humanitatis erat, prohibebantur ſemper; aut quia Chriſtus per uirtutem diuinitatis inuiſibilis fiebat (vt in montis ſupercilio, quando eum præcipitare voluerunt; & in templo, quando in eum lapides iacere conati ſunt); aut quia per eandem uirtutem etiam uiſibilis apud eos permanens manus eorum tenebat, nè lapides in ſe emitterent (ut quando iſtis ſuſtollentibus lapides, ut lapidarent eum, eis multa bona opera ex patre ſuo oſtendiſſe ſe dixit, ac longum ſermonem cum eis contraxit. Nec tamen unquam vel unum lapidem in Chriſtum iactare ualuerunt, quamuis multum itaſ id uehementer optarent). Nonnè in his tunc Chriſti perſecutionibus uides liquidiſſimè gloriam apparuiſſe Domini ſuper tectum fœderis, ad protegendum. ſ. humanitatem, quæ fœdere quodam ſempiterno diuinitati coniuncta erat? Non ſolum autem de Chriſti perſecutionibus, ſed etiam de Chriſti diſcipulorum diſcipolarumque, hoc factũ annquam figuram extitiſſe noueris. Quoties enim legis, Iudæos mortes, aut uincula Apoſtolis Chriſti, aut alijs chriſtianis, intentaſſe, nec ſuum intentum aſſequi potuiſſe? Quoties legis, tyrannos Chaterinæ martyri rotam, alij martyri ignes, alij bullitès metallum, alij lampades accenſas, alij uenenum, alij ſimilia multa ad ipſorum martyrum excruciatum, præparaſſe, & ſe tandem deluſos, martyreſque illæſos, comprobaſſe? Quoties & B Dominicum, & B. Auguſtinum, alioſque ſimiles, ex hæreticorum inſidijs neſcientes euaſiſſe, legiſti? Quoties in nos Turca, Vgonotti, alijque infideles, multa mala excogitarunt, nec ipſa explere potuerunt. Quoties diabolus à ſuis inuẽtis contra fidelem quemlibet quotidiè fruſtratur? Nõnè & Antichriſtus plura machinabitur in Eccleſiam; quæ perficere non poterit? Crede mihi nec Antichriſtum, nec multos etiam nunc malos, omnia poſſe cõtra proximos ſuos efficere, quæcunque uolunt. Vnde eſt hoc? Vnde illa fuerunt omnia, quæ diximus? Inde. ſ. quòd apparuit gloria domini ſuper tectum fœderis, dum Iſrael malus bonos lapidare uolebat. Diuina igitur uirtute factum fuit, fit, & fiet; ut à deſiderio ſuo multotiens uacuentur iniqui. Nec tunc id noſtris uiribus tribuendum eſt, quoniã hic Moyſen ſe, aut alios bonos, à furore mali populi defendiſſe, non inuenis. Non. n. dicitur; q, cũ multitudo lapidibus eos uellet opprimere, homines illi ſeipſos manibus tutauerunt. Quare hoc non dicitur? Vt ſcias, Deum ex ſua bonitate propria talem prouentum cũ tentationibus noſtris facere, & non ob merita noſtra, nè quis glorietur. Dei bonitas igitur in his commendanda ſolum, prædicanda, laudanda. Ecce, quomodo de caſu in caſum, & de ſcandalo in ſcandalum deſcenderunt exploratores. Hinc ergo cognoſcis, quòd peccatum unum, ſi per pœnitentiam non diluit, mox ſuo pondere trahit ad aliud, & peius quidẽ.

Figura. (margin, beside "figurãtes in hoc nouiſſimos ſuos filios")
Figura. (margin, beside "Chriſti perſecutionibus uides")
Figura huius. (margin, beside "Quoties & B Dominicum")

E X A M E N III.

SEMEL illuminati, atque inde malitioſè prolapſi, maiora mala, quam alij, facere ſolent; tùm in ſeipſis, tùm in proximis ſuis. Exemplum habuimus de Luthero, Arrio, Manichęo, & huiuſmodi, qui omnes prius uel per alium modũ illuminati fuerunt, & deindè prolapſi ſunt. Quot enim mala tùm in ſe, tùm in Eccleſia ſancta fecerunt? Hi fuerunt exploratores terræ ſanctę, ſed mali; quoniam ſcripturas ſacras luſtrauerunt, ipſis ſtuduerunt, ipſas deguſtarunt (en exploratio terræ ſanctæ) ſed poſtmodum eas peruerſis ſenſibus circũdederũt, ad earum genuinum intellectum fideles, Romanos, Papam, Concilium, peruenire poſſe, aut perueniſſe doctores antiquos, negauerunt. Nequaquam (inquiunt) ad hanc terram ualemus aſcendere. O quam benefactum, ſi dicerent: Nos ex nobis nequaquam ualemus aſcendere. Nos autem catholici, ſi propitius ſit nobis Deus, (ut inquit Ioſuè, & Caleph) ad hanc terram ualemus & aſcendere, & eam poſſidere, & ſenſus eius ueros obtinere, & mel cum lacte ex ea manans comedere; quibus delectetur in craſſitudine anima noſtra. Sed ſi aliquibus non fuerit dominus propitius, hi profectò ad terram iſtam nequaquam ualent aſcendere. Hi ſunt illi ipſi exploratores mali. i. hæretici, cùm his non propitiationem ſuam; ſed uindictam ſuam magnam commineatur dominus. Aſcenderunt (ut in capituli 14. extremis patet) ad terram iſtam exploratores mali; nunquid ex hoc laudem, uictoriã, aut uitam reportauerunt? Imò ex hoc uituperiũ, caſum, mortem receperunt. Quare? Quia (inquit Moyſes ad eos) Dominus non erit uobiſcum. Hinc (inquit) corrueitis, hoc aſcendere non cędet uobis in proſperum, hoc aſcendere erit tranſgredi uerbum domini, hoc aſcendere erit non acquieſcere domino; tantùm abeſt, ut ſenſum Domini per hoc aſcendere attingatis. At illi contenebrati (inquit) aſcenderũt in uerticem montis. Aſcendentium igitur alij aſcendunt contenebrati, alij aſcendunt illuminati. Contenebrati aſcendunt, cum quibus aſcendentibus Arca teſtamenti Domini nõ aſcendit, & Moyſes (non enim ſine cauſa poſt ly Contenebrati aſcenderunt ſubiunctum eſt ly Arca teſtamenti Domini, & Moyſes non receſſerunt de caſtris); illuminati aſcendunt, quos Arca Domini, & Moyſes, comitantur. Quid arca teſtamenti Domini? Eccleſia ſancta Dei, quæ etiam per arcam Noe ſignificata eſt. Quid Moyſes? Princeps Eccleſiæ ipſius, ideſt Papa. Sicut. n. tunc Moyſes ductor erat ſynagogæ, ita Papa eſt nunc ductor Eccleſiæ. Quicunque ergo ſine ſenſu Eccleſiæ, qui ſenſus eſt ſenſus ſummi Pontificis (ſenſum enim Eccleſiæ agnoſco hunc,

hunc, uel hunc, eſſe: quia hic, uel hic, à ſummo Pontifice acceptatur), ad uerticem montis ſcripturarum aſcendit intelligendum, obtenebratus aſcendit; & cõſequenter indè ſui perniciem conſequetur. Quicunque autem ſenſum ſuum in captu ſcripturarum ſenſui Romani Pontificis accommodat in totum, ad uerticem montis ſcripturarum illuminatus aſcendit; & conſequenter indè ſalutem acquiret.

¶Moderni Lutherani, Caluiniſtæ, alijque hæretici nocant ſe illuminatos; ſed non ad ſenſum illorum; at potius ad ſenſum iſtorum malorũ exploratorum. Hoc ipſum intellige tu. Quando erant illuminati iſti exploratores? Tunc, quando fructus terræ valdè bonos guſtauerunt, ac primò uerticem montis ad iuſſionem Moyſis (ut in 13. hoc patet) aſcenderunt. Quando autem tempus illud pertranſiuit, amplius non ſunt dicti illuminati, ſed cõtenebrati. Sic & illi hæretici tunc, quando fuerunt intra Eccleſiam, quando ſacramenta Eccleſię, bonosque mores guſtauerunt, quãdo ad iuſſionem Eccleſiæ ſteterunt; tunc reuera erant illuminati, nunc autem, quando ad iuſſionem Eccleſiæ non ſtant, dicuntur contenebrati. Pro horum nunc dictorum meliori captu, uide omninò Compend. Albei. Mag. lib. 7. cap. 9. ſchol. ſuper ly Nè ſcriptura ſecũdum ueritatem exponatur. Vehementiſſimè igitur ſoliciti eſſe debent illi, qui ſemel illuminati fuerunt, nè prolabantur. Nam ſi prolapſi fuerint, erunt peiores illis, qui nunquam illuminati fuerunt. Melius (inquit Christus) erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille, idest melius erat ei, ſi illuminatus prius non fuiſſet, id quod fuit quoddam naſci in uita ſpirituali. Hi ſolentã quibuſdam uocari tepidi, & ideò, in hoc ſenſu peſſimum, ſeu Deo maximè odibile, ſeu periculoſiſſimum, eſt genus tepidorum, ac melius eſt. i. minus malum eſſe frigidum. i. nunquam fuiſſe illuminatum. Sic intelligunt illud Apocalipſis: Vtinam frigidus eſſes; ſed quoniam tepidus es incipiam te euomere ex ore meo. Non euomit, ſed incipit euomere iſtos tepidos, quia iſti non aduertunt, ſe fuiſſe à Deo per uomitum (uelut quoddam ſtomachi ſum) reiectos: ſed adhuc ſe in Dei ore poſitos eſſe credunt. Quare? Quia quaſi inſenſibiliter Deus iſtis gratiam ſuam ſubtrahit. Vis agnoſcere, quòd tepidi modo dicto, quamuis ſine Deo ſint, cum Deo tamen ſe adhuc eſſe arbitrantur? Aſpice ad capituli 14. calcem prætactam, & hic etiã illuminatos quoſdam modernos, quamuis contenebrati ſint, ſe credentes intuere. Quid habet finis illius capituli? Quòd mali ſurgentes dixerunt: Parati ſumus, (ecce præſumptio hæreticorum figurata) aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt. Quid uit illis Moyſes? Nolite aſcendere: non eſt. n. (inquit) Dominus uobiſcum. Hinc uide liquidò, ꝙ illi mali, & conſequenter tepidos prædictos figurantes, Deum eſſe ſecum arbitrabantur; qui tamen non erat. Niſi enim Deum eſſe ſecum arbitrati tunc fuiſſent; non diceret tunc Moyſes illis: Nõ eſt Dominus uobiſcum. Ad quid enim diceret præſumptuoſis: Nõ eſt Dominus uobiſcum, niſi illi opinarentur contrarium? Hoc ergo dicto Moyſes retundere uoluit illorum ſuperbam de ſeipſis opinionem. Hinc facilè cognoſci poteſt, quòd tale genus tepidorum eſt peſſimum. Nam cum Deo nõ ſunt; & tamen cum ipſo ſe eſſe credunt. Vnde fit, ut nunquam eſſe cum Deo ſatagant, & ſic ſemper ſine Deo remaneant. Ex quo enim cum Deo ſe re uera eſſe opinantur fit, ut de eſſe cum Deo, tanquam de re ſibi ſecura (ecce modernorum lutheranorum ſuperbia; & quorundam tepidorum, qui in intellectu chriſtiani ſunt, in affectu præſumptuoſi), non ſolicitentur, & ſic deſcendant in infernum uiuentes. i. dum Deo uiuere credunt, ipſi inferno uiuant. De his, quandiu cum tali de ſe credulitate manſerint, omninò impoſſibile eſt, ut renouẽtur ad pœnitentiam. Quomodo enim, illos renouari ad pœnitentiam, poſſibile eſt, qui non indigent, ſecundum opinionem ſuam, aliqua pœnitentia. Hoc igitur vnum de his reſtat, ut (ſecundum quòd in ultimis capituli 14. habes) deſcendẽs Amalechites & Chananęus, qui habitat in montibus (hi ſignificant diabolum, qui habitat in ſuperborum cordibus) percutiat eos, atque concidat, ideſt de ipſis finalem exterminationem ſumat.

¶Nè cuiquam mirum ſit, ꝙ huic 13. capitulo inſeruimus multa ad 14. capitulum pertinentia; quoniam ad hoc, ut horum malorum exploratorum ruinas conciliatas plurimas, & conſequenter, vt concluſionem hanc quartam, plenius explicaremus, oportuit ſic fieri.

De tepiditate.

NOTATIO MAGNA.

AD hæc omnia ſupradicta debent animaduertere diligenter, & maximè religioſi. Hi námque ſemel, i. quando à ſeculo uenerunt uocari, illuminati fuerunt. Videant ergo nè prolabantur, nè tanta mala, tantas maledictiones, tantas cęcitates, in ſui, aliorumque perniciem incurrant. Hi, quoniam ad explorandam terram promiſſionis (ideò à negocijs ſecularibus abſtracti fuerunt, ut terram promiſſam nobis cœleſtem, & orationibus, & contemplationibus, & ſacrarum literarum ſtudijs, tantò magis luſtrarent, quantò in exterioribus uacant) electi inter alios homines ſunt, ſibiipſis plurimũ timeant, nè malos prędictos exploratores antiquos imitẽtur; ſed potius totis, quibus poſſunt, uiribus ſeipſis ad exploratorum duorum, Ioſue. ſ. & Caleph, ſequellam trahant. Sic enim fiet, ut non tantum ipſi ex 101 millibus cœleſtem terram ingrediantur; ſed etiam, ut alios ad huius ingreſſum, tanquam principes, fœliciter introducant. Non modò namque Ioſue ipſi ingreſſus in terram datur; ſed etiam pro aliorum introductione princeps à Domino decernitur. Nouerint itaque religioſi ſe eſſe illos, de quibus in ſui figura dictum eſt Pſal. 104. Eduxit populum ſuum Dominus in exultatione, & electos ſuos in lætitia; & dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. Nouerint, inquam, hoc, & exindè accendantur, & uiriliter accingantur ad obſeruandum ſemper practicè id, quod mox pro fine ſubiungit Pſalmus ibidem, uidelicet, Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.

T E X T V S.

POSSVMVS multipliciter intelligere malorum exploratorum ſententiam, ſcilicet terra deuorat habitatores ſuos. Primò intelligi hoc poteſt ratione culturæ, ut ſcilicet terra illa tantam ſui culturam exigat à ſuis habitatoribus, ut habitatores illos præ magna circa culturam defatigatione non patiatur diu uiuere. Videmus ſiquidem, & hodie aliquos præ nimio labore, maximè in excolenda terra, deficere, ac mori. Et tunc de iſtis dicere poſſumus, quòd terra deuorat hos habitatores ſuos, i. ante tempus (ut aiunt) ad mortem ſui cultores adducit. Quaſi ergo iſti exploratores dixerint: Terra promiſſionis maximos labores requirit à ſuis habitatoribus in cultura agrorum, vinearum, arborum, & huiuſmodi; & tantos, vt longo tempore ſic laborantes nõ poſſint viuere. Alioquin fructus, ſegetes &c. non producit. Si ergo ibitis ad iſtam terram; neceſſum eſt, ut citò moriamini. Aut enim iſtam terram modo ſibi requiſito non coletis, & ſic moriemini citò, quoniã abundanter vobis neceſſaria non ſubminiſtrabit: Aut terram iſtam modo ſibi debito coletis, & ſic etiam moriemini citò; quoniam præ fatigatione nimia, quam in ipſa excolenda ſubibitis, ad ultimum diem repentè ducemini. Aut igitur neceſſariorum defectu, aut laborationis exceſſu, cùm citò in terra illa morituri ſitis; uos ad illam non aſcendere, melius eſſe iudicamus. Hæc erat exploratorum malorum locutio, qua detraxerunt apud Iſraelitas terræ, quam inſpexerant. Et ſi his exploratoribus obiecisſes, quòd, etiam ſecundum illos nunc, terra illa fluebat lacte & melle, tunc reſpondiſſent, id eſſe uerum cum conditione hac, ſi. ſ. illi adiungeretur magna cultura. Secundò intelligi poteſt illud, quòd ſcilicet deuoret habitatores ſuos, ratione aeris, quod ſcilicet aer tàm infectus eſt, ut habitatores ſuos non ſinat longius uiuere. Per experientiam namque etiam nunc cernimus, quòd maximum uitæ hominis nocumentum affert aeris malitia, ſicut è cõtrario multam ipſi uitæ ſanitatem adijcit bonitas aeris. Quaſi ergo ſic exploratores mali Iſraelitis dixerint: Pinguedo terræ, quam iſti fructus à nobis allati indicant, parum nobis proderit; quoniam aer, qui magis neceſſarius eſt (utpotè ſemper inſpiratus) nobis talis pinguedinis uſum citò auferet. Vos enim breui tempore extremum claudere compellet diem, ſi habitaueritis in eo. Quoniam igitur melius eſt diù uiuere cũ allijs, & porris, quam citò mori cum pinguedine terræ; ideò nos ad iſtam terram aſcendere diſſuademus; & ad Ægyptum, ubi allea cum porris ſani comedatis (ſicut in præteritum feciſtis) reuerti. Ad prædictas uerò opiniones de terra illa, quòd ſcilicet deuoraret habitatores ſuos, potuerunt induci ex hoc, quòd in diebus illis, quando explorarunt terram promiſſionis, contigit, ut plurimi terrigenæ morerẽtur, & exploratoribus uidentibus ad ſepeliendum portarentur. His ergo, quæ ſupradiximus,

Secũdus ſenſus.

mus, uel ſimilibus, uerbis detraxerunt terræ; quam inſpexerant. Et ita (ſiue primam intelligentiam, ſiue ſecundam accipias) ſemper concludendum Iſraeli relinquebant, quòd his conſideratis, Deus non multum bonam terram illis promiſerat, nec quòd tanti erat illa, ut pro illius adeptione morti bellando ſe exponerent; imò quòd nec tanti erat, ut pro illa etiá ingredienda pacificè, iter tam arduum cum tot incommodis tantoque tempore facere debuiſſent. Vide, quam magnũ ſyluam lingua accẽdit. Nonnè per illa uerba, & terræ detrahũt, & Deo promittenti, & ipſi tantopliciter illam alias commendanti, & Moyſi ad illam ducenti, & quaſi deceptæ multitudini? Nonnè animos populi uerbis his a pugna, quam Deus intendebat, contra gentes idolatras retrahunt; & conſequenter idolatriam fouere uidentur, aut non odire ſaltem?

¶Applica ad ly (Euangelium) Quòd ſi ſal euanuerit, ad nihilum ualet ultra, niſi ut mittatur foras. Hoc eſt. Si is, qui ſapidus præ dulcedinis cœleſtis illuminatione, præ fructuum ſuperuorum deguſtatione, obtenebrabitur, is (inquam) ad nihilum ualebit. i. ad ſemper tendendum in nihilum. i. in defectũ ſolummodò ualebit; is mittetur à Deo foras. i. & extra cognitionem ſuimet, & extra cognitionẽ Dei; quo nihil peius. Hæc omnia. ſ. quòd talis ad nihilum ualebit, & quãnam ad nihilum ualebit; quòd à Deo mittetur foras, & quàm incognoſcibiliter, habentur in prædictis. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA

SANCTA DEI.

HÆc Concluſio 4. cap. 13. deſtruit maximè (ut diſcurrenti patet) hæreſim Iouiniani dicẽtis, gratiam in baptiſmo ſemel receptã non poſſe poſtmodum amitti. Et eiuſdem aliam aſſiuem, dicentis; baptiſmate plena fide renatos non poſſe deinceps amplius peccare. Vt enim hic uides; concluſio præſens non tantum peccare, & gratiam amittere præſupponit olim iuſtificatum; ſed etiam enormiter peccare tùm in ſeipſo, tùm in alijs. Retrocedere namque à dono cœleſti guſtato, eſt amittere gratiam habitam; & ruinas magnas excitare, eſt non tantum peccare, ſed etiam enormiter peccare. Damnatur quoque, & meritò, à Ioan. 13. Nam ibi Chriſtus, per ly Qui lotus eſt, monſtrat, Apoſtolos fuiſſe baptizatos anteà, & per ly Mundi eſtis, ſed non omnes, indicat, aliquos poſt baptiſmum conſeruari in gratia, aliquos autem (ut Iudam) & peccare, & maximè peccare. Item à Io. 13. iuncto Matth. 26. Qui enim ibi baptiſmate plena fide loti, & poſt per aliquod tempus mundi, nunciantur, ijdem hic omnes magiſtrum ſuum eſſe relicturos, tanquam in ipſum ſcandalizati, ueraciter perhibentur. Item ab Actu. 6. iuncto Apocalip. 2. Ibi enim Nicolaum Antiochenum iam baptiſmo Chriſti renatum, tanquam uirum boni teſtimonij Spirituſancto plenum, uides cum B. Stephano, ac alijs quinque ab Apoſtolis electum in Diaconum: hic autem, Nicolaum ipſum ſcelera, & Deo odibilia, & proximis ſcandaloſa perpetraſſe poſtmodum, inſinuatur per hoc, quòd dominus ait ſe odiſſe facta Nicolaitarum. Damnatur etiam à Concilijs &c. ut uidere poteris in Elucid. pri. par. q. 23. art. 1. & q. 82. art. 4. Vide & Concilium Mileuitan. cap. 6. & 8. ſuorum Decretorum.

Text. NEquaquam ualemus aſcendere, ad hunc populum &c. feriam igitur eos peſtilentia, atq; conſumam.

Concl. 5. *Inferiores ad præceptum ſuperioris non debent unquam dicere abſolutè, non poſſum, & ſic dicentes, non totaliter excuſantur ſemper à peccato.* [Ex eo.]

Ratio. Isti mali exploratores ſciebãt a Deo eſſe uolitum, & per Moyſen iubendum, ut ad populũ illum aſcenderent, & ideò, cùm id ſciuerint, nunquam debuiſſent dicere: Non ualemus ad populum iſtum aſcendere. Quaſi uerò per hoc Deus impoſſibilia præcipere, aut præcepturum eſſe ſubindicent. Vide, hic per iſtos figuratos illos hæreticos, qui dicunt, Deum impoſſibilia præcipere, præcepiſſe, aut præcepturum eſſe. Si autem iſtos non excuſatos a peccato in dicendo: Non ualemus aſcendere, cetnere cupis, adiunge ly Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam. Ad quid enim poſitum eſt ly Igitur? Vtique ad denotandum, quòd pro illo uerbo eos punire uolebat.

QVÆSTIO CVM R.

SEd dices. Ponitur ly Feriam igitur eos &c. in ſequenti capitulo; & ly Nequaquam ad hunc populum ualemus aſcendere, ponitur in præſenti. Quomodo ergo, poſt tot uerba interpoſita, fit prædicta relatio, ut ſcilicet ly Igitur referatur ad ly Nequaquam poſſumus aſcendere? Clara eſt reſponſio ad hoc, ſi ſequens capitulum benè examinetur. Textus ergo dicit. Vſque quò detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Poſt immediatè ſequitur: Feriam igitur eos peſtilentia. Vbi apertè uides, quòd ly igitur refert antedictũ per interrogationem immediatè exprobrata Iſraeli a Deo. Quæ ſunt illa? Quòd populus detrahit Deo, & quòd non credit Deo. Dic mihi. Nonnè poſt ly Nequaquam ualemus aſcendere, immediatè ferè dicitur: Detraxeruntque terræ? Vtique. Quid ſibi uult hoc? Quòd ly Nequaquam ualemus aſcendere eſt idem, quod detrahere terræ. Et quid eſt detrahere terræ, niſi detrahere Deo (ut & diximus, & littera capituli 14. exponit)? Cùm ergo ly Igitur referat illud antedictum ſcilicet ly Quouſque populus detrahet mihi, clarum eſt, quòd refert tunc ly Nequaquam ualemus aſcendere; quandoquidem hoc eſt detrahere Deo. Dices item ad hoc. Nunquid nõ per ly Nequaquam ualemus aſcendere, monſtrarunt exploratores apertè, quòd Deo non credebant? Etenim Deus Moyſi dixerat toties ipſis ſcientibus, quod Iſrael aſcenſurus erat ad gentes illas, ipſaſque debellaturus: Et conſequenter dixerat illis, quòd ad populum illum ualebant aſcendere. Quid ex omnibus his trahis ad litteram? Quòd dicere, Nequaquam ualemus ad hunc populum aſcendere, eſt implicitè ſub alijs uerbis dicere: Nõ credimus Deo. Cùm ergo ly Igitur, referat antedictum, ſcilicet quouſq; non credit mihi, clarum eſt, quòd refert ly Nequaquam ualemus; quandoquidem hoc idem eſt. Dicamus ergo ad noſtrum primum intentum reuertentes, quòd caſtigatio illa importata per ly Feriam igitur eos peſtilentiã, eſt eis à Deo infligenda propter hoc, quia dixerunt: Nequaquam ad hũc populum ualemus aſcendere.

QVÆSTIO DE OBEDIENTIA, CVM RESPONSIONE.

AT dices: Si realiter non poſſum alicui homini ſuperiori iubenti obedire, quomodo dicere debeo; Nolo, aut non poſſum, aut quid, ſi neutrum? Nihil horum, uel ſimiliũ dicere debes; ſed uel proponere ſuperiori iubenti id, quod te ab obediendo tunc licitè impedire uidetur (puta aliquod opus tibi antea commiſſum, nondumque expletum, aut tuã corporis indiſpoſitionem) relinquendo integraliter, & fideliter in iudicio ſuperioris ut decernat, quid tibi in tali caſu agendum ſit uel cum taciturnitate ſimpliciter in ſola obediẽtia confiſus accinge te opere, ad obediendum. Quod ſi deinde opere de facto accinctus te nõ poſſe tunc experimentatus fueris, etiam per conatum; tunc demum id quod tibi inde acciderit, ſuperiori iubenti intimare debes fideliter, vt uideat quid facto opus eſt, an illam obedientiam proſequi, nec nè. Magis ergo ſuccumbere corporaliter eligas ſemper oneri per obedientiam impoſito, quàm iubenti dicere: Non poſſum. Quis enim ſciat, ſi Deus in illo puncto ad obedientiæ laudẽ oſtendendam tãtas tibi conferat uires, quantas nunquam habuiſti in tali opere, nec unquam illarum minimam partem habiturum te imaginabaris? Quòd ſi tuo ſuo iudicio id facere noluerit: tu, cum tribus illis pueris in fornace poſtmodum poſitus, dicas; Ego interim nunquam obedientiam aliquo modo cõtraſtare uolo, ſed iuxta illam operari. Daniel. Deus (inquierunt illi pueri ad regem Babylonis) nos de manu tua ò rex poteſt liberare: Quòd ſi noluerit, adhuc ſtatuã tuam erectam nõ adoramus. Sic tu. Deus poteſt mihi, quæ in prælato iubet, donare. Quòd ſi noluerit, adhuc obedientiæ nunquam nolo reum dicendo: Non poſſum. Mitto, quod ædificabitur omnis ille uidens te manu admota operi corporaliter ſuccumbere; qui forſan prius ſcandalizatus eſſet audiens te obedientiæ reſpondentem: Non poſſum. Forſan enim uoluntatem tuam uel remittentem uel minus feruidam uel minus ad obediendum inclinatam ſuſpicatus fuiſſet, qui nunc ipſam, te operi corporaliter ſuccumbere cernens, ad obedientiam promptiſſimam, feruidiſſimam, inclinatiſ-

ſimam iudicabit. Turpe utique eſt ſemper, uoluntariè ſuccumbere præcepto .i. obedientiæ ſcoti; corporaliter uerò non item. Voluntatis enim tuæ patronus es, non autem uirium corporearum: & ideò uoluntatem ſemper accenſam pro obedientia oſtendere teneris, nec contrarium faciens excuſaris. Vires vero corporales ad imperium efficaciter facere, ut ſufficiant, non teneris, & de hoc ſemper uenis excuſabi-
Exempl. lis. Exemplum pro prædictis facilius acceptandis aſſumito Dominum noſtrum Chriſtum, qui nobis obedientiæ norma fieri dignatus eſt. Quando illi crucem baiulandam ad mortem imponere uoluerunt milites, nunquid ſe excuſauit ab illa ferenda? Nunquid illam in terram deiecit? Non. Mirū certè obediendi exemplar. Erat flagellatus; erat coronatus; erat præ tantis antea timoribus habitis uiribus corporeis exhauſtus; impotentiam maximam, minimamque vim habebat: & tamen non audet militibus illis renitı dicendo: Non poſſum. Clare apparebat ſua ad crucem ferendam fermè impoſſibilitas, ac ita manifeſta, ut de hac ambigeret nemo: & tamen Chriſtus imponentibus crucem, quò patri Deo ſic uolenti obſequatur de cruce ſuſtollenda, non uult reſpondere: Nō poſſum. Nouit Chriſtus, ſe ſub onere crucis caſurum pro impotentia, & certò nouit (quemadmodum & factum eſt), & tamen non audet dicere patri Deo in militibus iubenti: Non poſſum. Succumbere potius eligit oneri, quam dicere Non poſſum. Corporaliter ſe defectiuum non ualde curat, ſed uel minimum defectionis voluntatis ſignum (Hoc eſt dicere nō poſſum) oſtendere, pluſquam valde exiſtimat. Durius ſibi penè emortuo uidetur dicere ad obedientiam, non poſſum, quā coram tot tantiſque conſpectibus & erubeſcibiliter & miſe-
Aureum rabiliter, & cum periculo vitæ deficere. Ad exploratorem itaque hūc vnum Chriſtum per illos duos bonos (.ſ. Ioſuè & Caleph) figuratum aſpiciat, qui uerus obediens eſſe uult, & nunquam obedientiæ renitendo reſpondebit: Non poſſum.

Not. ¶ Quo melius, fuſiuſque, rationem huius quintæ concluſionis capias, ad rationem quartæ concluſionis confugito. Ibi enim pulcherrimam, ualidiſſimamque rationem ad hoc etiā concluſionis documentum facientem uidebis.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) Chriſtus factus eſt pro nobis obediens, uſque ad mortem. Vel ad ly (Euangelium) ſicut mādatum dedit mihi pater, ſic facio. Hoc eſt nihil in contrariū illius mandati adduco per ly Nolo, aut per ly Non poſſum; ſed animum ipſi uelle, ſpatulas ipſi operi abſque cunctatione
Pſal. 37. applico; Et ideò in flagella &c. paratus ſum. Vel ad ly &c.

Text. TErra reuera fluit lacte, & melle: ſed habitatores fortiſſimos habet: Et ideò ad illam non ualemus aſcendere &c.

Concl. 6. *Non conſiſtit perfectio fidelium in conſolationes diuinas habendo, guſtando; ſed in uoluntaria obſeruatione mandatorum Dei, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.* [Ex eo.]

Ratio. SI perfectio fidelium in conſolationibus diuinis cōſiſteret; vtiq; & mali exploratores non dicerentur mali. Nā & fructus terræ promiſſionis uiderunt, in manibus habuerūt, odorarunt, guſtarunt, ac in guſtando delectati ſunt, quæ oīa conſolationū diuinarum, ac ad uotum quidē, habitionem, figurant. Cur ergo dicuntur mali? Quia ad terram illam ſecundum diuinum mandatum aſcendere noluerunt, etiam ꝙ illius ſuauiſſimos fructus guſtaſſent; imò & alios ab aſcenſu ad illam deterruerunt, filios ſuos nouiſſimos, ac ſimiles chri-
Figura. ſtianorum quoſdam figurantes, qui nec cœlorum uiam arripiunt, nec alios uerbo uel exemplo illam arripere ſinunt. Hi ſunt, quibus dicit Chriſtus: Veh uobis, qui clauditis regnum cœlorum; nec uos intratis, nec alios ſinitis intrare. Quia ergo mandatum diuinum de aſcendēdo in terram difficultate perterriti obſeruare noluerunt: ideò perfecti non fuerunt; ideò reprobati ſunt, & ab ingreſſu terræ promiſſionis excluſi.

NOTATIO.

HI exploratores figurarunt illos, qui in tempore conſolationis credunt, & in tempore tentationis recedunt: & conſequēter terram petroſam, quæ poſt natiuitatem ſeminis diuini non habet humorem, quo ipſum ſemen in tempore caloris ſolis .i. aduerſorum, cuſtodiat. Figurarunt etiam il-
Exempl. los, qui partim boni eſſe uolunt, partim non; ac ideò Samaritanos agebant in hoc. Inquantum enim fructus terræ, terrāque laudabant, intantum boni uidebantur; inquantum uerò ab aſcenſu ad terram retrocedebant, intantum mali apparebant. Ecce, ꝙ hominem eſſe regnum Dei, ſeu eſſe verè bonū Dei Apoſt. ſeruum, non conſiſtit in ſermone, ſed in uirtute. Si enim conſiſteret in ſermone, iſti ſaluarentur, quoniam terræ fructus, humumque laudarunt; quia verò conſiſtit in uirtute, ideò nō boni fuerunt, quoniam ex animi puſillanimitate aſcendere, quò uocabantur, recuſarunt. O, ſi ſciuiſſent iſti, quòd ſoli uiolenti rapiunt illud regnum Dei per terram promiſſionis figuratum. Tunc enim, ſi hoc debito modo (ut par eſt) ſciuiſſent uidendo aſcenſus difficultatem animo non concidiſſent, ſed magis ad aſcenſum inflammati fuiſſent. Si hoc Euangelicum debito modo ſciuiſſent, laborem præteritum in explorando ſuſceptum non perdidiſſent. Hi reuera figurarunt illos, quibus ait Apoſtolus; Timeo, nè inanis fiat labor ueſter: & rurſus: Tanta ſine cauſa paſſi eſtis. Hi figurarunt illos, qui uelleitatem quandam bonam, ſed non uoluntatem bonam, habēt, qui utique non ſaluantur. Non enim dictum fuit, Et in terra pax hominibus bonæ uelleitatis, ſed bonæ uoluntatis. Velleitatis eſt terrā celeſtem cum iſtis appetere, fructus terræ illius deſiderare; ſed medijs difficilibus, per quos ad talium appetitorum patet aditus, manum operando non apponere. Fructibus iſti delectabantur, ſed ab arduitate ad illos aſcendendi deorſum tenebantur. Terrā illam uolebant; ſed difficultatē aſcendendi ad illam ſubire nolebant: & ideò uelleitatem, non uoluntatem bonam habebant. Figurantes utique illos ſine operibus & labore ſaluari nolunt. Non enim unquam à Chriſto dictum reperies, Si uis ad uitam ingredi, ad illam ingrederis (quod tamen Euangelici nouatores aſtruere conantur): ſed, ſi uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Ecce; ꝙ his uerbis tūm hæreticorum iſtorum, qui ſe Euangelicos, ut ſub hoc pallio facilius fruantur, mendaciter appellant, tum quorumcunque malorum uelleitatem reprobauit, uoluntatemque bonam approbauit.

MItte uiros, qui conſiderent terram &c. populum &c. utrum fortis, an infirmus; utrum pauci numero, uel plures: urbes quales, muratæ &c. Ratio.

Concl. 7. *Pugnaturi ſpiritualiter debent & patres ſpirituales, & ſanctos Doctores, & libros ſanctos, conſulere, tanquam exploratores ſagaciſſimos, ut ſcire poſſint, quomodo ambulandum, quomodo ferendum, quomodo ſe habendum, ad hoſtes propulſandos, ac intrandum in terram cœleſtem toties promiſſam ueris Iſraelitis .i. illis, in quibus dolus non eſt.* [Ex eo.]

NON uult Dominus, Moyſen pugnare contra inhabitatores terræ promiſſionis, niſi prius mittat exploratores, qui Text. ſibi renuncient, quas conditiones, tūm circa terram, tūm circa urbes, tūm circa populos illos uiderint. Hæc omnia (ut clamauit Apoſtolus) in figura facta ſunt noſtri, quibus militia eſt uita ſuper terram. Si Moyſes ergo tantus, tam Deo charus, tam bonis militibus ornatus numeroq; infinitis, non audet contra hoſtes abſque præuijs exploratoribus in bellū deſcendere; quid alijs, qui & Moyſe multò in prædictis inferiores exiſtunt, & hoſtes illis multò in cunctis ualidiores habent, faciendum erit? Vtique ſine præuijs exploratoribus pugnam aggredi, niſi ſuccūbere turpiter uelint nullo modo debent. Exploratores modò ſunt, qui ante nos terram illam promiſſam, gyganteam illam progeniem, urbes illas, montes, atque nemora uiderūt, ac per uiam, qua nos ituri ſumus, progreſſi fuerunt. Hi dicuntur uigiles (in Canticis Canticorum), qui cuſtodiunt ciuitatem, quos paululum cùm pertranſimus, inuenimus quem diligit anima noſtra, id eſt quos cùm, paululum a noſtra in nobis fiducia elongati, per mundum iſtum tranſeundo conſulimus; facile illorum ducatu ad uincendos hoſtes ac terrā poſſidendā attingimus, id quod diligit anima noſtra. Hi ſunt uiri in uia iſta ante nos exercitati (ut inquit Apoſto-

Apoſtolus), qui iam præ bona conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali.

COROLLARIVM.

NOs ergo, quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo, ad antecellores noſtros illos confugiamus, ut de uia, quam arrepturi ſumus, doceamur, ne ſine conſilio prævio in ter latrones eũdo periclitemur, nobisque illud accidat, quod olim homini deſcẽdenti ab Hieruſalem in Hiericho accidiſſe legitur. Verè abſque excuſatione, ſi deinde aliqua mala incurrant tales imprudentes, erunt; utpotè quibus filij huius ſeculi prudentiores in generatione ſua ſint. Quid faciunt filij Exempl. huius ſeculi natura ſola doce? Cùm tranſituri ſunt per aliquã uiam, per quam nunquam tranſierunt, de uia interrogãt peritos, id eſt eos, qui hac uel illac pertranſierunt. Et ſi per uiam latronibus obſitam ſibi eundum ſit, tunc maximè de tecto quærunt itinere ab his, qui talis uiæ diſcrimina prius impolluto calle tranſierunt. Si ergo ſic faciunt iſti in re minimi momenti, ubi ſ. tantùmodò corporis adeſt periculum; quã bonam, rogo, excuſationẽ fingere ſibi poterunt hi, qui in re maximi momẽti, ubi ſ. de periculo agitur aĩarũ, ſic incõſultis prioribus uiatoribus uiæ diſcrimini ſe cõmittunt? Exploratores igitur nobis neceſſarij ſunt. Alioquin, ſi abſque ipſorum ducatu pugnam inieramus ſpiritualem, de nobis actum eſt. Ab his exploratoribus autem primò ſciſcitandum erit de terra qualis ſit, utrũ pinguis, an ſterilis, ut ex auditu, quod bonorum omnium pinguis eſt, omniumque malorum ſterilis, ad illius aſcenſum accendamur. Idcircò nobis optimum eſt libros ſacros ſiue Doctorum, ſiue canonicos euoluere; prædicatores, ſacrasque locutiones frequentare (id quod eſt pec. alium libros illos uidere), ut ab his, tanquam cœleſtis terræ exploratoribus, addiſcamus quanta ſit in terra illa bonorum pinguedo, & quanta malorum ſterilitas. Ab his exploratoribus ſecundò quærendum eſt etiam de habitatoribus terræ, utrum fortes, uel infirmi, utrũ pauci, uel plures numero. Qui ſunt iſti habitatores? Demones, non quia nunc terram illam inhabitent; ſed quia iam cœlum inhabitarunt, & ad terram illam .ſ. ad eſſe uerè beatum propinquiſſimi fuerunt. Et ideò magis nobis inuident terram prædictam, ac nè illam ingrediamur (tanquam alteræ Paleſtinorum gentes) toto ſuo poſſe obſiſtunt. Paleſtini tamen, Iſraelitas ingredi terram, nolebant, quia iam ipſi in actuali eius poſſeſſione erant: Demones autem, fideles homines uitam beatam intrare, nolunt; quia hanc ipſi quondam irreparabiliter perdiderunt. Deteſtabilior ergo demonum, quam Paleſtinorum, inuidia eſt, quoniam ſua ipſorum utilitate ueſtitur Paleſtinorum inuidia, id quod de inuidia diabolica non eſt fatendum. Vnde pura inuidia eſt in demonibus, & conſequenter maior; in Paleſtinis uerò mixta, & conſequenter minor. Si ergo propter inuidiam Paleſtinorum tam ſolicitus fuit Moyſes exploratoribus uti ad pugnandum contra illos, multò magis propter diabolicã inuidiam ſoliciti eſſe debent homines exploratoribus uti ad belligerandum contra ipſos.

EXAMEN I.

VIs agnoſcere, quod Paleſtinorum inuidia ueſtiebatur utilitate quadam? Conſidera, quod ipſi timebãt, ſi ab Iſraelitis uincebantur, eijci de terra propria; quem timorem ſi non habuiſſent, Iſraelitas non ſic inuidia proſecuti fuiſſent. Ecce, quod ex utilitate propria eorum inuidia contra populum fidelem naſcebatur. Cæterum, quòd hanc excuſationem quantulamcunque non habeat dæmonis inuidia, patet; quia ipſi non timet, ex noſtro ingreſſu in cœleſtem patriam, indè eijci, cùm iam hoc nobis egreſſus indè ſit. Contra igitur tam inuidum hoſtem exploratores adhibendi ſunt, ut nuncient nobis utrũ fortis, an infirmus ſit, utrum plures, uel pauci ſint, quò nobis quid in pugna faciendum ſit agnoſcamus facilius. A prædictis autem exploratoribus audiemus, quod hoſtes illi noſtri non fortes modo, ſed fortiſſimi ſunt. Eſt nanque diabolus quiſque tam fortis, ut non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Tunc, audito hoc nuncio, dices: Ergo poteſtas ſupra terram, puta exiſtens in cœlo, quærenda eſt; ſi contra hoſtem illum præualere deſidero. A' præmiſſis etiam exploratoribus audies, quod debilis eſt idem hoſtis; quia non poteſt unquam uincere niſi nolentem. Quid facies, hoc habito nuncio? Reſpirabis parum, ac timorem præhabitum temperabis, ex quo in uoluntate tua uidebis eſſe poſitum, nè unquam uincaris. Voluntatem igitur tuam frameam eſſe conſpicies inimici tui, qua contra te pugnat. Vnde dices: Si frameam hanc abſcondam, nè hoſtis illam inueniat, ac illa me oppugnare poſſit; tunc certiſſimè ſecurus ero. Quærendus ergo eſt mihi locus, ubi hanc a manu hoſtili cœlare tutò poſſim. In hoc tota uictoria mea conſiſtit, ex hoc tota ſpes ſalutis pendet, circa hoc totus quæſtionis cardo uerſatur. O ſi ego cum Pſalmiſta ualerem unquam ueraciter dicere, quod inimici mei defecerunt frameæ in finem; id eſt quod quæſierunt in domo mea frameam illam, & defecerãt frameæ illi in finem, id eſt illam nullatenus finaliter inuenerunt; utique tunc de hoſtibus meis, quanquã fortiſſimis, pauorem nullum haberem, imò ipſos riderem cũ Beatis Dominico atque Bernardo necnon ſimilibus; qui draconi huic multipliciter (ut in uitis eorum legitur) illuſerũt. Hinc accenderis animo ad frameam prædictam abſcondendam, & ad locum abſconſionis ſecuræ quærendum. Non in me (inquies) eam tutò abſcondere ualeo, id eſt ſub mea cuſtodia, quoniam a quodam exploratore audiui, quod perditio mea ex me eſt; & à quodam alio, quòd inimici hominis domeſtici eius; & a quodam alio, quòd nemo læditur niſi à ſemetipſo. Igitur ego, cùm ſim inter omnes magis domeſticus mihi, ſum mihi maximus inimicus. Nam ſi inimici hominis domeſtici eius, utique quantò magis domeſtici erunt, tantò magis erunt inimici.

¶ Quis modò tam mihi domeſticus, ſicut ego, ſicut uoluntas mea? Si ergo meipſum ſtatuerem mei cuſtodem, ſeu frameam præmiſſam ſub meis oculis abſcondere uellem, idem hoc eſſet, ac ſi lupo oues ſeruandas committerem; quod profectò damnarent uniuerſi, meque in hoc ipſo ſtultiſſimum eſſe rectiſſimè iudicarent. Cur igitur non reputem ego ſtultum, atque ſtultitia omni ſtolidius, ſub mei cuſtodia reponere frameam iſtam, id eſt uoluntatem meam? Hæc illa eſt ſtultitia, quam olim Spiritusſanctus per Salomonem annotauit dicens; Stultorum, id eſt propriam uoluntatem ſub propria cuſtodia ſeruare uolentium, infinitus eſt numerus. Nam id ferè omnes appetunt, ac executioni mandant, quoniam ſeipſos innumeri inordinatè ſunt amantes (tales ſunt maximè hæretici, ut olim clamauit Apoſtolus, cũ ſua omnia iuxta uolũtatem propriam metiantur), dũm quiſque alio ſe ſapientiorem in ſuipſius regimine arbitratur. Ex his concludes facilitet, te iſtam frameã nolle depoſitare apud temet ipſum. Apud quem (inquies) illam depoſitabo? Apud dominum Deum tuum. Audi exploratores bonos id ſuadentes per illa uerba; Si propitius fuerit dominus, inducet nos in eam. Hoc eſt. Si uos à Deo conceſſeritis gubernari, & uoluntatem omnem ueſtram in eum proieceritis, procul dubio in terram iſtam feliciter introducemini. Deus ergo eſt ille depoſitarius, cui frameam ab inimicis abſcondendam committere totaliter debemus. Tunc nullatenus dubitandum nobis erit, quod ab hoſtibus ad nos occidendos ſurripiatur, quoniam altiſſimum poſuimus refugiũ noſtrũ. Ideò inquit Pſal. Nõ accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; quoniam nemo poteſt aliquid de manu Dei rapere, cùm Deus maior ſit demonibus. Dic mihi. Vbi aquila ponit nidum ſuũ, Exempl. nè à ſerpentibus infeſtetur, & pulli ſui ab eis diripiantur? Nõ nè in alto? Vtique: ſic & tu in Deo ponas uoluntatem tuam, quæ omnium tuorum pullorum (, id eſt cogitatuũ, atque uniuerſorum operum) nidus eſt, ſi a ſerpentum morſibus nidum ipſum, atque pullos, ſaluari uelis. Tunc enim ubi hunc nidũ in Deo poſueris, non in alto ſolùm, ſed in altiſſimo poſuiſti refugium tuum, quò malum atque flagellum, ſatanicum ſ. uenenum, non accedat. Hunc locum elegit quidam explorator, atque alijs per hoc eligendum inſinuauit, pro ſecuro depoſitũ; quando dixit: Scio, cui credidi, & certus ſum, Apoſt. quia potens eſt depoſitum meum ſeruare. Quod depoſitum? Audi eundem Apoſtolum. Domine (inquit) quid me uis facere? Act. 9. Voluntatem igitur ſuam depoſitum illud appellauit, quã uoluntatem (ut in prædictis uerbis habetur) primò omnium ipſi Deo cuſtodiendam uoluntariè dimiſit. Seruare autè hoc depoſitum Deus cùm immediatè poſſet; uoluit tamen (quò nobis ſenſibiliter ſua diuina manifeſtaretur uolũtas in omnibus, & conſequenter ut ſecurius ad terram hanc poſſidẽdam incederemus) Ananiam, tanquam medium ex parte Pauli, adhibere; ſicut hac, licèt hebræum populum ad terram iſtam potuiſſet abſque homine medio conducere; uoluit tamen, Moyſen interuenire mediũ ad ſalutem huiuſce populi: quod noſtri temporis figura extitit. Licèt enim abſque hominum medio Eccleſiam ſanctam regere poſſet, uoluit tamẽ ipſam, non niſi per medium hominem .i. Papam, ſeruare. Sic enim

agẽdo, noſtræ, ut olim ſynagogæ, certitudini cognitionis uiæ bonæ cõſuluit: Quõ? Audi. Subierant antiquitus multo prophetarum, qui a Deo non mittebantur & ipſi currebant (Tali verbo utitur ſcriptura, ut oſtendat nobis ſolicitudinem maximam, ad confuſionem uerorum quandoque paſtorum ſegniter pro aĩarum ſalute laborantium) dicentes: Hæc dicit Dñs, cũ Dñs non eſſet locutus. Quid fecit Deus? Nẽ populus unquam à talibus poſſet decipi, aut ſaltem in uacillationẽ uel minimam ueritatis, uoluit de capite uiſibili ſynagogæ prouidere dicens: Doctrinarum omnium iſtud caput a te uiſum tibi erit cenſor. Vndè, ſi aliquam doctrinam tanquam à me inſpiratam quiſpiam tibi prædicauerit, ad iſtud caput mox aſpicito. Quis enim de populo aliter poſſet firmiter ſcire, atque faciliter, aliquid eſſe a Deo, ut ſibi prædicatur? Ad iſtud ergo confugito caput. Si doctrinam illam pro doctrina à Deo uideris ab ipſo capite approbatam, tunc ſecuriſſimè illam ueluti diuinam acceptabis: ſin autem ipſam a Deo non eſſe decreuerit caput illud, tunc cõſtantiſſimè nulla excuſatione admiſſa, ipſam a Deo non eſſe tenebis; & conſequenter ipſam deteſtaberis. Vides hinc, nullum dubitationis ſanæ doctrinæ locum relinqui iudaiſmo? Hæc fuit ratio, quare Deus, cum per ſeipſum immediatè ſynagogam regere in omnibus poſſet, illi de capite uiſibili prouidere uoluerit ita, ut non niſi per mediũ hoc ſalutem ſuam unquam conſequeretur. Propter faciliorem ergo uiam ſalutis habendam, prouiſio antedicta Iſraeli a Deo fuit data.

¶ Abſit autem, & in æternum abſit, ut Chriſtus qui dixit ſe ad dãdam uitam abundantius, ideſt faciliua nobis adueniſſe, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ de uiſibilis capitis prouiſione ad omnes dubitationes præmiſſas remouendas defuerit. Hoc eſſe promiſſum, non ſolùm à fortiori ex ſupradictis habetur, ſed etiam ex ipſiſſimis Apoſtoli uerbis, ſi principio primi capituli Galatarum iungatur principium ſecundi. Inde namque luce clarius habetur, quòd Chriſtus uult, doctrinam a ſe immediatè Apoſtolo traditam non acceptari à populo auditore, niſi Apoſtolus eam à Petro (hic eſt uiſibile caput) cõfirmatam habeat. Ideò enim mittit Chriſtus Apoſtolum Hieroſolymam ad Petrum. Alioquin (inquit ibi) in uacuum currerem, ideſt prædicarem, & cucurriſſem, ideſt prædicaſſem; non quia doctrina à me prędicata ſit falſa (à ueritatis enim fonte, ideſt a Chriſto eam immediatè accepi), aut mihi aliquomodo dubia (tam enim de illius ueritate certus ſum, ut Angelum de cœlo, ſi aliter docuerit, anathematizaturus) ſed ut ſine aliqua nacillatione ab auditoribus meis acceptari poſſit. Ecce, quantum Deus zelauit pro certitudine noſtra, qua ſcilicet certò cognoſceremus, an aliqua doctrina ſit uera, & à nobis acceptanda. Hinc non excuſantur credentes hæreticis ſua dogmata mala prædicantibus, quia ſciunt illi auditores, quòd illorum dogmata ſunt pro falſis damnata à Petro t. Petri ſucceſſore; & cõſequenter multò magis ſciunt, iſta non eſſe a Petro comprobata. Si ergo hæretici eſſent Angeli de cęlo, non illis credendum eſt; ſed ab illis, tamquam ab Apoſtolo antequam naſcerentur anathematizati, toto curſu fugiendum. Hinc nõ excuſantur hi, qui non credunt ſymbolum Apoſtolorum, & alia, quæ Chriſtiani credunt; quoniam norunt, iſta omnia fuiſſe à Petro, vel Petri ſucceſſore. (Hoc enim idem eſt in negocio fidei) comprobata uera, & firmiter ab omnibus acceptanda. Quid ad iſta præmiſſa ex Apóſtolo dicent Turcæ? Quid iudæi? Quid hæretici? Quid hæreticis, vel hæreticorum credentes? Ecce nunc illud Chriſti adimpletum. Venit hora (inquit) cum palam de patre meo annunciabo uobis. Quid magis in palam eſſe potuit uniuerſo mũdo, quàm uiſibilem nobis ueritatis normam, ſalutiſq; cenſuram, dare? Adeo hæc poſtmodum de illis, quæ ad noſtram ſalutem attinent, annunciatio in palam eſt, vt nemo, etiam dubiis aſſuetus, de his ullo pacto dubitare ualeat. Hinc (rogo fratres) conſiderate, quam bonum, quam utile, immò quam neceſſarium ſit, exploratoribus uti in uia iſta, qua ad terram promiſſionis habendam imus. Ecce quod noſtram ſalutem optat Deus; & modum ſecuriſſimum ad illam fecit. Sicut ergo uerum olim fuit, quod Deus ad ſalutem terrenam duxit populum ſuum (Pſal.) in manu Moyſi; & Aaron: ita nunc uerum, à figura ad figuratum arguendo, eſt, quòd ad ſalutem æternam Deus deducit populum ſuum, non niſi in manu ſummi Pontificis.

EXAMEN II.

Vide. VIA igitur ſecuriſſima ad perditionem eſt, Papæ fidei dogmata ſpernere, ipſum pro capite non recognoſcere, ipſi obedientiam denegare. Vndè quid uoluerit in Luthero Sathanas, aperiſſimè cognoſcis, quando iſtud caput abnegauit, quando aliis hoc negandum ſuaſit, quando homines ab huius obedientia pro poſſe retraxit. Quid tũc voluit & in illo, & in aliis tum hæreticis, tum ſciſmaticis, tùm in infidelibus uniuerſis talis uel ſibimet, uel cæteris ſuadentibus? Voluit, ut compendio quodam breuiſſimo, æque certiſſimo infernum intrarent. Parum Sathanæ uidebatur, ut tandem damnarentur, ac tandem de hoc ipſe certificaretur. Quid fecit? Modum inuenit quo breuiter, & ſecure damnationem incurrerent. Quis eſt iſte modus? Inobedientia ad Papam Petri ſucceſſorem. Hac enim ſublata, & citiſſimè & neceſſariiſſimè tota ſpes æternæ ſalutis, tùm hic aliquo modo, tùm illic ad plenum habendæ funditus corruit; & conſequenter ſathanas, eum in quo uiderit obedientiam ipſam deletam, citiſſimè concludit eſſe pro certo damnandum.

¶ In manu igitur Papæ, ideſt ſub ipſius cuſtodia frameam iſtam, ideſt uoluntatem tuam depone, ſi eam uis taliter ab inimicis abſcondere; ut ipſam in tui ſcandalum non inueniant, ac utantur. Quemadmodum autem ſub Moyſe multi erãt (hoc habes in Exodi 18.) ab eo inſtituti regentes populum, quibus omnis multitudo ꝓ ſua portione obedire tenebatur; ita & nunc ſunt plurimi ſummi Pontificis coadiutores, quibus obedire pro ſalute ſua quiſque tenetur. Qui ſunt illi plurimi? Epiſcopi, parochi, confeſſores, catholici prædicatores, ſinguli quorumcunque patres ſpirituales. Hi omnes ſunt exploratores, quos habere hic conſulit nobis Deus, ut ad terrã Chananæorum, ideſt olim diabolorum (modo ſupradicto), ſecurius introducamur. Hos catholicos exploratores debemus audire, eis (tanquam ipſis Ioſue & Caleph) in omnibus obedire, ſub eorum cuſtodia frameam, ideſt uoluntatem noſtram depoſitare in illum diem, ideſt uſque ad ultimum diem mortis incluſiuè, vt ſi uerſipellè diabolo, eum noſtra cõtra nos framea uti nõ poſſit, ſecuriſſimi ſiamus. Mali ſiquidẽ illi Iſraelitarum exploratores diabolum ſignificãt cum ſuis, qui contrarium nobis ſæpiſſimè (ideò malos exploratores hos pluries locutos, multaque dixiſſe, textus edocet) ſuadent; ac rationibus apparenter ueriſſimis (ideò malos exploratores iſtos rationes adduxiſſe pro ſuis dictis, littera monſtrat) ſuas muniunt hortationes, ut animos noſtros à dictis ipſius Caleph (ideò enim malos hos, poſtquam Caleph populum hortatus fuerat, locutos ſcripturæ ſeries declarat) boni exploratoris, ac bonos quoſque patres prædictos ſpirituales figurãtis, auertant. Quid inter hos uariè loquentes acturus es? Quæ ſit uoluntas Dei inter tot uocum diſcrimina quomodo cognoſces? Taceo nunc de exterioribus inimicis; & ad hoſtes hominis domeſticos, quos ſupra nominauimus, reuertor. Hi profectò ualidiores ſunt, inuiſibiles & ipſi ſunt, inquantum unum pro alio oſtendunt, inquantum malum pro bono apponunt, inquantum uia praua pro recta ſibi uidetur. Quoties audiſtis phantaſiã tuam in te loquẽtem ſic, atq; dicẽtem: Hoc, & hoc facere bonum eſſet propter talẽ rationẽ; illud, & illud omittere bonum eſſet propter talem rationem; iſtud, & iſtud agere, vel dimittere malum eſſet propter talem rationem? Et hanc tuam phantaſiam, ſeu uoluntatem, taliter audiſti tunc in contrarium maximè loquentem modo præfato, quando bonus aliquis præmiſſorum exploratorũ aliud præmonſtrauit eſſe, uel non eſſe faciendum.

¶ Quid (inquam) his diuerſis exploratoribus circundatus, ut ad ſalutem euadas, facies? Breuiter accipe, ut Dei uolũtatem, quæ ſit, tutò inter hęc agnoſcas; & conſequenter in uia ſalutis collocari poſſis. Facito modo illo, quo ſuperius, quãdo de Papa agebamus, fidelibus, ac infidelibus faciendum eſſe decreuimus. Quid ibi legis? Quòd multis ſe à Deo miſſis dicentibus (hæ ſunt hic rationes adductæ à phantaſia tua) non, priùs credas, quàm caput uiſibile tibi pro duce à Deo datum conſulas, & ꝙ illud à Deo dictũ firmiter teneas, quod ipſum caput indicarit ſic eſſe; illudque ab exploratore malo (.i. diabolo, mundo, carne, uel non a Deo) inſinuatum, quod caput idem taliter eſſe dixerit. Eſtote (inquiebat Chriſtus ad nos) prudentes ſicut ſerpentes, dùm inter lupos à multis uos partibus aggredientes fueritis. Quid agunt ſerpentes? Si à quoquã impetantur, caput ſaluare ſuum toto conatibus nituntur, de reliquo omni corpore parum curantes. Nonnè hoc ipſum agit & tu, ſi ab aliquo inuaderis? Manum ſiquidem capiti ſuperponis, Vt, ſi inuaſor feriat, manum tuam abſcidat, & caput ſaluetur. Nonnè hoc ſola natura docet? Nonnè pro corporea hoc ſalute docet? Quid igitur ſpiritus hominem ſpiritualem in ſimili pugna agere docebit? Certè, hominem hinc non ſpiritualem *Exempl.*

ſpiritualem dicere cogeris eum, qui caput ſuum in pugnando ſaluare non conatur. Quid de ſpirituali dico? Non ſpiritualẽ modo, ſed nec animalem illum dicere poteris. Quid ergo? Peiorem, quã animalem, eum rectè uocabis. Et licèt Apoſtolus eum uocet animalem, tamen loquitur per figuram, quæ minus dicit, & plus ſignificat. Quomodo non animali eum hominem peiorem dixerim, cum animal, puta ſerpens, ad caput ſaluandum ſolummodo aduitatur inuaſum, capitisque ſalutem ſolius, chariorem, quam totius corporis, habeat? Verè igitur Lutherus, Arrius, Sabellius, alijque hæretici, à Daniele nonnullisque prophetarum alijs uocantur & beſtiæ, & beſtiæ grandes, atque monſtruoſæ nimis, cum primicerio illorum Antichriſto. Non ſolum enim ſpiritum ſe habere negãt docentem, caput uulneribus pro reſiduo corpore ſaluando exponendũ nõ eſſe; ſed etiam naturã ipſam negant. Ideò nõ beſtiæ; ſed beſtię ſatis monſtruoſæ, quæ (ut dicitur 1. Phyſicorum) naturæ peccata ſunt, appellantur. Si igitur tu beſtia mõſtruoſa non eſſe uis, caput tuum pugnando ſalua; ad caput tuum nè offendatur in prælio, habeto ſemper oculos. Nonnè

Exempl. & milites corporales id in bello efficiunt? Tu (inquiebat ad David exercitus ſuus. 2. Regum 18.) pro decem millibus cõ-

Exempl. putaris. Quare? Quia David erat ipſorum caput. Itidem aduerſatij faciunt, contraria intentione tamen. Ad caput exercitus oppoſiti reſpiciunt hoſtes (ut fit in ludo ſchaccorum), ſi quando ipſum uulnerare poſſint, de alijs parum curantes; ut ſi inquantum, alijs vulneratis, ad caput occidendum faciliorem aditum habent. Ecce, quomodo omnia ad capitis occiſionem ordinant hoſtes. Et ideò ad hoc ſignificandum dixit exercitus præmiſſus ad David ibi; Si media pars noſtri ceciderit, ſaluo ſcæ capite, non multum curabunt. In pugna igitur ſpirituali, à notioribus nobis adiſcẽdo, ad capitis ſaluationem curam omnem ponere debemus, ſcientes, ꝙ aduerſarij noſtri ad ipſius capitis debellationem totas uires ſuas intendũt, de alijs parum curantes. Non mirum igitur, ſi diabolus

Vide; & nota diligenter. ſinit hæreticos multas quandoque eleemoſynas facere, lachrymas in concionando profundere, auſteritates magnas, aliaque ſimilia exercere; quoniam, vulnerato in illis capite, ad alia parum attendunt ſcientes, ꝙ nulla ſpes occiſo capite, (quicquid interim fiat) relinqui poteſt ad ſalutem. Imò illa in ſpeciem bona, aliaque ſimilia opera infidelibus omnibus ſuadet demonium, quò ipſis operibus, tanquam pallio quodam bono, mortalia uulnera ab infidelium oculis abſcõdat; nè ſcilicet credant, ſe in erroribus uerſari. Hoc & pallio infideliũ uulnera ab aliorum oculis contegere quærit diabolus, ut ſ. operibus ipſorum prædictis uiſis, credant, illos homines erroribus non detineri, ſed in ueritate eſſe.

¶ Vidiſtin unquam, hominem morbidum pallio uti bene colorato ad ſuos morbos tum à ſuis, tùm ab alien is oculis uelandos? Vidiſtin unquam, hominem in muſcipula ponere aliquid bonum uolueri, ut uolucrem ad muſcipulam facilius trahat, & occidat? His duabus technis utitur ſathanas in infidelibus; & conſequenter in illis transfigurat ſe in Angelum lucis, ut lucem omnibus transfiguratam ſuadeat amplectendam, & lucem uerã interim relinqui à cunctis faciat. In tua itaque phãtaſia, uel alio quouis modo, cùm ſathanam trãſfiguratum (id quod ſemper erit ſine dubio, quando contra caput tuum loquetur) uideris, ipſum auerte, ad caput ſaluandũ totis uiribus aſſurge, & alijs omnibus parum curatis à capitis offenſione ſolummodo caue, ſciens ex ſcripturis pro certo, ꝙ ſaluato capite omnia ſaluabuntur, uulnerato capite uulnerabũtur. Quid eſt ſaluare caput? Obedientiam amplecti illibatam. In contrarium igitur quibuſcunque non obſtantibus (niſi mandatum ſuperioris manifeſtum contra diuinam legem errorem contineat), obedientiam in cũctis ueraciter ob Chriſti ſolius amorem ſeruare contende; & omnia tua ſalua erunt. Vir enim obediens (ait quit ſcriptura) loquitur uictorias. Debilis ergo hoſtis eſt, ad eum, qui ſic uoluntatem ſuam in tutò collocauit, qui ſic omnia ſua apud Chriſtum depoſitauit.

EXAMEN III.

AB exploratoribus quoque bonis, quos ſupra nominauimus tertiò audies, ꝙ hoſtes tui plures numerò ſunt, mũdus. ſ. caro, demonia, & quòd, etiam ſi pauciſſimi eſſent, plurimum timendi prudenter forent. Quare hoc ultimum? Quia

Pugna ſpiritualis. inuiſibiles, aſſidui ad pugnam, in bello exercitatiſſimi, in modis certandi uarijs pro tempore inueniendis ſolertiſſimi: & tã falſa pro ueris, mala ꝓ bonis, nociua pro utilibus, apparentiſſimè nobis ingerere ſcientes; ut nihil ſupra. Nonnè unus hoſtis inuiſibilis incomparabiliter ualet contra multos ſibi uiſibiles; etiam quòd infirmus eſſet? Utique. Modo uidet hominem diabolus, & ab homine nõ uidetur impugna, ultra hoc, ꝙ ſecundum ſe fortiſſimus eſt. Diabolus nonnè ad pugnam aſſiduus, quippe qui non dormit nobis dormientibus, non manducat nobis manducantibus, non in alijs occupatur nobis immerſis in diuerſis occupationibus? Diabolus nonnè in bello exercitatiſſimus; quippè qui ab initio mundi nil aliud fecerit, quàm armigerare; illi Goliæ ſimilis, quem Saul dixit eſſe à iuuentute eius ſatis bellicoſum? Nos uerò (tanquã alteri Davides) ſumus in pugna noui, in cõgreſſu ad hoſtẽ pueri, necdũ ueſtitus armorũ uſu habẽtes. Nõnè diabolus pro modis certãdi inueniẽdis eſt ſolertiſſimus, quippè qui cõtra tot uiros uarias cõplexiones hñtes dimicauit, & uicit, tot ſapientiſſimos uaſtè decepit, tot aſtutiſſimos aſtu ſuo ſuperauit, tot diuerſorum capitum homines inſidijs infinitè uarijs improuiſè ſubuertit. Et quis hunc Sathanam ſolus aggrediatur cum diſparitate tanta, quantam uidimus, & auribus noſtris audiuimus? Veh (inquit ſcriptura) ſoli. Et uerò Veh illi; quoniam homo diabolum tàm propter multa dicta ualidiſſimum non, niſi à ſancta obedientia aſſociatus, poteſt unquam uincere, hancque obedientiam comitem habere nequit, niſi prædictos exploratores conſulat.

EXAMEN IIII.

AB ipſis exploratoribus quartò inueſtigandum erit, an urbes ſint muratæ, uel ſine muris. Cùm autem ab his audieris, ꝙ ſunt muratæ, roborentur manus tuæ, ac puſillanimitati, ſegnitieique omni dicito uale. Quando ab eis has eſſe muratas audiam? Cùm tibi dicent, quòd regnum cœlorum uim patitur, & quòd ſoli uiolenti, Apoſtolicæque doctrinæ ſequaces rapiunt illud. Illud namque, quod muros habet, uim patitur; quia ad ſuper muros aſcendendum, uel ad muros deſtruendum, uis magna requiritur. Quod uerò è contra eſt ſine muris, non tantam uim ad ſe capiendum exigit, cùm facilius (ut patet ad ſenſum) capi ualeat. Regnum itaque cœlorũ uim pati, eſt urbem iſtam promiſſionis eſſe muratam, uel urbes terræ promiſſionis (Urbs enim una cœleſtis Hieruſalem dicitur; hic plures urbes, inquantum ibi ſunt plures manſiones) eſſe muratas. Grandes etiam illas urbes eſſe tunc ab illis audies, quando tibi dicent cum admiratione, quaſi magnitudinem illarum explicare nõ ualentes: O Iſrael quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius? Ibi fuerunt (ſed amplius non ſunt) gyganres (Ecce ſtirps gygantæa, ſiue progenies Enach, de qua loquitur præſens capitulum) nominati, i. dæmones propter facinora ſua grandia, monſtruoſaq; famoſi. Grandes igitur illas urbes conclude à propheta illo dici, tùm propter locum ampliſſimum, tùm propter grandes habitatores iam præteritos. Sed mihi (inquis) quid de præteritis? Ut indè ad habitatores illius præſentes agnoſcẽdos mente conſurgas, dicens: Si præteriti habitatores erant ualdè magni; ergo magis admodum præſentes, atque futuri, erunt magni. Qui ualet illud conſequium? Nonnè ſufficit inferre; ergo habitatores pòſt uenientes erunt ualdè magni præſertim cũ in priorum habitatorum locum ſuccedant? Minimè hoc ſufficit. Licèt enim in locum illorum ſuccedant, quantum ad numerum; non tamen quantum ad paruam magnitudinem Nã magnitudinem maiorem incomparabiliter præ illis habitatores ſuccedentes habebunt, quamuis non in maiori numero (iuxta D. Thomam) ſaluabuntur, quàm illi ceciderint. Incomparabiliter grandiorem illis dixi poſterorum magnitudinem; quia habitatores primæui nunquam gloriam, ſed tantùm gratiam, habuerũt; licèt in cœlo corporeo realiter eſſent. Suffecti autem in eorum ſedem gloriam adipiſcentur æternam, per gratiam, quam in tempore præſenti habuerũt. Quãtum ergo diſtat gratia à gloria, & quantum diſtat temporaliter habitum ab æterno habendum, tantùm priorum magnitudo a ſequentium habitatorum magnitudine diſtat. Si fuerunt ergo in magna illa domo diuina gygantes ob mala ſua nominati, nunc in illa ſunt gygantibus maiores ob ſua bona facta nominatiſſimi. Secundum ſe igitur illa Dei domus eſt tàm grãdis, ut antea fuit (nam eadem facies diuina ſemper): at, ſecundum habitatores loquendo, nunc grãdior eſt, quàm prius fuerit.

¶ Roborentur tunc (inquiebam) manus tuæ, cùm hæc ab exploratoribus ipſis audieris, & ab omni torpore animũ tuũ excute. In hanc urbem intrare uis? Ex quo tàm grandem, tàm

grandes cultores nunc eam habere, audiſti, concaluit cor meũ in meditatione horum, & optas fieri conſors tantorum heroum, atque gygantum? Intrare igitur in urbem hanc omnino uis. Dignitatem tãtam obi eſſe paratam cùm ſcias, ipſam induere omninò cupis. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Si quis hanc dignitatem deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim eum, qui cupit nimis. i. rem grandem, facere nimis. i. etiam grandia operari. Audiſtin unquam, quòd dominus decorem indutus eſt, indutus eſt dominus fortitudinem? Quomodo id intelligis? Quòd Chriſtus dominus decorem induere optauit; & ex hoc deſiderio proceſſit, ut ille fortitudinem indutus ſit. Ad quid iſtam fortitudinem induit? Ut illum decorem indueret. Niſi enim fortitudinem indueret, proculdubio nec decorem induere illum poſſet. Ideò non fortitudinem tantùm induere illum uolentem decorẽ, opus eſt, ſed etiam proportionatam fortitudinem. Magnum enim decorem magnam fortitudinem decet, maximumque ipſum iſtam maximam. Vis audire, decori appetito fortitudinem neceſſariò anteiſſe, & decori tanto tantam fortitudinem? Oportuit (inquit) pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Quid eſt oportuit Chriſtũ pati, & ita intrare in gloriam ſuã, niſi quòd ſi decorem induere uoluit, fortitudinem induere prius neceſſarium illi fuit? Pati Chriſtum oportuit; Pati, quid? Ab infidelibus dura uerba, duriora uerbera, duriſſimaq; tormenta uſque ad mortem crucis, à ſuis derelictionem, negationẽ, traditionem, uilipenſionem, à ſemetipſo auſteritates, mentales dolores ab inſtanti conceptionis, fatigationes, ieiunia, paupertates, ac ſimilia. Vniuerſa uerò hęc fortiter, ęquanimiter, hilariter, cucurrit; ut ad decorem illum. i. gloriam ſuam perueniret. Ecce, quòd ex decore animatus eſt Chriſtus ad paſſiones omnes præmiſſas. Sic & tu ſi decorem illum induere optas, fortitudinem prius te induas. Ad dignitatem magnã, etiam in ſeculo, non ſine magnis laboribus uenitur. Quid ergo mirum, ſi ad dignitatem iſtam non ſine magnis ærumnis cum fortitudine ſuperatis peruenire poſſis? Agnoſce, ò chriſtiane, dignitatem tuam; & diuinæ conſors factus naturæ noli in ueterem uilitatem degeneri conuerſatione redire. Agnoſce, quòd urbes, ad quas poſſidendas cum Iſrael uadis, ſunt grandes: & ideò grandem requirunt animum, ut poſſideantur. Locus namque ac locatum proportionata (iuxta philoſophum) eſſe debent. Hinc eſt, quòd puſilli animo, parati illi mali exploratores cum adhærentibus, ad poſſeſſionem terræ non ſunt admiſſi; ad quam tamen poſſidendam introducti ſunt boni exploratores cum ſequacibus. Grandem enim urbem non, niſi grandem hominem, decet. Et quis grandis homo, niſi qui grandem animum, grandeſque uirtutes (obice quocunque in contrarium nil faciente) appræhendit.

EXAMEN V.

AB his exploratoribus quintò inquirendum erit, utrum inimici noſtri ex omni parte iter noſtrum impedire conentur ad terram hanc, an pars aliqua ſit itineris hoſtili manu non occupata. Hic ab illis tibi reſpõdebitur, quòd totum iter undique inimicis eſt ſeptum. Amalech (inquient) habitat in meridie; Hethæus, Hiebuſæus, & Ammoræus, in montanis; Chananæus iuxta mare, & circa fluenta Iordanis. Per hæc reſponſa intelliges tu, ab omni parte inimicos ſpirituales inſidiare tibi, nè ad cœlũ intrare ualeas. Si in meridie (dices) habitant hoſtes, ubi minus eos eſſe (cùm ipſi maximè meridianam lucem ratione propriæ tenebroſitatis fugiant) uerisimile erat, ergo multò magis in Aquilone, Septẽtrione, Oriente, & Occidente habitabunt ad mihi obuiandum cum reſiſtentia. Rurſus. Si in montanis (dices) habitant inimici, ergo multò magis planiciem obſidebunt. Nam quòd in montanis ſint minus uerisimile eſt, quàm in planicie, quandoquidem montana ſcandere difficile eſt, planiciem uerò non item. Iterum. Si iuxta mare (inquies) ſunt inimici, & circa dulcia fluenta, ergo multò magis erunt iuxta terram. Eſt ſiquidem uerò ſimile magis, quòd ſolidum locum, qualis terra eſt, uicinum habere uelint, quàm inſtabilem, uelut aquæ ſunt. Adhuc uis per hæc uidere, quòd inimicos ſpirituales omnem locum, nè pertranſeas, circunſtant? En, locus quiſque, aut in cœlo, aut in terra, aut in mari eſt. Locum in cœlo obturare hoſtes intelligas, quando eos in meridie habitare audis (& a meridie arguas, ut ſupra), locum uerò in terra, quando de montanis fit relatio prædicta (& a montanis arguas, ut ſupra), locum autem in mari, quando marium Iordaniſque mentionem huiuſmodi faciunt. Taliter quoque locutus exploratores de locis inimicorum aduertas, exprimendo ſcilicet tantùm meridiem &c. ut hoſtes tuos ſcire pro certo teneas, qua tu tranſiturus neceſſariò es ad patriam uadẽs. In meridie ſunt, in montanis, ac iuxta fluenta; quoniam inter fluenta, & montes in ad meridiem tranſiturus es. Meridies eſt tibi finis; fluenta uerò, ac montes ſunt tanquam uia ad finem. Finem iſtum cum ſua hac uia monſtrauit Pſalmiſta, cùm domino decãtabat: Tranſiuimus per ignem, & aquam; & eduxiſti nos in refrigerium. Tranſiuimus per &c. Ecce ignis, & aqua ſunt uia: Eduxiſti &c. Ecce, refrigerium eſt finis. Quid aqua? Fluẽta ſiue maris, ſiue Iordanis. Quid ignis? Difficultas montanorum. Quid refrigerium? Tranquillitas, ſerenitas, iocunditas, claritas meridiei. Finem ergo tuum, ac media cùm obſideant hoſtes, utiq; omnem partem tranſitus tui nouerunt, ac præoccupauerunt. Quid, his nuncijs ab exploratoribus auditis, facies? Deum tibi fore, maximè neceſſarium, ut ſit propitius, hinc argumentaberis; cum bonis illis, Ioſue ſcilicet, & Caleph (capit. 14.) ac illius cuſtodię te totum committes, ut te inducat ſaluo itinere in terram hanc fluentem lacte, & melle.

COROLLARIA CONCLVSIO.

SI igitur iſtis auditis ad tuas uires ſolummodo reſpexeris, deſperandum cum malis exploratoribus tibi eſt, ac de retrocedendo ab inceptis cogitãdum. Iccircò uiarum tuarum, quæ nullæ ſunt, obliuionem accipias ſimul, cùm exploratorum nuncia omnia ſupradicta accipis, ac memorare iuſtitiæ Dei ſolius. Cuius iuſtitiæ? Quòd tibi promiſit toties regnum cœlorum; quòd, ut ad hoc te introduceret, de Ægypto in manu forti te liberauit, quòd tibi multa beneficia in iteram huius futuræ introductionis contulit. Cuius iuſtitiæ? Dei, non tuæ, id eſt domini tui Ieſu Chriſti, qui factus eſt nobis iuſtitia à Deo. Per hanc iuſtitiam ſcito tibi donanda omnia bona opera, cuncta merita, uniuerſa præmia, ita ut, cùm ſint dona Dei, dicantur etiam ueraciter tua; ut, opera tua, merita tua, præmia tua, ſecundum Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. can. 32. Per hanc iuſtitiam noueris, tibi Deum fore propitium, tibiq; tantas uires daturum, ut ſicut panem, ſic poſſis inimicos tuos deuorare. Nonnè audiſti Apoſtolum talia prædicantem? Si proprio (inquit) filio Deus non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Noli itaque eſſe (ſicut dixit Ioſue ad Iſrael) rebellis contra dominum, neque timeas populum hunc tuum hoſtem, etſi præmiſſa omnia audieris ab exploratoribus terræ promiſſæ. Exploratores iſti dati ſunt tibi in bonum; quoniam à Deo (ut in principio huius capituli dicitur) tibi dati ſunt, qui omnia bona facit. Videas tu, nè propter infidelitatem, uel diffidentiam tuam in Deum, fiant tibi in malũ. Nonnè in malum facti ſunt exploratores terræ ſanctæ, ſacræ ſcilicet ſcripturæ, ſacri Doctores, ſancta Eccleſia, ſacræ ceremoniæ, ſacramenta ſancta, operationes, prædicationes ſacræ, atque huiuſmodi; Nonnè (inquam) omnia iſta facta ſunt in malum ipſis hæreticis, atque infidelibus alijs, de quibus loquitur Petrus Apoſtolus ait, quòd ſacras ſcripturas deprauant ad ſuam ipſorum damnationem? Ad horum perſonam poteſt inflecti illud Apoſtoli dictum: Lex quidem ſancta, bona, & iuſta; ſed quod eſt bonum (defectu mei) factum fuit malum. Nec mireris, me dixiſſe, quòd boni exploratores illi fuerint Iſraelitis ferè omnibus in malum; quoniam illi exploratores, quanuis extiterint mali (ut ſcriptura hic ſonat) quoad deductiones ſuas ex habitatoribus uiſis, atque urbibus: fuerunt tamen boni (ut ex littera deducitur) quoad relata præcisè. Nam uera retulerunt: in cuius ſignum non negantur eorũ relata à Ioſue, & Caleph. Modò qui uerum dicit eſt, ut ſic, bonus, cùm bonitas intellectus conſiſtat in dicere ueritatem; & qui non mentitur ſit etiam, ut ſic præcisè, bonus quoad uoluntatem.

¶Applica ad ly (Euangelium) Scrutamini ſcripturas. Erratis, neſcientes ſcripturas. Nunquam legiſtis? In lege quid ſcriptum eſt. Vel ad ly (Pſalmos) In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Interroga (Deuter.) patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Hic enim Pſalmus, Euangeliumque ſcripturas exploratores noſtri itineris uolunt eſſe, a talibuſque conſilium non accipere, dicunt eſſe noſtrorum erratuum cauſa (Erratis, inquit, neſcientes ſcripturas); ſicut è contra illarum meditatio dicitur non peccandi occaſio (in corde, inquit, meo abſcondi eloquia tua, ut &c.) Deuteronomium uerò per Moyſen nobis fidelibus oſtendit, quòd patres noſtri, ſcilicet fideles ac maiores ſunt exploratores.

ploratores, atque ideò de uia ad cœlum interrogandi. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

Modus uitandi ſchiſmata.

CONCLVSIO hęc 7. cap. 13. deſtruit errorem Brentij dicentis, iudicio proprio ita ſtandum eſſe, ut nullo modo licitum ſit in cauſa æternę ſalutis alienæ ſententiæ ita inhærere, ut eam ſine proprio iudicio amplectamur. Patet enim hic mirum contrarium, ut uidere poteſt ſapiens. Damnatur quoque, & meritò, ſupra Numer. 2. con. 10. Prædictus autem error maximè cauendus eſt in his, quæ pertinent ad fidem: alioquin in ſchiſmata penè infinita caderent homines; nec ſe, nec alios (more babyloniorum Gen. 11.) intelligerent. Vnde enim tanta confuſio infidelitatum in mundo, niſi hinc, quòd ſuo quiſque iudicio contra maiores patres orthodoxos uult fidere, & inhærere? Quòd ſi patribus ipſis captiuantes intellectum ſuum in obſequium Chriſti firmiter inhærerent, dicerent omnes idipſum, ut olim monebat Apoſtolus 1. Corin. 1. intendens per hoc inſtruere illos, ad inhęrendum maioribus Eccleſiæ, nihil innouantes præterea, ſed in captiuitatem redigentes iudicium ſuum proprium ſub iudicio ipſo patrum in Eccleſia antiquorum. Cæterum uide Brentium alio tendentem, ſuoque illo erroneo clamore maximas turbas opinionum in toto mundo cientem. Sed ab Apoſtolo damnatur Roman. 12. Dico per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter uos, non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Quæ autem ſit iſta ſobrietas, declarat 1. Cor. 12. dùm oſtendit in Eccleſia Dei non omnes eſſe Doctores, & paſtores; ſed aliud eſſe oculum, aliud auditũ, ut non ſit (inquit) ſchiſma in corpore. Vide ibi, & diligentius conſidera, hanc ſanctam catholicamq; ſobrietatem, ſupra quam ſapere non licet (contra Brentium, Appellitas, Abailardos, Trinitarios, Fœlicianos). Sufficit enim, ſapienti lectori monſtraſſe locum Apoſtoli, ueritatiſque ſubminiſtraſſe motiuum. Damnatur & ubi damnantur Appellitæ, Abailardus, Trinitarij, Fœlicianus, ſi benè applicaueris, uidelicet in Numer. 2. con. 10. & cap. 4. con. 1. Item in Elucid pri. par. q. 1. art. 8. & q. 46. ar. 2. De obedientia, quomodo excuſat etiam in dubijs, ſaluatque ſimpliciter obedientem, uide Gen. 27. con. 1. & cap. 16. con. 4. & cap. 22. con. 2. In ſimilibus ſemper memento ſententiæ aureæ B. Hieronymi ad Euſtochium de uirgini. ſeruan. par. 3. epiſt. 16. Prima (inquit) apud eos cõfęderatio eſt obedire maioribus, & quicquid iuſſerint, facere. Et ad Ruſticum monachũ par. 3. epiſt. 39. Præpoſitum monaſterij timeas, ut dominũ; diligas, ut parentem. Credas tibi ſalutare, quicquid ille præceperit. Nec de maioris ſententia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt. Hæc ille. Quod de monachis ait, tu ad catholicos quoſque etiam applica, maximè quoad credibilia, & contra Brentium, ac ſimiles ſupradictos Hierònymò ipſum locum puta ſignanter, in ly Nec de maioris ſententia iudices &c. Vide ſupra citatum locum, Nume. 2. con. 10. Vide multa pulchra, & neceſſaria contra prædictos errores ſupra Leuit. 25. con. 2. examin. ante. 1. 2. 3.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XIIII.

Text.

IGitur uociferans omnis turba fleuit nocte illa, &c. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos uellet opprimere &c.

Concl. 1. *Plus poteſt mala ſuaſio in ruinam, quàm bona in ædificationem.* [Ex eo.]

Ratio.

Ecce Exploratores mali ſuaſerunt populo malum. ſ. non aſcendere in terram promiſſam, & redire in Aegyptum: boni uero ſuaſerunt populo bonum, ſcilicet aſcenſum in terram illam, & flocipenſionem inimicorum ſuorum, quid accidit? Exploratores mali profecerunt, & multum ſane, in populo: boni verò minimè. Audi textum. Igitur uociferãs omnis turba &c. Vñ ualet ly Igitur? Ex ſuperioribus. Quid ibi dictum fuit? Quòd Exploratores mali malũ populo ſuaſerunt: & quòd boni bonum. Ly Igitur ergo effectum ſuas omnium præmiſſarum inducit. Cum ergo effectum malum, & ſatis quidem, narret; bonum autem, nec minimum quidem adducat, clarum per hoc demonſtrat, ac ueriſſimum eſſe documentum concluſionis præſens. Et quid dicam? Non tantum ex bona ſuaſione, etiam duplicata, declarat, nullum bonum effectum ſecutum fuiſſe in populo, dùm tacet illum; ſed etiam maximum indè malum, ex defectu tamen populi, ſecutum in plebe dicit. Mirum certè. Ex ſuaſione bona ſimplici idest ab uno facta malum ſequitur negatiuum, inquantum ſcilicet nullum bonum expectatum ſuccedit: ex ſuaſione etiam illa duplicata malum poſitiuum, & magnum quidem, generatur. Audi. Primò (ut in præmiſſo capitulo dicitur) bonam ſuaſionem fecit unus tantũ. ſ. Caleph: ſecundò (ut in pręſenti habetur) illã duo, ſcilicet Ioſue, & Caleph, fecerunt. In prima ſuaſione ratio nulla exprimebatur; ſed ſolum per modum concluſionis dicebatur, Aſcendamus, & poſſideamus terram; quoniam poterimus obtinere eam. In ſecunda autem exprimitur, & ratio conditionata (ſcilicet Si propitius fuerit dominus), & ratio ſine conditione (ſcilicet Dominus nobiſcum eſt,) & defectio cordis hoſtium (ſcilicet Receſſit ab eis omne præſidium,) & dolor bonorum uehemens (ſcilicet Sciderunt ueſtimenta ſua,) & prolixior exhortatoria locutio (ſcilicet à ly Terra, quam circuiuimus &c. uſque ad ly Nolite timere.) Ex prima non proficit populus: ex ſecunda deficit. Poſt ſecundã enim immediatè dicitur, quòd multitudo omnis clamabat, & uolebat lapidibus eos opprimere: id quod maximum erat defectus. Sed quid clamabat? Vel clamabat; ut clamor impediret, ne bonos ſermones duorum exploratorũ audirent, uel ut ſe inuicem ad lapidandum illos animarent; uel propter utrunque. Simile habes de S. Stephano Actu. Apoſtolorum. 7. Exclamantes continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Quòd exclamantes continuerunt aures ſuas, monſtrat, quòd clamor ad hoc fiebat, ne audirent uerba B. Stephani: Quòd uerò tunc impetum fecerunt unanimiter in eum declarat, quòd clamor fiebat ad hoc, ut ſe inuicem ad lapidandum illum animarent. Sic ergo & hic exclamantes uoluerunt lapidibus opprimere bonos illos hortatores. Eodem modo & iudeorũ iſtorum filij lapides uoluerunt iacere in prædicatorem ueritatis Chriſtum. Quis non uideat, iſtos lapidare uelle ipſos bonos exploratores de bono opere? Quære in iſtorum bonorum uerbis, & nihil mali, imò nihil non bene dictũ, reperies. Iſtis ergo iudæis accidit, ſicut illi, qui audita bona Chriſti reſponſione ad Annam, dedit alapam Chriſto.

APPENDIX.

Nota argumentũ.

HInc habes cauſam, quare unus Maumethes, unus Lutherus, unus Caluinus, unus, &c. unus etiã diabolus in cœlo, tantam ruinam fecerint. Id enim fuit non propter prædicatam ab illis ueritatem; ſed propter hominum conditionem, quæ ad malum ex ſe (ut habetur Geneſis 8.) prona eſt. Quantò igitur magis malum ſequi prona erit; ſi adiungatur perſuaſio alterius? Non ergo mirum; ſi totus mundus malus eſt, & ad bonorum hortationes durus.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Secundum cecidit ſecus uiã ſuper petram, inter ſpinas, in terram bonam. Ecce, quòd malæ ſuaſiones ſiue uerbales, ſiue exemplares plus proficiũt, quam bonæ. Pro uno enim profectu ibi aſſignatur triplex defectus. Vel ad ly (Euangelium) Ego ueni in nomine patris mei, & nõ me recepiſtis: alius ueniet in nomine ſuo, & illum recipietis. Vide. Vnus Antichriſtus plus poterit in malum reſpectu iudaiſmi, quam unus Chriſtus in bonum: quod figuratum eſt hic. Nam exploratores mali ſignificarunt Antichriſtum, qui ſe cœleſtis terræ exploratorem per mendacioſa miracula finget: Exploratores uerò boni Chriſtum, qui re uera ſupernæ habitationis datus eſt nobis a Deo exploratos. Sed quare Chriſtus, cum ſit omnipotens, minus potuit reſpectu iudęorum; quam poterit Antichriſtus? Quia unicuique ſecundum conditionem ſuam prouidet: non tantum

tatu ſecundum quod poteſt. Hoc eſt. Non ex defectu Chriſti, ſed propter incredulitatem illorum Matth. 13. uel ad &c.

Text. QVouſq; non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis, &c.

Concl. 2. *Diuina miracula manuducunt nos ad fidem; licèt nobis non infundant fidem: & non credentes Deo per miracula uiſa ſunt caſtigandi meritò.* [Ex eo]

Ratio. NISI diuina miracula ſufficientia eſſent ad introducendum nos ad fidem in Deum; culpa incredulitatis non iudæis, ſed miraculorum defectui attribueretur. Nunc autem in littera iudæis totaliter aſcribitur ipſa noxa, dicendo: Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis? & hinc etiam patet, quòd non ſunt fidei cauſa in nobis ſufficiens, licèt (ut dictũ nunc) ſint teſtimonium fidei ſufficiens: quoniam poſitis illis coram aliquibus non ſequitur fides in eis; cum tamen poſita cauſa ponatur effectus. Ecce hic coram iudæis non unũ tantum; ſed multa ſigna poſita fuerunt: & tamen de incredulitate ad illorum poſitionem reprehenduntur, & caſtigantur. Feriam igitur (inquit) illos peſtilentia, atque conſumam. Nam ſi meritò non eſſent propter infidelitatem caſtigandi; Deus, cum ſit iuſtus iudex, non caſtigaret illos propter eam.

APPENDIX.

HInc habes, quod infidelitas eſt peccatum mortale; infidelitas (inquam) quæ habet teſtimonium ſufficiẽs ad credendum. Turcæ igitur, hæretici, iudæi, uiuunt ſemper in peccato mortali: quoniam teſtimonium ſufficiens habẽt ad credendum, nec tamen credunt. Tot. n. miracula audierunt facta eſſe in primitiua Eccleſia; & nunc illa uident in ſuo effectu, id eſt in mirabili conuerſione fidelium iam in mũdo exiſtẽtium. Hominem enim aſſentire credibilibus ſupra ſenſum, ſperandis ſupra ſenſum, operandis ſupra ſenſum eſt (D. Thoma narrante i. contra gentes cap. 6.) eſt non tantum miraculum, ſed miraculorum maximum. Viderunt primitiui homines miracula in ſeipſis facta, & crediderunt: Vident moderni homines miracula eadem in effectu illorũ; & credunt. Sed ſicut uidentium miracula in ſeipſis quidam credebant, quidam non, ſed irridebant: ita & uidentium illa in ſuo effectu pars credit, pars irridet, pars neutro modo ſe habet. Ecce; Miracula eiuſdem uirtutis, euentusque ſiue in ſeipſis, ſiue in ſuo effectu, uideantur. Eandem miraculorum uirtutem agnoſcis, in dando teſtimonium de credibilibus: alioquin homines moderni non uidentes miracula fidei, niſi in ipſorum effectu, non eſſent infideles ex infidelitate damnandi. Eundem miraculorum euentum noſſe cogeris ex ſequela uidentium miracula nunc in effectu ſuo: quoniam eodem modo uario ſe habent ad miracula uiſa nunc reſpectu fidelitatis; quemadmodum antiqui ſe ad illa tunc habuerunt. Secundò conſequenter habes, quòd non eſt neceſſarium nunc

Exempl. fieri miracula, quæ in primitiua fiebãt Eccleſia. Sufficit enim illa nunc apparere manifeſtè in effectu ſuo. Vnde qui ad illa in ſuo effectu uiſa non credunt Deo, iure damnabantur & ipſi. Verbi gratia. Videt quis arborem iam augmentatam, & eleuatam. Nunquid poteſt hic dubitare, niſi totaliter deſipiat, ꝙ ſemen ad tantam arborem ſufficiens fuit iactum primum in terram? Nunquid non iſte uidet ſemen huius arboris in effectu ſuo; & per effectum uenit in certitudinem cauſæ, ꝙ ſcilicet ſemen ibi antea fuerit? Vtique. Eſt ne (quæſo) neceſſe, monſtrare ſemen in ſeipſo huic, qui uidet iam arborem illam? Non: ſuperfluum enim id eſſet, cum natura doceat omnes, arborem non, niſi ex ſemine, naſci. Idem & tu iudicium trahe de uidentibus nunc fidem in mundo auctam, ac eleuatam: & ſuperfluum ſtultiter teneas eſſe, ulterius miracula fidei quærere, imò & dementiſſimum, de miraculorum præterita exiſtentia dubitare. Dicamus ergo cũ Diuo Thoma (primo contra gẽtes cap. 6.) quòd miracula nunc fieri ad probandam Chriſtianam fidem, non eſt neceſſarium. Ea propter curioſi uocantur hi (nè dicam ſtulti) qui nunc, uiſa tanta fide in gentibus, adhuc quærunt miracula. Ea propter Deus (cum nihil agat fruſtra id eſt ſine neceſſitate) nunc ordinariè non agit miracula ad illorum petitionem; ſicut nec olim (Luca teſte) mittere uoluit Lazarum, &c. ad epulonis inſtantiam. Sicut enim tunc Lazarum uelut ſuſcitatum mittere noluit propter ſalutem fratrum; quoniam aliud melius medium efficaciusque (ſcilicet ſcripturas) habebant, per quod ſaluarentur: ita nunc non ordinariè agit miracula, quia maius miraculis uidemus, ſcilicet cõuerſionem hominum tam mirandam; ut ſcilicet credant inuiſibilia, ſperent ſupernaturalia, operentur delectabiliter propriis ſenſui contraria. Hæc enim cum ſint finis miraculorum, ſunt maiora miraculis, quæ ad iſtum finem ordinantur. Tertiò habes, quomodo intelligas illud Chriſti dictum, ſcilicet Beati, qui non uiderunt, & crediderũt. Intelliguntur enim de non uidẽtibus miracula in ſeipſis, & credentibus. Nam omnes nos, de quibus (ſecundum Gregorium) tũc loquebatur Chriſtus, uidemus miracula in ſuo fine ſcilicet in conuerſione gentium. Sicut ergo uidentes miracula in ſuo finali effectu, & credentes, ſunt beati; ita uidentes illa in eodem effectu (quomodo, uelint nolint, omnes nunc infideles uident) & non credentes, ſunt maledicti, ſeu miſeri. Vide 2.2.q.6.ar.1.2.& compend. Alb. lib. 1. c. 28. ſchol.

Not. ¶Miraculum ſe habet proportionaliter ad fidem, ſicut demonſtratio ad concluſionem. Quemadmodum igitur quando quis non capit demonſtrationem claram, oſtendit, ſe tũc rudis admodum intellectus eſſe; ita cùm quis non capit miracula. i. ex miraculis uno illorum modorum uiſis non credit, tunc per hoc demonſtrat, ſe duriſſimæ uoluntatis eſſe. Et ſicut, data demonſtratione clariſſima, ſæpiusque replicata, miraris uehementer de ruditate grandi illius, qui concluſioni taliter demonſtratæ non aſſentit; ita datis miraculis tàm claris tamq; multoties repetitis, miratur nunc Deus. i. ad modum mirantis ſe habere innuit de duritie cordis iudæorum; quòd ſibi Deo non credant. Quouſque (inquit) mihi non credent in tot ſignis, quæ feci coram eis? Hoc eſt. Demonſtrationes ad fidem fuerunt manifeſtiſſimæ (ideò facta ſigna dicuntur corã eis), fuerunt ſæpè repetitæ (ideò dicuntur tot): & icircò ſatis mirabile eſt, ꝙ iſti iudæi non mihi credant. Hoc idem figuraliter uoluit intelligi Deus de infidelibus noſtri temporis. His enim tàm manifeſta ſunt miracula priora in ſuo effectu finali, ut nihil ſupra; & tamen credere nolunt. De duritię intellectus mirareris iure, ſi ageretur de ſcientia ſpeculatiua, mirare igitur de uoluntatis illorum pertinacia; quia agitur hic de fide.

¶Applica ad ly (Euang.) Opera, quæ ego facio ipſa teſtimonium perhibent de me. Ecce quòd miracula non ſunt cauſa infundens fidem in nobis; ſed tantùm cauſa teſtificans. Et ſicut de Chriſto perhibuiſſe teſtimonium dicuntur, inquantum monſtrabant, Chriſto eſſe adhærendum; ita Deo ipſi antiqua iſta ſigna teſtimonium perhibuerũt, inquãtum conuincebant capientes illa, ꝙ Deo erat credendum. Niſi enim de hoc conuiciſſent mentes hominum, Deus non miraretur nunc de mentibus hominum duris, ſed de inſufficiẽtibus miraculis. Teſtimonium igitur de Deo iſtud fuit ſufficiens, ſed rei noluerunt propter ſuam pertinaciam confiteri ueritatem. Et hoc fuit uel quia intellectus nõ capiebat ſigna illa eſſe diuina (hoc eſſet mirandum), uel captis illis uoluntas in ſua obſtinatione adhuc perſeuerabat (hoc eſſet plus

Exempl. mirandum. Vidiſtin unquam reum ueritatem à teſtibus dictam intelligere; ſed tamen hanc nolle confiteri; imò contra conſcientiam ſuam negare?); uel quia tùm in intellectu tùm in uoluntate erat defectus (hoc eſt, omni admirabili dato, mirabilius); & ſic Iudæorum in hoc capitulo Numeri contentorum potuit eſſe incredulitas, quam & ſui poſteri à Chriſto in Euangelio repræhenſi conſecuti ſunt. Quomodò in intellectu ſimul & uoluntate potuit eſſe defectus? Audi. Potuit uoluntas iſtorum eſſe tàm malè affecta, ut diceret; Etiam ſi intellectus hanc ueritatem caperet; ego tamen nolo aſſentire illi ueritati: Tunc intellectus ſi non capiat ueritatem, in intellectu eſt defectus; ſi autem capiat, in intellectu non eſt defectus. In uoluntate verò, quouis modo ſe habeat intellectus, tunc defectus manet. Iſtud ultimo dictum de defectu intellectus, & uolũtatis, ex oppoſitis ſe habet ad credẽtes illa, quæ rationi ſuæ naturali præuia ſunt, puta Deum eſſe unũ creatorem cœli, & terræ. Hæc enim capit intellectus, & uoluntas credit. Quomodo iſtud ſe habet ex oppoſitis ad illud, quando ſcilicet & in intellectu ſimul, & uoluntate eſt defectus? Hoc utique modo quia uoluntas credentiũ iſta per fidẽ dicit; Etiã ſi intellectus meus iſtud nõ caperet; ego tamẽ quia ſic Eccleſia monet, credere uellem. Illud autẽ de nõ defectu intellectus, & de defectu uolũtatis ex oppoſitis ſe habet ad credentes excedentia ſiuè ſimpliciter, ſiue ſecundum quid rationem ſuam. Quia enim excedunt rationem, ideò non capiuntur intellectu: & tamen uoluntas illa credit. Simpliciter

exce-

excedant, quæ à nullo hominum intellectu capi poſſunt, vt Deum eſſe trinum, & unum; Deum eſſe mortuum: Secundū quid excedunt; quæ ab hoc particulari non capiuntur, licèt ab aliquo hominum capiantur: ut, reſpectu ruſtici hæc .ſ. Deum eſſe infinitum, trinum, æternum excedunt; licèt reſpectu philoſophi non excedant. Quemadmodum igitur infideles digni ſunt admiratione in malū, ita fideles digni ſunt admiratione in bonum; licèt miracula videant. Nam uoluntas eorum ſemper eſt laudanda, quoniam adhuc miraculis uiſis potuit (ut in capitulo præſenti habes) retrocedere. Verum eſt quidem, quòd uoluntas magis laudanda eſt, quando intellectus miracula in ſeipſis non videt, aut credibilia non capit; quoniam tunc magis oſtenditur prompta ad obedientiam Eccleſiæ. Ex obedientia enim illius tunc præcisè, aſſentit fidei: Et tunc præcisè de iſto verificatur Apoſtoli dictum .ſ. ad obediēdum fidei. Quot ergo modis attēditur infidelis, tot modis attendi poteſt fidelis. Hinc non eſt mirum, quòd Chriſtus miretur de fide Cēturionis, de fide Chananææ, quoniā & (ab oppoſitis) Deus de infidelitate antiquorum horum iudæorū admiratur. Oportebat enim figuræ huic ſuccedere figuratū ab oppoſitis. Vel ad ly &c. Vide 2.2.q.2.ar.10.& pri.par.q.3 2. art.4. cum Elucid.

Ratio. C Oram eis.

Concl. 3. *Miracula Dei ſunt irreprehenſibilia, & uera.* [Ex eo.]

Text. SCIEBAT Deus, iudæos hos fore poſt tot ſigna incredulos; & tamen ſigna facta poſuit coram eis. Hoc utique non feciſſet, ſi de miraculorum aliquo defectu dubitaſſet. Dixiſſet nanque: Iudei, ut ſuam incredulitatem palliare poſſint miraculis meis calumniam irrogare ſatagent; & ideò ſcrutabuntur in miraculis illis defectus aliquos tanta ſolicitudine, ut defectum, ſi quis lateat, aliquem inuenturi ſint in eis. Et ideò illa ſigna quidem eis faciam, ſed non coram eis; nè miracula de aliquo defectu depræhendi poſſint ab eis. Hoc dixiſſet tunc Deus, ueluti prudentiſſimus. At quoniam in miraculis ueraciſſimus, non tantum potentiſſimus, eſt: ideò miracula facit corā eis. Audito igitur quòd miracula fecerit, admirare Dei potentiam; audito, quòd illa fecerit eis .ſ. ad ſalutem eorum, admirare eius bonitatem; audito, quòd fecerit illa coram eis, admirare Dei in miraculis factis ueritatem. Hęc omnia textus hic inſinuare ſecreta intendit.

APPENDIX.

HINC habes, undè de magicis artibus, uel ſuperſtitionibus, uel huiuſmodi fictis, dubitari poſſit. Dubitari .n. de talibus poteſt, quando fiunt; & non fiunt coram eis .ſ. corā ſapientibus, uel coram ſigna uidere aſſuetis, quales erant iſti
a iudæi, ſaltem aliqui de tanta multitudine. Secundò habes cauſam, quare Chriſtus ſuam doctrinam ſua miracula faciebat non tantum uobis, ſed etiam coram uobis; non tantum iudæis iſtorum filijs, ſed etiam coram his iudæis. Tranſeo, quòd uolebat figuratum correſpondere huic figuræ: & dico, quòd ad miraculorum irrefragabilem ueritatem coram faciebat; & conſequenter ad ſuſpitionem de aliqua magia omnino uitādam. Veniebat enim ad lucem in cunctis operib. ſuis, atque doctrinis, ut uiderentur, omnia ab eo facta eſſe in Deo facta. Ad hunc finem iuſſit Apoſtolis, ut dicerent in lumine dicenda ab illis, & prædicarent ſuper tecta. Hanc ob cauſam dixit, ſe mittere illos in medio luporum, ſiue inter lupos, non in parte luporum, ut eos Chriſti diſcipulos miracula in propatulo facturos agnoſceres hinc, atque ideò uera. Adeo autem latibulum quodlibet fugiebant Chriſti diſcipuli in miraculoſis operibus, ut per infidelium os uerba ad faciendam miracula quandoque proferrent. Si enim legeris ſanctorum uitas, inuenies, quòd quandoque ad omnem ſuſpitionem tollendā faciebant, quòd infideles ipſi uerba dicerent, puta in nomine Ieſu Chriſti Nazareni fiat hoc, vel illud, & ſequebat miraculum. Sic enim conuincebantur totaliter, quòd miracula à ſanctis facta erant ueriſſima. Ecce, quam mirabiliter coram eis miracula faciebant. Ex hoc ardorem illorum ſitim ad ſalutem animarum cognoſce, ſicut & hic in Deo illam agnoſcere debes. Niſi enim iſti maxima ſalutem aliorum, & Deus & Chriſti diſcipuli, optarent; miracula eis facere ſufficeret, etiam ſi
b non coram eis. Tertiò habes conſequenter, quòd fides Chriſti eſt irrepræhenſibilis. Nam ſi miracula, quibus corroboratur, ſunt irrepræhenſibilia, & ipſa eſt irrepræhenſibilis, vt ſi nit, & quæ ſunt ad finem proportionentur. Hinc Cōcilia fieri ſolent quandoque in confinio infidelium, tradendo etiam eis ſaluum conductum (ut de Concilio Triden. patet), quod non eſſet, ſi patres orthodoxi de fidei irrepræhenſibilitate aliquo modo dubitarent. Coram illis enim infidelibus agunt Concilia, ut infideles poſſint (ſi poſſunt) fidem oppugnare; & vt uidentes ſe non poſſe hoc, confundantur ad pœnitentiam; ſicut & ob hunc finem Deus hic dicit ſe feciſſe miracula coram iudæis. Dicuntur etiam coram eis, tum quia erant manifeſtiſſima ita, ut non poſſent negari eſſe facta, tùm quia ſub illorum diſquiſitione ponebātur, ut aiunt, ad ſindicandū. Et nota; quòd non eſt idem ſeruandum de rationibus, quę circa fidem ſiunt. Aliud eſt enim uidere loqui de miraculis in ſe, aliud de rationibus noſtris ad fidem. Miracula enim in ſe ab omnibus etiam ſimplicibus capiuntur, & approbantur: rationes autem fidei adductæ à nobis quandoque non ſic capiuntur a plebe; ſicut rationes contra fidem in diſputando allatæ. Ne igitur pręiudicium fidelib. fiat (cōtra enim omnem iuſtitiam hoc eſſet) prohibitum eſt de fide coram ſimplicibus diſputare, ex quo & illa ſecundum ueritatem manifeſtiſſima eſt, & ſimplices hanc eſſe manifeſtiſſimam tantò plus credunt, quanto minus aliquod argumentum etiam falſum audiunt contra illam. Vt ergo fides in ſa ſit coram eis, quæ in ſignis fuit coram ſuis antiquis, non diſputamus de fide coram eis. ſecunda ſecundæ quæſt. 10. artic. ſeptimo. Ergo noſtrum non diſputare de illa, eſt monſtrare illam manifeſtiſſimam; ſicut Deum facere ſigna, erat facere ſidem illam manifeſtiſſimam. Ecce, quòd prohibitio prædicta Eccleſiæ eſt ad ſalutem fidelium, & probatio quædam fidei. Quaſi dicat per illā prohibitionem Eccleſia: Quod patet expreſsè nō eſt probare neceſſe. Vt etiam fides perſeueret coram eis .ſ. illis manifeſtiſſima perſiſtat, laicis popularibus ipſis inter ſe diſputare de fide interdicit, ſiue publicè, ſiue occultè, ut patet lib. 6. de hæret. cap. quicunque. Et quia contrafaciens excommunicari mandatur; ideò peccaret mortaliter laicus, ſi diſputationem huiuſmodi eſſe ſibi prohibitam ſub tanta pœna ſciens, præſumaret diſputare de fide. Ab exemplo quoque nonnè uidimus nos, ſimplices ſeculares diſputando inter ſe de fide, à fide excidiſſe? Vtique. Quare? Quia fides, licèt in ſe manifeſtiſſima ſit, tamen nobis non apparet. Alia autem ratio adduci poteſt, quòd ſcilicet diabolus phantaſiam hominis mutare ualet, 1.q.111. ar.3.4. & conſequenter facere hominis phantaſiæ vnum apparere pro alio, & tantò magis hoc poteſt in homine, qui contra iſtam Eccleſiæ ſanctam prohibitionem facit. Magnum valde & mirum, quod ſequitur. Fides noſtra catholica eſt de non uiſis, de non apparentibus; & nos ſemper ad apparentia recurrimus, vt eam probemus: Quomodo apparentiæ nobis probare poſſunt non apparentia? Illa (inquit Philoſophus), quæ ſunt diuerſorum generum, non ſe inuicem demonſtrāt; imò unum per aliud monſtrari uelle inſipientiſſimum eſt (quæ enim conuentio numerorum ad albedinē, ut per illorum naturam iſtius natura demonſtrari quærit?): multò igitur magis quæ ſunt plusquam diuerſorum generū, cuiuſmodi apparentia, & fides, ſe inuicem demonſtrare non poterunt. Dignitati ergo fidei, nedum ſaluti fidelium conſulitur, dum à ſimplicibus inter ſe, ſiue coram ſimplicibus, diſputari de ipſa prohibetur. Simplices nanque maximè attendunt ad apparentia, ab illiſque mouentur, ac ideò iſta non uidendo in fide catholica, quæ tamen in aliorum ſectis uident (puta quòd proſperantur temporaliter turcæ &c. chriſtiani autē non) à catholica fide, ad aliorum ſectam probabiliter vel declinarent, uel declinatione ad illam tentarentur.

Lege lib. hyſtoriarum.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Qui facit ueritatem uenit ad lucem, ut uideantur opera eius. Ideò Eccleſia ſancta dicitur catholica .ſ. uniuerſalis; quia uniuerſaliter omnibus proponit ſua probanda ab unoquoque; niſi (ut diximus) iſtud quandoque non faciat propter ſalutem imbecillium auditorum ſua non capientium. Vel ad ly (Euangelium) Quæ audiſtis in cubiculis, prædicata in tectis. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 3. cap. 14. tanquam in radice deſtruit hæreſes Pauperum de Lugduno (ut refert Card. Turrecremata, de Euchariſtia lib. 4. ca. 35.) dicentium; miracula in Eccleſia nulla uera eſſe. Et Eunomij, Euſtachij, Vigilā-

rij (ut refert Lindanus, Dubitantij ſui Dialog. 1.) dicentium, miracula ſanctorum fuiſſe dæmonum præſtigia. Totum .n. contrarium patet hic. Nam miracula facta à Deo ſiuè per ſeipſum immediatè, ſiuè per ſanctos medios, ſunt (ut concluſio dicit) & uera, & irreprænſibiliter uera: in Eccleſia autem catholica non ſunt aliqua miracula, niſi à Deo uel mediatè, uel immediatè, facta. Vnde maxima cautela adhibetur circa reliquias, uenerationẽ ſanctorũ, atque miracula; nè aliquis documẽtis falſis, aut figmẽtis uanis decipi poſſit, ut patet per Sum. Pontifices Alex. III. & Inno. III. extra de reliq. & ueneration. ſanc. c. Audiuimus. Et c. Cùm ex eo. Item per Honoriũm IIII. de teſtibus, & atteſtation. c. Venerabili. Cõdemnantur etiã ab inimicis noſtris, ut in hac re cum Deuteron. 32. poſſimus dicere: Et inimici noſtri ſunt iudices. Nam quando uirga Aaron deuorauit uirgas maleficorum Pharaonis, Exod. 7. & eduxit de puluere ſcyniſes ſuper totam terram Ægypti Exod. 8. nonnè malefici ipſi hæc non ualentes efficere, & de tantis ſignis obſtupeſcentes, tanquam ab ipſa ueritate coacti conclamauerunt: Digitus Dei eſt hic? Damnantur quoq; & meritò, prædictæ hæreſes à Decreto diſt. 50. c. Timeamus. Vbi monſtratur apertè, quòd intra unitatem Eccleſiæ catholicæ non ſolum ſunt uera, ſed etiam uitæ æternæ meritoria ſanctorum miracula. Dãnantur & Mar. ult. Prædicauerunt ubiq; dño cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Dominus autem, etiam ſecundum rationem humanam, nõ poteſt decipere, ſicut nec decipi; & per conſequens illa Domini miracula per ſanctos ad Eccleſiam in fide roborandam facta fuerunt uera taliter, ut non potuerint eſſe falſa. Item damnantur ſupra Exo. 18. conc. 2. & in Elucida. pri. par. art. numer. 518. Vide Compend. Alber. lib. 1. c. 28. Schol. ubi & ex prima parte S. Thomæ, & ſecunda ſecundæ citata de falſitate ac ueritate miraculorum plenius edoceberis. Verum quidem eſt miſſa quædam, licèt nõ propriè miracula, poſſe eſſe falſa; ſed quã ſummo Pontifici deferuntur, ille à Spirituſancto Eccleſiam totam dirigentem actus falſa à ueris dijudicat, & ſolum uera catholicæ Eccleſiæ proponit. Non enim in his errat, ſed nec errare poteſt; ſicut nec in diſcernendis ſcripturis, ſupra Exo. 13. con. 6. Elucid. pri. par. q. 32. ar. 4. & q. 1. art. 1. Item Leuit. 13. conc. 1. Non mirum ergo, ꝙ non niſi probata miracula per Eccleſiam uult acceptari à catholicis, Concilium Tridenti. Seſſ. 25. Decret. 2.

Text. AT illi contenebrati aſcenderunt uerticem montis; archa autem teſtamenti domini, & Moyſes &c.

Concl. 4. *Non quicunque exponunt ſacram ſcripturam, ipſam ſaluberrimè exponunt; ſed ſoli hi, qui cum Moyſe & archa, in exponendo illam, aſſociantur.* [Ex eo.]

Ratio. SCRIPTURA ideò diuina dicitur, quia à Deo reuelata eſt. Si ſcripturarum cortex à Deo reuelatus eſt; ergo multò magis ſcripturarũ ſenſus ſi ab aliquo aſſequendus eſt, à Deo reueletur, oportet. Sicut igitur ſcripturarum corticẽ habere non poſſumus ſine ſpeciali Dei reuelatione: ita, & multò magis, ſine Dei ſpeciali gratia reuelante ſenſum ſcripturarum habere poterimus; imò nec totus unà mundus unquam ualebit. Quid eſt Deus? Eſt lux uera, quæ illuminat, qui hic figuratur per arcam teſtamenti; & Moyſen tanquam miniſtrum ſui luminis ad ſynagogam habet. Quicunque ergo ad ſenſum ſcripturarum aſcendit; illuminatus aſcendat: alioquia ſine aliqua utilitate ſudat. Sudarunt iſti iudæi aſcendẽdo non tantum montem, ſed uerticem montis; & tamen ſine utilitate, imò cum maximo detrimento, aſcenderunt illuc. Magnus labor, quia montem aſcendunt; maximus, quia uerticem mõtis aſcendunt: & tamen maximum dedecus indè reportant, quia fugiunt inimicos; maximum damnum quia ab eis ibi occiduntur (ſimiles illis, quos diabolus, per malos intellectus ſcripturarum, dùm his ſine lumine ſtudent, decipiendo in anima interficit), nullã uel honoris, uel corporis, uel animæ utilitatem ex tali, tantoq; aſcenſu acquirunt, quia de montibus ipſis percuſſi, conciſique turpiter profligantur. Vnde illis hæc omnia mala cum tanto labore? Quia ſine lumine aſcenderint. Studeas alicui libro ſine lumine. Nunquid ex hoc proficies unquam? Imò teipſum irrideas, neceſſe eſt, & a cunctis hominibus irrideaſis. Sicut haurit aquam cribro, qui uult diſcere ſine libro, ita haurit aquam cribro, qui uult legere ſine lumine ſocio. Quid inter alia mala faciet hic? Tempus conteret, & unum pro alio leget. Sic faciunt quicunque ſine lumine diuino ad legendum ſcripturarum uerticem .i. ſacram Theologiam conſcendunt. Tempus enim amittunt, quod eſt peccatum, & unum ſenſum pro alio introducunt, quod eſt maius peccatum. Accipiant ergo lumen ſocium, & ſic utrunque prædictorum inconuenicns faciliter uitabunt.

¶ Et vt ad ſumendum lumen à Deo ſciant fore neceſſarium ſibi, argumento prædicto ſuam ceruicem confringant. Quod nam fuit argumentum? Hoc, & irrefragabile quidem. Si (inquit) abſque Dei lumine ſpeciali ſcripturæ litteras, quæ minus ſunt, habere non poſſumus; utique nec ipſarum ſenſum, qui maius eſt, habere ſine illo unquam poterimus. Quis hoc argumentum non capiat? Quos argumentum hoc non conuincat, & ad lumen a Deo ſpecialiter ſumendum inducat, quando ſcripturas ſacras legere in ſenſu volunt? Qui autem etiam conuicti ad illum uerticem contenebrati aſcendent, ſuo ipſorum dãno, quantum malũ ſic agendo fecerint, addiſcent. Melius enim admodum eſt non aſcendere, quam contenebratum aſcendere. Si enim iſti non aſcendiſſent, tantas iacturas non feciſſent: nunc autem quia ſine lumine aſcenderunt, ideò tanta inde nocumenta cum laboris perditione reportauerunt.

¶ Vt ſcias, qui aſcendunt cum lumine, uel cum tenebris, ad illum montis miſtici verticem, uide in præcedenti capitulo concl. 4. Sic enim & alia iam dicta, & dicenda hic, melius intelliges. Vide etiam omnino Compend. Alb. Mag. lib. 7. c. 9. Shol. & lib. 5. cap. 43. Schol. *Not.*

APPENDIX.

HINC habes, ꝙ uolentes ſcripturæ ſacræ ſenſum uerum attingere, debent ad Deum feruentius recurrere, cum omni humilitate. Alioquin, ſeipſos magno diſcrimini exponere, nouerint. Sicut enim nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur, quàm in ſacra ſcriptura; ita nec alicubi periculoſius erratur. Magis nanque oratione feruenti humilitate ſubnixa, quam humano ſtudio diligenti, verus ſcripturarum ſenſus comparatur. 1

2 Secundò habes, quàm ſuperbi ſint, ac Lucifero ſimiles, hi, qui ſuo de capite ſenſum ſacræ ſcripturæ exculpere uolunt. Quid dixit Lucifer? Aſcendam in cœlum, ſimilis ero altiſſimo. Hi autem nolunt aſcendere ſupra cœlum, & maiores eſſe altiſſimo. Quid cœlum? Littera ſcripturarum. Quid ſupra cœlum? Senſus ſcripturarum, utpote litteræ medulla, carnis adeps, & ſub cortice fructus. Quis dedit ſcripturarum litteram? Deus. Quis uult de ſuo dare illarum ſenſum? Qui de proprio ipſorum ſenſu eliciunt illum. Qui ſunt hi? Hæretici. Hi ergo Lucifero in hoc peiores ſe oſtendunt, cum his non ſat ſit aſcendere in cœlum, & eſſe ſimiles altiſſimo, quod Lucifero ſatis fuit. Altiſſimus enim dedit litterã, hi nolunt dare litteræ ſenſum. Quòd ſi uellent dare litteram, uellent aſcendere in cœlũ: nunc autẽ quia uolunt dare litteræ ſenſum, ideò cupiunt aſcendere ſuper cœlũ. Non montẽ, ſed uerticem mantis cum iudæis iſtis, ſcandere uolunt. Bona uoluntas, ſi nullo alio addito dicatur. Sed quia cum ly Volunt, iungitur ſine lumine, ſiue cum ly Aſcenderunt, iungitur contenebrati: ideo hoc fermẽtum totam maſſam corrumpit, ideſt illam uoluntatem, quæ ſiue tali additione eſſet bona, facit malam. Velint ergo exponere ſcripturas, ſed illuminati, non contenebrati; ad Deum currant, antequam librum aperiant; Deum conſulant, antequam cogitare gloſemata incipiant; à ſuperuia ſenſum trahant, antequam illum in carta ponant: ſciant omnes, Iohannem in Apocalipſi uidiſſe ciuitatem Hieruſalem deſcendere de cœlo. Quid eſt pro nunc ciuitas Hieruſalem? Scripturarũ ſacrarum ſenſus, in quo uelut in ciuitate pacifica libẽter manet intellectus humanus. Hic ſenſus deſcendere debet de cœlo, & non aſcendere in cœlum, vel oriri de terra. Deſcendere de cœlo per orationem humiliantis ſe, ac penetrantis nubes. Niſi enim oratio penetrarit nubes, & conſequenter illas ſcinderit, quomodo ciuitas illa, quæ habet tranſitũ per nubes, deſcendet de cœlo? Non aſcendat in cœlum ille ſenſus per ſuperbiam: non oriatur de terra per ſtultitiam. Aſcendit in cœlum præſumptuoſe ſenſus hæreticus; oritur ex terra ſenſus Ethnicus. Stultitia ſunt enim gentibus omnia, quæ ſupra ſenſum ſunt (ut olim dixit Apoſtolus. Nos prædicamus Chriſtũ Crucifixum gentibus ſtultitiam. Ædificari ergo debent fideles.

les.

les,cùm uident adimpleri apud gentes noſtri temporis prophetiam hanc Apoſtoli: non autem ſcandalizari. ſignum namque certiſſimum hoc eſt, quòd fidelium Deus, eſt Deus Pauli Apoſtoli:) & non poſſunt intelligere hęc animales homines,quia ſpiritualiter examinantur? Nunquid ſęcus de colore iudicare poteſt? Sic & hi,cum ſint obtenebrati,de ueritate iudicare non poſſunt; imò dicunt bonum malum, & malum bonum. Quartò habes,quòd exponere ſano modo ſcripturam ſacram eſt maximum donum Dei,& ſpeciale. Hunc namque expoſitorem tenet Deus tamquam ſecretarium ſuũ, cum ei reuelet ſecreta ſua. Huic maxime ab hoc Deo gratię debentur, ne quando iraſcatur dominus, & ſpiritum talem ab ille auferat.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Scrutamini ſcripturas. Hoc ſiquidem intelligitur quoad uerum ſcripturarum ſenſum: id eſt ſcrutamini cum lumine ſcripturas. Stolidiſſimum enim eſſet, uelle ſcrutari aliquod inuentu difficilimum ſine lumine,ut patet ad ſenſum. Vel ad ly (Euangelium) Petre paſce oues meas. Soli Petro,cum alij pręſentes ſint,hoc dicitur. Quid eſt paſcere? Doctrinam ſcripturarum (Hæc enim ſunt paſcua fidelium,de quibus loquitur Pſal. dicens: Nos autem oues paſcuæ eius) fidelibus,qui hic dicuntur oues: adminiſtrare. Quare illi ſoli hoc dicit? Nonne & ceteri Apoſtoli id facere tenentur? Vtique tenentur; ſed non niſi doctrina per Apoſtolum Petrum approbata. Hoc ſignificauit Chriſtus,Petro ſoli dùm loquitur talia,nihil dicendo alijs præſentibus Apoſtolis. Quaſi diceret per hoc: Doctrina tua,ò Petræ,erit doctrina omniũ aliorum paſtorum, nec aliter docebunt unquam,niſi quam doctrinam tuo iudicio communieris. Sicut enim vna Eccleſia eſt,ita unam doctrinam uolo eſſe,non plures; qua paſcatur Eccleſia. Vna autem nõ poteſt eſſe,niſi per manum unius, quem te conſtituo,tranſeat ſolummodo iudicanda. Ideo,qa tu paſtor es loco mei ſcientiam doctrinarũ ab alijs paſtoribus non accipies,ſed alij a te; ideo tibi ſoli, nullum alium præſentem alloquens: dico: Paſce oues meas Ioan. 21. & Luc. 22. Tu aliquando conuerſus confirma non ſolum filios, ſed etiam fratres tuos coapoſtolos, & coepiſcopos. Quòd autem ſoli Petro reſeruetur doctrinæ huius paſcualis iudiciũ (id qđ hic innuit Chriſtus) habemus quoq; ex Galatarũ c. 1. 2. in princ. ubi Chriſtus doctrinã à ſeipſo datã Apoſtolo Paolo approbari a Petro uoluit,ut doceri poſſet. Hoc mirabile uideas ſupra in ſeptima concluſione præcedenti capituli circa dicta ibi. Talẽ Petri ſupereminentem ſedẽ eſſe ad iudicandum de ſcripturis, & earum ſenſibus figuratum eſt hic, quando ſine Moyſe ad montis uerticem aſcendentes, inde mortem conquiſierunt. Quaſi à contrario dicamr. Si cum Moyſe aſcendiſſent, inde uitam reportaſſent. Vnde hinc habes, quomodo intelligas illud: Quoniam in ipſis (ſcilicet ſcripturis) uos putatis uitam æternam habere,& illud: Verba vitæ æternæ habes,& illud. Qui elucidant me uitam æternam habebunt. Hæc ſiquidem omnia intelliguntur cum ſocietate ſummi Pontificis,quem Moyſes nũc figurabat. Adiuncto enim illius iudicio uerba ſcripturarũ dant nobis uitam, elucidamusque illas; aliàquin illas obtenebramus, & inde mortem æternam reportamus. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concl. 4. cap. 14. confirmatur, ac declaratur valde ex libro decretorum. 24. q. 3. c. Quidam. Quicunque aliter ſcripturam ſanctam intelligit, quàm ſenſus Spiritusſancti flagitat, à quo conſcripta eſt, licèt de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt. Hæc ibi in fin. Senſus aũt Spiritusſancti in ſcripturis quis ſit norunt Apoſtoli, quibus Chriſtus aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas Luc. 24. nunc, quando ipſis inſufflando dedit Spiritumſanctum Ioan. 20. & quia ſuper fundamentum Apoſtolorũ ædificati ſunt omnes fideles, Epheſ. 2. ideò firmiter tenendum eſt, quòd Sancta Eccleſia nouit ſenſum ſcripturarum munere Chriſti ſponſi ſui. Hinc illud eſt,quod dixit Concilium Trid. ſeſſ. 4. decret. 2. vnde etiam concluſionem hanc textualem & firmare magis & declarare potes. Ad coercenda petulantia ingenia decernit Sancta ſynodus, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit,& tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de uero ſenſu,& interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat. Hæc ibi. Cæterum forſitan quæret quis,ubi ſunt nunc Apoſtoli,quibus dedit Chriſtus ſenſum ſcripturarum,ut & ſciat, ubi ſit ſit mater noſtra Eccleſia talem ſenſum rectum iure hæreditario poſſidens. Ad hoc laudabile quæſitum uide reſponſionem digniſſimã & neceſſariſſimam, in Compend. Alber. lib. 7. cap. 9. ſchol. ubi & catholicos ab hæreticis certo certius cognoſcendi uiã apertiſſimam comperies. Sed & adhuc pro abundantiori doctrina,& firmiori,ex ſupradictis in propoſito diſpenſationis ſcripturarũ negotiis ſecuriſſime te gubernes, uide idem Compend. Alb. lib. 5. cap. 43. ſchol. Multum te iuuabit etiam de authoritate Eccleſiæ circa hoc uidere ſupra leuit. 13. con. t. & Elucid. pri. par. art. num. 1. 184. De interpretatione ſacræ ſcripturæ ſi uis authoritates ſanctorum,& multa proficua, conſule Ioan. Brunderium in ſuo compẽd. cõcertationis &c. titul. 32 art. pluribus. Quot ſcripturæ loca ſenſu prauo contra Eccleſiam temerarint hæretici, uide in elucid. pri. par. art. num. 1.

V Sque quò non credent mihi in tot ſignis, quæ feci? *Text.*

Concl. 5. *Miracula fiunt ad hunc finem, ut ſcilicet credamus.* [Ex eo]

SI non feciſſet iſta ſigna, ut ſibi crederetur, ſine cauſa de populo ſe nunc adhibitis ſignis conquereretur. Hoc ergo ſignum pluſquam manifeſtum eſt, quòd ad hunc finem miracula facit altiſſimus, quò ſibi à videntibus miracula credatur. Qui ergo non credunt Deo niſis miraculis, ipſi quantũ in ſe eſt, Deum operatorem infructuoſum faciunt, & conſequenter Deum maxima iniuria afficiunt. Vnde multam merentur pœnam, ſicut iſti iudæi, de quibus nunc loquitur. *Ratio.*

¶ Ergo quærant miracula infideles, nõ autem fideles, quoniam ſigna fiunt à Deo, ut ſibi credatur, & fideles credunt ſine nouis ſignis; infideles uerò non item. Quærant (inquam), ſi ea non habeant, alioquin ſi ea habent, nec indè proficiunt; ſignum non dabitur illis. Huiuſmodi erant hi iudæorum iſtorum filij, qui ſub cruce Chriſto dicebãt; Deſcende de cruce, ut credamus. Nunquid Chriſtus deſcendit de cruce, qui tamen, ut crederemus, deſcendit de cœlo? Non. Oſtendit ergo per hoc, quòd ipſi iudæi non uero animo illud dicebant. Si n. dixiſſent illud hoc animo, ex miraculis maioribus uiſis profeciſſent. Et ideò hoc miraculum eis meritò eſt denegatum; quoniam infidelibus dantur ſigna, ut credant, non ut (quod nolebant iſti) curioſè paſcantur. Ergo non mirum, ſi non eſigna non dantur ordinarię infidelibus. Nam iſtis ſub cruce tunc exiſtentibus ſimiles ſunt. Si enim uerò animo credere ex miraculis uellent, illis profectò (ſi opus eſſet) Deus miracula daret quærentibus, qui non quærentibus filium propriũ ad ſalutem dedit. Ergo non mirum, ſi coram Herode nullum miraculum facere uoluit Chriſtus. Nam Herodes ex curioſitate, non ex propriæ ſalutis deſiderio, ad quęrendum de miraculis mouebatur. Deus uerò non eſt noſtræ curioſitatis, ſicut nec aliarum noſtrarum paſſionũ executor, ſed noſtræ ſalutis. *Corol.*

EXAMEN.

ADmirationem Dei ſi uis penetrare hic, conſidera, quòd Deus à populo iudaico naturalem tantùm ordinẽ addiſcendi requirebat. Ideò mirabatur, q ad tantùm uiuendi modum beſtialem ueniſſent, ut etiam id, quod naturale eſt hominis, factis denegarent. Et, ſi naturalia non ſequebantur, quantò minus ſupernaturalia ſequerentur? Hanc conſequentiã uoluit per illud textuale ſuum dictum inferre Deus. A perfectione igitur, ad quam fideles uocabantur, multum elongati erant. Nondum enim etiam credebant Deo, quomodo illos, putas, credituros eſſe in Deum? Et tamen qui vult ſaluari, credat in Deum, oportet, non tantum Deo. Hinc deſiderium ſuũ, & hanc neceſſitatem, ſalutis noſtræ expreſſit Eccleſia; quãdo ſymbolum fidei in perſona omnium fidelium dicens ait: Credo in Deum. Nouerat ſiquidem, non omnes de Eccleſia eſſe in charitate (quod importat, credo in Deum), nec exiſtentes extra charitatem fideles eſſe extra Eccleſiam (quod eſt hæreſis damnata a Concil. Trid. ſeſſ. 6. con. 28.) & tamen omnibus

bus fidelibus ſingillatim iniunxit dicẽdum: Credo in Deum. Hoc ſiquidem fecit, ad denotandum, quòd neceſſarium eſt, eſſe in charitate uolenti intrare cœleſtem terram, nec ſufficit ſolam fidem tenere, quod eſt credere Deo. Vide ergo, quantũ diſtabant à ſalute iſti iudæi, qui nec etiam credebant Deo, quando nec etiam credere Deo ad ſalutem ſufficit. Et hinc, ipſos puniri citra condignum, inferas; quoniam morte puniuntur ea hoc, ꝙ non credunt Deo. Mortem enim merentur non credentes in Deum, licèt credant Deo. Igitur cùm iſtam cauſam (.ſ. non credere Deo) adducat pro ratione inferẽdæ mortis, miſericordiam mixtam iuſtitiæ punitiuæ (id quod eſt punire citra condignum) ſignificauit. Sed, inquies, quomodo iſti iudæi ordinem naturalem addiſcendi non attingebant, propter quod Deus ſuccenſus eſt? Quis eſt ordo addiſcendi naturalis? Vt ea notioribus nobis in cognitionem ueniamus ignotorum 1. Phyſic. tex. 2. Hanc addiſcendi normam unicuique natura inſitam iſti perdiderunt, inquantum ipſam ſeruare contempſerunt. Sed quomodo? Miracula ſũtne nobis naturaliter nota? Non. At licèt illa non ſint nobis naturaliter nota, nobis tamen naturaliter notum eſt, quòd qui põt plus facere, poteſt & minus; & ꝙ Deus adeò eſt uerax, ut non poſſit decipere. Vndè cùm Deus mirabiliora fecerit coram iſtis iudæis, quàm ſit, habitatores terræ huius ex terra ſua profligare abſque interitu iſtorum iudæorum, & cùm toties promiſerit iſtis iudæis ſe daturum illis terram Paleſtinorum, hi iudæi profectò naturaliter credere tenebantur, ꝙ Deus debellaturus eſſet has gentes; & quòd illarum terram daturus ſibiipſis eſſet. Nonnè maius eſt ſolo nutu uirgæ rubrum mare in ſiccum iter conuertere, ipſoque illo cunctos Ægyptios ſubmergere ſic in Iſraelem animatos, quàm terram Paleſtinorum, ac illius primos habitatores in manus Iſraelis tradere? Vtique. Et manna de cœlis pluere, & amaram aquam in dulcem transformare, & aquam dulcem à ſaxo duriſſimo educere, & huiuſmodi alia miracula ſunt aliquid maius, quàm terram hanc cum habitatoribus ſuis ſubiugare. Naturali ergo ratione quadam modo, quam ſupra explicauimus, cogebantur credere, ꝙ Deus id poterat efficere.

¶Sed dices: Forſan de Dei uoluntate dubitabant. De hoc, inquam, eos dubitare non licebat; quoniam ſi illa, quæ fuerunt maiora, in iudæorum horum fauorem fecit, utique naturali quodammodo conſequentia credere docebãtur, quòd minora pro ſeipſis facturus eſſet. At dicerent forſan, inquis; Peccauimus uehementer poſtmodum, puta adorando uitulũ aureum, toties murmurando; ideoque iure dubitamus, quod non uelit huiuſmodi terram cum eius accolis in noſtri fauorem ſubigere. Promiſſio, inquam ego, facta patribus de terra danda fuit iureiurando firmata (ut patet in Geneſi ad Abraham); & ideò ex bonitate diuina dabatur ita, ut non poſſet non dari. Siquidem promiſſio iuramento uallata diuino rem monſtrat talem ſic eſſe determinatam ſecũdum diuinum beneplacitum, quod eſt immutabile prorſus, non ſecũdum merita hominum, quæ ſunt in horas mutabilia. Et licèt, ſi loquamur de duratione in poſſidendo illam terram, merita iudæorum attendantur (ut habes à Deo in Geneſi ad Abraham capit. 15. ſub mandato animalium ſumendorum), tamen, ſi loquamur de prima introductione in terram, attenditur ſola diuina uoluntas. Vnde huic, ut dicebam apponitur iuramẽtum (Geneſis 22.), per memetipſum, inquit Deus, iuraui. Quid? Quòd poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Ecce iuramentum primæ poſſeſſioni adiunctum; ideò iudæi illi non excuſantur per præmiſſa dubitando de uoluntate diuina. Poſſim etiam, quòd iuramentum ibi nullum eſſet, & ꝙ prima iſta introductio in terram ſuperatis accolis eius attendenda foret ſecundum merita iſtorum iudæorum, adhuc ipſi non debuiſſent intantum deſperare, ut ad Ægyptum redire uellent. Sed quid tunc agere, uidentes ſua demerita, debuiſſent? Ad dominum ſuum pientiſſimum conuerti; quem toties experti fuerunt præſtabilem multum eſſe ſuper malitia, & ab eo fiducialiter ueniam de commiſſis petere, id quod pro illis omnibus (ut narrat præſens capitulum) fecit Moyſes, & pro parte obtinuit. At quia hoc illorum nõ conuerti ad dominum ex diffidentia in eius bonitatem millies uiſam dimanauit, icircò de diffidentia ſolùm, tanquam de omnium præmiſſorum malorum radice, à Deo fit mentio obiurgatiua dicente: Vſque quò non credent mihi?

2. Reſp.

APPENDIX.

HINC habes, quòd infidelitas, ſeu diffidentia, eſt multorum peccatorum radix. Vnde non mirum, ſi peccatum infidelitatis uocetur in plurali peccata à Chriſto alloquente ſic iudæos: Et in peccatis ueſtris moriemini. Quòd enim tunc de infidelitatis uno peccato loqueretur, patet in contextu ſupra dicente: Si non credideritis, quia ego ſum, in peccato ueſtro moriemini, ſiue quæretis me, & non inuenietis, & in peccato ueſtro moriemini. Ecce. Vnum peccatum in ſingulari dixit, quod poſtea in plurali peccata nominauit. Quare? Quia peccatum infidelitatis, de quo loquitur, eſt fons multorũ peccatorum. Peccatum itidem diffidentiæ huius naturæ exiſtit. Hoc Apoſtolus annotauit tunc quãdo de aliquibus dicebat: Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderũt impudicitiæ &c. Rurſum Apoſtolus. Diabolus operatur in filios incredulitatis, ſeu diffidentiæ. Secundò habes, quòd ex maioribus factis in minorum credulitatẽ non uenire eſt cõtra naturalẽ diſcurſum, multumque diſplicet Deo. Tertiò conſequenter, ꝙ Deus facit mirabiliora facta, ut ex illis poſt in faciliorem credulitatem minorum deueniamus. Quartò habes, ꝙ licèt non confidere in Deo malum ſit cuicunq; diffidenti, tamen peius eſt illi perſonæ, cui magnam fiduciæ artam (ſiue beneficia dando, ſiue in fauorem illius aliquid faciendo, ſiue &c.) prius donauit altiſſimus. Hoc enim hic denotauit litera, dũ dicit arguendo iudæos; Quouſque nõ credẽt mihi in tot ſignis, quæ feci eis? Quaſi diceret: Digni reprehenſione ſunt, quia mihi non credunt; ſed magis reprehendendi ueniunt conſiderando, quòd poſt tantam artam in me confidendi, quam dedi illis, mihi non credunt, ſeu in me nõ cõfidunt. Quicunq; ergo à Deo eſt beneficiatus hinc agnoſcat, ſe indeobligatum ad habendam maiorem, uel adhuc maiorem (iuxta ſcilicet beneficiorum priorum quantitatem) fiduciam in Deum, faciendo tamen ſemper, quod in ſe eſt. Vnde magis peccat beneficiatus diffidens de Deo in futurum, quam non ſic beneficiatus. 1 2 3 4

VT audiant Ægyptij &c. Et dicant, non poterat introducere populum in terram; iccircò occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo domini &c. Text.

Concl. 6. *Deus aliqua facit quandoque in fauorem fidelium, quæ non faceret, ſi non timeretur de blaſphemia nominis Dei inter gentes.* [Ex eo.]

Moyſes ſciens, ꝙ Deus non parcet populo, ſi ad populi meritum reſpiciat, quid facit? Vertitur ad inhonorationem Dei, quæ erit inter gentes, ſi non parcit populo illi. Si (inquit) tantam multitudinem occideris in deſerto, dicent gentes, ꝙ in non poteras eos inducere in terram promiſſam. Audito hoc Deus mitigat iram ſuam, & dicit: Dimiſi iuxta uerbum tuum ò Moyſes. Ratio.

NOTATIO MAGNA.

VIDES hic, quantum zelet Deus pro honore ſuo; & conſequenter uide, quantum peccent, qui non zelant pro honore Dei. Qui ſunt iſti? Qui non curant ſcandalizare infideles. Dant enim illis occaſionem, ut dicant, Deum noſtrũ non odire iniquitatem; aut malam legem ſtatuiſſe; aut malis hominibus fauere; aut non poſſe ſe de peccatis in ſe à fidelibus factis uindicare; aut huiuſmodi facinora neſcire. Si huiuſmodi (inquiunt) facinora ſciret, aut uideret, utique facinoroſos caſtigaret; præſertim cùm a fidelibus dicatur: Deus iuſtus iudex non uolens iniquitatem. Ab hoc, uel ſimili, Dei exemplo mouebatur Apoſtolus; quando ſuadebat chriſtianis, ut teſtimonium habere bonum ſatagerent ab his, qui foris ſunt: nè (inquit; ſicut & hic innuitur) nomen Dei per nos, & doctrina blaſphemetur. Hanc diligentiam habere debent religioſi apud ſeculares, nè nomen Dei, & doctrina per eos. i. occaſione morum ipſorum, ab illis blaſphemetur. Huc reſpiciant uniuerſi etiam, qui dati ſunt in exemplum aliorum, nè. ſ. Deus per eos. i. occaſione &c. ab alijs blaſphemetur. Multa uel faciunt,

tiant, uel facere dimittant (quando talia ſunt, quæ de neceſſitate non extant ſalutis) propter aliorum ſcandalum, quæ aliàs facerent, ſeu non facerent. Nec mihi quiſpiam dicat: Ego ſum liber, ſi illi uolunt ſcandalizari, ſcandalizentur, vel ſimilia pariam, aut nullam conſcientiæ cuſtodiã inferentia. Dic mihi. Quis eſt magis liber; quàm Deus? Et tamen, nè alij minus docti ſcandalicentur, abſtinet nunc ab his, quę aliàs, hoc ſublato, faceret. Prudentię igitur id ſignum eſt; non minoratio libertatis. Imprudentiæ autẽ eſt facere oppoſitum; nõ augmentatio, oſtẽſio, vel conſeruatio libertatis. Taceo, quòd ſequi Deum in hoc, eſt magnam charitatem exercere & in Deum, & in proximum. In Deũ quidem, nè nomen ſuum blaſphemetur, uel aliquo modo uilipendatur: in proximum autem nè in offenſam Dei incurrat. Adde quod tunc in teipſum quoque charitatem exerces. Famam enim tuam bonam, quæ multis theſauris melior eſt, conſeruas, quam qui negligit, crudelis eſt. Vnde & aperis tibi uiam ad fructificandum in proximis; quia cuius uita in bonore habetur, ac fama bona; eius etiam uerba diligentius audiuntur, tenacius memoriæ commendantur, ac in executione facilius ponũtur. Huius totum contrarium accidit in his, qui Dei normam, in non ſcandalizando alios, hic eis datam ſequi nolunt. Nam tales ab alijs bonis eiuſdem congregationis differentes charitatem & in Deum, & in proximum, & in ſeipſos offendunt: & (quod miræ cęcitatis ipſorum indicium eſt) de hoc aut uix, aut nullatenò non curãt, atque de iſto ſuo non curare, tanquam dati in reprobũ ſenſum, gloriantur. Omnia uerò hæc ſuarum negligentiarum peccata ſub pallio propriæ libertatis contegere nituntur dicentes: Non ſum liber? Vt quid libertas mea ab alia conſcientia iudicatur? Et ſimilia, obtuſi ſenſus, uerba.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Nè autem ſcandalizemus eos; uade ad mare, & in ore piſcis inuẽtum didragma exactoribus dato pro te, & me. Vide hic figuratum iſti figuræ correſpõdens. Non.n. Chriſtus abſolutè ſoluiſſet, cum liber eſſet ab eius ſolutione, ut ipſe dicit ibidem; ſed ad ſcandalũ euitandum in gentibus minus de Chriſti libertate doctis uoluit ſoluere cenſum. Sic & in capitulo præſenti ad fugiẽdum ſcandalum in gentibus minus de potentia Dei iudęorum uel de eius iuſtitia, uel de iudęorum ſceleſtiſſima uita, uel de ſimilibus, eruditis noluit Deus dimittere populo iuxta uerbũ Moſaycum. Si nanque Deus occidiſſet eos, gentes non attribuiſſent hoc Dei iuſtitiæ, cum malam uitam iudæorum ignorarent, nec conſequẽter inde ædificatę fuiſſent; ſed Dei impotentiæ, & conſequenter ſcandalizatæ fuiſſent. Scandalo itaque puſillorum (ſicut ſemper fecit) .i. minus in aliqua re uiſa eruditorum conſuluit dominus, & per hoc huic ſemper conſulendum à nobis, edocuit. Vel ad &c.

EXAMEN I.

Moysas noluit rogare Deum, ut abſolutè dimitteret pœnam populo iſti; ſed ut eam differret in aliud tempus, aliaſque perſonas. In huius ſignum orando dicit. Qui uiſitas peccata patrum in filios in tertiam, & quartã generationem. Ad quid enim hæc uerba orationi inſerit, niſi ut petat, quæ diximus? Videbat Moyſes peccatũ eſſe grande, uidebat & iuſtitiam Dei huius peccati caſtigationem exigere debere, uidebat & gentes facilè de potentia Dei ſcandalizandas modo dicto, ſi non introduceret iudęos in Paleſtinam. Quid rogauit? Vt ſcandalo gentium ſummo occurreretur. Hoc iam dictum eſt. Quid rogauit? Vt peccatum, quoad offenſam dimitteretur; ideò reſpondens dominus dixit: Dimiſi. Quid rogauit? Vt caſtigationem pro peccato dandam prorogaret uſque quò introductus fuiſſet populus in terram Paleſtinorum. Dicebat ſiquidem Moyſes intra ſe: Si iſti patres nunc pro peccato moriuntur, filij eorum ſunt parui. Vnde non erunt apti ad pugnandum contra terræ habitatores. Volo igitur precari Deum, ut patres iſtos potius puniat in filijs eorũ, & non tantùm in filijs eorum, ſed in multum diſtantibus, puta in filijs tertię, & quartę generationis. Introducentur ergo hi patres in terram promiſſionis, & in ea ſtabilientur tempore multo (id enim uidetur mihi bonum, & neceſſarium), poſt, adepta terrę ſecura poſſeſſione, caſtigabitur hoc iſtorũ peccatum in filijs uenturis. Si enim adepta terra, ante ſecurã terrę poſſeſſionem morerentur iſti patres; non videtur bonũ, quoniam inſurgere iterum poſſent hoſtes contra iſtorum filios belli inexpertos, & reacquirere ſibi terram, iudęis eiectis. Talia cogitabat Moyſes, iuxta rationem humanam probabilis, neſciẽs interim, quid Deus propoſuiſſet facere. ſ. q caſtigare uolebat hos patres in ſeipſis, abſq; ſequella tamen alicuius ſcandali ab ipſo Moyſe coniecturando adducti. Cæterum in præſenti oratione uide Moyſis intentum ad miſericordiã tendere, ſimul cum iuſtitia. Ad miſericordiam quidem quia uellet pœnã differri (ideò affert in littera, quòd Deus eſt patiens) ad iuſtitiam uerò, quia uellet patres puniri in filijs. Et ſic multam Deus miſericordiam (ſecundum Moyſen) oſtendet, dum penã hãc prorogabit, ac in terram iſtos introducet & ſimul auferet iniquitatem & ſcelera, dùm caſtigabit iniquitates horum patrum in filijs. Domine (inquit) patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem, ſcelera, nullumque innoxium derelinques, qui uiſitas peccata patrũ in filios in tertiam, & quartam generationem. Præterea in hac oratione Moſayca notabis primò, q in ſingulari loquitur de innoxio, in plurali verò de ſceleribus; quia pauci erant ibi iudæi à murmure illo innoxij, & multi in ipſo inuoluti. De innoxio facit mentionem, ut proferat obiectum miſericordiæ, de ſceleratis, proferat obiectũ iuſtitiæ punitiuæ. Iuſtitiam ergo & miſericordiam Dei ſe uelle conteſtatur, qui ſic loquitur.

EXAMEN II.

Nota q patientiam anteponit miſericordiæ; quoniam niſi Deus eſſet patiens nobis, non miſereretur. Patientia igitur eſt fundamentum quodammodo miſericordiæ in homines peccatores. Audi. Videt Deus peccata huius hominis præterita. Ex uiſione illa, ut ſic, inquantum. ſ. peccatorum eſt, ad miſericordiam incitatur, an vindictam? Nõ ad miſericordiam, ſed ad uindictam. Cur ergo peccatoris præteriti miſeretur? Quia patiens eſt. Hoc eſt, quod uoluit D. Auguſtinus inſinuaſſe; quãdo in regula dixit de Deo, q tanto uidet patientius, quanto ſapientius. Niſi enim ſapientiæ peccata uidenti iuncta eſſet æqualis patientiæ, actũ eſſet de peccatoribus. Vindictam nanque in illos exerceret ſine miſericordia. Quare ſine miſericordia? Quia ibi nõ interueniret patientia, quæ eſt miſericordiæ generatiua. Rurſum. Videt Deus peccata futura huius peccatoris, ingratitudinem, reuerſionem ad uomitum, & ad uomitum quandoque peiorem. Iſta uiſio, ut ſic, non tantum uindictam prouocat; ſed quodammodo ipſam neceſſitat, & miſericordiam claudit intra Dei uiſcera. Iſta eſt ira, quæ continet miſericordias Dei; i. quæ facit ex ſe quodammodo, nè ad nos deſcendere poſſint. Quis enim uideat ingratum de beneficio futurum; & illi beneficium conferat? Ecce quòd prædicta uiſio continet miſericordiam, i. facit de ſe q miſericordia non conferatur. At quoniam patientia eſt in Deo fundamentũ miſericordiæ, ideò uiſio illa, ut eſt patientiæ diuinæ coniuncta, non efficit pmiſſam miſericordiæ continentiã. Ideircò, negationem innuendo, dicit de Deo Pſalm. Nunquid continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Quaſi dicat; Non. Hoc ſanè mirandum ualde eſt: & ideò cum admiratione propheta de hoc locutus eſt. Pro huius rei faciliori captu dicamus ſub exemplo. Si quis meipſum non offendiſ- Exempl.
ſet unquam in peccatum, & habebam in intentione beneficium illi dare, mirandum eſt, ſi cum imaginatione hac quod me offenſurus eſt in futurum, q ego beneficium illi intentum donem. At ſiquis meipſum iam offendiſſet, & illum me in futurum offenſurum imaginarer, mirandum plus eſſet, ſi illi beneficium aliquod darem. Sed ſi id, q. ſ. in futurum me offendet certiſſimè ſcirem, pluſquam mirandum foret, ſi à beneficio dando non continerem. Vide. Mirandum tunc eſſet, ſi contra illum, & propter præteritas, & propter futuras, offenſas non deſæuirem. Quãtò igitur magis, & magis, mirandũ, ſi illi beneficium de nouo conferrem? Certè, ſi id facerem, maximæ meæ patientiæ aſcriberetur, quæ & bonitatem ſuuit, & uindictam refrænauit. Non mireris ergo, ſi Moyſes patientiã Dei primitus hic allegauit, antequam ad miſericordiam deſcenderet; quoniam in tali caſu ipſe tunc reperiebatur, qualẽ nos diximus. Videbat enim ibi, Deum tunc offenſum; uidebat, Deum contra offenſores iratum; uidebat, (& hoc probabiliſſimè) offenſores iſtos iterũ poſtea Deum offenſuros; uidebat, Deũ omnia iſta tàm præterita, quam futura certiſſimè cognoſcentem; uidebat, omnia iſta uindictam conclamare & miſericordiam ſurſum continere. Quid inter hæc faceret Moyſes, niſi patientiam Dei primitus aduocaret? Hanc ſiquidẽ tam ſibi in tali agonia neceſſariam cognouit, ut ante alia quæque attributa diuina in oratione ſua collocauerit. Nota quoque diligenter quòd Moyſes, quando uiſitare peccata patrum in filios aſcribit Deo; de pœna temporali loquitur non

ſpirituali. In cuius ſignum eſt ſermo domini ad Moyſen, & Moyſis hic ſtatim uerba ſubiuncta. Quid mox ſubiunxit in oratione? Dimitte(inquit)peccatum populi. Quid eſt hoc? Vult Moyſes, quòd peccatum dimittatur, & quod peccatū reſeruetur. Orat,ut peccatū nō puniatur, & orat,ut peccatū puniatur. Rogat,ut uiſitet peccatū hoc in filios,& ꝙ dimittat populo hoc peccatū. Orat igitur,ut puniatur;quia, ut uiſitetur in filios:orat,ut non puniatur;quia,ut dimittatur. De offenſa igitur & pœna ſpirituali(ſcilicet de eſſe in odio Dei, & puniri æterna pœna)loquitur,quando dimitti populo peccatum rogat; de pœna uerò temporali(ſcilicet de affligi in corpore,& tribulationibus mentalibus, abſque peccato,caſtigari)loquitur,quando uiſitari peccata rogat. Hanc diuiſionē pœnarum à Moyſe intentam (ut præfati ſumus) tetigit dominus in reſpōſione ad illum. Quid illi reſpondit? Dimiſi (inquit) iuxta uerbum tuum; & (multis interiectis) filij ueſtri erunt uagi in deſerto annis quadraginta. Et portabunt fornicationem ueſtram ſcilicet patrum peccatorum. Vide: dimiſit dominus; & tamen uult,filios pro peccatis parentum per itineris longum, grauemque laborem caſtigare. Et quia dimiſiſſe ſe dicit iuxta uerbum ideſt orationē Moyſis, fatendum eſt,ꝙ Moyſes & dimiſionem illam æternam rogauerat,& nō dimiſionem temporalem. Temporaliter.n puniti ſunt filij in deſerto,non ſpiritualiter. Nota & hoc non diſſimulandum, ſed magnum iræ Dei ſignum. Crediderat forſan Moyſes ſufficere iuſtitiæ diuinæ,ſi punirentur filij,& nō ſufficit,niſi punirentur etiam patres. Pro peccato enim patrum ipſi patres mortui fuerunt(ut hic dicitur) & nihilominus pro eodem annis quadraginta in deſerto uagi fuerūt eorum filij. Quamuis huic filiorum punitioni Deus magnam etiam miſericordiam iunxerit; faciendo ſcilicet illos toto iſto tempore & creſcere, & animum, fortitudinemque induere; & bellicoſos fieri pro terra promiſſionis ab hoſtibus armorum ui diripienda,atque poſſidenda.

EXAMEN III.

CIRCA Exauditionem, qua dominus exaudiuit Moyſen,nota quomodo correſpondeat ſingillatim orationi eius. Motiuum,quod mouit Moyſen ad orandum, fuit gloria domini inter gentes circumcirca poſitas; unde hoc inſinuauit dicens: Magnificetur ergo fortitudo domini. Ac ſi pro ly Ergo diceret: Hoc,ſcilicet magnificentia fortitudinis domini, eſt finis intentus à me principaliter, & conſequenter eſt primum motiuum me impellens ad hanc orationem: unde & magis tu domine me exaudire (ut mihi ratio mea dictat naturaliter)debes, ex quo res tua agitur, ac propter tui honoris zelum moueor. Si ego zelo (quaſi dixiſſe uoluit pro ly ergo Moyſes) domine pro honore tuę magnificentię, multò magis pro ipſo tuo honore zelare debes. Et ideò exaudi me. Hoc motiuum gratum fuiſſe domino inſinuat ſermo domini ab iſto, tanquā à principali intento,ordiens. Viuo ego(inquit)& implebitur gloria domini uniuerſa terra. Quaſi reſpondeat Moyſi: Ego exaudiui intentū tuum principale,quod erat magnificatio gloriæ meæ apud habitatores hinc indè diſperſos,ideſt apud gentes. Quoad hoc ergo feci iuxta uerbum tuum, quia iuramento tibi affirmo per ly Viuo ego,quòd in uniuerſa terra magnificabitur gloria mea. Vbi nota,quod plus donat Moyſi,quàm petierit. Petijt enim Moyſes,ut magnificaretur gloria domini apud Aegyptios, & Paleſtinos; & dominus donauit illi hoc, ut magnificaretur gloria domini in uniuerſa terra. Audiſti exauditionem intenti Moſaici abundantem; nunc aliarum petitionum ſupra narratarum exauditiones attende.

¶Rogabat Moyſes, ut ſuccurreretur ſcandalo gentiū futuro per hoc,ꝙ introduceretur Iſrael in terram promiſſam. Hanc petitionem exauditam monſtrat dominus,quando dicit: Paruulos ueſtros introducam in terram. Vbi & nota, Moyſen magis exauditum,quam rogauerit. Rogauit enim, quòd ſuccurreretur ſcandalo huic,nè ſcilicet gentes impotentiam domino attribuerent, & exauditur in hoc, quòd non tantum non attribuent domino impotentiam; ſed maximā illi potentiam aſcribere cogentur. Volebat Moyſes, potentiam magnam domini cognoſci à gentibus, & exauditur in hoc, quòd maiorem potentiam domini,quàm petebat Moyſes,cognoſcent. Maiorem ſiquidem potentiam domini inferet(ut patet)ſi filios inducat in terram hoſtilem debellatis per eos inimicis tam grandibus, quàm ſi patres in illam eiſdem per eos debellatis introduceret.

¶Rogauerat Moyſes pro ſaluanda iuſtitia, ut patrum iſtorum peccata punirentur in filijs; & exauditus fuit. Verum quidem eſt,quòd prius, forſan quàm intenderet Moyſes(ut ſupra diximus)& filij puniti fuerunt, & patres iſtorum filiorum non ſunt in ora relicti. Hæc enim duo intendiſſe forſan Moyſen,diximus;quia citò putabat dandam terram Iſraelitis,ex quo ei tàm propinquiſſimi erāt; & ideo naturali ratione ductus opinabatur,patres fore neceſſarios ad iſtam introductionem, nec filios ante ipſam introductionem puniendos. At domini ſecretum aliter erat, ſcilicet 40. annis adhuc ingreſſum in terram differe, & ideò parentes occidere poterat(ut fecit)& filios abſque morte caſtigare. Maiorem ergo fortidinem monſtrauit, quam petijſſet primò Moyſes dicens: Magnificetur ergo fortitudo domini. Maiorem enim infert fortitudinē occidere patres,quam filios, & filios tanto tempore ſuſtentare in deſerto tantis laboribus caſtigatos. Vide igitur,quòd,licèt Moyſes in petitione particulari illa duplici exauditus ad litteram non ſit,quia neſciēs quid in ſpeciali expediret poſtulabat, quoad intentionis tamen ſuæ primariæ ordinem magis exauditus eſt, quam ſi ad litteram in duobus illis poſtulationibus exauditus fuiſſet. Exaudiuit igitur Deus Moyſen hic, ſecundum quod petitiones ad intentum principale tendebant; non ſecundum quòd ſonabant. Nunquid ipſum non exaudiſſe dicendus eſt;quando maiora Moyſi contulit, quam duæ ſuæ petitiones literaliter continerent? Abſit. Ille enim à quo peto numiſma,ſi mihi aureum donet, nonne meam petitionem & exaudiuit & pluſquam exaudiuit? Vtique. Ad hæc nota multiformem exaudiendi modum. Quandoque enim Deus, licèt meliora dederit,quam peterimus(ut ordinariè facit)uidetur nobis orationibus noſtris non annuiſſe. Magna res certè atque mirabilis. Deus nos ſupra quam petimus,exaudit quandoque; & tamen eum non exaudiſſe noſtras petitiones,arbitramur. Qñque uero,& meliora donat, quā poſtulemus, & nos ab ipſo exauditos abundanter,cognoſcimus. Hæc ordine retrogrado applica textui; & ſic in Moſaicis petitionibus (puta, in magnificare fortitudinem domini; in ſuccurrendo gentiū ſcandalo;in introducēdo Iſraelem in terram)donauit Deus Moyſi meliora(ut probatum eſt,)& hoc Moyſes ipſe cognoſcebat, quoniam ad litteralem petitionis ſenſum exauditio uergebat. In ultimis duabus poſtulationibus(puta,quòd patres in ora relinqueret, & quòd filios multo poſt tempore naſcituros in terra promiſſionis caſtigaret)donauit Moyſi meliora poſtulatis,quæ tamē tunc prima fronte forſan Moyſes non talia iudicabat, quoniam litterali petitionis ſenſui non quadrabant, ut ſupra declaratum eſt.

COROLLARIVM.

POST orationem ergo factam ſemper Deo gratiæ magnę de quocunque poſt euentu à nobis agendæ ſunt; quoniā, etſi quandoque nobis contrarium uideatur,exaudita fuit oratio noſtra, & pluſquam exaudita. Concludamus ergo quòd Deus ſemper exaudit ad ſalutem, etiam ꝙ non ſemper exaudiat ad uoluntatem. Magna ergo Dei bonitas erga orantes; quoniam illos de his,quæ ſciunt petere,abundanter exaudit; & ,quæ non ſciunt petere, ipſe non poſtulatus abundanter tribuit.

¶Applica ad ly (Euangelium) Petite,& accipietis. Vel ad ly; Orate,& nolite deficere. Vel ad ly &c.

VIuo ego, & implebitur gloria domini uniuerſa terra. Item. Paruulos ueſtros introducam in terram &c. *Text.*

Concl. 7. *Deus nos exaudit ſemper ſupra, quàm petamus; ſi ſit in ſalutem noſtram,etiam quòd quandoque nos credamus propter illa, quæ ſuccedunt, non exauditos.* [Exeo.]

ROGAVIT Moyſes, ꝙ fortitudinis domini appareat magnificentia,& dominus exaudiēdo dicit, ꝙ gloria domini implebitur uniuerſa terra. Vbi nota.ꝙ gloria domini dicit quid plus,quàm fortitudo domini. Gloria enim importat manifeſtationem cum laude,unde ſecundum B. Ambroſium dicitur gloria quaſi clara; fortitudo autem domini dicit ſolùm uirtutem *Ratio.*

tutem domini, etiam ꝙ non eſſet apud homines cum laude. Poſſunt enim homines uidere fortitudinem domini, & non laudare ipſam. Non poſſunt autem uidere gloriam domini, quantum eſt ex nomine ipſo, & non laudare illam. Nam laus non includitur in nomine fortitudinis, ſicut in nomine gloriæ. Fortitudinem ergo manifeſtari petijt dominus; & reſpōdit dominus, ſe ad preces eius manifeſtaturum fortitudinem cū laude. Et quidem, ſi introduxiſſet patres in terram illam, non fuiſſet tātopere laudata eius fortitudo, ſicut poſtmodum laudata eſt. Apparuiſſet namque fortitudo domini in ſubiugando gentes illas patribus iudæorum; ſed non apparuiſſet in caſtigatione illorum patrum peccatorum. Ideóque minus laudata ueniret tunc ſua fortitudo, ut qui dediſſet terram hominibus peccatoribus, quos toties delere prædixerat. Sic enim non uideretur fortis dominus in ſua ſententia toties repetita, nec uideretur fortis ad caſtigandum peccata in populo ſuo; ſed tantùm fortis uideretur contra gentes alienas. Et ita non uideretur etiam caſtigare gentes alienas, priuando illas terra illarum propter peccata; ſed tantùm propter hoc, ꝙ fauere iudæis uolebat; & conſequenter propter hoc diceretur, feciſſe talem priuationem, quia eſſet partialis, ſeu acceptor perſonarum, non meritorum. Dicerent enim tuoc gentes: Si Deus hebræorum uos terra noſtra priuaſſet propter hoc, quòd ſumus peccatores, & propter hoc, ꝙ uult caſtigare peccatores; is utique non dediſſet illam iudæis iſtis tam grauibus peccatoribus; quinimò caſtigaſſet eos propter peccata illorum, priuando ſcilicet illos hac terra, etiam ſi priùs, illam inhabitaſſent.

COROLLARIVM.

SIc ergo uidiſſent quidem gentes fortitudinem domini (ut precabatur Moyſes); ſed eam nō magnopere laudaſſent, ſicut ex domini facto cogebantur poſtea. Dominus.n. ideò occidit patres iſtos iudæorum, & tradidit terram filijs minus ſceleratis, ut non tantū manifeſtaretur fortitudo ſua; ſed etiam ut manifeſtaretur cum laude. Gentes namque ſic & cognouerunt, Deum eſſe fortiſſimum in dando terram iudæis, & cognouerunt eum eſſe æquiſſimum in caſtigādo peccata iudæorum, ſicut & ſua; priuando ſcilicet eos terra Paleſtina, cuius poſſeſſioni iam propinquiſſimi erant. Et ſic fortitudinem domini cognoſcētes utrinque (puniendo.ſ. ſeipſos, & introducendo hebræos) cum iuſtitia æquali (.ſ. priuando iudæorum patres hos terra propter illorum peccata, ſicut ex eadem cauſa priuando ſeipſos), fortitudinem illam domini ex duplici capite laudare, quantum fuit ex facto illo, coacti ſunt. Sic etiam potuerunt cognoſcere gentes illæ, & peccata propria fuiſſe cauſam perditionis ſuipſorum, & ſic perditionem illam attribuere ſibiipſis, non fortunæ, aut alteri; & ſic de peccatis proprijs dolere. In his autem omnibus cum laude Domini ſe habuiſſent gētes, idest in his omnibus laus Domini apparuiſſet gentibus, non tantum fortitudo eius: ideircò nunc Moyſi manifeſtationem fortitudinis diuinę poſtulanti reſpondit Dominus, ꝙ fortitudinem illam manifeſtare uolebat cum laude. Vnde, quæ eſſet iſta laus Domini, ſubſequentibus uerbis ad longum declarauit, quando dixit immediatè, quòd occiſurus erat patres illos iudæorum, & daturus terram filijs eorum. Potuiſſet namque dicere Domino quiſpiam: Vbi conſiſtet gloria Domini? Cui mox interrogationi, ipſam præueniendo, reſpondet Dominus: Veruntamen omnes homines, qui uiderunt maieſtatem meam &c. idest gloria illa conſiſtet in occidendo iudæos iſtos peſſimos, & dando terram filijs eorum. Hanc Domini reſponſionem, ſi ſuperiora hic ſcripta inſpicias, quàm optimè petitionem Moſaicam exaudiſſe Deum abundantius, quam petierat, declarare intelliges.

¶ Rurſum. Poſtularat Moyſes à Domino, ut nomen eius magnificaretur; ſed non dixerat: In uniuerſa terra. Reſpondet autem Dominus, ꝙ non ſolum magnificabitur; ſed quòd in uniuerſa terra. Item. Rogauit Moyſes, ut fortitudo Domini magnificaretur, & reſpondet Dominus, ꝙ magnificabitur uſque ad ſummum. Quoad locum igitur ampliorem (puta, uniuerſa terra), & quoad gradum maiorem (puta, implebitur), exauditum Dominus demonſtrat Moyſen ſupra, quam petierat primò. i. circa magnificentiam fortitudinis Domini.

¶ Secundò petebat Moyſes, ut introducerentur filij Iſrael in terram illam, intendens de patribus iſtis iudæorum. Reſpondet Dominus, ꝙ introducet filios ipſorum patrum. Vtique, & in hoc magis eſt Moyſes exauditus, quam poſtularat.

¶ Cæterum, uè idem ſæpius repetatur, uide præcedentem immediatè concluſionem cum ratione ſua, & examinibus, & iſtam plenius intelliges.

¶ Hæ exauditiones præmiſſæ ſunt in figura Euangelicarū exauditionum; ꝗ bonitatē Domini mirandam nobis proponunt, & ſpem noſtram ad orādum feruenter, cum charitate, accendunt. Figura quidem ſunt Euangelij, cùm in Euangelio ſic ſe habuiſſe Chriſtum .i. eundem Deum humanatum in exauditionibus poſtulantium legamus. Petijt Centurio ſalutem puero; Chriſtus non ſalutem modò; ſed propriam corporalem præſentiam ipſi Centurioni offert. Petijt languidus auxilium à Chriſto hoc, ut, mota aqua, mitteretur primus in piſcinam; Chriſtus ipſi ſalutem corporalem mox, cum multo robore (hoc probauit portatio grabati à curato ſtatim exhibita), contulit. Nunquid (ut omnia Chriſti erga homines benigna operà exauditionis complectar) non Doctores omnes in hoc conueniunt, ꝙ Chriſtus, quos in corpore ſanauit, curauit & in anima? Vtique. Vide: Petebant multi corporalē tantùm ſalutem; Chriſtus illis & poſtulatam, & non poſtulatam donabant. Nota hic, ꝙ non tantùm non poſtulatam illis dabat, ſed etiam potiorem. i. animæ. Quam bonus igitur Dominus erga orantes? Et ut tātam ſuam bonitatem experiremur, uoluit nos orare. Nonnè ſine orare, poſſemus illam experiri? Non ita benè. Quando enim penſitamus, quid à Deo rogemus, & inuenimus poſtea, nos non poſſe tanta ab ipſo petere, quin maiora nobis concedat; tunc in cognitionem magnam bonitatis diuinæ rapimur. Quaſi ergo, quando nos ad orandum incitauit toties Deus, apertius nobis dixerit: Vultis meam coniectare, quanta ſit, bonitatem? Hæc eſt uia. Conemini, à me rogare magna, quantum poteſtis; & multa, quot uultis. Cùm autem uideritis per experientiam, me uobis ſemper maiora præſtare, & uos plus in orando deficere, quam ego in exaudiendo; tunc ex uobis. i. ex ueſtris orationibus cognoſceretis aliqualiter, quam magna ſit mea bonitas. Ecce, ꝙ propter ſuam bonitatem .ſ. manifeſtandam nobis ex nobis, iniunxit Deus nobis, ut ipſum oremus. Qui ergo eſt contra orationem, eſt contra manifeſtationem bonitatis diuinæ, & conſequenter impugnat ly Sanctificetur nomen tuum, quod diligens oratio adimplere ſatagit. Hic eſt unus modus, & quidē uobis notiſſimus, quò repleatur anima noſtra gloria Domini, de qua loquitur textus. Anima enim noſtra tunc clariſſimè conſpicit bonitatem Domini cum laude. i. cum gratiarum actione, quādo ſe magis exaudiā, quam orauerit (quod eſſe non poteſt, niſi oret), comprobat in effectu. Quomodo enim clarius bonitatem hanc inſpicere ualet, quam ex ſemet ipſa? Tunc autem ex ſemetipſa hanc intuetur, cùm orauerit. Mirabilis (inquit tunc cum Pſalmiſta) facta eſt domine ſcientia tua (.i. tuæ bonitatis) ex me. Quare mirabilis? Quia ego, qui non ſum dignus audiri; imò qui ſum digniſſimus non audiri in eo, quod peto: ego (inquam) non tantùm in eo, ſed in maiori non poſtulato, audior; & non tantum audior, ſed etiā exaudior. Quare mirabilis? Quia ego nō uideor diligere tam feruenter meipſum (& re uera ſic eſt), quemadmodum Deus me diligit. Ex me cognoſco mirabilitatem illam. Nam ad orandum non tàm ſum pronus, quàm Deus eſt promptus ad exhortandum me, ut orem: quaſi uerò Deus me ipſo indigeat (quod abſit) uō ego Deo; quaſi Deus pro magno habeat mecum loqui (& uerè ſic eſt), non autem ego tantu faciam hoc .ſ. cum ipſo loqui. Nōnè hic uides, & ſæpius uidiſti ſupra, ꝙ oratio eſt quædam locutio cum Deo? Quid enim faciebat Moyſes, cùm Deum orabat; niſi quòd cum Deo loquebatur, ut reſponſiones ultro citroque habitæ manifeſtant? Loqui igitur cum tanta maieſtate, exandiri tam abundanter ab illa, rem gratiſſimam ſemper ei facere, ſi loquar cum illa, cur ita quemlibet ad orandum non accendunt, nè dicā, non cogunt? Accendere utique, & cogere poſſunt hæc, atque deberet, quin etiam id efficerent, ſi conſiderarentur, ut oportet. Veruntamē inconſideratio hominum circa hæc homines nō excuſat, ſed grauiter accuſat: quandoquidem ignorans ignorabitur 1. Cor. 14. ſimulque inſipiens, & ſtultus peribunt, Pſal. 48. Spem igitur ad orādum (ut in principio diximus) nobis dant, quantum eſt de ſe, tam ſuperefluentes exauditiones; quas, tanquā in omnium figura, circa Moſaicas preces uidemus hic fuiſſe adimpletas, licèt, quantum eſt ex parte noſtra, in ſpem illam (uitio noſtro) non erigamur. Charitatem quoque (ut præferebatur) in nobis orantibus accendunt, dùm ex talibus exauditionibus iure optimo inferimus, ꝙ non tantum cum amico, ſed cum amiciſſimo nobis facimus colloquia. Taceo, ꝙ ex his exauditionibus ideò noſtra charitas in Deum inflam- Nu.

abũdantes, & alios ſimiles. Modò, ut cętera ad iſtius cõcluſionis declarationem facientia intelligas, uide ſupra immediate circa nonam concluſionum uſque ad decimam.

Not. ¶ Mirandum igitur non eſt, ſi ſcripturæ ſacræ omnes electos, uocatos, in uia Dei poſitos, ad opera regno cœleſti digna commonefaciant in horas.

PRO ECCLESIA

SANCTA DEI.

PRæſens igitur Concluſio 10. cap. 14. deſtruit hæreſes quorundam, (hos Sigibertus monachus in ſuis cronicis uocat prædeſtinatos) dicentium, prædeſtinatis à Deo ad uitam æternam non obeſſe quæcunque ſcelera ab eis commiſſa; & Ioan. Huſſ dicentis, prædeſtinatum à Deo ad uitam, etiam ſi ipſe mala opera agat, nunquam poſſe eſſe membrum diaboli. Et nonnullorum idiotarum in Phriſia (ut refert Alphonſus Caſtr. ver. Prędeſtinatio) dicẽtiũ, ex ſola prædeſtinatione, & præſcientia diuina omnia pendere, & nulli homini bonum opus prodeſſe, aut malum obeſſe: Patet enim hic totum oppoſitum. Damnãtur quoque, & ideò confirmatur præſens concluſio, ab Concilijs &c. 10 Elucid. pri. par. q. 20. art. 4. & q. 26. art. 6. & art. 8. Damnatur & Huſſ a Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. in cuius erroris damnatione condemnati intelliguntur & alij errantes, inquantum uel expliciitè, uel implicitè conueniunt cum illo. Hæc eſt enim regula intenta ab omnibus Concilijs ſacris, alijſque reprobantibus alicuius errorem, ut quoſcunque alios tali errori concordantes ſimul cõdemnatos præſupponant, ſecundum quòd patet. Damnatur & à dictis ſupra Geneſ. 4. conclu. 6. 7. & quidem abundanter. Item a 2. Petr. 2 Satagite, ut per bona opera certam ueſtram uocationem, & electionem faciatis. Item a Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 11. 12. 13. & cano. 19. 20. 21. De hac re uideas Compend. Albert. lib. 1. cap. 30. Schol & quomodo quis, ut ſic circa id ſapiens, ſe debeat habere uideas ibi in fin. Videre poteris & Elucid. pri. par. 21. num. 145. 516.

Text. OMnes homines, qui uiderunt maieſtatem meam, & ſigna in Ægypto, & ſolitudine, & tentauerunt me, nec obedierunt uoci meæ, non uidebunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.

Concl. 11. *Non proficere, ſed deficere, ex beneficijs Dei habitis eſt ſignum magnum reprobationis.* [Ex eo.]

Ratio. SI ex beneficijs deficere non eſſet maius, quam ſimpliciter deficere, tunc ſuffeceret dicere in littera; Qui tentauerunt me, nõ uidebunt terram. Nunc autem ad denotandum, quòd illud iſto maius eſt, fit commemoratio diuinorum beneficiorum uerſus tentatores Dei, antequam ad ipſum tentationis peccatum ueniatur. Similiter ſi ex beneficijs non proficere, non eſſet peius, quam ſimpliciter non proficere; tunc dixiſſe textui ſuffeceret: Qui non obedierunt uoci meæ, non intrabunt terram. Nunc autẽ ad ſignificandum, ꝙ illud iſto peius eſt, commemorantur Dei beneficia, antequam ad beneficiatorum inobedientiam ueniatur. Peius ergo eſt alicui religioſo nõ proficere, q̃ ſeculari, & ſeculari chriſtiano peius, quàm pagano; & ſic ſucceſſiuè. Quod autem dico de non proficere, dicendum eſt quoque de ipſo deficere, ut dicamus, magis deficere religioſum eodem genere peccati, quam ſecularem chriſtianũ, & ſic diſcurrẽdo. Ex beneficiis. n. maioribus, uel minoribus, habenda eſt ratio grauitatis maioris, uel minoris, tũ quoad peccata cõmiſſionis, tũ quo ad peccata omiſſionis. Peccata cõmiſſionis hic dñr tẽtare Deum, & ſimilia: peccata omiſſionis dñr nõ obedire uoci diuinę, & ſimilia. Ex quo igitur, ex quo ſigno noſcitur, ꝙ quis eſt reprobus, ſiue cũ damnatis aſſociandus? Ex peccato, ſicut ex operibus iuſtis conijcitur quis ad cœleſtia peruenire, atque ſaluandus. Si ergo ex peccato reprobus quis cõiecturatur, ſeu ſi peccatum reprobationis alicuius eſt ſignum utique; peccatum, quãto fuerit maius,

tanto de hoc coniecturam maiorem generabit, quod etiam circa iuſtitiam in genere ſaluandorum obſeruandum eſt. Cùm igitur peccatum ex beneficijs (ut hinc habes) aggrauetur, patet id, quod in concluſione diximus.

EXAMEN NOTABILE I.

HOc idem notificauit nobis Pſalmiſta, dum in perſona domini hic poſita loquens, eandemque ſententiam ſub alijs uerbis repetens aiebat: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde, Ipſi uerò non cognouerunt uias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Illis enim iuraſſe dicit, eos non introituros in terram requiei ſuæ; propterea quòd non cognouerint uias Dei, etiã quòd Deus illis & uerba, & facta multa ad hunc finem contulerit. Poterat ſiquidem de beneficijs his bĩdis Iſraeli collatis tacere, quoniam peccatum recenſere ſufficit ad oſtendendum, quod iuſte quis ab introeundo in diuinam requiem arceatur; ſed arcanum præſcutus dominum tunc non inſinuaſſet. Ideò enim ſuam proximitatẽ generationi illi, ſuam monitionem continuã illi factam de erratione cordis, adiunxit eorum non cognitioni circa uias domini, ut mõſtraret, ꝙ ex beneficijs habitis non proficere (ſiue illa bñficia ſint monitiones diuinę uel interius, uel exterius factę, ſiue ſint bñficia factorũ, uel religionis, uel bonę intelligẽtiæ, ingenij, memorię, uel gratię cuiuſcũq;) eſt ſignũ magnum damnationis finalis. Quid? Monſtrauit, ꝙ Dei magnam, qua maior non ſit, iracundiam, concitat peccatum omiſſionis. ſ. non cognoſcere uias diuinas (Quid ergo de peccato commiſſionis reliquit nobis intelligendum, cum hoc peccatum illo ommiſſionis exiſtat maius?), cùm introducit, Deum ob hoc delictum non tantùm dixiſſe, ſe illis nõ daturum requiem; ſed etiam cum iuramento dixiſſe. Quoniam igitur maius eſt aliquid cum iuramento aſſeuerare, quã ſimpliciter aſſeuerare; ideò qui iurat aliquid ſe facturum, & non tantùm ſimpliciter hoc dicit, oſtendit per hoc, ſe ad iracundiam maximam incitatum. Licèt ergo peccatum omne Deum inuitet ad nobis negandam requiem ſuam, tamen peccatum poſt beneficia factum magis Deum ad hoc inuitat, & ferè cogit. Hic tamen proportionem beneficiorum attende, quoniam licèt poſt beneficia qualibet peccans maius de ſua reprobatione ſignum præſtet, quam ante beneficia illa peccans, tamen poſt beneficia maiora pluraque delinquens maius admodũ ſignum propriæ damnationis affert, quàm poſt minora pauciora que beneficia Deum offendens. Hoc ipſum annotauit littera hæc, & Pſalm. quando de quadraginta annis mentionem in beneficijs collatis fecerunt. Quid enim neceſſarium fuit, de quadraginta annis memoriam adducere, niſi beneficiorum magnitudinem (continuatio ſanè beneficiorum, etiam quòd beneficia in ſeipſis alias non meliorarẽtur, magnitudinem illorum dicit) monſtrare uoluiſſet ad iuramentum huiuſmodi plurimum ualuiſſe; & conſequenter peccata hebræorum plurimum aggrauaſſe; & conſequenter damnationis ſignum maius fuiſſe? Ad hoc ipſum etiam facit, ꝙ beneficia textus ſingillatim eloquitur dicens hic: Viderunt maieſtatem meam; & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine. Quaſi dicat: Quanto maiora, atque plura beneficia narrare me audis, tantò hinc deteriora eſſe Iſraelis peccata pòſt facta intellige. Ad hunc enim finem beneficia hic ante illorum peccata, & ſingillatim recenſeo.

EXAMEN NOTAB. II.

PRo meliori ſupradictorum capitis ſimilitudinem Apoſtolus hebræis ſcribens adduxit in huiuſmodi uerba. Terra ſæpius ſuperuenientem in ſe bibens imbrem, nec indè germinans, maledicto proxima eſt apud eos, à quibus colitur, & ad combuſtionem apta. Vbi & D. Thomam Angelicum Doctorem notum, quod ſupra extendebamus, tetigiſſe comperies. Quid eſt terra? Homo. Voluit namque ibi Apoſtolus hominibus illis, ſub exẽplo terræ, aperire cauſam, quare ad tantam ruinam prolapſi ſint, quæ fuit beneficiorũ diuinorum per peccata ſubſequentia cõtemptus. Voluit etiã Apoſtolus, ſententiam illic à ſe dictam correſpõdere huic præſentis capituli, huiuſque declarationem quãdam fore. Quid imber? Beneficium de ſurſum ueniens. Quid imber ſuperueniẽs? Beneficium illud cõtinuatum, multiplicatum, auctum. Quid eſt illud bibere imbrem? Recipere beneficium, ſentire, aliqualiter guſtare, in eo pro aliquo tempore delectari. Quid

eſt non germinare? Herbas bonas non progignere, fructum opportunum non emittere, quaſi imbrem non imbiberit ſe habere. Quid eſt, eſſe proximū maledictioni apud eos, a quibus colitur? Eſſe proximum, ut à Deo ipſo cultore animarum deſeratur, auxilio ſuo priuetur, in prædam hoſtibus detur, de peccato in peccatum cadere facillimè permittatur. Quid eſt eſſe combuſtioni aptum? Eſſe damnationi alterius ſeculi benè diſpoſitum, eſſe lignum aridiſſimum, eſſe flammis gehennalibus accommodatum. Quid ex his omnibus per Apoſtolum inſinuatis colligere neceſſariò debes? Quòd homo beneficijs magnis, pluribusque à Deo donatus, & ex ipſis non proficiens, dat ſuæ ruinæ in præſenti & in futuro ſignum ſatis cōiecturale. Cōiecturale (inquam), quia dixit Apoſtolus, quòd terra illa eſt maledicto proxima, & combuſtioni; non autem dixit, ꝙ de facto maledicetur, & comburetur. Non ſignum ergo de futuris demonſtratiuum, ſed ſignum uehementis coniecturæ, & conſequenter magni timoris iudicij diuini adductiuum, uoluit afferre D. Paulus. Multos enim ſecundum præſentem iuſtitiam etiam poſt Dei beneficia malos uiderat; qui tamen conuerſi deindè fuerunt; & conſequenter non maledictionem, aut combuſtionem finalem, aſſecuti ſunt, inter quos primum ſe fuiſſe teſtabatur.

EXAMEN NOTAB. III.

Illa, quæ diximus hucuſque de documento iſto, intelligas de his uerificari hominibus maximè qui poſt beneficiorum acceptionem peccant ex malitia. Huius ſignum eſt, quod Pſalmus, quaſi ſententiam præſentis capituli gloſans, dixit: Hi errant corde. Qui errant? Omnes peccantes, ſiue per ignorantiā, ſiue per fragilitatem, ſiue per malitiam peccent. Qui errant corde? Hi, qui peccant per malitiam. Cùm enim iſti non tantùm peccent, ſed a ſua propria malitia acti eligāt peccare; ideò non ſolum peccant, & errant; ſed peccant, & errant corde. Tale quid fuit in alio Pſalmo dictum. ſ. Qui cogitauerunt iniquitates in corde. Dic mihi. Quis eſt, qui cogitat unquam; & non cogitat in corde? Aut quomodo quis cogitare ualet, & non in corde, ut ad ly cogitare oporteat adiungere ly in corde, ad doctrinam cogitantium nō in corde? Certè, ſi ſenſum Dauidis in prælata ſententia uerum ſcrutemur, reſpōdendū erit, ꝙ aliqui cogitant non in corde, ad quorum diſcrimen præfata dixit; & ꝙ tales inuenire non eſt difficile. Per cogitantes enim iniquitates in corde, intellexit ibi, quod de filijs Iſrael dixerat, ſcilicet errare corde. Cum ergo per errare corde, intellexerit errantes uoluntate ex ſeipſa eligēte, & non aliundè ad eligendum impulſa, reſtat, ut hoc idem intellexerit per cogitantes in corde. Hinc uerò ſicut eſt (ut dicebamus) errare ex malitia, ita illud eſt mala cogitare ex propria malitia. Cogitant ergo quidam, ſed non in corde, ſicut & aliqui errant, ſed non corde, qui. ſ. uel à paſſione quapiam ad eligendum hoc malum quodammodo impelluntur (Hi dicuntur errare, ſiuè iniquitates cogitare, per fragilitatem) uel ab ignorantia ad eligendum hoc inducuntur (Hi per ignorantiā errant, ſiuè mala cogitant). Voluit itaque Pſalmus, per ly Errant corde, manifeſtare nobis, ꝙ illi Iſraelitæ, de quibus nunc cōqueritur dominus in pſenti cap. peccabāt ex malitia. Et ſic non tm̄ Deum tētauerunt, & murmurauerunt; ſed Deū tētauerūt ex malitia, & murmurauerūt ex malitia. Et ſic Pſalmus ſuppleuit id, quod liber Numerorum ſubintelligendum dimiſit, id quod. ſ. declarare ſe inuicē, ſcripturis diuinis eſt familiariſſimū. Tota nāq; ſcriptura ſacra eſt ueluti unū corpus, ſeu unus liber tm̄, utpotè ab uno Spiritu ſancto dictata; licèt pluribus calamis, qui ſunt inſtrumentarij ſcriptores, uſus ſit ad hoc, & illud ſcribendū. Hinc quoque à Pſal. quaſi eliciē tes hoc dicere poſſumus, ꝙ illa uera, quæ de habitatoribus terræ &c. dixerunt illi exploratores ex malitia dixerunt, nō quia malum. i. falſum dixerint; ſed quia ad malum finem ex uoluntate ſua agitati dicere elegerunt. Hæc enim uera dixerunt, non ut uera dicerēt principaliter, ſed ut per iſta dicta populum ab aſcenſu in terram deterrerent.

APPENDIX.

Hinc habes, quòd beneficia Dei in homine iam recepta ſemper, aut iuuant hominem, aut ipſum damnificant. Nunquam igitur ſunt ocioſa: quin aliquid faciunt, aut per ſe, aut per accidens. Poſſunt quidem aliquid non facere in homine, ſi loquamur ſeorſum, aut per ſe, aut per accidens; ſed ſi loquamur coniunctim per illam diſiunctionē, non poſſunt non ſemper aliquid operari in homine beneficiato. Tunc dicuntur operari per ſe, quando ex ipſis homo proficit; tunc uero per accidens, quando ex ipſis uitio non ipſorum, ſed proprio deficit. Semper autem uel proficit ex ipſis homo, uel non proficit (non enim datur medium, cum ſint contradictoria. Tantùm nanque ualebat ly Deficit, quātum ly Non proficit) licèt non ſemper ex ipſis proficiat, aut ſemper ex ipſis non proficiat. Secundò conſequenter habes, quomodo intelligas illud Apoſtoli, ſcilicet Hortamur nos, nè in uacuum gratiam Dei recipiatis. Intelligitur enim de non recipiendo in uacuum per ſe, non per accidens. Non uoluit ſiquidem dicere Apoſtolus: Ego ſum cōtentus de gratiæ operatione quacunque in nobis, ſiue ſit per ſe, ſiue per accidens. Alioquin nō uos hortarer ad hoc, ut non reciperetis in uacuum gratiam Dei; quoniam & ſuperfluè laborarem, & contra intentum meum partim loquerer. Superfluè quidem laborarem; quoniam talis operatio diſiunctiua non poteſt non eſſe, & conſequenter non opus eſt, ut nos ad hanc admoneam: partim uerò contra intentum meū loquerer, quoniam uos ad profectum ex gratia Dei (nunc per gratiam Dei intellige omnia beneficia eius) trahere intendo; & tamen operatio per accidens defectum ex beneficijs uitio non beneficiorum, ſed beneficiatorū importat. Loquitur ergo formaliter Apoſtolus, non materialiter; eo modo ſcilicet, quo dicimus aliquem eſſe ocioſum, quòd licet aliquid faciat ad rē non pertinens, non facit conuenientia ſibi. Tertiò habes uiā, qua quis ſeipſum, & in præſenti cognoſcere poteſt, & de ſeipſo in futurum coniecturare. Iſta uia ſunt accepta Dei beneficia. Si ex ipſis ſe proficere ſenſerit, tunc bonum ſe (Dei dono) cognoſcat, & melius in futurum tam hic, quā illic, id eſt in alio ſeculo, expectare poteſt. Si ex ipſis ſe nouerit deficere (uel non reddendo gratias debitas tanto benefactori, pro tanto beneficio, tam gratis dato, tām contra propria merita collato, uel nō ad bene uiuere utēdo, beneficio, uel alias id indebitè ſub terra abſcondendo) tunc nequam ſeruū ſe certò cognoſcat, & maledictionem (niſi reſipuerit) a Deo tā hic, quam illic contraſſe expectet. In primo caſu Deo gratias duplicatas agat; & quia ſcilicet ſibi dedit beneficium, & quia dedit bonum uſum beneficij, ac ipſum Deum pro in conſeruando, ut decet, ſubindè precetur. In ſecundo caſu, ſuum peccatum cognoſcat cum lamentis; ſeipſum ſolicitè emendare, auxilio diuino petito, procuret; Dei bonitatem, quia ſe ingratum patienter ſuſtinuit, agnoſcat agendo indè gratias ei; bonitatem ipſam nouam, magnumque, ſibi in ingratitudine adhuc poſito donatum beneficium ueraciſſimè exiſtimet; doleat tenus de præterito, caueat de futuro, orans ut ſibi debitum negligentiæ dimittatur, & in talem nūquam amplius tentationem inducatur.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Quis eſt ly Hic? Eſt præcipuum Dei beneficium nobis collatum, ſcilicet Chriſtus. Ergo ſub ly Hic intelligitur apte omne aliud diuinum beneficium, utpote quia in dono illo alia quæcunq; dona includunt. Quicquid ergo de ipſo primo dono dicitur, de omnibus, & ſingulis alijs dici poterit. Erunt ergo ſingula Dei beneficia illi, cui data ſunt, uel in reſurrectionem, uel in ruinā: per ſe quidem (ut Chriſtus) in reſurrectionem, per accidēs uerò (ut Chriſtus) in ruinam: per accidēs, inquam, hoc eſt, nō Chriſti uitio (Abſit), ſed uitio hominum, pereuntium; per ſe uerò. i. Chriſti munere, conſentiente tamen ei (dono ipſius) libero arbitrio reſurrectionem talem aſſequentium. Vel ad ly (Euangelium) Poſui uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat. Poſitio enim illa, ſeu uocatio, qua uocat, & ponit in aliquo officio, nos Deus, eſt Dei beneficium, unde fructum afferre debemus. Quem fructum? Per ſe, non per accidens. In cuius ſignum è ueſtigio addidit; Et fructus veſter maneat. Non enim fructus per accidens manere propriè dicēdus eſt, cùm omne malum ſit quædam uanitas; ſed fructus per ſe propriè manere dicitur; quoniam omne bonum ſtabilitatem quandam ſecum portat. Vel ad &c.

Locutus eſt Moyſes uniuerſa uerba hæc, & luxit populus nimis. Et ecce mane primo ſurgentes aſcenderunt uerticem montis &c.

Concl. 12. *Non omnis luctus pœnitentiam ueram de peccato dicit.* [Ex eo.]

Ratio. Ecce. Luget populus omnis ea relatione uerborum Domini à Moyſe facta. Hoc enim indicant uerba illa tali ſerie connexa: Locutus eſt Moyſes uniuerſa uerba hæc, & luxit populus. Nec tantùm ea relatione illa populus luget; ſed (ut littera dicit) luget nimis. Luxerunt ergo magno planctu propter peccata, quæ commiſerant; uel propter pœnam, quam pro ipſis à Deo ſibi dandam audierant; uel propter utrunque. Nihil enim aliud erat in relatione Moſaica, niſi iſta duo ad lõgum narrata in textu. Si propter peccata commiſſa doluerunt, bonum luctum fecerunt; ſi propter pœnam præciſè, minus benè doluerũt; ſi propter utrunque, planctum ſatis laudabilem habuerunt, dummodò in iſto tertio caſu principaliter feratur dolor ſuper peccatum, ſecundariò autem ſuper pœnam. Nam ſi in tertio iſto caſu principaliter doleret quis propter pœnã, uel habitam, uel habendam, iſte talis non benè fleret; & conſequenter fletus hic a charitate, quæ primò ſuper omnia diuinam deteſtatur offenſam, non dimanaret; & conſequenter iſte dolor ad uitam ſpiritualem infructuoſus, cùm opus non ex charitate nil mereatur, exiſteret. Luxit (inquit) populus. Multi erãt ualdè, unde omnibus modis ſingulariter ſumptis de aliqua parte populi luctus probabiliter uerificatur. Hoc eſt Cùm tot eſſent, probabile eſt, ꝙ aliqui luxerint propter ſolum peccatum, aliqui propter ſolam pœnam, aliqui propter utrunque, quorum quidam prææſtimabant culpam, quidam pœnam. Et ſic, lugentes quadruplici differentia ſecernuntur. Ecce, ꝙ non omnis fletus infert ueram pœnitentiam de peccato. Nam ſolus fletus propter culpam, uel præciſè, uel principaliter habitus ueram dicit pęnitentiam: ſi tamen ſpe in Deũ communiatur cum exclusione uoluntatis peccandi de cætero, atque propoſito obediendi mandatis eius, ut habetur in Concilio Triden. ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14 cap. 4. circa princip. Fletus ergo propter pœnam præciſè, uel principaliter, ſiue propter culpam ſine ſpe in Deum, ſiue propter culpam cum ſpe, ſine propoſito obediendi mandatis Dei, eſt fletus inutilis. Hoc docet Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. per hoc, ꝙ ueram contritionem circa principium capituli 4. limitat per ly Cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & per ly Cum uoto præſtandi reliqua. Ex fletibus igitur peccatorum unus tantùm poteſt eſſe bonus, quatuor autem mali.

E X A M E N.

QVod luxerint aliqui de populo, imò plurimi, inutili planctu, monſtrat littera dicens: Et ecce (hoc dicit poſt planctum illum) mane primo ſurgentes &c. Monſtrat enim hic, ꝙ non fuerunt obedientes Moyſi, in quo loquebatur dominus. Ex inobedientia enim hac, maximè cùm fuerit citò facta poſt luctum, habemus, quòd iſti bonum planctum non fecerunt ex eo, quòd non cum propoſito obediendi mandatis Dei culpam (dato etiam, quòd ipſam culpam, & principaliter, & cum ſpe ueniæ, planxiſſent) lamentationibus proſecuti fuerunt. Non ueriſimile ſiquidem eſt, ꝙ tam citò à firmo illo bono propoſito (ſi id habuiſſent), maximè cùm de nouo pluribus uerbis commminatorijs admoniti eſſent, animũ cum uitæ corporalis etiam diſcrimine ſibi à Moyſe præoſtenſo auertiſſent. Et ecce (inquit) primo mane ſurgẽtes &c. Quid eſt ly Ecce? Admiratio quædam, qua miratur littera de iſtis, quòd ſcilicet tam citò poſt luctum redeant ad ſolitam inobedientiam; ſignum certè uehemens, quòd propter culpã principaliter non luxerint, qui ad culpam renouandam illicò reuertuntur. Defeciſſent ergo hi in duobus, in hoc. ſ. quòd culpam principaliter non planxiſſent, & in hoc, quòd in ſuo planctu propoſitum ſeruandorum mandatorum Dei nõ habuiſſent. Quid eſt ly Primo mane? Solicitudo quædam ſine iudicio, imò contra Moſaycum iudicium, habita. Verè de his dictum fuit in Pſalmo: Vanum eſt nobis ante lucem ſurgere. Quare uanum? Quia non ad finem intentum peruenire faciens, imò ad oppoſitum finis intenti. Intendebant enim iſti per hanc tàm matutinam ſurrectionem magna facere contra hoſtes, perterrefaciendo ſ. eos, & occidendo, & totum contra ſe fecerunt, quia ab hoſtibus perterrefacti, fugati, & occiſi fuerunt. Vide quid reſultat ex eo, quod quis de ſuo capite facit. Contra ſeipſum facit, quicquid contra rectoris iudicium fecerit, licèt aliter ſibi ſucceſſuras res iudicet. Quid eſt ly Surgentes? Ideſt quàm plurimi. Cùm enim dicat hoc indefinitè poſt totius populi mentionem immediatè factam, relinquitur, ut

Vide bene.

quàm magna pars ſurrexiſſe, & ad montem conſcendiſſe, intelligatur. Quid eſt ly Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt? Confidentia in proprijs uiribus ad benefaciendum. In cuius ſignum ibi audiuit, quòd Dominus non erat ſecum, adhuc uoluerunt aſcendere, quaſi ꝙ in ſolis proprijs uiribus de uictoria confiderent; uel quaſi ex propria ſuperbia non crederent, quòd Dominus non eſſet ſecum. i. in ſuo auxilio futurus. Hæc omnia mala facit confidentia in ſeipſo. Generat ſiquidem incredulitatem dictis aliorum, & credulitatem magnam opinioni propriæ, & demum totalem ſui ruinam tùm in fruſtratorio labore aſſumpto, tùm in fama, tùm in perſona, ut hic patet. De talibus ſcriptum eſt Prouerb. 26. Stultus ſapientior ſibi uidetur decem hominibus, loquentibus ſententias. Quis ſtultus, niſi qui in ſeipſo (qui baculus eſt arundineus ab omni uento raptus) confidentiã habet? Solus ergo ſapiens, ab oppoſitis loquendo, qui ſpem confidentiæ ſuæ in Deum iactat. Hinc dicitur initium ſapientiæ timor Domini; quoniam qui timent Dominum, ſperant in eo, & non in ſeipſis. Quare talis ſtultus ſapiẽs ſibi uidetur? Quia ſuam ſententiam alienæ ſententiæ, i. ſententiæ ſui ſuperioris præfert: aut quia ſic credit, quia ſic ſibi credendum uidetur; non quia ſic ratio dictet. Iſti namque ſe uicturos hoſtes crediderunt, & benefacturos in illo itinere faciendo; quia ſic ſibi propter ſuam ſuperbiam uidebatur, non quia ſic ratio dictaret. Si enim ad rationem hanc Moyſis, ſcilicet ad ly Dominus non eſt uobiſcum, aſpexiſſent, intellexiſſent utique, ꝙ ratio ſuadebat contrarium eius, quod facere credebant. Figurarũt ergo iſti illos, qui hoc, uel illud, credunt; quia ſic ſibi uidetur credendum, non quia Eccleſia ſuadeat. 2. 2. q. 5. art. 3. & huiuſmodi ſunt hæretici unum articulum negantes, aliumque credentes. Credunt namque hunc, quia ſibi ſic credendum uidetur, non credunt uerò illud, quia ſibi non credendũ uidetur? Et ſic phantaſiã ſuam ſequuntur, non rationem: unde & animales dicuntur homines; quoniam animalia imaginatione, non rationibus uiuunt, primo Metaphyſicæ. Phantaſtici ergo potius, quàm rationales uocandi ſunt. Non mirum igitur, ſi ab Apoſtolo Petro dicuntur indocti, quoniam doctrina non fundatur in phantaſia, ſed in ratione. Quòd ſi rationem, non quid ſibi phantaſia apparere facit, ſequerentur in credendo, ſequerentur in ſua credulitate non proprium, ſed iudicium Moſaicum. In hoc repræſentat Moyſes Romanum Põtificẽ caput Eccleſiæ, ſicut ipſe erat caput ſynagogæ. Ideò non mirum, ſi hæretici poſtmodum in diuerſas ſcinduntur partes; quia & iſti conciduntur ab inimicis. Quid enim eſt concidi, niſi in diuerſa partiri? Ideò non mirum ſi hæreticorum ſectas uocat Apoſtolus opera carnis (Galatarum quinto. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt &c. ſectæ); quoniam & iſti ſecuti ſunt carnem in iudicando, ſeu in ſuam ſectam faciẽdo, ut habetur 2. 2. q. 11. art. 1. ad tertium. Quare ſectæ dicuntur opera carnis? Quid eſt caro, ut hic ſumitur? Phãtaſia. Vnde opus carnis eſt opus phantaſiæ, ideſt à phantaſia, tanquam à principaliori, productum. Phantaſia namque (Philoſophus in ſecundo de anima) eſt motus a ſenſu in actu factus. Conſequenter ergo eſt ſenſus carneus, opus carneum, motus carnem non excedens. Nonnè igitur hæreſes omnes ſunt opera carnis, cũ hæretici, ſicut & hi eorum figura, ſibi a phantaſia dictum pro uero teneant, hancque ſibi iudicem omnium controuerſiarũ ſtatuant? Ex eo autem, quòd modo dicto ſunt opera carnis hæreſes uniuerſæ, ſequitur, ꝙ omnis hæreſis eſt motus ſenſualis, à ſenſu factus, motus carneus, uiſibilia non excedens, & errans. Nam phantaſia eſt principium errandi, ut dicitur 4. Metaphy. Quaſi ergo fidem noſtram dicunt eſſe aliquorũ uiſibilium, non inuiſibilium omnes, qui hæreſibus inhærent. Et tamen dixit Apoſtolus, quòd fides noſtra eſt non apparentium, ideſt non per phantaſiam (Phanos enim grecè apparere ſignificat) propoſitorum. Vide ad quàm infimum locum fidem trahere conentur hæretici, cum ipſam in phantaſia reponant; quam tamen fidem ob excellentiam ſuæ ſpiritualitatis ſupra intellectum collocari definiuit Apoſtolus. Non apparentium (inquit) eſt fides, ideſt non uiſorum ab intellectu, neque humano, neque angelico. Supra intellectum igitur angelicum ponitur fundamentum chriſtianitatis, & iſti hoc intra phantaſiam reponere contendunt. Magnopere igitur totã chriſtianitatem offendunt, qui fundamentum domus illius tam ignobile ſtatuunt. Quid ignobilius phantaſia in homine? Quid inſtabilius? Quid mobilius? Benè igitur ab Apoſtolo Petro non tantum indocti, ſed inſtabiles, nominati ſunt hæretici. Hanc illorum inſtabilitatem, qui non credit, illorum ſectas uideat, & ipſos, tanquam à phantaſiæ proprio effectu 2. Pet. 3

arguens

arguens à phantaſia duci diiudicet. Deus, fidem locando ſupra intellectum, hominem ſupra hominem trahere uoluit, & iſti, eam in phantaſia ponendo, hominem infra hominem trahere cupiunt. Volunt ergo, hominem iumentis ſimilem efficere, contra quod in Pſalmis Deus tantopere ſtomachatur. Et Deo igitur, & hominis nobilitati (quaſi quòd ſenſus in homine ſit nobilior, quàm ratio, & corpus, quàm anima) cõtrariantur hæretici; & ſolis beſtijs fauent: dùm fidem phantaſia metiuntur. Hinc Apoſtolus Iudas de his, tanquam de beſtijs, loquitur dicens; Quæcunque tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.

QVÆSTIO CVM R.

QVID eſt, quòd iudæi iſti aſcendentes dixerunt ly Peccauimus? Quaſi enim uideantur pro peccato ſatisfacere uelle, tantùm abeſſe uidetur, ut iterum peccent. Reſpondendum eſt, quòd dixerunt ly Peccauimus, ſed ſuperbè, non humiliter; ſed per indeuotionem, non per contritionem. Quaſi dixiſſent. Peccauimus: Quid inde? Potuimus peccare, poterimus, & pro peccato ſatisfacere. Mirandum non fuit, quòd peccauerimus; quoniam id ex ſuaſione exploratorum uenit. In ſignum huius, poſtquam hi non adſunt amplius, uolumus peccatum illud retractare. Ex alijs peccauimus, ſed ex nobis uolumus oſtendere, quòd peccatum illud nobis diſplicuit. Ex alijs cecidimus; ſed ex nobis ſurgimus. Ex alijs malum fecimus; ſed ex nobis bonum faciemus. Aliorum adhortatio fuit in cauſa noſtræ ſegnitiei ad aſcendendum; in cuius ſignum, remota cauſa remouetur effectus. Ecce aſcendimus. Vidiſti ſuperbiam iſtorum, excuſationem, & indeuotionem, in dicẽdo ly Peccauimus; & conſequenter percepiſti, eos hoc non dixiſſe per contritionem. Cæterùm dominus iuſtus oſtendere uolens, quòd ipſimet proprij peccati, non exploratores, cauſa uera fuerant, ipſos in peccatum ſuperbiæ nunc prædictum moxque puniendum, Moyſe diſſuadente, cadere permiſit. Ac ſi eos conuincẽs dicat: Quemadmodum Moyſes ſuadet quidem nobis non peccandum; & tamen non poteſt cauſare, quòd non peccetis (ut patet); ita exploratores ſuaſerunt quidẽ uobis eſſe peccandum; & tamen non fuerunt; imò nec potuerunt eſſe, uera cauſa quòd peccaretis. Vide Geneſix c. 3. con. 14.

APPENDIX.

1 HInc habes, quòd non omnes ſint laudandi, qui à ſcripturis introducuntur lugere pro peccatis; & conſequenter, quòd non omnes tales ſcriptura inducit, ut laudet; ſed ut iuſtè confundat. Nunquid laudandus eſt fletus damnatorum; & conſequenter illi ex hoc laudandi, quando præ anguſtia ſpiritus erunt (teſte ſapientia) gementes, pœnitentiam agentes, ſeipſos inſenſatos uocantes, & iuſtos ignobiles habitos pro uerè glorioſis commendantes? Abſit. Nunquid Iudæ proditoris fletus, ſeu pœnitentia, commendari debet? Abſit. Nunquid & Antiochi fletus, & peccati ſui recognitio, debet laudari? Abſit. De hoc enim flente dicit Macabeor. liber. Orabat ille ſceleſtus Dñm, à quo non erat miſericordiã conſecuturus.

2 Secundò habes conſequenter, quòd non omnis, qui dicit, peccaui, ueniam ſui peccati conſequitur; ſed tamen qui dicit peccaui cum tribus conditionibus præmiſſis, ſcilicet cum dolore de præterito, cum primo propoſito, & cauendi peccatum de cętero, & obſeruandi mandata Dei, cum ſpe ueniæ à miſericordia diuina per Chriſtum conſequendæ. Alioquin Pharao, qui dixit Exod. 9. Peccaui etiam nunc, & Exod. 10. Peccaui in Dominum Deum & in uos; necnon Saul qui bis dixit. 1 reg. 15. Peccaui, ueniã de ſuo peccato habuiſſent, cuius tñ contrariũ apparet tum in contextibus harũ ſcripturarum, tum in expoſitionibus doctorum. Quantò igitur à conſequutione ueniæ remotos dicemus illos, qui negant confeſſionem; quando nec omnes, qui ſuum peccatum confitentur, ipſam conſequi uidemus? Vide S. Tho. Addi. art. nu. 1. 9. 10. 12. cum Elucid. Item ibid. nume. 19. 20. 24. 36. & 51. cum Elucid. ubique.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Non inquit, quoniam fleuit, uel quoniam confeſſa eſt peccatum, uel quia cognouit peccatum; ſed quia dilexit, ſcilicet Deum. In hoc enim radicẽ habendi ueniam tetigit; & illud, ſine quo cætera prædicta nõ ualent ad ſalutem. Quaſi diceret: Dilectio eſt forma tum fletus, tum cognitionis, tum confeſſionis, ad aſſequendã ueniã; & ideò eam ſolam tango, non tamen alia ad ueniam neceſſaria negãdo. Aliud eſt enim à forma, ut quæ ſit in toto hoc negocio, principali, totum denominare, aliud eſt ad conſtitutionem totius, alia quòd concurrant, negare. Ego facio primum, non intendo ſecundum. Dilectio nanque ut contra iſtos, qui hæretici ſunt huiuſmodi adducentes pro ſuo ſenſu diſtorto loquamur clarius, & cognitionem prædictam, & fletum, & confeſſionem, includit; ſi uera dilectio ſit, tantum abeſt, ut iſta excludat. Prædicta uerò, etiam ſi iunctim ſumantur, dilectionem Dei non neceſſariò includunt, ut ſupra in exemplix patuit. Voluit ergo Chriſtus & a principaliori, & ab alia requiſita neceſſariò includenti, denominationẽ facere, ideſt ipſi peccaminum dimiſſionẽ attribuere. Quid ergo mali fecit? Quam, mali ideſt negandæ confeſſionis, occaſionem dedit? Imò confeſſionem, cæteraque ad dimiſſionem neceſſaria ſtatuit, ex quo dilectio uniuerſa hæc nullo ſani capitis renuente, includit, & neceſſariò quidem ſi uera eſt. Dimiſſa (inquit) ſunt ei peccata, quoniam dilexit. Ad rẽ noſtram modo. Fletus igitur illis, qui ſupradicti occaſione huius textus numer. ſunt, ex Chriſti dicto hoc ideò non profuiſſe ad dimiſſionem peccatorum intelligito; quoniam nõ erant dilectione diuina formati, ideſt quoniam ſine charitate erant. Ex hoc monſtratur quoque uniuerſaliter ex conſequenti, quòd pœnitentia omnis formata ualet ad peccati dimiſſionem; nulla autem informis, etiã quòd omnia alia habeat. Pro quo recte magisq; diffuse percipiendo conſule Eccleſiæ ſanctæ doctorem egregium Diuum Tho. in addi. art. num. 35. 38. 39. uſque ad 43. cum Elucid. Semper ex prædictis in applicatione hæc collige, quomodo uniuerſaliter ſano capite intelligas ſcripturarum omnia hortamenta, quãdo nos ad pœnitentiæ opera prænarrata inuitãt. Intelliguntur enim de pœnitentiæ operibus modo dicto formatis loqui, quoniã ſine charitate ad culpæ dimiſſionẽ cuius, dimiſſionem intendunt, non proſunt. 1. cor. 13. licèt ad illam diſponant, & ad alia quædam ualeant addi. art. num. 57. cum Elucid.

ECce mane ſurgentes aſcenderunt, &c. Quibus Moyſes, cur tranſgredimini, &c. Vobis non cedet in proſperum, &c. *Text.*

Concl. 13. *Quicquid agitur ab aliquo de proprio capite cõtra ſuperioris iudicium, licèt bonum uideatur, malum exitum habebit, & contra ſeipſum ſic agentem conuertetur, licèt pro ſe futurum uideatur.* [Ex eo.]

TEXTVS, antequam talia dicat, unde præſens documentum elicimus, apponit ly Ecce, quòd admirationis nota eſt. *Ratio.* Hoc autem facit, ut oſtendat, hoc eſſe admiratione magna dignum. Et uerè ſic eſt. Nam quod mihi uiſum bonum, & ſucceſſurum in proſperum fiat deinde in contrarium; & mihi uiſum malum, & ſucceſſurum in ſiniſtrum, fiat deinde in cõtrarium; ſi contra ſuperioris iudicium illud a me amplectatur, hoc diminuatur, tam admirandum id exiſtit, ut nihil ſupra. Viderat Moyſes, iudæos iſtos ob bonum illis apparens, uelle conſcendere montem; & illis dixit: Nolite aſcẽdere. Iſte aſcenſus, quamuis bonum his uiſus, ceſſit ne ipſis in proſperum? Non; imò in malum maximum (ut patet in textu.) Vnus itaq; ſuperior melius de eo, quod futurũ erat, iudicauit, quam multi inferiores. Sicut ergo iudicio ſuperiorum ſubditi, & omnia ſemper in bonum ſucceſſum ſibi eueniũt. Vtique ab oppoſitis hoc concludendum neceſſariò reſtat. ſi (ut uerum eſt) agenti de ſuo capite contra ſuperioris dictũ nihil in proſperum eueniet. Audi ſingula.

EXAMEN.

ISTIS iudæis uidebatur, ſi aſcenderent, quòd de peccato prædicto ſatisfacerent, quòd Deo ex aſcenſu illo placituri eſſent, quòd alijs bonum exemplum darent, quòd inimicis terrorem immitterent, quod uictoriam inde relaturi eſſent. Nunquid putauerunt unquam ex ſe, quòd propter aſcenſum peccarent; quòd Deo ex aſcenſu diſplicerent; quòd iudæis alijs malum exemplum daturi eſſent; quòd ab inimicis perterrendi forent, quòd inimici ſeipſos, tam ignominioſe præſertim, ſuperarent? Nihil utique horum ex proprio capite putauerunt, imò forſan nec putauiſſent unquam; & tamen quid eis accideret; utrum Moyſes, uel illi, melius de futuris

tur is coniectanint ea littera audiuimus. Sed, ut pleuius documentum concluſionis huius imbibere poſſis, uide ſupra in ratione præcedentis concluſionis, unde documentum hoc quaſi digito monſtrādum, memorabile deſumpſimus. Vide Gen cap. 27. con. 1. 3. & bene conſidera.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Non mea uolūtas fiat. Hoc dicere, facereque debet quis, quando ſuperioris iudiciū proprio ſuo contrarium uiderit. Tunc enim non faciat modo illo, quo iſti iudæi fecerunt. Verè igitur Chriſtianis (qui ſcilicet Chriſtum in prædicta ſententia imitantur) nihil tandem in ſiniſtrum; ſed omnia in proſperum ſemper uenient, quando diu in talis obedientiæ conformitate manebunt. Hoc ipſum quoque denotatur alibi ſcriptura dùm ait: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Quare? Quia omnia illi in proſperum cedent.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concl. 13. cap. 14. admodum ualet contra peſtiferos errores Bterni, Pauperum de Lugduno, Begardorum, Huſſitarum; de quibus cum eorum damnatione uideas ſupra, Num. 1. concl. 10. & cap. 13. con. 7. & loca ibi citata, quod & ſemper in alijs cōcluſionibus facere debes. Ex illis etiam dictis uiciſſim concluſionem hanc firmari ſcias; uiciſſim, inquam, quia & ex hac cōcluſiones illæ firmantur.

Text. ET ecce primo mane ſurgentes, &c. non cedet in proſperum.

Concl. 14. *Vnus ſuperior melius cognoſcit ueritatē de his, quæ ſunt euentura ſubditis, quàm multi ſubditi de eiſdem.* [Ex eo.]

Ratio. MIRANDVM valdè hoc eſt, cum ordinariè duo plus uigeant intellectu, quam unus. Quid ergo de multis reſpectu unius? Certè ſi unus ille magis de ueritate futurorum cognoſcit, ſeu de futuris uera prædicit, quā illi multi, hoc non mirandum modò, ſed pluſquam mirandum eſt. Ideò ad ſignificādam iſtius rei admirationem textus, antequam verba intellectum huuc progigneutia narraret, uſus fuit ly Ecce. Vt huius autem rationem concluſionis unius uidere poſſis, lege concluſionis præmiſſæ rationem. Ibi enim hoc dictum ea decurſu uerborum inuenies, quòd quia notam digniſſimum extat, digito quaſi. 1. ſpeciali concluſione monſtrare curauimus.

RESPONSIO TACITÆ OBIECTIONIS.

1 VERVM eſt, quòd duo pluſquam unus uident; ſed ceteris paribus, hoc intelligimr. Si enim detur unus philoſophus, dentur uerò mille ruſtici; plus meliùs iudicat de ſciā ſpeculatiua philoſophus, quàm omnes unà ruſtici. Nā Philoſophus circa ſpeculatiua expertus eſt, & in illis neceſſarii eſt ſuū officiū: ruſtici uerò circa illa experti nō ſunt & illa cognoſcere nō eſt ſuū officium. Vnicuiq; autē experto in ſua arte credendum eſſe, fatentur omnes. Si autem detur unus philoſophus ex una parte; & duo ex alia philoſophi eiuſdē cum illo profeſſionis, & uigoris intellectus, tunc duo iſti melius iudicabunt de aliquo ſuæ profeſſionis, quàm ille unus de eodem eiuſdem profeſſionis. Hic enim cætera ſunt paria, ibi uero non. Modò ad rem noſtram. Datur prælatus, & ſubditi, diuerſa iudicant; tunc prælatus bene iudicabit, ſubditi uerò male. Quare? Quia prælatus habet officiū gubernandi ſubditū ſuū; non autē ſubditus habet officiū gubernandi ſemetipſum. Deus enim illi dedit hoc munus;

Exempl. iſtis uerò idpſum denegauit: & ſi philoſopho uni ex eo, quod de officio ſuo tractatur, magis credendum eſt, quàm ruſticis multis ex eo, quod de officio iſtorum non tractatur; quantò magis uni prælato ex eo, quòd de officio ſuo tractatur credendum erit, quàm multis ſubditis ex eo, quòd de officio illorum non tractatur? Quis dedit officium illud philoſopho? Ars, humanum ſtudium, labor improbus. Quis dedit officium illud prælato? Inſtitutio diuina, diuinum auxilium, Deus. Quis maior horum, Deus, an homo? Nō homo, ſed Deus: imò Deus incōparabiliter in bonum undiq; excedit hominem. Si ergo ex eo, quod homo dirigit philoſophum credis (modo prædicto) philoſopho; cur ex eo, quòd Deus dirigit prælatum non credas (eodem modo) prælato? Hinc enim ratio pendet, quare concluſionis documentum uerificetur, quia Deus ſpeciali directione gubernat prælatum, in eo, quod prælatus eſt. Quid eſt prælatus in eo, quod prælatus, ſiue quid eſt prælatus, ut prælatus? Eſt in relatione regendi ſubditum cōſiſtens. Vnde cognoſcitur tunc prælatus agere, ut prælatus, quando gubernat ſubditum: ſi quando autem intendat gubernare ſeipſum, iam prælatus agit, ut homo talis, puta Petrus; non ut prælatus. Quando ergo ſtatuta facit ad regendos ſubditos, quando ſubditis aliquid prohibet, uel ſuadet, quod ad regimen ſpectat ſubditorum, tunc eſt prælatus. Quando uerò ipſemet prohibet ſibi, uel ſuadet aliquid, tunc eſt prælatus, ut homo talis in ſingulari. Hæc dixerim, ut intelligas prælatum faciliter poſſe decipi in gubernando ſeipſum; non autem ſubditos. Deus enim magis adeſt ipſi ad gubernandum ſubditos, quàm adeſt ipſi ad gubernandum ſeipſum. Nonnulli nanque, aliquem gubernare ſemetipſum, qui tamen inſtimit, ut gubernent alios. Nunquid non fecit hoc, ut cognoſcamus liquidò, quod ipſum bene gubernare alios non eſt opus prælati (nè glorietur ergo), ſed opus Dei in prælato? Vtique: Et id naturalis ratio ſuadet. Nam alij ſunt à nobis remotiores & minus dilecti, quam nos à nobis ipſis, cum unuſquiſque ſit ſibimet proximus maximè, atque dilectus. Naturalis igitur ratio conſideratis nunc dictis dictat quodammodo, quòd quis magis idoneus ad gubernandum ſemetipſum eſſet, quā quoſcunque alios, ſicut & ignis agit magis in proxima ſibi quàm in longinqua. Opus ergo Dei eſt in prælato, & ſuper- Exempl.
naturale donum, quod alios bene gubernet. Cum itaque (ut probauimus) id ſit opus Dei, atque inſtitutio, unique operi ſuo, atque inſtitutioni fauebit ſemper Deus. Si fauebit; ergo prælatus in gubernando ſubditos non poterit decipi. Intellige quæ dico, nè erres. Nō poterit (inquam) decipi ita, ut ſua deceptio in malum ſubditi proueniat unquam; quoniam obedientia, etiam in dubijs excuſat. Si enim prælatus tunc deciperetur, ſibi deciperetur tantùm, non ſubdito, dummodo, id quod ſubdito præcipit, manifeſtum errorem non contineat. Tunc. n. ſubditus non excuſaretur, ſed accuſaretur. Nec mirum: non eſt enim hoc, quia deceptio prælati in deceptionem redundauerit ſubditi; ſed quia elegit decipere ſemetipſum. Tunc nanque non habebat prælatum, cum apertiſſimus error iubebatur; & conſequenter ſi deceptus eſt ſubditus, non à prælato fuit iſta deceptio. A quo ergo, niſi à ſemetipſo, qui uidit arcū extenſum, & effugere noluit? In hoc ſiquidem caſu rationē propriam, tanquam prælatum intraneum ſequi tenebatur, ex quo prælatum exteriorem audire non debebat. Vtquid. n. iſti ſubdito dedit rationem, ſiue intellectum Deus? Vt deficiētem manifeſtè iuſſionem prælati exterioris caueat; licèt nō; ut iudicet de ipſius iuſſu. Nunc autem in caſu illo iudicat de ipſius mandato; ſed manifeſtum uidet errorem. Iudicat enim (in propoſito) ſubditus de prælato, quando res probabiliter dubias a prælato iuſſas agere nō uult dicens. Quia malæ ſunt, ideò eas facere nolo, ſiue non teneor. Et in hoc caſu etiam à ſeipſo deciperetur ſubditus, quia peccaret; non autem a prælato, quia ipſum audiendo fideliter mereretur. Quid, ſi dubiū illud probabile contineret errorem? In tali negocio uerificabitur dictum Pſalmiſtæ illud, ſ. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Dicetis: Hoc eſt mirabile in oculis noſtris, ut ſubditus tunc obediēs illæſus euadat. Et ego dico: A' domino factum eſt iſtud, & conſtitutum, ut non ſolum illæſus tunc abeat; ſed etiam ut meritum, ſi eſt in gratia, acquirat. Vide, quantum Deus adeſt prælato in gubernando ſubditum ſuum. Nè mireris ergo, quòd unius, modò prælatus ſit, iudicium, etiam de futuris, ad pertinentibus ad ſubditi ſui regimē magis præualeat, quàm multi ſubditorum ſuorum; quoniam Dominus tunc ſpecialiter regit prælatum; non autem ſic ſubditos illos, propter rationem dictam.

COROLLARIVM.

SICVT ergo ſtultitia magna eſſet, dicere, quòd multi ruſtici concluſionis phyloſophicæ poſſent comparari uni tantùm philoſopho; ſic magna ſtultitia eſt dicere, quod multi ſub- Exempl.
diti ſimul poſſint æque bene iudicare de rebus a ſe faciendis, uel ſibi ex rebus illis euenturis, quemadmodum unus iſtorū prælatus. Et, ſi dicere hoc eſſet magna ſtultitia; quanta ſtulti-

tia

nam erit idipſum tenere amplecti, proſequi? Ergo ſtultiſſimos nos oſtendimus, dum iuſſionibus prælatorum, ſiue iudicijs circa noſtri gubernationem, recalcitramus. Ergo ſtultiſſimi ſunt hæretici, aliosque facere ſtultiſſimos conantur, quando nobis de noſtrorum maiorum iuſſionibus iudicare ſuadent, illisq; pro libito recalcitrare, & ipſi hoc idem (forſitan ut nõ tantum uerbo, ſed etiam exemplo nos doceant: Ecce; quia etiã diabolus ſuos doctores habet) quotidiè faciunt, ac ſe facere gloriantur. Heu peſſimam generationem, quibus tàm exoſa eſt ſapientia, & tam grata inſipientia. Non ſolum autẽ ille ruſticorũ conatus ſtultitia magna eſſet, ſed nõ minor ſuperbia: ſuper ſe nanque irent, dum non tantum philoſopho æquari in tali iudicio uellent; ſed etiam ipſum ſuperare. Ergo non tantum ſuper ſe irent; ſed plusquam ſupra ſe. Ergo non tantum ſuperbi, ſed plusquam ſuperbi. Nec tantum plusquam ſuperbi eſſent tunc; ſed omnibus propter hoc graues, odioſi, importabiles, abbominandi. Pauperem (aiunt) ſuperbum quis ferre poteſt? Ergo de ſubditis idipſum facientibus reſpectu prælatorum ſuorum ſupradicta uerificantur; & tanto magis, quanto prælatus à maiori inſtituitur ad gubernandũ ſubditum, quàm philoſophus ad diſcernendũ circa alicuius concluſionis uerum. Deus nanque maior eſt, quam ſcientia quælibet. Et licèt Deus cum ſcientia illa dirigat prælatum; tamen non ſic auxilio ſpeciali, quemadmodum prælatũ. Ergo ſuperbia ſuperbiarum eſt nolle manere ſub ordine inſtituto a Deo, ſicut ſuperbia ſuperbiarum eſſet, philoſophum nolle manere ſub canonibus ſcientiæ in iudicando, ſed uelle ſupra ſcientiam ſcire. Ergo cæcitas cæcitatum eſt renuere obedire prælatis. Nam tunc renuimus dirigi ab eo, qui non poteſt errare (.ſ. Deo; qui & inſtituit prælatum, & nos per prælatum de omnibus informat), & eligimus dirigi ab eo, qui poteſt errare (.ſ. uobis ipſis, qui in propria cauſa decipimur). Renuere ergo Deum, & ſe pro Deo conſtituere; eſt nolle obedire. Vnde ait ſcriptura, quòd peccatum quaſi ariolandi eſt nolle acquieſcere. Quid eſt ariolari, hic ſumptũ, niſi idololatriare? Et quid hoc, niſi unum Deum alium, pro Deo uero, ſibi cõſtituere? Ergo peccat peccato etiam præſumptionis ſubditus, quando iudicium ſui prælati iudicio ſuo poſtponit quoad ſuimet regimen. Nam tunc uſurpat illud quod ſibi Deus, & ſpecialiter quidem (cùm ſibi actualiter dederit prælatum), denegauit, ſ. gubernare ſemetipſum. Ergo non mirum; ſi ruina iſtis iudæis ſimilis ceruicioſis poſtea uenit. Quid? Et in tempore prædicto ex inobedientia uenit, in præſenti uenit, & in futuro ueniet.

NOTATIO MAGNA.

ALIQVID nunc (nè ſermo de prælatis mancus ſit) circa Papæ iudiciũ de credibilibus catholicæ fidei ſpecialiter dicendum eſt. Quemadmodum enim Papa eſt non tantum prælatus; ſed uniuerſorum prælatorum prælatus, ita non inconueniens, ſed conuenientiſſimum eſt, ut ei aliquid præ cæteris a Deo tributum in ſuo iudicio fuiſſe dicamus. Quid eſt illud ſingulare Papæ a Deo donatum, quod cæteris prælatis etiam ſimul ſumptis, non æquò conuenit? Quod non poſſit, ut Papa, errare in iudicio credibilium, ſiue in his, quæ ſunt fidei catholicæ. Quid autem hoc ſit in ipſo ſingulare, ex prædictis patere poteſt. Alijs nanque prælatis tributum eſt, ut in perniciem ſubditorum errare non ualeant (modo ſupra declarato); ſed tamen non eis tributum, ut circa rem ſubditis impoſitam errare nequeant. Romano verò Pontifici eſt datum, & quod illis conceſſum eſt, & quod circa fidem errare omninò non poſſit. Si fatuum igitur maximè eſt, ſuperbum, cæcũ, & præſumptuoſum nolle credere prælatis alijs in iudicio, atque illis obtemperare; plusquã maximè fatuũ, ſuperbum, cæcũ, præſumptuoſum erit procul dubio, nolle iudicio Papæ credere in fide, illique morem gerere. Si ruinæ tantæ (ut diximus) cauſa fuit, eſt, & erit, inobedientia reſpectu aliorum prælatorum; quantæ, putas, ruinæ cã fuit, eſt, & erit, inobedientia reſpectu prælati prælatorũ oĩum? Si Deus dicit deſpici, tanquã illorũ inſtitutor & rector, quando alij prælati deſpiciuntur; quõ non quaſi incomparabiliter deſpicietur Deus, quando prælatus prælatorum, & conſequenter ſpecialiori admodum diuina prouidentia inſtitutus, & rectus deſpicietur? Hæc omnia contra hæreticos, ſciſmaticos, & inobedientes dicta pro ueritate ſint. Cæterum quia de infallibilitate iudicij Papæ in his, quæ fidei ſunt, alibi dictum eſt Exod. 18. con. 5. & cap. 13. con. 6. & Leuit. 21. con. 2. exam. aur. 1. 2. 3. item in Elucida. pri. par. q. 74 ar. 2. & q. 35. art 4. Item in Elucid. Addi. multis in locis (ut ex indice ibi patet) ideò uide illic, & iſta ſufficiat.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 14. capituli 14. admodum facit contra omnes illos errores, de quibus in concluſione 13. nunc dictum eſt. Et ideò ſicut ibi, ita hic te per omnia (ut allegatum eſt, & monitum, te gubernato.

SVrgentes aſcenderunt dicentes; Parati ad aſcendendum ſumus, quia peccauimus. Text.

Concl. 15. *Adeò peccator non poteſt de ſe pro peccato ſatisfacere, ut etiam, quando putat ſe de ſe ſatisfacturum pro peccato præterito, tunc cadat plerunque in nouum peccatum.* [Ex eo.]

DECLARATIO SENSVS CONCLVSIONIS.

HOc non in ſenſu hæretico, ſicut nec alia unquam, intelligas; ſed catholico. Quis eſt catholicus ſenſus in cõcluſione præſenti? Quòd peccator ſatisfactiones pro peccato ſuo facere de ſe non poteſt; & adeò non poteſt, ut, quando id ſolis ſuis uiribus innixus attentauerit, faciat potius neſciẽdo contrarium. Non autem intendit catholicus, quòd uelle ſatisfacere pro peccato, ſit peccatum; ſed hoc hæreticorum eſt dogma.

RATIO CONCLVSIONIS.

ISRAELITAS hos aſcendere uolentes uidemus, ideò hoc noluiſſe, ut peccato ſegnitiei prioris, qua renuerant aſcenſum, facerent ſatis; & conſequenter, ut Deum offenſum facto iſto poſteriori placarent. Hanc fuiſſe cauſam illorum animos ad iſtud mouentem, faſſi ſunt ore ſuo, quando dixerũt: Parati ſumus aſcendere &c. quia peccauimus. Motiuum igitur eorum fuit bonum, inquantum ſatisfactionem ſonabat, licèt eſſet malum, inquãtum ſatisfactionem talem .i. proprijs uiribus fiendam importabat. Parati (inquit) ſumus aſcendere: ergo proprijs uiribus ſatisfacere ſe credebant. Dominus (inquit ad illos Moyſes) non eſt uobiſcum, ergo ſolis proprijs uiribus &c. Dominus (inquit) nõ eſt uobiſcum; ideò nolite aſcendere. Hoc audito, quid fecerunt Iſraelitæ iſti? Aſcendere noluerunt. Ac ſi facto ſuo Moyſi reſpondiſſent: Quamuis Dominus non ſit nobiſcũ; nos tamen parati ſumus. Quãuis ad aſcendendum Dominus nos non adiuuet; tamen parati ad aſcenſum ſumus, ideſt per nos aſcendere ualemus. Cũ ergo aſcendere (ſecundum iſtos) ſatisfactionẽ pro peccato diceret, reſtat, ut hi talia dicendo ſatisfacturos ſe ſolis uiribus autumarent. Quid magis ſuperbum? Ideo per manus inimicorum cadent uituperosè, ad deſignandum, quòd nullus propria ſola uirtute pro delicto quouis ſatisfacere poteſt. Nolite (inquit Moyſes) aſcendere; dominus enim non eſt nobiſcum. Quaſi dicat: Nolite conſumere in uanum laborẽ ueſtrũ. Vide hic bonitatem Moſaycam, & in ipſa bonitatem Dei conſpice. Diligit nos Moyſes adeò, ut laborare nos fruſtra non conſentiat. Si labores ergo noſtri eſſent fruſtratorij; putas ad hos toties tot modis ſcriptura nos inuitaret? Abſit. Immò tunc ab ipſis laboribus, ſicut nunc facit Moyſes, auocaret.

COROLLARIVM.

LABORES ergo, ſatisfactiones, opera pœnitentialia, exerceri debent a nobis auxilio diuino, non proprijs uiribus innixis. Vnde in concilio Trid. ſeſſ. 6. cano. 1. ad hoc propoſitum legitur: Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ per humanæ naturæ uires fiũt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo; anathema ſit. Hæc ibi. Ex quo igitur ſemper, & uijs multis, nobis labores huiuſmodi ſuadet; quid dicendum neceſſario nobis relinquitur; niſi quòd labores noſtri aſſumpti, ut ipſe in ſcriptura, loquitur ſint fructuoſi, & in gratia exiſtentibus meritorij? Dicere

ergo,

ergo, labores illos ſic aſſumptos non eſſe cuiuſqua meriti, eſt & blaſphemum & hæreticum. Nolite (inquit) aſcendere: Dominus enim non eſt uobiſcum. Si dominus ergo eſſet cum iſtis iudæis; quid putas, dixiſſet Moyſes eiſdem? Aſcendatis dixiſſet; & ſatagite aſcendere. Poſtquam igitur magis nobiſcum eſt Deus in præſenti tempore, quam in priori; quid dicemus? Quòd nunc debemus magis laborare, occupari in operibus ſatisfactorijs, aſcendere ad perfectionis apicem; quam antea. Hoc dixiſſe uoluit Apoſtolus, quando inquiebat noſtri temporis hominibus: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; ideſt magis nunc nobiſcū Deus eſt. Quid idè traxit Apoſtolus? Exhibeamus ergo nos, ſicut Dei miniſtros. In omni patientia in ieiunijs multis, in caſtitate, in humilitate, in charitate non ficta. Audiāt hoc hi, qui ſe iactant, quòd ſint Dei miniſtri. Audiant, quæ ſint illa, quæ uerum idoneumque conſtituunt Dei miniſtrum. Si hæc habuerint iam ſunt ueri, & idonei Dei miniſtri. De hoc gaudeant, in hoc proficiant, de hoc in domino glorientur. Sin autem hæc non habere ſe cognouerint, ſe inutiliter ſibi iactitare de nomine miniſtrorum Dei percipiant.

¶ Nolite (inquiebat Moyſes) aſcendere: Dominus enim non eſt uobiſcum, ergo (dicebamus nos ex hoc) debemus magis nunc aſcendere ad opera laborioſa, & ſatisfactoria; quam anteà. Quare? Quia magis nunc eſt nobiſcum Deus, quam cum antiquis hominibus. Deus enim filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum eis erat per fidem incarnandus, cū hominibus dulciter conuerſaturus, homines ſupernaturalē ſcientiam docturus, pro hominibus paſſurus, homines ſeipſo paſturus: nobiſcum autem iam eſt per fidem iam realiter incarnatus, in mundo conuerſatus, pro nobis paſſus, mortuus, ſepultus, ad uitam per reſurrectionem regreſſus, nobis realiter quotidianus ſuperſubſtantialis cibus effectus. Verè igitur cùm non ſit alia natio, nec unquam fuerit, quæ habeat Deum appropinquantem ſibi, ſicut nos habemus; nonnè concluſio prædicta clariſſima dicetur, & concedetur? Quæ? Quòd debemus nos magis nunc ad opera perfecta laborioſaque aſcēdere, quā antea debuerint homines. Rurſum. Deus pater fuit cum antiquis per hoc, quòd promiſit illis filium ſuum Chriſtum: nobiſcum autem per hoc, quòd de facto ipſum nobis exhibuit. Cum ergo maius ſit realiter exhibere, quam promittere; utique magis Deus eſt nobiſcum, quàm cum antiquis; & ſi hoc, utique cōcluſio prædicta erit ueriſſima. Item Deus Spiritusſanctus fuit cum antiquis tam parcè, tam umbratice, tam peregrino more (ordinariè loquendo,) ut eis uideatur non fuiſſe datus, iuxta id: Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus. Quid, ni fuiſſe parce, cum antiquis dicerim, cum notus in iudæa ſolum eſſet Deus? Cur non fuiſſe cū illis, umbraticè, fatear, quando omnia in figura cōtingebant illis? Quare non fuiſſe cum eis more peregrino, aſſeram, ea quo in lege infirmabatur per carnem, & ſanguine hircorū &c. impoſſibile erat auferri peccata? Nobiſcum autem Deus Spiritusſanctus eſt copioſè, apertè, habitatoris more. Ieſus enim iam eſt glorificatus: & ideo triplici illo modo ſpiritus eſt datus. Nunquid non copioſè datus eſt; quando in die Penthecoſtes ad inſtar pluuiæ ſuper credentes deſcendit, de cœlo intonuit, & in omnē terram intantum exiuit ſonus poſtea illius, ut nō ſit modo qui ſe abſcondat à calore eius? Nunquid non apertè datus eſt, cum in die Penthecoſtes ad pluitionem eius conuenit omnis multitudo ex omni gente, quæ ſub cœlo eſt, cū nobis omnia nunc in luce clareſcant, & nocte prælapſa dies, ideſt meridies appropinquauerit? Iam diabolus tentans nūc uocatur dæmonium meridianum, ratione claritatis noſtræ ueritatis à Spirituſſancto exiſtentis; qui olim dicebatur negocium perambulans in tenebris, ratione tentationis hominum in umbra ueritatis exiſtentium. Nunquid non habitatoris more Spiritusſanctus eſt datus, quando in die Penthecoſtes non uenit modò, ſed ſedit, ſuper fideles? quando Chriſtus dixit, quòd Spiritus ille manebit nobiſcum, & in nobis erit? quando non accepimus Spiritum ſeruitutis iterum in timore, qui non manet; ſed ſpiritū adoptionis filiorum Dei, qui in domo manet in æternum? Iam Apoſtolus clamare poteſt de ſtatu noſtro, quòd non ſumus hoſpites, & aduenæ; ſed ſumus ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Et cur, niſi ratione Spiritusſancti non per modum aduenæ (ut olim,) ſed per modum habitatoris domeſtici manentis in nobis? Etenim qui non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius, tantùm abeſt, ut ſit domeſticus eius. Nobiſcum igitur cùm magis ſit Deus pater, Deus filius, Deus Spiritusſanctus; utique ſine cauſa dictum non eſt, quod Moyſes nos ad aſcendendum magis per uerba ſua prædicta ſtimulare intendiſſet. Quid aliud inde ſequitur? Quòd qui ab aſcēdēdo magis nos nunc auocat, non pro Eccleſia Dei facit, cum Moyſe; ſed contra Eccleſiam Dei, cum diabolo contrario Moyſi. Tales ergo arcendi ſunt à cōfinibus terræ fidelium, qui tam ocquiſſimo ore nobis claudunt aſcenſum in cœlum.

EXAMEN.

NOLITE (inquit) aſcendere: Dominus enim non eſt uobiſcum. Hoc eſt opera ueſtra, ſi ſint ſine auxilio domini ſatisfactoria pro peccato, & grata Deo eſſe non poſſunt. Si ergo ſint cum auxilio domini aſſociata, nonnè uides hic per Moyſen; quod ſunt pro peccato ſatisfactoria, & Deo grata? Quomodo autem magis cum auxilio domini ſunt, quam dum Chriſti filij eius ſatisfactionibus aſſociantur? Poſtquam igitur Chriſtus pro nobis ſatisfactionem Deo patri obtulit, nos ad magis operandum animauit. Nam opera noſtra abſque eius ſatisfactione Deo grata non erant; cum ſatisfactione uerò eius grata illi ſunt. Quia enim gratum non erat Deo aliquod opus noſtrum ſine ſatisfactione Chriſti; ideo quæcunque operati fuiſſent antiqui ſancti patres ut ſancti in fide uenturi Chriſti, quaſi eius ſatisfactionibus opera ſua aſſociātes, operabantur. Solus nanque filius manet in domo; & conſequenter nihil manet in domo complacentiæ Dei, niſi aſſociatum ſit ipſi filio. Vnde, ut opera ſua Deo grata facerent omnes ſancti, lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Et quid tùm? Cādidas eas fecerūt. Ergo ſine ſanguine agni cādida nō erant. Vide quid ſanguis agni facit ſtolis non ſuis, ſed ſtolis noſtris. Non enim dictum eſt, quod ſancti lauerint ſtolas agni in ſanguine agni, ſed quod lauerint ſtolas ſuas, ideſt à ſeipſis factas, in ſanguine agni. Poſtquā ergo ſanguis agni pro ſanctis effuſus eſt, ipſi lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine illo. Quomodo enim illas in eo lauiſſent, niſi eum iam effuſum uidiſſent. Effuſus ergo erat; & tamen ſancti pòſt ſtolas habuerunt. Quid eſt habere ſtolas poſt Chriſti ſanguinis effuſionē? Eſt opera, quibus ſtolæ debentur, facere, poſtquam Chriſtus pro nobis pertulit paſſionem. Sanguis enim agni exiſtēs non facit, ſtolas non requiri; ſed magis eas ponit. Sanguine illo poſito ſtolæ noſtræ non tolluntur; ſed ſtatuuntur. Sanguis ergo ille cauſa eſſe debet, quòd operemur, non cauſa quòd ab operibus ceſſemus. Poſita iſta cauſa debet poni, nō aūt remoueri, effectus. Poſito Chriſti ſanguine, ſancti ſtolas facere nō renuūt; ſed ſtolas factas in ſanguine cādidas faciūt. Quid ergo? Aliud eſt auferre ſtolas, aliud eſt candidas facere ſtolas; ſanguis agni non aufert ſiquidas ſtolas, ſed facit eas candidas. Remoueantur ſtolæ, iam ſanguis Chriſti non poterit eas facere candidas. Virtus ergo ſanguinis arctabitur per hoc quòd ad pauciores effectus actualiter extenderetur. Effectus enim ſanguinis agni eſt candidare ſtolas noſtras. Si ſtolæ non dabuntur, quomodo eas candidare poterit? Vult ergo ſtolas fieri à nobis, qui eas uult facere candidas. Quomodo nanque hoc aliter intelligi poteſt? Coarctat igitur uirtutem actualem ſanguinis Chriſti ille, qui nos poſt Chriſtum paſſum opera facere diſſuadet. Facit ergo iniuriam Chriſto paſſo, qui denegat operandum poſt ipſum; quam iniuriam non facit, qui operari poſt ipſum ſatagit.

¶ Hoc aduerte contra hæreticos & in illos ipſos ueri gladium uideas, quem ipſi in catholicos acuerunt. Dicunt ſiquidem, opera facientem poſt Chriſtum paſſum facere iniuriam Chriſto, & non uident, ſeu uidere nolunt, quòd qui poſt Chriſti aduentum operari renuit, facit iniuriam Chriſto. Alioquin ſancti illi per Apocalypſim prædicti iniuriam feciſſent Chriſto paſſo dùm poſt ipſius aduentum operati ſunt iuſtitiam, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.

¶ Nolite inquit aſcendere: Dominus enim nō eſt uobiſcū. Ergo ſatagite aſcendere, dixiſſet, quando dominus eſt nobiſcum. Nunc ergo, quando Dominus eſt nobiſcum per opera redemptionis iam a ſe actualiter facta, eſt tempus aſcenſum faciendi. Ac ſi per illa uerba apertè dixiſſet Moyſes. Domini præſentia nobiſcum, eſt ſtimulus, quòd aſcendamus, nō eſt ab aſcenſu retardatio. Eo igitur tempore, quo magis præſentiam fauoris domini habent homines ſecum, aſcendendū magis eſt contra inimicos. Tunc ſiquidem aſcenſus noſter magis erit fructuoſius. Amplius ergo noui teſtamenti tempore, quam antiqui operandum erit.

CON-

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XV.

Text. VOta ſoluentes, uel ſponte offerentes:

Concl. 1. *Votum obligat ad redditionem ſui*. [Ex eo.]

Ratio. Eces, q; ſeparat ſponte offerentes ab his, qui uota ſoluunt, quaſi ex ipſa ſeparatione oſtendat, quòd ſoluentes uota non ſponte tantùm offerunt. Quomodo non ſponte? Ergo Deus accepta habet ſacrificia coacta? Non. Sed ly Sponte tenetur per reſpectum ad poſſe licitè aliter facere; nô autem dicit tantum oblationem uoluntariam. Sponte nanque. i. uoluntariè facit quis aliquid dupliciter, aut quia, cùm aliter licitè facere poſſit, uult facere hoc; aut quia, cum aliter licitè facere non poſſit, uult facere hoc. Primus dicitur hic offerre ſpôte: ſecûdus dicitur uota ſoluere. Sed quomodo adhuc uoluntariè facit, ſi nô poteſt aliter facere? Hic minus uidetur de uoluntario (dato interim quod ſit uoluntarium hoc opus), & conſequenter uota ſoluens nô ſic laudâdus erit, ſicut ſponte offerens. Huius autem contrarium dicit Diuus Thomas in 2.2, q. 88. ar. 6: Ibi enim concludit, quòd magis meritórium eſt, facere aliquid ex uoto, quàm ſine uoto. Conſequenter igitur faciens ex uoto aliquid magis laudandus eſt, & magis uoluntariè operatur, quàm ſponte tantùm offerens. i. faciens id ſine uoto.

QVÆSTIO CVM R.

SED quomodo in faciente aliquid ex uoto inueniri poteſt maius meritum, quàm in faciente ſine uoto? Eadem ſiquidem uoluntate fertur & ſpontè offerês, imò & liberiori; & conſequenter iſte plus meretur, quam uota ſoluens. Patet enim quòd ſponte offerens poteſt licitè aliter facere; & conſequenter quòd non propter peccatum uitandum (ut facit uota ſoluens) uoluntariè uult non facere aliter, ſed propter amorem uirtutis, ſ. uel oblationis uel huiuſmodi. Etſi ergo uterque feratur ad uolendum offerre uoluntariè propter amorê uirtutis, unus tamen ſ. uota ſoluens non uidetur ferri ad non uolendum contrarium ſic perfectè propter amorem uirtutis ſicut ſponte offerens, propter rationem iam dictam. Reſpondendum eſt nunc; & ut ueritatem omnino uideamus ad plenum, ponendus eſt uterque in principio, ſcilicet antequam ueniret tempus ad faciendam oblationem. Tunc nanque pares ſunt, quia ille alius nondum fecit uotum poſitus, & cõſequenter uidebitur ueritas, cum in nullo illorum ſit diſparitas, melius apparebit. Vterque igitur in illo principio poſitus uidet oblationem iſtam Deo gratam ad offerendum, & uterque poteſt licitè uelle contrarium. i. uelle non offerre illã Deo, cum hic uterque ſe ad hanc faciendam non eſſe obligatum cognoſcat. Quid accidit? Vnus illorum, puta Hieronymus, dicit; Ego me obligo ad faciendam ſuo tempore iſtam oblationem: alter uerò puta Ægydius, non dicit hoc. Hieronymus ergo uouit facere oblationem, Ægydius nô. A quo coactus eſt Hieronymus ad faciendum illud uotum? A nullo homine, à nullo timore, a nullo exteriori. A quo? Ab amore uirtutis, quia ſcilicet tam amabat offerre Deo, ut uoluerit ſe obligare ad non poſſe facere aliter, quam offerre. Quare Ægydius non uouit? Quia a tanto amore uirtutis ad offerendum non ſtringebatur, a quanto Hieronymus. Amabat quidem Ægydius offerre Deo; ſed hic amor tantus non fuit, ut impulerit eum ad uolendum ſe obligare ad non poſſe facere contrarium. Amor ergo Hieronymi ad uirtutem fuit maior, & admodum maior; quam amor Ægydij. Admodum (inquam) maior, quia admodum maioſa fecit in Hieronymo. Quid fecit? Fecit, ut uenderet ſuam libertatem, & (quod plus eſt) uoluntariè occideret. Priuari bono maximo, & uoluntariè priuari illo, certe effectus eſt inferens maximam cauſam. Quid habet homo libertate ſua charius, uel æqualiter charum? Nihil prorſus in hoc mundo. Priuari ergo libertate eſt maximorum omnium maximus effectus. Sed quis uelit uoluntariè tam maximo bono priuari? Nullus equidem, niſi propter amorem rei maioris. Qui uoluntariè igitur libertate priuatur propter amorem uirtutis, demôſtrat, ſe amore maximo affici ad uirtutem; quoniam eam amare ſupra libertatem propriam comprobatur. Ab effectu igitur arguamus ſic ad cauſam. Iſte Hieronymus fecit hunc effectum maximû. ſ. q; uoluntariè priuauit ſe libertate ſua; ergo cauſa mouens eum ad hoc fuit maior. Nam cauſa eſt ſemper potior effectu, & uigoroſior: alioquin effectum introducere non poſſet. Quomodo enim minoris uirtutis cauſa poteſt mouere paſſum uirtutis maioris? Hoc autem ſcilicet q; cauſa ſit maioris uirtutis, quam paſſum, tantò magis uerificatur tunc; quando cauſa mouere debet ſuauiter, ac delectabiliter, id, quod præcipuè côtingit in actibus uirtutũ, cuiuſmodi eſt uotum, cum iuſtus nô ſit, qui ſolum iuſta operatur, ſed qui iuſtè. i. delectabiliter, & cum alijs côditionibus neceſſariò ad hoc requiſitis. Cum igitur oblatio ipſa ſuauiter moueat Hieronymum ad uouendum (delectatur enim in illa, & ideò uouet illam facere. Vides, q; quædam ſpiritualis uoluptas ipſum trahit ad hoc?), dicere oportet, q; amor eius ad oblationem eſt maior ſuo amore ad libertatem. Hoc autê non ita eſt in Ægydio nô uouente. Etſi enim ſibi placeat oblatio, oblationiſque deſiderium; non tamen ita, ut libertatem propriam cauſa illius perdere uelit. Amor Ægydij ad oblationem magnus eſt; ſed eſt ad libertatem maior; & per conſequens minus amare uirtutem illam conuincitur, quàm Hieronymus. Parum dixi. Hieronymus non tantum Ægydium hic ſuperat in uirtutis amore, ſed etiam ſeipſum ſuperat. Niſi enim ob uirtutis amorem ſeipſum ſuperaret; quomodo ob illius amorem ſui partem nobiliſſimam, libertatem. ſ. uoluntariè ligaret? Seipſum ergo non tantùm uincit, ſed in re ſibi chariſſima uincit. Donat igitur uirtuti præſentialiter non tantum deſiderium puta ad offerendum; non tantùm actum ad offerendum tempore opportuno donare intendit; ſed etiam præſentialiter, quicquid in ſeipſo melius eſt, donat uirtuti. Quomodo? Hieronymus nil habet, niſi actum, & potêtiam; & Hieronymus quicquid eſt, liber eſt (ad hoc enim dicitur homo, & ab alijs quibuſcunque ſecernitur), quoniam unaquæque res ſufficienter diuiditur per actum, & potentiam, & principale in aliquo uidetur eſſe totum id, quod illud aliquid eſt. Nonnè actum offert Deo Hieronymus; cum exercere actum oblationis potentialiter intendit? Nonnè donat Hieronymus potentiam propriam Deo, cum eam propter Deû ad oblationem ligat, ita. ſ. quòd non poſſit unquam facere cõtrarium? Actum ergo ad oblationem ligauit uterque; ſed potentiam ultra actum ligauit ad eam Hieronymus. Multum ergo dedit Hieronymus Deo reſpectu Ægydij; imò iam multum, quòd plus dare ipſi non potuit. Quid enim plus libertate in homine? Nunquid homo plus habet, quam ipſemet ſit? Liber eſt homo ſecundum totum id, quod eſt; inquantum libertate regitur quicquid eſt in homine, quod ideò patet, quia ſemetipſum interficere poſſet, & conſequenter, quod aliquid hominis uel in homine, a libertate manat. Qui donat ergo libertatem alicui, donat totum, quod eſt, & poteſt, cum homo non ſit, nec poſſit, pluſquam homo. Talis ergo Deo donat multum & ariſmeticè & geometricè. Ariſmeticè quidem, quia libertas includit plura: Geometricè uerò, quia libertas eſt quid nobiliſſimum. Vide ergo, quanta ſit differentia Hieronymi ad Ægydium & in amore uirtutis, & in dono propter uirtutem facto. Quid indè ad principale propoſitum? Hieronymus offert nè ſponte? Sic, quia uoluit offerre. Meretur nè in offerendo? Sic, quia offerre uoluit. Offert nè magis 1. Ratio.
ſpontè Hieronymus, quam Ægydius? Sic, quia magis uoluntariè. Quare magis uoluntariè? Quia uoluntate magis firmata in bono. Quare magis firmata? Quia uoluntate non poſſibili licitè mutari in contrarium. Nunquid non magis firmatum eſt, quod non poteſt mutari, quam quod poteſt mutari? Nunquid non magis firmum illud uoluntarium dices, quod & uis non mutare (hoc eſt propoſitum firmum, quod a pœnitentibus confeſſor exigit), & uis non poſſe mutare (hoc eſt uotum Deo factum), quam illud uoluntarium, quod uis tãtùm non mutare? Etiam id ignarus caperet. Magis ergo firmata in bonum uoluntatem offert Hieronymus, quam Ægydius; & conſequenter magis inflammatã ad bonû, & ideò magis ſpontè offert ille, quam iſte; magiſque meretur. Elicitur ne ex ſu- 2. Ratio.
pradictis alia cauſa, quare Hieronymus magis mereatur, quam Ægydius? Sic. Quæ eſt illa? Quòd Hieronymus offert plura Deo, quàm Ægydius. Iſte nanque actum tantummodò offert, ille & actum, & potentiam. Alia nè eſt adhuc cauſa? Sic. 3. Ratio.

bus fidelibus ſigillatim iniunxit dicẽdum: Credo in Deum. Hoc ſiquidem fecit, ad denotandum, quòd neceſſarium eſt, eſſe in charitate uolenti intrare cœleſtem terram, nec ſufficit ſolam fidem tenere, quod eſt credere Deo. Vide ergo, quantũ diſtabant à ſalute iſti iudæi, qui nec etiam credebant Deo, quando nec etiam credere Deo ad ſalutem ſufficit. Et hinc, ipſos puniri citra condignum, inferas; quoniam morte puniuntur ex hoc, ꝙ non credunt Deo. Mortem enim merentur non credentes in Deum, licèt credant Deo. Igitur cùm iſtam cauſam (.ſ. non credere Deo) adducat pro ratione inferẽdæ mortis, miſericordiam mixtam iuſtitiæ punitiuæ (id quod eſt punire citra condignum) ſignificauit. Sed, inquies, quomodo iſti iudæi ordinem naturalem addiſcendi non attingebant, propter quod Deus ſuccenſus eſt? Quis eſt ordo addiſcendi naturalis? Vt ex notioribus nobis in cognitionem ueniamus ignotorum 1. Phyſic. tex. 2. Hanc addiſcendi normam unicuique natura inſitam iſti perdiderunt, inquantum ipſam ſeruare contempſerunt. Sed quomodo? Miracula ſuntnè nobis naturaliter nota? Non. At licèt illa non ſint nobis naturaliter nota, nobis tamen naturaliter notum eſt, quòd qui pôt plus facere, poteſt & minus; & ꝙ Deus adeò eſt uerax, ut non poſſit decipere. Vndè cùm Deus mirabiliora fecerit coram iſtis iudæis, quàm hi, habitatores terræ huius e a terra ſua profligare abſque interitu iſtorum iudæorum, & cùm toties promiſerit iſtis iudæis ſe daturum illis terram Paleſtinorum, hi iudæi profectò naturaliter credere tenebantur, ꝙ Deus debellaturus eſſet has gentes; & quòd illarum terram daturus ſibiipſis eſſet. Nonnè maius eſt ſolo nutu uirgæ rubrum mare in ſiccum iter conuertere, ipſoque illo cunctos Ægyptios ſubmergere ſic in Iſraelem animatos, quam terram Paleſtinorum, ac illius primos habitatores in manus Iſraelis tradere? Vtique. Et manna de cœlis pluere, & amaram aquam in dulcem transformare, & aquam dulcem à ſaxo duriſſimo educere, & huiuſmodi alia miracula ſunt aliquid maius, quàm terram hanc cum habitatoribus ſuis ſubiugare. Naturali ergo ratione quodammodo, quam ſupra explicauimus, cogebantur credere, ꝙ Deus id poterat efficere.

¶Sed dices: Forſan de Dei uoluntate dubitabant. De hoc, inquam, eos dubitare non licebat; quoniam ſi alia, quæ fuerunt maiora, in iudæorum horum fauorem fecit, utique naturali quodammodo conſequentia credere docebãtur, quòd minora pro ſeipſis facturus eſſet. At diceretur forſan, inquis; Peccauimus uehementer poſtmodum, puta adorando uitulũ aureum, toties murmurando; ideoque iure dubitamus, quòd non uelit huiuſmodi terram cum eius accolis in noſtri fauorem ſubigere. Promiſſio, inquam ego, facta patribus de terra danda fuit iureiurando firmata (ut patet in Geneſi ad Abraham); & ideò ex bonitate diuina dabatur ita, ut non poſſet non dari. Siquidem promiſſio iuramento uallata diuino rem monſtrat talem ſic eſſe determinatam ſecũdum diuinum beneplacitum, quod eſt immutabile prorſus, non ſecũdum merita hominum, quæ ſunt in horas mutabilia. Et licèt, ſi loquamur de duratione in poſſidendo illam terram, merita iudæorum attendantur (ut habes a Deo in Geneſi ad Abraham capit. 15. ſub mandato animalium ſumendorum); tamen, ſi loquamur de prima introductione in terram, attenditur ſola diuina uoluntas. Vnde huic, ut dicebam apponitur iuramẽtum (Geneſis 22.), per memetipſum, inquit Deus, iurans. Quid? Quòd poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Ecce iuramentum primæ poſſeſſioni adiunctum; ideò iudæi iſti non excuſantur per præmiſſa dubitando de uoluntate di-

2. Reſp. uina. Poſito etiam, quòd iuramentum ibi nullum eſſet, & ꝙ prima iſta introductio in terram ſuperatis accolis eius attendenda foret ſecundum merita iſtorum iudæorum, adhuc ipſi non debuiſſent intantum deſperare, ut ad Ægyptum redire uellent. Sed quid tunc agere, uidentes ſua demerita, debuiſſent? Ad dominum ſuum pientiſſimum conuerti; quem toties experti fuerunt præſtabilem multum eſſe ſuper malitia; & ab eo fiducialiter ueniam de commiſſis petere, id quod pro illis omnibus (ut narrat præſens capitulum) fecit Moyſes, & pro parte obtinuit. At quia hoc illorum nõ conuerti ad dominum ex diffidentia in eius bonitatem millies uiſam dimanauit, iccircò de diffidentia ſolùm, tanquam de omnium præmiſſorum malorum radice, à Deo fit mentio obiurgatiua dicente: Vſque quò non credent mihi?

APPENDIX.

Hinc habes, quòd infidelitas, ſeu diffidentia, eſt multorum peccatorum radix. Vnde non mirum, ſi peccatum infidelitatis uocetur in plurali peccata à Chriſto alloquente ſic iudæos: Et in peccatis ueſtris moriemini. Quòd enim tunc de infidelitatis uno peccato loqueretur, patet in contextu ſupra dicente: Si non credideritis, quia ego ſum, in peccato ueſtro moriemini, ſiue quæretis me, & non inuenietis, & in peccato ueſtro moriemini. Ecce. Vnum peccatum in ſingulari dixit, quod poſtea in plurali peccata nominauit. Quare? Quia peccatum infidelitatis, de quo loquitur, eſt fons multorũ peccatorum. Peccatum itidem diffidentiæ huius naturæ exiſtit. Hoc Apoſtolus annotauit tunc quãdo de aliquibus dicebat: Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderũt impudicitiæ &c. Rurſum Apoſtolus. Diabolus operatur in filios incredulitatis, ſeu diffidentiæ. Secundò habes, quòd ex maioribus factis in mi- 2
norum credulitatẽ non uenire eſt cõtra naturalẽ diſcurſum, multumque diſplicet Deo. Tertiò conſequenter, ꝙ Deus 3
facit mirabiliora facta, ut ex illis poſt in faciliorem credulitatem minorum deueniamus. Quartò habes, ꝙ licèt non con- 4
fidere in Deo malum ſit cuicunq; diffidenti, tamen peius eſt illi perſonæ, cui magnam fiduciæ arram (ſiue beneficia dando, ſiue in fauorem illius aliquid faciendo, ſiue &c.) prius donauit altiſſimus. Hoc enim hic denotauit litera, dũ dicit arguendo iudæos; Quouſque nõ credẽt mihi in tot ſignis, quæ feci eis? Quaſi diceret: Digni reprehenſione ſunt, quia mihi non credunt; ſed magis reprehendendi ueniunt conſiderando, quòd poſt tantam arram in me confidendi, quam dedi illis, mihi non credunt, ſeu in me nõ cõfidunt. Quicunq; ergo à Deo eſt beneficiatus hinc agnoſcat, ſe inde obligatum ad habendam maiorem, uel adhuc maiorem (iuxta ſcilicet beneficiorum priorum quantitatem) fiduciam in Deum, faciendo tamen ſemper, quod in ſe eſt. Vnde magis peccat beneficiatus diffidens de Deo in futurum, quam non ſic beneficiatus.

Vt audiant Ægyptij &c. Et dicant, non poterat introducere populum in terram; iccircò occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo domini &c. Text.

Concl. 6. *Deus aliqua facit quandoque in fauorem fidelium, quæ non faceret, ſi non timeretur de blaſphemia nominis Dei inter gentes.* [Ex eo.]

Moyses ſciens, ꝙ Deus non parcet populo, ſi ad populi meritum reſpiciat, quid facit? Vertitur ad inhonorationem Dei, quæ erit inter gentes, ſi non parcit populo illi. Si (inquit) tantam multitudinem occideris in deſerto, dicent gentes, ꝙ tu non poteras eos inducere in terram promiſſam. Audito hoc Deus mitigat iram ſuam, & dicit: Dimiſi iuxta uerbum tuum ò Moyſes. Ratio.

NOTATIO MAGNA.

Vides hic, quantum zelet Deus pro honore ſuo; & conſequenter uide, quantum peccent, qui non zelant pro honore Dei. Qui ſunt iſti? Qui non curant ſcandalizare infideles. Dant enim illis occaſionem, ut dicant, Deum noſtrũ non odire iniquitatem; aut malam legem ſtatuiſſe; aut malis hominibus fauere; aut non poſſe ſe de peccatis in ſe à fidelibus factis uindicare; aut huiuſmodi facinora neſcire. Si hoſ enim modi (inquiunt) facinora ſciret, uideret, utique facinoroſos caſtigaret; præſertim cùm a fidelibus dicatur: Deus iuſtus iudex non uolens iniquitatem. Ab hoc, uel ſimili, Dei exemplo mouebatur Apoſtolus; quando ſuadebat chriſtianis, ut teſtimonium habere bonum ſatagerent ab his, qui foris ſunt: nè (inquit; ſicut & hic innuitur) nomen Dei per uos, & doctrina blaſphemetur. Hanc diligentiam habere debent religioſi apud ſeculares, nè nomen Dei, & doctrina per eos.i. occaſione morum ipſorum, ab illis blaſphemetur. Huc reſpiciant uniuerſi etiam, qui dati ſunt in exemplum aliorum, nè.ſ. Deus per eos.i. occaſione &c. ab alijs blaſphemetur. Multa uel faciunt,

eiant,uel facere dimittant (quando talia ſunt,quæ de neceſſitate non exſtant ſalutis) propter aliorum ſcandalum, quæ aliàs facerent, ſeu non facerent. Nec mihi quiſpiam dicat: Ego ſum liber, ſi illi nolunt ſcandalizari, ſcandalizentur, uel ſimilia paruam,aut nullam conſcientiæ cuſtodiā inferentia. Dic mihi. Quis eſt magis liber; quàm Deus? Et tamen, nè alij minus docti ſcandalizentur, abſtinet nunc ab his, quę aliàs,hac ſublato,faceret. Prudentię igitur id ſignum eſt; non minoratio libertatis. Imprudentiæ autē eſt facere oppoſitum; nō augmentatio,oſtenſio,uel conſeruatio libertatis. Taceo,quòd ſequi Deum in hoc,eſt magnam charitatem exercere & in Deum, & in proximum. In Deū quidem, nè nomen ſuum blaſphemetur,uel aliquo modo uilipendatur: in proximum autem nè in offenſam Dei incurrat. Adde quod tunc in teipſum quoque charitatem exerces. Famam enim tuam bonam,quæ multis theſauris melior eſt, conſeruas,quam qui negligit, crudelis eſt. Vnde & aperis tibi uiam ad fructificandum in proximis; quia cuius uita in honore habetur,ac fama bona,eius etiam uerba diligentius audiuntur, tenacius memoriæ commendantur,ac in executione facilius ponūtur. Huius totum contrarium accidit in his, qui Dei normam, in non ſcandalizando alios,hic eis datam ſequi nolunt. Nam tales ab alijs bonis eiuſdem congregationis differentes charitatem & in Deum, & in proximum,& in ſeipſos offendunt: & (quod miræ cęcitatis ipſorum indicium eſt)de hoc aut uix,aut omninò non curāt,atque de iſto ſuo non curare,tanquam dati in reprobū ſenſum,gloriantur. Omnia uerò hæc ſuarum negligentiarum peccata ſub pallio propriæ libertatis contegere nituntur dicentes: Non ſum liber? Vtquid libertas mea ab alia conſcientia iudicatur? Et ſimilia,obruſi ſenſus,uerba.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Nè autem ſcandalizemus eos; uade ad mare,& in ore piſcis inuētum didragma exactoribus dato pro te, & me. Vide hic figuratum iſti figuræ correſpōdens. Non.n.Chriſtus abſolutè ſoluiſſet, cum liber eſſet ab eius ſolutione,ut ipſe dicit ibidem; ſed ad ſcandalū euitandum in gentibus minus de Chriſti libertate doctis uoluit ſoluere cenſum. Sic & in capitulo præſenti ad fugiēdum ſcandalum in gentibus minus de potentia Dei iudęorum uel de eius iuſtitia, uel de iudeorum ſceleſtiſſima uita, uel de ſimilibus, eruditis noluit Deus dimittere populo iuxta uerbū Moſaycum. Si nanque Deus occidiſſet eos, gentes non attribuiſſent hoc Dei iuſtitiæ, cum malam uitam iudæorum ignorarent,nec conſequēter inde ædificatę fuiſſent; ſed Dei impotentiæ, & conſequenter ſcandalizatæ fuiſſent.Scandalo itaque puſillorum (ſicut ſemper fecit) .i. minus in aliqua re uiſa eruditorum conſuluit dominus, & per hoc huic ſemper conſulendum à nobis,edocuit.Vel ad &c.

EXAMEN I.

MOYSES noluit rogare Deum, ut abſolutè dimitteret pœnam populo iſti;ſed ut eam differret in aliud tempus, aliaſque perſonas. In huius ſignum orando dicit.Qui uiſitas peccata patrum in filios in tertiam,& quartā generationem. Ad quid enim hæc uerba orationi inſerit,niſi ut petat,quæ diximus? Videbat Moyſes peccatū eſſe grande,uidebat & iuſtitiam Dei huiua peccati caſtigationem exigere debere,uidebat & gentes facilè de potentia Dei ſcandalizandas modo dicto,ſi non introduceret iudęos in Paleſtinam. Quid rogauit? Vt ſcandalo gentium futuro occurreretur. Hoc iam dictum eſt. Quid rogauit? Vt peccatum, quoad offenſam dimitteretur;ideò reſpondens dominus dixit:Dimiſi. Quid rogauit? Vt caſtigationem pro peccato dandam prorogaret uſque quò introductus fuiſſet populus in terram Paleſtinorum. Dicebat,ſiquidem Moyſes intra ſe: Si iſti patres nunc pro peccato moriantur, filij eorum ſunt parui. Vnde non erunt apti ad pugnandum contra terræ habitatores. Volo igitur precari Deum, ut patres iſtos potius puniat in filijs eorū, & non tantūm in filijs eorum, ſed in multum diſtantibus,puta in filijs tertiæ,& quartę generationis. Introducentur ergo hi patres in terram promiſſionis, & in ea ſtabilientur tempore multo (id enim uidetur mihi bonum, & neceſſarium), poſt, adepta terrę ſecura poſſeſſione, caſtigabitur hoc iſtorū peccatum in filijs uenturis.Si enim adepta terra, ante ſecurā terrę poſſeſſionem morerentur iſti patres;non uidetur bonū, quoniam inſurgere iterum poſſent hoſtes contra iſtorum filios belli inexpertos,& reacquirere ſibi terram,iudęis eiectis. Talia cogitaba: Moyſes,iuxta rationem humanam probabilia,neſciēs interim, quid Deus propoſuiſſet facere. ſ. q caſtigare uolebat hos patres in ſeipſis, abſq; ſequella tamen alicuius ſcandali ab ipſo Moyſe coniecturando adducti. Cæterum in præſenti oratione uide Moyſia intentum ad miſericordiā tendere, ſimul cum iuſtitia. Ad miſericordiam quidem quia uellet pœnā differri (ideò affert in littera,quòd Deus eſt patiens) ad iuſtitiam uerò,quia uellet patres puniri in filijs. Et ſic multam Deus miſericordiam (ſecundum Moyſen)oſtendet,dum pęnā hāc prorogabit, ac in terram iſtos introducet & ſimul auferet iniquitatem & ſcelera, dùm caſtigabit iniquitates horum patrum in filijs. Domine(inquit) patiens, & multæ miſericordiæ,auferens iniquitatem, ſcelera, nullumque innoxium derelinquens, qui uiſitas peccata patrū in filios in tertiam,& quartam generationem. Præterea in hac oratione Moſayca notabis primò, q in ſingulari loquitur de innoxio, in plurali uerò de ſceleribus; qm̄ pauci erant ibi iudæi à murmure illo innoxij,& multi in ipſo inuoluti. De innoxio facit mentionem, ut proferat obiectum miſericordiæ,de ſceleratis, proferat obiectū iuſtitiæ punitiuæ. Iuſtitiam ergo & miſericordiam Dei ſe uelle conteſtatur, qui ſic loquitur.

EXAMEN II.

NOTA q patientiam anteponit miſericordiæ; quoniam niſi Deus eſſet patiens nobis,non miſereretur. Patientia igitur eſt fundamentum quodammodo miſericordiæ in homines peccatores. Audi. Videt Deus peccata huius hominis præterita. Ex uiſione illa,ut ſic,inquantum.ſ.peccatorum eſt,ad miſericordiam incitatur,an vindictam? Nō ad miſericordiam,ſed ad uindictam. Cur ergo peccatoris præteriti miſeretur? Quia patiens eſt. Hoc eſt, quod uoluit D. Auguſtinus inſinuaſſe; quādo in regula dixit de Deo, q tanto uidet patientius, quanto ſapientius. Niſi enim ſapientiæ peccata uidenti iuncta eſſet æqualis patientia, actū eſſet de peccatoribus. Vindictam nanque in illos exerceret ſine miſericordia. Quare ſine miſericordia? Quia ibi nō interueniret patientia, quæ eſt miſericordiæ generatiua. Rurſum. Videt Deus peccata futura huius peccatoris, ingratitudinem, reuerſionem ad uomitum,& ad uomitum quandoque peiorem. Iſta uiſio,ut ſic,non tantum uindictam prouocat; ſed quodammodo ipſam neceſſitat,& miſericordiam claudit intra Dei uiſcera. Iſta eſt ita, quæ continet miſericordias Dei;.i. quæ facit ex ſe quodammodo, nè ad nos deſcendere poſſint. Quis enim uidens ingratum de beneficio futurum; & illi beneficium conferat? Ecce quòd prædicta uiſio continet miſericordiam,.i. facit de ſe q miſericordia non conferatur. At quoniam patientia eſt in Deo fundamentū miſericordiæ,ideò uiſio illa,ut eſt patientiæ diuinæ coniuncta,non efficit p̄miſſam miſericordiæ continentiā. Ideircò,negationem innuendo,dixit de Deo Pſalm. Nunquid continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Quaſi dicat; Non. Hoc ſanè mirandum ualde eſt: & ideò cum admiratione propheta de hoc locutus eſt. Pro huius rei faciliori captu dicamus ſub exemplo. Si quis meipſum non offendit unquam in peccatum,& habebam in intentione beneficium illi dare, mirandum eſt, ſi cum imaginatione hac quod me offenſurus eſt in futurum, q ego beneficium illi intentum donem. At ſiquis meipſum iam offendiſſet, & illum me in futurum offenſurum imaginarer, mirandum plus eſſet, ſi illi beneficium aliquod darem. Sed ſi id, q .i.in futurum me offendet certiſſimè ſcirem, pluſquam mirandum foret, ſi à beneficio dando non continerem. Vide. Mirandum tunc eſſet, ſi contra illum,& propter præteritas, & propter futuras,offenſas non deſæuirem. Quātò igitur magis,& magis, mirandū, ſi illi beneficium de nouo conferrem? Certè,ſi id facerem,maximè meæ patientiæ aſcriberetur, quæ & bonitatem fouit,& uindictam refrænauit. Non mireris ergo, ſi Moyſes patientiā Dei primitus hic allegauit, antequam ad miſericordiam deſcenderet;quoniam in tali caſu ipſe tunc reperiebatur, qualē nos diximus. Videbat enim ibi,Deum toties offenſum; uidebat,Deum contra offenſores iratum; uidebat, (& hoc probabiliſſimè)offenſores iſtos iterū poſtea Deum offenſuros; uidebat, Deū omnia iſta tàm præterita,quam futura certiſſimè cognoſcentem; uidebat, omnia iſta uindictam conclamare & miſericordiam ſurſum continere. Quid inter hæc faceret Moyſes,niſi patientiam Dei primitus aduocaret? Hanc ſiquidē iam ſibi in tali agonia neceſſariam cognouit, ut ante alia quæque attributa diuina in oratione ſua collocauerit. Nota quoque diligenter quòd Moyſes,quando uiſitare peccata patrum in filios aſcribit Deo; de pœna temporali loquitur non ſpiritua- *Ex empl.*

ſpirituali. In cuius ſignum eſt ſermo domini ad Moyſen, & Moyſis hic ſtatim uerba ſubiuncta. Quid mox ſubiunxit in oratione? Dimitte (inquit) peccatum populi. Quid eſt hoc? Vult Moyſes, quòd peccatum dimittatur, & quòd peccatū reſeruetur. Orat, ut peccatū nō puniatur, & orat, ut peccatō puniatur. Rogat, ut uiſitet peccatū hoc in filios, & quòd dimittat populo hoc peccatū. Orat igitur, ut puniatur; quia, ut uiſitetur in filios: orat, ut non puniatur; quia, ut dimittatur. De offenſa igitur & pœna ſpirituali (ſcilicet de eſſe in odio Dei, & puniri æterna pœna) loquitur, quando dimitti populo peccatum rogat; de pœna uerò temporali (ſcilicet de affligi in corpore, & tribulationibus mentalibus, abſque peccato, caſtigari) loquitur, quando uiſitari peccata rogat. Hanc diuiſionē pœnarum à Moyſe intentam (ut præfati ſumus) tetigit dominus in reſpōſione ad illum. Quid illi reſpondit? Dimiſi (inquit) iuxta uerbum tuum; & (multis interiectis) filij ueſtri erunt uagi in deſerto annis quadraginta. Et portabunt fornicationem ueſtram ſcilicet patrum peccatorum. Vides dimiſit dominus; & tamen uult, filios pro peccatis parentum per itineris longum, grauemque laborem caſtigare. Et quia dimiſiſſe ſe dicit iuxta uerbum idest orationē Moyſis, fatendum eſt, quòd Moyſes & dimiſionem illam æternam rogauerat, & nō dimiſionem temporalem. Temporaliter.n puniti ſunt filij in deſerto, non ſpiritualiter. Nota & hoc non diſſimulandum, ſed magnum iræ Dei ſignum. Crediderat forſan Moyſes ſufficere iuſtitiæ diuinæ, ſi punirentur filij, & nō ſufficit, niſi puniantur etiam patres. Pro peccato enim patrum ipſi patres mortui fuerunt (ut hic dicitur) & nihilominus pro eodem annis quadraginta in deſerto uagi fuerūt eorum filij. Quamuis huic filiorum punitioni Deus magnam etiam miſericordiam iunxerit; faciendo ſcilicet illos toto iſto tempore & creſcere, & animum, fortitudinemque induere; & bellicoſos fieri pro terra promiſſionis ab hoſtibus armorum ui diripienda, atque poſſidenda.

EXAMEN III.

Circa Exauditionem, qua dominus exaudiuit Moyſen, nota quomodo correſpondeat ſingillatim orationi eius. Motiuum, quod mouit Moyſen ad orandum, fuit gloria domini inter gentes circumcirca poſitas, unde hoc inſinuauit dicens: Magnificetur ergo fortitudo domini. Ac ſi pro ly Ergo diceret: Hoc, ſcilicet magnificentia fortitudinis domini, eſt finis intentus à me principaliter, & conſequenter eſt primum motiuum me impellens ad hanc orationem: unde & magis tu domine me exaudire (ut mihi ratio mea dictat naturaliter) debes, ex quo res tua agitur, ac propter tui honoris zelum moueor. Si ego zelo (quaſi dixiſſe noluit pro ly ergo Moyſes) domine pro honore tuę magnificentię, multò magis pro ipſo tuo honore zelare debes. Et ideò exaudi me. Hoc motiuum gratum fuiſſe domino inſinuat ſermo domini ab iſto, tanquā à principali intento, ordiens. Viuo ego (inquit) & implebitur gloria domini uniuerſa terra. Quaſi reſpondeat Moyſi: Ego exaudiui intentū tuum principale, quod erat magnificatio gloriæ meæ apud habitantes hinc indè diſperſos, idest apud gentes. Quoad hoc ergo feci iuxta uerbum tuum, quia iuramento tibi affirmo per ly Viuo ego, quòd in uniuerſa terra magnificabitur gloria mea. Vbi nota, quòd plus donat Moyſi, quàm petierit. Petijt enim Moyſes, ut magnificaretur gloria domini apud Aegyptios, & Paleſtinos; & dominus donauit illi hoc, ut magnificaretur gloria domini in uniuerſa terra. Audiſti exauditionem totius Moſaici abundantem; nunc aliarum petitionum ſupra narratarum exauditiones attende.

¶ Rogabat Moyſes, ut ſuccurreretur ſcandalo gentiū futuro per hoc, quòd introduceretur Iſrael in terram promiſſam. Hanc petitionem exauditam monſtrat dominus, quando dicit: Paruulos ueſtros introducam in terram. Vbi & nota, Moyſen magis exauditum, quam rogauerit. Rogauit enim, quòd ſuccurreretur ſcandalo huic, nè ſcilicet gentes impotentiam domino attribuerent, & exauditur in hoc, quòd non tantum non attribuent domino impotentiam; ſed maximā illi potentiam aſcribere cogentur. Volebat Moyſes, potentiam magnam domini cognoſci à gentibus, & exauditur in hoc, quòd maiorem potentiam domini, quàm petebat Moyſes, cognoſcent. Maiorem ſiquidem potentiam domini inferet (ut patet) ſi filios inducet in terram hoſtilem debellatis per eos inimicis tam grandibus, quàm ſi patres in illam eiſdem per eos debellatis introduceret.

¶ Rogauerat Moyſes pro ſaluanda iuſtitia, ut patrum iſtorum peccata punirentur in filijs; & exauditus fuit. Verum quidem eſt, quòd prius, forſan quàm intenderet Moyſes (ut ſupra diximus) & filij puniti fuerunt, & patres iſtorum filiorum non ſunt in uita relicti. Hæc enim duo intendiſſe forſan Moyſen, diximus; quia citò putabat dandam terram Iſraelitis, ex quo ei tàm propinquiſſimi erāt; & ideò naturali ratione ductus opinabatur, patres fore neceſſarios ad iſtam introductionem, nec filios ante ipſam introductionem puniendos. At domini ſecretum aliter erat, ſcilicet 40. annis adhuc ingreſſum in terram differe, & ideò parentes occidere poterat (ut fecit) & filios abſquè morte caſtigare. Maiorem ergo fortitudinem monſtrauit, quam petiſſet primò Moyſes dicens: Magnificetur ergo fortitudo domini. Maiorem enim infert fortitudinē occidere patres, quam filios, & filios tanto tempore ſuſtentare in deſerto tantis laboribus caſtigatos. Vide igitur, quòd, licèt Moyſes in petitione particulari illa duplici exauditus ad litteram non ſit, quia neſciēs quid in ſpeciali expediret poſtulabat, quoad intentionis tamen ſuæ primariæ ordinem magis exauditus eſt, quam ſi ad litteram in duobus illis poſtulationibus exauditus fuiſſet. Exaudiuit igitur Deus Moyſen hic, ſecundum quod petitiones ad intentum principale tendebant, non ſecundum quòd ſonabant. Nunquid ipſum non exaudiſſe dicendus eſt; quando maiora Moyſi contulit, quam duæ ſuæ petitiones literaliter continerent? Abſit. Ille enim à quo peto numiſma, ſi mihi aureum donet, nonne meam petitionem & exaudiuit & pluſquam exaudiuit? Voque. Ad hæc nota multiformem exaudiendi modum. Quandoque enim Deus, licèt meliora dederit, quam peterimus (ut ordinariè facit) uidetur nobis orationibus noſtris non annuiſſe. Magna res certè atque mirabilis. Deus nos ſupra quam petimus, exaudit quandoque; & tamen eum non exaudiſſe noſtras petitiones, arbitramur. Qñque uero, & meliora donat, quā poſtulemus, & nos ab ipſo exauditos abundanter, cognoſcimus. Hæc ordine retrogrado applica textui; & ſic in Moſaicis petitionibus (puta, in magnificate fortitudinem domini, in ſuccurrendo gentiū ſcandalo, in introducēdo Iſraelem in terram) donauit Deus Moyſi meliora (ut probatum eſt,) & hoc Moyſes ipſe cognoſcebat, quoniam ad litteralem petitionis ſenſum exauditio uergebat. In alijs duabus poſtulationibus (puta, quòd patres in uita relinqueret, & quòd filios multo poſt tempore naſcituros in terra promiſſionis caſtigaret) donauit Moyſi meliora poſtulatis, quæ tamē tunc prima fronte forſan Moyſes non talia iudicabat, quoniam litterali petitionis ſenſui non quadrabant, ut ſupra declaratum eſt.

COROLLARIVM.

Post orationem ergo factam ſemper Deo gratiæ magnę de quocunque poſt euentu à nobis agendæ ſunt; quoniā, etſi quandoque nobis contrarium uideatur, exaudita fuit oratio noſtra, & pluſquam exaudita. Concludamus ergo quòd Deus ſemper exaudit ad ſalutem, etiam quòd non ſemper exaudiat ad uoluntatem. Magna ergo Dei bonitas erga orantes; quoniam illos de his, quæ ſciunt petere, abundanter exaudit; & quæ non ſciunt petere, ipſe non poſtulatus abundanter tribuit.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Petite, & accipietis. Vel ad ly, Orate, & nolite deficere. Vel ad ly &c.

Viuo ego, & implebitur gloria domini uniuerſa terra. Item. Paruulos ueſtros introducam in terram &c. *Text.*

Concl. 7. *Deus nos exaudit ſemper ſupra, quam petamus; ſi ſit in ſalutem noſtram, etiam quòd quandoque nos credamus propter illa, quæ ſuccedunt, non exauditos.* [Exeo.]

Rogavit Moyſes, quòd fortitudinis domini appareat magnificentia, & dominus exaudiēdo dicit, quòd gloria domini implebitur uniuerſa terra. Vbi nota, quòd gloria domini dicit quid plus, quàm fortitudo domini. Gloria enim importat manifeſtationem cum laude, unde ſecundum B. Ambroſium dicitur gloria quaſi claria; fortitudo autem domini dicit ſolùm uirtutem *Ratio.*

tutem

tutem domini, etiam q; non eſſet apud homines cum laude. Poſſunt enim homines uidere fortitudinem domini, & non laudare ipſam. Non poſſunt autem uidere gloriam domini, quantum eſt ex nomine ipſo, & non laudare illam. Nam laus non includitur in nomine fortitudinis, ſicut in nomine gloriæ. Fortitudinem ergo manifeſtari petijt domini; & reſpōdit dominus, ſe ad preces eius manifeſtaturum fortitudinem cū laude. Et quidem, ſi introduxiſſet patres in terram illam, non fuiſſet tātopere laudata eius fortitudo, ſicut poſtmodum laudata eſt. Apparuiſſet namque fortitudo domini in ſubiugando gentes illas patribus iudæorum; ſed non apparuiſſet in caſtigatione illorum patrum peccatorum. Ideóque minus laudata ueniret tunc ſua fortitudo, ut qui dediſſet terram hominibus peccatoribus, quos toties delere prædixerat. Sic enim non uideretur fortis dominus in ſua ſententia toties repetita, nec uideretur fortis ad caſtigandum peccata in populo ſuo; ſed tantùm fortis uideretur contra gentes alienas. Et ita non uideretur etiam caſtigare gentes alienas, priuando illas terra illarum propter peccata, ſed tantùm propter hoc, q; fauere iudæis nolebat; & conſequenter propter hoc diceretur, feciſſe talem priuationem, quia eſſet partialis, ſeu acceptor perſonarum, non meritorum. Dicerent enim tunc gentes: Si Deus hebræorum nos terra noſtra priuaſſet propter hoc, quòd ſumus peccatores, & propter hoc, q; uult caſtigare peccatores; is utique non dediſſet illam iudæis iſtis tàm grauibus peccatoribus; quinimò caſtigaſſet eos propter peccata illorum, priuando ſcilicet illos hac terra, etiam ſi priùs, illam inhabitaſſent.

COROLLARIVM.

SIc ergo uidiſſent quidem gentes fortitudinem domini (ut precabatur Moyſes); ſed eam nō magnopere laudaſſent, ſicut ex domini facto cogebantur poſtea. Dominus.n. ideò occidit patres iſtos iudæorum, & tradidit terram filijs minus ſceleratis, ut non tantū manifeſtaretur fortitudo ſua; ſed etiam ut manifeſtaretur cum laude. Gentes namque ſic & cognouerunt, Deum eſſe fortiſſimum in dando terram iudæis, & cognouerunt eum eſſe æquiſſimum in caſtigādo peccata iudæorum, ſicut & ſua; priuando ſcilicet eos terra Paleſtina, cuius poſſeſſioni iam propinquiſſimi erant. Et ſic fortitudinem domini cognoſcētes utrinque (puniendo.ſ.ſeipſos, & introducendo hebræos) cum iuſtitia æquali (.ſ. priuando iudæorum patres hos terra propter illorum peccata, ſicut ex eadem cauſa priuando ſeipſos), fortitudinem illam domini ex duplici capite laudare, quantum fuit ex facto illo, coacti ſunt. Sic etiam potuerunt cognoſcere gentes illæ, & peccata propria fuiſſe cauſam perditionis ſuipſorum, & ſic perditionem illam attribuere ſibipſis, non fortunæ, aut alteri; & ſic de peccatis proprijs dolere. In his autem omnibus cum laude Domini ſe habuiſſent gētes, id eſt in his omnibus laus Domini apparuiſſet gentibus, non tantum fortitudo eius: iccircò nunc Moyſi manifeſtationem fortitudinis diuinæ poſtulanti reſpondit Dominus, q; fortitudinem illam manifeſtare uolebat cum laude. Vnde, quæ eſſet iſta laus Domini, ſubſequentibus uerbis ad longum declarauit, quando dixit immediatè, quòd occiſurus erat patres illos iudæorum, & daturus terram filijs eorum. Potuiſſet namque dicere Domino quiſpiam: Vbi conſiſtet gloria Domini? Cui mox interrogationi, ipſam præueniendo, reſpondet Dominus: Veruntamen omnes homines, qui uiderunt maieſtatem meam &c. id eſt gloria illa conſiſtet in occidendo iudæos iſtos peſſimos, & dando terram filijs eorum. Hanc Domini reſponſionem, ſi ſuperiora hic ſcripta inſpicias, quàm optimè petitionem Moſaicam exaudiſſe Deum abundantius, quam petierat, declarare intelliges.

¶ Rurſum. Poſtularat Moyſes à Domino, ut nomen eius magnificaretur; ſed non dixerat: In uniuerſa terra. Reſpondet autem Dominus, q; non ſolum magnificabitur; ſed quòd in uniuerſa terra. Item. Rogauit Moyſes, ut fortitudo Domini magnificaretur, & reſpondet Dominus, q; magnificabitur uſque ad ſummum. Quoad locum igitur ampliorem (puta, uniuerſa terra), & quoad gradum maiorem (puta, implebitur), exauditum Dominus demonſtrat Moyſen ſupra, quam petierat primò. i. circa magnificentiam fortitudinis Domini.

¶ Secundò petebat Moyſes, ut introduceret filij Iſrael in terram illam, intendens de patribus iſtis iudæorum. Reſpondet Dominus, q; introducet filios ipſorum patrum. Vtique, & in hoc magis eſt Moyſes exauditus, quam poſtularat.

¶ Cæterum, nè idem ſæpius repetatur, uide præcedentem immediatè concluſionem cum ratione ſua, & examinibus, & iſtam plenius intelliges.

¶ Hæ exauditiones præmiſſæ ſunt in figura Euangelicarū exauditionum; q; bonitate Domini mirandam nobis proponunt, & ſpem noſtram ad orandum feruenter, cum charitate, accendunt. Figura quidem ſunt Euangelij, cùm in Euangelio ſic ſe habuiſſe Chriſtum .i. eundem Deum humanatum in exauditionibus poſtulantium legamus. Petijt Centurio ſalutem puero; Chriſtus non ſalutem modò, ſed propriam corporalem præſentiam ipſi Centurioni offert. Petijt languidus auxilium à Chriſto hoc, ut, mota aqua, mitteretur primus in piſcinam; Chriſtus ipſi ſalutem corporalem mox, cum multo robore (hoc probauit portatio grabati a curato ſtatim exhibita), contulit. Nunquid (ut omnia Chriſti erga homines benigna opera exauditionis complectar) non Doctores omnes in hoc conueniunt, q; Chriſtus, quos in corpore ſanauit, curauit & in anima? Vtique. Vide: Petebant infirmi corporalē ſantùm ſalutem; Chriſtus illis & poſtulatam, & non poſtulatam donabant. Nota hic, q; non tantùm non poſtulatam illis dabat, ſed etiam potiorem .i. animæ. Quam bonus igitur Dominus erga orantes? Et ut tātam ſuam bonitatem experiremur, uoluit nos orare. Nonnè ſine orare, poſſemus illam experiri? Non ita benè. Quando enim penſitamus, quid a Deo rogemus, & inuenimus poſtea, nos non poſſe tanta ab ipſo petere, quin maiora nobis concedat; tunc in cognitionem magnam bonitatis diuinæ rapimur. Quaſi ergo, quando nos ad orandum incitauit toties Deus, apertius nobis dixerit: Vultis meam conijcctare, quanta ſit, bonitatem? Hæc eſt uia. Conemini, à me rogare magna, quantum poteſtis; & multa, quot uultis. Cùm autem uideritis per experientiam, me uobis ſemper maiora præſtare, & uos plus in orando deficere, quam ego in exaudiendo; tunc ex uobis.i. ex ueſtris orationibus cognoſcetis aliqualiter, quàm magna ſit mea bonitas. Ecce, q; propter ſuam bonitatem .ſ. manifeſtandam nobis ex nobis, iniunxit Deus nobis, ut ipſum oremus. Qui ergo eſt contra orationem, eſt contra manifeſtationem bonitatis diuinæ, & conſequenter impugnat ly Sanctificetur nomen tuum, quod diligens oratio adimpleri ſatagit. Hic eſt unus modus, & quidē uobis notiſſimus, quò repleatur anima noſtra gloria Domini, de qua loquitur textus. Anima enim noſtra tunc clariſſimè conſpicit bonitatem Domini cum laude.i. cum gratiarum actione, quādo ſe magis exauditā, quam orauerit (quod eſſe non poteſt, niſi oret), comprobat in effectu. Quomodo enim clarius bonitatem hanc inſpicere ualet, quam ex ſemet ipſa? Tunc autem ex ſemetipſa hanc intuetur, cùm orauerit. Mirabilis (inquit tunc cum Pſalmiſta) facta eſt domine ſcientia tua (.i. tua bonitas) ex me. Quare mirabilis? Quia ego, qui non ſum dignus audiri, imò qui ſum digniſſimus non audiri in eo, quod peto: ego (inquam) non tantùm in eo, ſed in maiori non poſtulato, audior; & non tantum audior, ſed etiā exaudior. Quare mirabilis? Quia ego nō uideor diligere tam feruenter meipſum (& re uera ſic eſt), quemadmodum Deus me diligit. Ex me cognoſco mirabilitatem iſtam. Nam ad orandum non tam ſum pronus, quam Deus eſt promptus ad exhortandum me, ut ōrem: quaſi uerò Deus meipſo indigeat (quod abſit) nō ego Deo; quaſi Deus pro magno habeat mecum loqui (& uerè ſic eſt), non autem ego tanti faciam hoc.ſ. cum ipſo loqui. Nōnè hic uides, & ſępius uidiſti ſupra, q; oratio eſt quædam locutio cum Deo? Quid enim faciebat Moyſes, cùm Deum orabat; niſi quòd cum Deo loquebatur, ut reſponſiones ultro citroque habitæ manifeſtant? Loqui igitur cum tanta maieſtate, exaudiri tam abundanter ab illa, rem gratiſſimam ſemper ei facere, ſi loquar cum illa, cur iſta quemlibet ad orandum non accendunt, nè dicā, non cogunt? Accendere utique, & cogere poſſunt hæc, atque deberet, quin etiam id efficerent, ſi conſiderarentur, ut oportet. Veruntamē inconſideratio hominum circa hæc homines nō excuſat, ſed grauiter accuſat: quandoquidem ignorans ignorabitur 1. Corin. 14. ſimulque inſipiens, & ſtultus peribunt, Pſal. 48. Spem igitur ad orādum (ut in principio diximus) nobis dant, quantum eſt de ſe, tam ſuperefflluentes exauditiones, quas, tanquā in omnium figura, circa Moſaicas preces uidemus hic fuiſſe adimpletas, licèt, quantum eſt ex parte noſtra, in ſpem illam (uitio noſtro) non erigamur. Charitatem quoque (ut præfer̄ebatur) in nobis orantibus accendunt, dùm ex talibus exauditionibus iure optimo inferimus, q; non tantum cum amico, ſed cum amiciſſimo nobis facimus colloquia. Taceo, q; ex his exauditionibus ideò noſtra charitas in Deum inflam-

Not.

mantur: quia hinc uidemus quaſi ad ſenſum, quanti noſtra deſideria Deus magnifaciat; & conſequenter quantum cupiat, nos in omnibus conſolari. Hęc omnia ſunt ſigna euidentiſſima ueri amici; & conſequenter etiam ferreum pectus (ſi debita conſideratio adſit) ad reamandum tantùm amicũ Deum emollire, atque de facto compellere poſſunt.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Orate ſine intermiſſione. Quaſi dicat. Nè timeatis, faſtidire me ueſtris orationibus; quoniam, ſi me per has tædio afficeretis, ego uos ad orãdum ſine intermiſſione non commonerem; imò ad parum orandum, uel ad non ſic ſæpè orandum (ut faciunt quãdoq; homines magni uerſus eos, qui nimis ad audientiam habendam oneriuni) adhortarer. Vel ad quemcunque locum, ubi de oratione ſermo inciderit. Vel ad &c.

Text. VT videant terram; quæ vobis diſplicuit.

Concl. 8. *Illi diſplicet reuera finis, cui media ad finem illum diſplicent.* [Ex eo.]

Ratio. IN præmiſſo capitulo uidimus, ꝙ exploratores iſti laudauerunt terram dicentes, ꝙ reuera fluebat lacte & melle, & probauerunt hoc ſic eſſe ex fructibus indè allatis. Vnde concludimus l. quidò ex illorum dictis, ꝙ terra illa non tantùm eis placebat, ſed multum placebat. Ex quo loco igitur habet Deus, ꝙ terra eis diſplicuerit, ut hic eis exprobrat? Ex hoc, ꝙ ipſi ad terram iſtam, quadam ratione friuola de gygantibus ducti, renuerunt aſcendere, ut ibi ſubiungitur. Quod autem ipſum nolle ad terrã aſcendere uocetur hic diſplicere quoddam, patet; quia dicit, ſe in terram illam adducturum Ioſue, & Caleph. Quare vult iſtos duos terræ illius ingreſſu donare? Quia (ab oppoſitis in littera iſta habitis) terra placuit iſtis duobus. Vnde habes, quòd placuerit iſtis duobus? Ex hoc, quòd iſti duo ad terram illam aſcendere, in Deum confiſi, uoluerunt. Quære ſupra per totum, nec inuenies aliam differentiam inter exploratores hos, & alios. Vniuerſi ore uno, terram eſſe ualdè bonam, confitebantur; ſed ab aſcenſu in illam propter timorem inordinatum mali retrahebãtur, ad cuius aſcenſum propter fiduciam in Deo erectam boni inflammabantur. Ex hoc ergo ſolo, una aſſignata eſt malis conditio, quæ bonis non conuenit; imò eius oppoſitum. Quę fuit illa cõdicio? Quòd malis terra diſplicuit, bonis uerò placuit. Ad rem modò noſtram. Terra illa quid erat; finis, an ad finẽ? Similiter quid erat aſcenſus ille, finis, an ad finem? Terra (ut patet) finis erat reſpectu ipſius aſcenſus; ipſe uerò aſcenſus erat ad finem reſpectu terræ. Ratione igitur hac ſola, quia ſcilicet malis diſplicuerunt media ad finem, dictum eſt à Deo ueraci, ꝙ finis diſplicuit malis. Solis itaque illis re uera placeru finem, dicendum reſtat, quibus placet ponere in executionẽ media ad illum finem. Quid clarius? Quid apertius? Hoc littera ipſa docet.

OBIECTIO.

DIXERVNT exploratores mali aliquid ſiniſtrum de terra illa. Dicitur enim in fine capituli præcedentis, ꝙ detraxerunt terræ, quam inſpexerant. Propter hanc igitur eorum detractionem contra terram dixit Deus, ꝙ terra diſplicuit eis, & non propter illam recuſationem executionis mediorum, quam dixiſti.

SOLVTIO.

DENOMINATIO (docente philoſophia) debet fieri à principaliori in aliqua re. Clarum eſt autem conſideranti diligentius textum, ꝙ detractio illa non fuit quid principale, abſolutè loquendo, ſed recuſatio mediorum .i. aſcenſus ad terrã illam. Detractio ſiquidẽ prædicta, & expoſita ſuperius, uelut mediũ, ordinabatur ad recuſationẽ illã, tanquẽ ad finẽ, & finis, nullo reclamante, eſt quid principalius in actione, q̃ medium ad finem. Vt quid enim exploratores illã detractionẽ cõmiſerũt? ut Iſraelẽ ab aſcenſu deterrerent; & conſequenter perſuaderent Iſraeli, ꝙ ipſimet exploratores non ſine cauſa renuebant aſcenſum illum. Quaſi dixiſſent: Poſito, ꝙ illos fortiſſimos cultores uicerimus; quòd illas urbes grandes, atque muratas ſuperauerimus, quòd illam gyganteam prolem è terra illa eiecerimus; quid tum nobis præmij pro tot laboribus dabitur? Parum certè. Quandoquidem terra illa deuorat habitatores ſuos; & conſequenter nos in breui deuorabit. Hæc erant uerba illorum exploratorum ad populum Iſrael deterrendum ab aſcenſu prædicto.

¶ Sciebant iſti, quòd bonitas magna finis habet maximã uim ad mouendum animos hominum ad hoc, ut magnos quoſque labores ſubeant libenter propter adipiſcendum illũ finem. Ideò intra ſe dixerunt: Si bonitatem illam maximam, q̃ de terra Iſraeli diximus, non aliquo modo denigrauerimus; Iſrael ad terram iſtã faciliter tandem conſcendere deliberabit; & conſequenter nos ſoli, qui nolumus olo aſcẽdere, uidebimur confuſi. Vt ergo ſocios nobiſcum remanentes habeamus, atque noſtræ ſententiæ ſequaces, detrahamus terræ illi, quam luſtrauimus. Viſo ſiquidem, quòd media ſunt difficilia (puta; ſuperare fortiſſimos, altiſſimos, urbes grandes muratas) & finis non multum per omnia deſiderabilis (puta; quòd terra deuoret habitatores ſuos) tũc populus iſte faciliter animo diſſoluetur, ac aſcenſũ ad terrã illam exhorrebit atque ab aſcendendi deſiderio, quod illi adiunctis exhortationibus aliorum duorum exploratorum aduenire poteſt, ceſſabit, & ab audientia illorum duorum auertet aures ſuas. Talia meditati ſunt iſti mali exploratores; talia poſt executi ſunt; talia, quæ ipſi dixerunt, omnia in populo poſt acciderunt. Adeò enim populus illorum malorum perſuaſionem præfatam imbibit, ut aſcenſum exhorruerit, ut terræ illi Aegyptum prætulerit, ut ſuadentes contrarium lapidare uoluerit. Vide hæreticos in odium Catholicorum populos perurgentes. Non enim ſufficit hæreticis his habere ſequaces per phas, & nephas; niſi & ſuis ſequacibus inuidiã talem in catholicos infundant, ut ipſos & verbis, & armis perſequi non pertimeſcant; imò ut multitudine ſtipati, tanquã a furore miſticorum acti, ſeſe inuicem cohortantes contra ipſos peiori, quo poſſunt, modo conſurgant. Hi moderni noſtri temporis hæretici in his exploratoribus, tanquam in proprijs eorum picturis deſcripti uidentur, & tu conſidera.

APPENDIX.

HINC habes quomodo intelligas illud Pſalmi de filijs Iſrael dictum, ſcilicet Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Eatenus enim hoc uerum eſt, quatenus illi media ad conquirendam terram illam pro nihilo habuerũt, ideſt recuſarunt. Terram quidem illam deſiderabant antecedenter, ſed non conſequenter; & ideò non ſimpliciter eam deſiderabant, ſed tantum ſecundum quid; ac propterea eã ſimpliciter odibant, ſeu pro nihilo habebant. Quid eſt, deſiderare antecedẽter, aliquid? Deſiderare illud in ſe cõſideratũ ſolũmodò. Quid eſt deſiderare conſequenter, aliquid? Deſiderare illud & in ſe, & ut acquiſibile per media. Antecedẽter igitur, etiam Demones, deſiderant uniuerſi terram uiuentium, & ſecundum quod uerificatur illud, ſcilicet omnia bonum appetũt; atque ſimilia. Conſequenter autem ſoli boni terram uiuentium, & bonum, deſiderant. Secundò habes, quid uoluit dixiſſe (in propoſito) Apoſtolus, cùm de quibuſdam ait; Cõfitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Idẽ enim eſt hoc, ac ſi dixiſſet: Non uerè, ut oportet agnoſcunt Deum: ſi namque uerè, ut par eſt, cognoſcerent Deum; tunc ad ipſum per opera bona aſſequendum properarent. Nam ſi uerè ſic ipſum cognoſcerent, ipſum eſſe omne bonum ſcirẽt; & conſequenter non tantum appeterent ipſum, ſed etiã pluſquam appeterent. Ad ipſum igitur habendum non tantùm mouerentur; ſed deſiderio feruẽtiſſimo, cuius eſt operari maxima, mouerentur. Qui igitur (ut ad Apoſtolũ reuertamur) Deum negant factis, ad Deum ire nolunt, ipſum aſſequi non curant, ipſum non cognoſcunt, licèt horum contraria uerbis fateantur. Tertiò habes, quòd cuicunque ſaluari ueraciter placet, ſine dubio ſaluabitur; modo ſupradictũ intelligendo, non modo hæretico. Quomodo accipit hoc hæreticus? Quòd illi ſaluari placet, qui felicitatem ſecundum ſe ſumptam deſiderat; & quis, uel ſtultus eſt, qui ipſum ſic acceptam non deſideret, imò qui hanc non deſiderare non poſſit? Omnes ergo ſaluabũtur infallibiliter contra Euangeliũ, quod non tantùm non omnes, ſed paucos ſolum ex multos, ſaluandos affirmat. Quomodo accipit dictum præmiſſum catholicus, Deus, littera præſens? Quod ei ſaluari placet, uerè qui media ad felicitatem requiſita amplectitur exequenda & prout oportet exequitur.

1

2

3

¶ Applica ad ly (Euangelium) Dicite inuitatis: Venite ad nuptias, & nolebant uenire. Signanter dixit, nolebant uenire; non autem, nolebant nuptias, ut oſtenderet, refectio-

nem

nem mediorum fuiſſe ueram cauſam reiectionis nuptiarũ. Recuſatio itaque ipſius uenire, eſt recuſatio ipſius cęnę. Nã *Exempl.* & quotidiana experientia uidemus, quòd is dicitur nolle cęnare, qui non uult uenire ad cœnam. Stultum enim reputaremus illum, qui diceret, quempiã uelle cœnare, & tamen nolle hora cœnæ uenire ad cœnam. Si namque cęnandi locus pòſt nullus dabitur (hoc importat ly Hora cœnæ) quomodo dici poteſt is uelle cœnare, qui non uult hora cęnæ uenire ad cœnam? Quòd autem ea recuſatione ipſius uenire io ferenda ſit recuſatio uera ipſarum nuptiarum, patet ex hoc, quòd nolentes uenire, quaſi contemptores nuptiarum, à patreſamilias Euangelico habentur; ac ideò guſtu cœnæ in perpetuum priuantur. Nemo (inquit rex) uirorum illorum, qui ſcilicet uocati renuerunt uenire, guſtabit cœnam meam. O tu, qui negas media ad cœlum, quomodo non ea hoc damnaberis, quando negantes uenire ad nuptias, ipſis nuptijs priuãtur æternò? Quis unquam cœlum habendum alicui ſine medijs executioni mandaris uerè promittet; quando affirmat Deus, talem fore damnandum? Niſi ergo facias alium Deum, non poterit unquam abſque mediorum executione ſaluari quiſpiam. Iurauit dominus, & non penitebit eum, quòd nemo reſpuẽtium uenire, ideſt reſpuentium media proportionata, guſtabit cœnam ſuam. Vide nõ tantùm edent de cœna, ſaturabuntur cœna, manducabunt cœnam; ſed nec guſtabunt cœnam. Quid dicis de ſalute, quãdo nec guſtum aliquem ſalutis habebunt hi, qui nolunt uenire, ideſt qui media ad ſalutem amplecti renuunt? Videte, quantas deceptiones, quam nouum Euangelium, pariat præmiſſa hæreticalis opinio. Verè elegantí ſe uocabulo, ac ſuas contra Euangelium phãtaſias explicante, ſe nominarunt hæretici, quando Euangelici, ſeu Euangeliſtæ, appellari uoluerunt. Quomodo enim non Euangelici noui, nouiq́ue Euangeliſtæ, rectè dicentur hi, qui contra Euangelium uetus, cõtra Euangelicos antiquos, contra Euangeliſtas primæuos, tam bellos homunciones in ſenſibus inſenſatos ea abyſſo ſu ſcitatis ſemetipſos geſſerunt, atque quotidiè gerunt? Diſplicuit itaque cœna illis, & hinc regi ipſi diſplicuerunt; & hinc à rege ipſo cœnæ guſtu uſque in ſempiternum certò certius priuati ſunt. Quemadmodum, & hic (ſub illorum figura) diſplicuit exploratoribus terra, quia ad eam noluerunt uenire, hincque factum eſt, ut ipſi diſplicerent Deo, ac in ſolitudine morerentur priuati terra illa, ad quam hones uocati fuerunt. Vel ad ly &c.

Text. V Eſtra cadauera iacebunt in ſolitudine.

Concl. 9. *Operari recuſantes ad hoc, ut ſaluentur, nunquam ſaluabuntur: ſed, etiam quòd ſalutem uiciniſſimam haberent, demum ſalute priuabuntur.* [Ex eo.]

Ratio. Exploratores, quia noluerunt aſcendere, morte puniuntur; ſicut è contrario illi, qui uoluerunt aſcendere, in ipſam terram introducuntur. Nolle aſcendere ad terram promiſſam quid eſt; niſi nolle operari, ut ſalueris? Velle aſcendere, quid eſt; niſi uelle operari ad ſalutem? Viciniſſimi igitur terræ ingreſſus in eam non adducuntur, quia quantũcunque prædeſtinati, ſi nõ operarentur, non ſaluarentur, quia ſic ſtat in ſignaculo prædeſtinationis, 2. Tim. 2. Vide ibi D. Thomam Eccleſiæ Sanctæ fideliſſimum Doctorem. Vide & Gene. cap. 4. con. 6. 7. Vel uiciniſſimi ad terrã, in eam non admittuntur, quia uiciniſſimi ad cœlũ ratione ſtatus (puta religioſi, Epiſcopi, monachi &c.) non ſaluabuntur; niſi operari uero animo velint. Vel uiciniſſimi terræ illam non ingrediuntur, quia nullus, quantumcunque gratijs gratis datis ornatus, gratiaq́ue gratificante ueſtitus, ſuperniſq́ue cõſolationibus paſtus, & id genus alijs prędıtus; Nullus (inquam) talis unquam ſaluabitur, niſi ad opera animum ſuum ueraciter extendat. Ea prædeſtinatione nanque, ex ſtatu quoque perfecto, ea habita gratia atque ſimilibus, redditur quis cœleſti patriæ uiciſſimus, ſed niſi operationes patrię illi aptas uerò animo acceptauerit, ei ſicut exploratoribus iſtis eueniet omninò: figuram enim & figuratum ſibi inuicem correſpondere, neceſſum eſt.

Not. ¶ Documentum concluſionis hoc bene nota contra ſciolos quoſdã circa prędeſtinationis ſecretũ, qui operari prędeſtinato alicui neceſſarium non æſtimant. Vt etiam melius in præſentis documenti uenias intellectũ: uide immediatè prædicta in concluſione præcedente.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius. Domine in nomine tuo uirtutes multas fecimus: Et ego, Non noui uos. Vel Quinque uirgines fatuæ acceperunt &c. Vel ad ly (Apoſtolus) Si linguis hominum loquar &c. ſi habuero omnem ſciam, prophetiam &c. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Chriſtus monuit, nos q̃rere iuſtitiã regni Dei, i. operari, nè his exploratoribus ſimilaremur. Chriſtus dixit facientibus multas uirtutes in ſuo nomine; non noui uos, quia exploratoribus hiſce ſimiles erant, in nolendo opera ad ingrediendum. Quinque uirgines uiciniſſimæ erãt ſaluti tùm ratione ſtatus, tùm ratione uicinitatis ad terminum (nam ea nocte exituræ erant obuiam ſpõſo); & tamen ianuam non ingrediuntur gaudioſam, quia, ſicut exploratores iſti, digne operari ad ingreſſum, noluerunt. Ecce. Non tantùm requiritur operari ad hoc, ut ſaluetur quis; ſed etiam digne operari, id quod in concluſionis documento intelligendũ eſt. Quid ſibi vult hoc, ſ. digne operari? Operari in charitate, qđ erat oleum ab his uirginibus, niſi uoluiſſent eſſe fatuæ, habendum. Quantum ergo diſtant à cęlo, qui operari ad illud nolunt; quando nec operantes præcisè illud aſſequuntur? Quomodo ad ſalutem non requiretur neceſſariò operari, quando operari dignè ad ipſum exigimr? Si, qui facit opus Dei negligenter, maledictus eſt, quomodo is, qui omnino non facit opus Dei, non maledictus erit? Apoſtolus tandem nos charitatem habere, ultra locutionem Angelorum &c. monet, nè ſimul cum iſtis exploratoribus moriamur in omnium bonorum ſolitudine. Vel ad &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 9. cap. 14. deſtruit hæreſes Caluini dicentis, opera nulli homini eſſe neceſſaria ad uitam æternam conſequendam. Et Amſdorphianorum dicentium, opera bona pernicioſa eſſe ad ſalutem. Et Actij dicẽtis, fidem ſolam abſque ullo alio opere eſſe ſatis ad uitam æternam conſequendam. Et Lutheri dicenõs: Fides ſi ſit firma, & fixa, qualiacunque ſint opera hominis, certus ſemper erit de ſua ſalute; & alias ſimiles illorũ, uel aliorum. Patet enim hic totum contrarium, quanto magis conſiderare quis voluerit. Damnantur quoque, & meritò, ſupra Gen. 17. con. 5. & cap. 18. con. 6. & Leuit. 15. con. 4. Item à Pſal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam; &c. Qui pecuniam ſuam nõ dedit ad uſuram &c. Qui facit hæc, non commouebitur in æternum. Itẽ à Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Item. 1. Ioan. 2. In hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit, ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Damnãtur & in Elucid. pri par. arti. num. 4. 437. 498. 505. 516. Item in Elucida. addi. num. 56. 303. 435. 442. Item Exod. 5. con. 5. & Leuit. 4. con. 6. & cap. 11. con. 7. Super omnia uide, unde ex abundanti damnantur, Cõpend. Alber. lib. 5. cap. 19. Schol. & cap. 20. Schol. Valent ſupradicta etiam ad huius cap. concluſio. 8. & 10. Nam renuens operari, deſiderans tñ ſaluari, vult finem ſine medijs ad illum, & (quod idem eſt) habet uelleitatem, ſed non uoluntatem, ſalutis. Si SS. Doctorum authoritates, multaq; alia ſciru digniſſima optas de hac materia; uide Io. Bunderium de Gãdauo, ordinis prædicatorum in ſuo Compẽdio concertationis huius ſeculi ſapientium, & Theologorum, ſuper erroribus moderni temporis, titul. 4. art. 4. 7. 8. 9. &c.

V Eſtra cadauera iacebunt in ſolitudine. *Text.*

Concl. 10. *Prædeſtinati, ſi non operari uellent, non ſaluarentur, quod & de religioſis, & de quibuſcunque in gratia qualibet conſtitutis, ſi opera renuerent, intelligendum eſt.* [Ex eo.] *Ratio.*

Isti exploratores (ratione tum maximæ uicinitatis ad terram promiſſam, imò & deguſtationis fructuum eius) figurãt omnes prędictos, ſcilicet prędeſtinatos, religioſos, donis Dei

abūdantes, & alios ſimiles. Modò, ut cętera ad iſtius cōcluſionis declarationem facientia intelligas, uide ſupra immediatè circa nonam concluſionum uſque ad decimam.

Not. ¶ Mirandum igitur non eſt, ſi ſcripturæ ſacræ omnes electos, uocatos, in uia Dei poſitos, ad opera regno cœleſti digna commoucfaciant in horas.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

PRAEDICTA Concluſio in cap. 14. deſtruit hæreſes quorundam, (hos Sigibertus monachus in ſuis cronicis uocat prędeſtinatos) dicentium, prædeſtinatis à Deo ad uitam æternam non obeſſe quæcunque ſcelera ab eis commiſſa; & Ioan. Huſſ dicentis, prædeſtinatum à Deo ad uitam, etiam ſi ipſe mala opera agat, nunquam poſſe eſſe membrum diaboli. Et nonnullorum idiotarum in Phriſia (ut refert Alphonſus Caſtr. ver. Prędeſtinatio) dicētiū, ex ſola prædeſtinatione, & præſcientia diuina omnia pendere, & nulli homini bonum opus prodeſſe, aut malum obeſſe. Patet enim hic totum oppoſitum. Damnātur quoque, & ideò confirmatur præſens concluſio, ab Concilijs &c. in Elucі. pri. par. q. 20. art. 4. & q. 26. art. 6. & ar. 8. Damnatur & Huſſ a Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. in cuius erroris damnatione comprehenduntur condemnati & alij errantes, inquantum uel explicitè, uel implicitè conueniunt cum illo. Hæc eſt enim regula intenta ab omnibus Concilijs ſacris, alijſque reprobantibus alicuius errorem, ut quoſcunque alios tali errori concordantes ſimul cōdemnatos præſupponant, ſecundum quòd patet. Damnatur & à dictis ſupra Geneſ. 4. conclu. 6, 7. & quidem abundanter. Item a 2. Petr. 2 Satagite, ut per bona opera certā ueſtram uocationem, & electionem faciatis. Item à Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 11. 12. 13. & cano. 19. 20. 21. De hac re uideas Compend. Alber. lib. 1. cap. 30. Schol. & quomodo quis, ut ſit circa id ſapiens, ſe debeat habere uideas ibi in fin. Videre poteris & Elucid. pri. par. ar. num. 145. 516.

Tex. OMnes homines, qui uiderunt maieſtatem meam, & ſigna in Ægypto, & ſolitudine, & tentauerunt me, nec obedierunt uoci meæ, non uidebunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.

Concl. 11. *Non proficere, ſed deficere, ex beneficijs Dei habitis eſt ſignum magnum exprobationis.*

[Ex eo.]

Ratio. SI ex beneficijs deficere non eſſet maius, quam ſimpliciter deficere, tunc ſuffecerat dicere in littera; Qui tentauerunt me, nō uidebunt terram. Nunc autem ad denotandum, quòd illud iſto maius eſt, fit commemoratio diuinorum beneficiorum uerſus tentatores Dei, antequam ad ipſum tentationis peccatum ueniatur. Similiter ſi ex beneficijs non proficere, non eſſet peius, quam ſimpliciter non proficere; tunc dixiſſe textui ſufficeret: Qui non obedierunt uoci meæ, non intrabunt terram. Nunc autē ad ſignificandum, ꝙ illud iſto peius eſt, commemorantur Dei beneficia, antequam ad beneficiatorum inobedientiam ueniatur. Peius ergo eſt alicui religioſo nō proficere, q̄ ſeculari; & ſeculari chriſtiano peius, quàm pagano; & ſic ſucceſſiuè. Quod autem dico de non proficere, dicendum eſt quoque de ipſo deficere, ut dicamus, magis deficere religioſum eodem genere peccati, quam ſecularem chriſtianū, & ſic diſcurrēdō. Ex beneficiis.n. maioribus, uel minoribus, habenda eſt ratio grauitatis maioris, uel minoris, tū quoad peccata cōmiſſionis, tū quo ad peccata omiſſionis. Peccata cōmiſſionis hic dīr tētare Deum, & ſimilia: peccata omiſſionis dīr nō obedire uoci diuinę, & ſimilia. Eya igitur, ex quo ſigno noſcitur, ꝙ quis eſt reprobus, ſiue cū damnatis aſſociandus? Ex peccato, ſicut ex operibus iuſtis coniectatus quis ad cœleſtia pertinere, atque ſaluandus. Si ergo ea peccato reprobus quis cōiectuatur, ſeu ſi peccatum reprobationis alicuius eſt ſignum utique; peccatum, quāto fuerit maius, tanto de hoc coniecturam maiorem generabit, quod etiam circa iuſtitiam in genere ſaluationis obſeruandum eſt. Cùm igitur peccatum ea beneficijs (ut hinc habes) aggrauetur, patet id, quod in concluſione diximus.

EXAMEN NOTABILE I.

HOC idem notificauit nobis Pſalmiſta, dum in perſona domini hic poſita loquens, eandemque ſententiam ſub alijs uerbis repetens aiebat: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde; Ipſi uerò non cognouerunt uias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Illis enim iuraſſe dicit, eos non introituros in terram requiei ſuæ: propterea quòd non cognouerint uias Dei, etiā quòd Deus illis & uerba, & facta multa ad hunc finem contulerit. Poterat ſiquidem de beneficijs his bñdis Iſraeli collatis tacere, quoniam peccatum recenſere ſufficit ad oſtendendum, quòd iure quis ab introeundo in diuinam requiem arceatur; ſed arcanum præſentis documenti tunc non inſinuaſſet. Ideò enim ſuam proximitatē generationi illi, ſuam monitionem continuē illi factam de erratione cordis, adiunxit eorum non cognitioni circa uias domini, ut mōſtraret, ꝙ ea beneficijs habitis non proficere (ſiue illa bñficia ſint monitiones diuinę uel interius, uel exterios pactę, ſiue ſint bñficia factorū, vel religionis, vel bonę intelligētiæ, ingenij, memorię, uel gratię cuiuſcūq;) eſt ſignū magnum damnationis finalis. Quid? Monſtrauit, ꝙ Dei magnam, qua maior non ſit, iracundiam, concitat peccatum omiſſionis.ſ. non cognoſcere uias diuinas (Quid ergo de peccato commiſſionis reliquit nobis intelligendum, cum hoc peccatum illo ommiſſionis exiſtat maius?), cùm introducit, Deum ob hoc delictum non tantùm dixiſſe, ſe illis nō daturum requiem; ſed etiam cum iuramento dixiſſe. Quoniam igitur maius eſt aliquid cum iuramento aſſeuerare, quā ſimpliciter aſſeuerare; ideò qui iurat aliquid ſe facturum, & non tantùm ſimpliciter hoc dicit, oſtendit per hoc, ſe ad iracundiam maximam incitatum. Licèt ergo peccatum omne Deum incitet ad nobis negandam requiem ſuam; tamen peccatum poſt beneficia factum magis Deum ad hoc inuitat, & ferè cogit. Hic tamen proportionem beneficiorum attende, quoniam licèt poſt beneficia quælibet peccans maius de ſua reprobatione ſignum præſter, quam ante beneficia illa peccans, tamen poſt beneficia maiora pluraque delinquens maius admodū ſignum propriæ damnationis affert, quàm poſt minora paucioraque beneficia Deum offendens. Hoc ipſum annotauit littera hæc, & Pſalm. quando de quadraginta añis mentionem in beneficijs collatis fecerunt. Quid enim neceſſarium fuit, de quadraginta annis memoriam adducere, niſi beneficiorum magnitudinem (continuatio ſanè beneficiorum, etiam quòd beneficia in ſeipſis alias non meliorarētur, magnitudinem illorum dicit) monſtrare uoluiſſet ad iuramentum huiuſmodi plurimum ualuiſſe; & conſequenter peccata hebræorum plurimum aggrauaſſe; & conſequenter damnationis ſignum maius fuiſſe? Ad hoc ipſum etiam facit, ꝙ beneficia textus ſingillatim eloquitur dicens hic: Viderunt maieſtatem meam; & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine. Quaſi dicat: Quantò maiora, atque plura beneficia narrare me audis, tantò hinc deteriora eſſe Iſraelis peccata pòſt facta intellige. Ad hunc enim finem beneficia hic ante illorum peccata, & ſingillatim recenſeo.

EXAMEN NOTAB. II.

PRO meliori ſupradictorum capitu ſimilitudinem Apoſtolus hebræis ſcribens adduxit in huiuſmodi uerba. Terra ſæpius ſuperuenientem in ſe bibens imbrem, nec inde germinans, maledicto proxima eſt apud eos, à quibus colitur, & ad combuſtionem apta. Vbi & D. Thomam Angelicum Doctorem notionem, quod ſupra extendebamus, tetigiſſe comperies. Quid eſt terra? Homo. Voluit nanque ibi Apoſtolus hominibus illis, ſub exēplo terræ, aperire cauſam, quare ad tantam ruinam prolapſi ſunt, quæ fuit beneficiorū diuinorum per peccata ſubſequentia cōtemptus. Voluit etiā Apoſtolus, ſententiam illic à ſe dictam correſpōdere huic præſentis capituli, huiuſque declarationem quādam fore. Quid imber? Beneficium de ſurſum ueniens. Quid imber ſuperueniēs? Beneficium illud cōtinuatum, multiplicatum, auctum. Quid eſt illud bibere imbrem? Recipere beneficium, ſentire, aliqualiter guſtare, in eo pro aliquo tempore delectari. Quid

eſt

eſt non germinare? Herbas bonas non progignere, fructum opportunum non emittere, quaſi imbrem non imbiberit ſe habere. Quid eſt, eſſe proximũ maledictioni apud eos, a quibus colitur? Eſſe proximum, ut à Deo ipſo cultore animarum deſeratur, auxilio ſuo priuetur, in prædam hoſtibus detur, de peccato in peccatum cadere facillimè permittatur. Quid eſt eſſe combuſtioni aptum? Eſſe damnationi alterius ſeculi benè diſpoſitum, eſſe lignum aridiſſimum, eſſe flammis gehennalibus accommodatum. Quid ex his omnibus per Apoſtolum inſinuatis colligere neceſſariò debes? Quòd homo beneficijs magnis, pluribusque à Deo donatus, & ex ipſis non proficiens, dat ſuæ ruinæ in præſenti & in futuro ſignum ſatis cõiecturale. Cõiecturale (inquam), quia dixit Apoſtolus, quòd terra illa eſt maledicto proxima, & combuſtioni; non autem dixit, quod de facto maledicetur, & comburetur. Non ſignum ergo de futuris demonſtratiuum, ſed ſignum uehementis coniecturæ, & conſequenter magni timoris iudicij diuini adductiuum, uoluit afferre D. Paulus. Multos enim ſecundum præſentem iuſtitiam etiam poſt Dei beneficiũ malos uiderat; qui tamen conuerſi deindè fuerunt; & conſequenter non maledictionem, aut combuſtionem finalem, aſſecuti ſunt, inter quos primum ſe fuiſſe teſtabatur.

EXAMEN NOTAB. III.

Illa, quæ diximus hucuſque de documento iſto, intelligas de his uerificari hominibus maximè qui poſt beneficiorum acceptionem peccant ex malitia. Huius ſignum eſt, quod Pſalmus, quaſi ſententiam præſentis capituli gloſans, dixit: Hi errant corde. Qui errant? Omnes peccantes, ſiue per ignorantiã, ſiue per fragilitatem, ſiue per malitiam peccent. Qui errant corde? Hi, qui peccant per malitiam. Cum enim iſti non tantum peccent, ſed a ſua propria malitia acti eligãt peccare; ideo non ſolum peccant, & errant; ſed peccant, & errant corde. Tale quid fuit in alio Pſalmo dictum. ſ. Qui cogitauerunt iniquitates in corde. Dic mihi. Quis eſt, qui cogitat unquam; & non cogitat in corde? Aut quomodo quis cogitare ualet, & non in corde, ut ad ly cogitare oporteat adiungere ly in corde, ad doctrinam cogitantium nõ in corde? Certè, ſi ſenſum Dauidis in prælata ſententia uerum ſcrutemur, reſpõdendũ erit, quod aliqui cogitant non in corde, ad quorum diſcrimen præfata dixit; & quod tales inuenire non eſt difficile. Per cogitantes enim iniquitates in corde, intellexit ibi, quod de filijs Iſrael dixerat, ſcilicet errare corde. Cum ergo per errare corde, intellexerit errantes uoluntate ex ſeipſa eligẽte, & non aliundè ad eligendum impulſa, reſtat, ut hoc idem intellexerit per cogitantes in corde. Hoc uerò ſicut eſt (ut dicebamus) errare ex malitia, ita illud eſt mala cogitare ex propria malitia. Cogitant ergo quidam, ſed non in corde; ſicut & aliqui errant, ſed non corde, qui. ſ. uel à paſſione quapiam ad eligendum hoc malum quodammodo impelluntur (Hi dicuntur errare, ſiuè iniquitates cogitare, per fragilitatem) uel ab ignorantia ad eligendum hoc inducuntur (Hi per ignorantiã errant, ſiuè mala cogitant). Voluit itaque Pſalmus, per ly Errant corde, manifeſtare nobis, quod iſti Iſraelitæ, de quibus nunc cõqueritur dominus in pſenti cap. peccabãt ex malitia. Et ſic non tm̃ Deum tẽtauerunt, & murmurauerunt; ſed Deũ tẽtauerũt ex malitia, & murmurauerũt ex malitia. Et ſic Pſalmus suppleuit id, quod liber Numerorum ſubintelligendum dimiſit, id quod. ſ. declarare ſe inuicẽ, ſcripturis diuinis eſt familiariſſimũ. Tota nãq; ſcriptura ſacra eſt uelut unũ corpus, ſeu unus liber tm̃, utpotè ab uno Spiritu ſancto dictata; licèt pluribus calamis, qui ſunt inſtrumentarij ſcriptores, uſus ſit ad hoc, & illud ſcribendũ. Hinc quoque à Pſal. quaſi eliciẽtes hoc dicere poſſumus, quod illa uera, quæ de habitatoribus terræ &c. dixerunt illi exploratores ex malitia dixerunt, nõ quia malum. i. falſum dixerint; ſed quia ad malum finem ex uoluntate ſua agitati dicere elegerunt. Hæc enim uera dixerunt, non ut uera dicerẽt principaliter, ſed ut per illa dicta populum ab aſcenſu in terram deterrerent.

APPENDIX.

Hinc habes, quòd beneficia Dei in homine iam recepta ſemper, aut iuuant hominem, aut ipſum damnificant. Nunquam igitur ſunt ocioſa: quin aliquid faciunt, aut per ſe, aut per accidens. Poſſunt quidem aliquid non facere in homine, ſi loquamur ſeorſum, aut per ſe, aut per accidens, ſed ſi loquamur coniunctim per illam diſiunctionẽ, non poſſunt non ſemper aliquid operari in homine beneficiato. Tunc dicuntur operari per ſe, quando ex ipſis homo proficit; tunc uero per accidens, quando ex ipſis nihil non ipſorum, ſed proprio deficit. Semper autem uel proficit ex ipſis homo, uel non proficit (non enim datur medium, cum ſint contradictoria. Tantùm namque ualebat ly Deficit, quãtum ly Non proficit) licèt non ſemper ex ipſis proficiat, aut ſemper ex ipſis non proficiat. Secundò conſequenter habes, quomodo intelligas illud Apoſtoli, ſcilicet Hortamur nos, nè in uacuum gratiam Dei recipiatis. Intelligitur enim de non recipiendo in uacuum per ſe, non per accidens. Non uoluit ſiquidem dicere Apoſtolus: Ego ſum cõtentus de gratiæ operatione quacunque in nobis, ſiue ſit per ſe, ſiue per accidens. Alioquin nõ uos hortarer ad hoc, ut non reciperetis in uacuum gratiam Dei; quoniam & ſuperſiue laborarem, & contra intentum meum partim loquerer. Superſiue quidem laborarem; quoniam talis operatio diſiunctiua non poteſt non eſſe, & conſequenter non opus eſt, ut nos ad hanc admoneam: partim uerò contra intentum meũ loquerer; quoniam nos ad profectum ex gratia Dei (nunc per gratiam Dei intellige omnia beneficia eius) trahere intendo; & tamen operatio per accidens defectum ex beneficijs tamen non beneficiorum, ſed beneficiatorũ importat. Loquitur ergo formaliter Apoſtolus, non materialiter; eo modo ſcilicet, quo dicimus aliquem eſſe ocioſum, quòd licet aliquid faciat ad rẽ non pertinens, non facit conuenientia ſibi. Tertiò habes uiã, qua quis ſeipſum, & in præſenti cognoſcere poteſt, & de ſeipſo in futurum coniecturare. Iſta uia ſunt accepta Dei beneficia. Si ex ipſis ſe proficere ſenſerit, tunc bonum ſe (Dei dono) cognoſcit, & melius in futurum tam hic, quã illic, id eſt in alio ſeculo, expectare poteſt. Si ex ipſis ſe nouerit deficere (uel non reddendo gratias debitas tanto benefactori, pro tanto beneficio, tam gratis dato, tam contra propria merita collato, uel nõ ad bene uiuere utẽdo, beneficio; uel alias id indebitè ſub terra abſcondendo) tunc nequam ſeruũ ſe certò cognoſcat, & maledictionem (niſi reſipuerit) a Deo tũ hic, quam illic contraxiſſe expectet. In primo caſu Deo gratias duplicatas agat; & quia ſcilicet ſibi dedit beneficium, & quia dedit bonum uſum beneficij, ac ipſum Deum pro ſuo conſeruando, ut decet, ſubindè precetur. In ſecundo caſu, ſuum peccatum cognoſcat cum lamentis; ſeipſum ſolicitè emendare, auxilio diuino petito, procuret; Dei bonitatem, quia ſe ingratum patienter ſuſtinuit, agnoſcat agendo indè gratias ei; bonitatem ipſum nouum, magnumque, ſibi in ingratitudine adhuc poſito donatum beneficium ueraciſſimè exiſtimet; doleat cordetenus de præterito, caueat de futuro, orans ut ſibi debitum negligentiæ dimittatur, & in talem nũquam amplius tentationem inducatur.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Quis eſt ly Hic? Eſt præcipuum Dei beneficium nobis collatum, ſcilicet Chriſtus. Ergo ſub ly Hic intelligitur aptè omne aliud diuinum beneficium, utpotè quia in dono illo alia quæcunq; dona includunt. Quicquid ergo de ipſo primo dono dicitur, de omnibus, & ſingulis alijs dici poterit. Erant ergo ſingula Dei beneficia illi, cui data ſunt, uel in reſurrectionem, uel in ruinã: per ſe quidem (ut Chriſtus) in reſurrectionem, per accidẽs uerò (ut Chriſtus) in ruinam: per accidẽs, inquam, hoc eſt, nõ Chriſti uitio (Abſit), ſed uitio hominum pereuntium; per ſe uerò. i. Chriſti munere, conſentiente tamen ei (dono ipſius) libero arbitrio reſurrectionem talem uſſequentium. Vel ad ly (Euangelium) Poſui uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat. Poſitio enim illa, ſeu uocatio, qua uocat, & ponit in aliquo officio, nos Deus, eſt Dei beneficium, unde fructum afferre debemus. Quem fructum? Per ſe, non per accidens. In cuius ſignum è ueſtigio addidit; Et fructus ueſter maneat. Non enim fructus per accidens manere propriè dicẽdus eſt, cùm omne malum ſit quandam uanitas; ſed fructus per ſe propriè manere dicitur; quoniam omne bonum ſtabilitatem quandam ſecum portat. Vel ad &c.

Locutus eſt Moyſes uniuerſa uerba hæc, & luxit populus nimis. Et ecce mane primo ſurgentes aſcenderunt uerticem montis &c.

Concl.

Concl. 12. *Non omnis luctus pœnitentiam ueram de peccato dicit.* [Ex eo.]

Ratio. Ecce. Luget populus omnis ex relatione uerborum Domini à Moyſe facta. Hoc enim indicant uerba illa tali ſerie connexa: Locutus eſt Moyſes uniuerſa uerba hæc, & luxit populus. Nec tantùm ex relatione illa populus luget; ſed (ut littera dicit) luget nimis. Luxerunt ergo magno planctu propter peccata, quæ commiſerant; uel propter pœnam, quam propriis à Deo ſibi dudum audierant; uel propter utrunque. Nihil enim aliud erat in relatione Moſaica, niſi iſta duo ad lõgum narrata in textu. Si propter peccata commiſſa doluerunt, bonum luctum fecerunt; ſi propter pœnam præciſè, minus benè doluerũt; ſi propter utrunque, planctum ſatis laudabilem habuerunt, dummodò in iſto tertio caſu principaliter feratur dolor ſuper peccatum, ſecundariò autem ſuper pœnam. Nam ſi in tertio iſto caſu principaliter doleret quis propter pœnã, uel habitam, uel habendam, iſte talis non benè fleret; & conſequenter fletus hic à charitate, quæ primò ſuper omnia diuinam deteſtatur offenſam, non dimanaret; & conſequenter iſte dolor ad uitam ſpiritualem infructuoſus, cùm opus non ex charitate nil mereatur, exiſteret. Luxit (inquit) populus. Multi erãt ualdè, unde omnibus modis ſingulariter ſumptis de aliqua parte populi luctus probabiliter uerificatur. Hoc eſt. Cum tot eſſent, probabile eſt, quod aliqui luxerint propter ſolum peccatum, aliqui propter ſolam pœnam, aliqui propter utrunque, quorum quidam prææſtimabant culpam, quidam pœnam. Et ſic, lugentes quadruplici differentia ſecernuntur. Ecce, quod non omnis fletus infert ueram pœnitentiam de peccato. Nam ſolus fletus propter culpam, uel præciſè, uel principaliter habitus ueram dicit pœnitentiam: ſi tamen ſpe in Deũ communiatur cum excluſione uoluntatis peccandi de cætero, atque propoſito obediendi mandatis eius, ut habetur in Concilio Triden. ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. cap. 4. circa princip. Fletus ergo propter pœnam præciſè, uel principaliter, ſiue propter culpam ſine ſpe in Deum, ſiue propter culpam cum ſpe, ſine propoſito obediendi mandatis Dei, eſt fletus inutilis. Hoc docet Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. per hoc, quod ueram contritionem circa principium capituli 4. limitat per ly Cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & per ly Cum uoto præſtandi reliqua. Ex fletibus igitur peccatorum unus tantùm poteſt eſſe bonus, quatuor autem mali.

EXAMEN.

QVod luxerint aliqui de populo, imò plurimi, inutili planctu, monſtrat littera dicens: Et ecce (hoc dicit poſt planctum illum) mane primo ſurgentes &c. Monſtrat enim hic, quod non fuerunt obedientes Moyſi, in quo loquebatur dominus. Ex inobedientia enim hac, maximè cùm fuerit citò facta poſt luctum, habemus, quòd iſti bonum planctum non fecerunt ex eo, quòd non cum propoſito obediendi mandatis Dei culpam (dato etiam, quòd ipſam culpam, & principaliter, & cum ſpe ueniæ, planxiſſent) lamentationibus proſecuti fuerunt. Non ueriſimile ſiquidem eſt, quod tàm citò à firmo illo bono propoſito (ſi id habuiſſent), maximè cùm de nouo pluribus uerbis comminatorijs admoniti eſſent, animũ cum uitæ corporalis etiam diſcrimine ſibi à Moyſe præoſtenſo auertiſſent. Et ecce (inquit) primo mane ſurgẽtes &c. Quid eſt ly Ecce? Admiratio quædam, qua miratur littera de illis, quòd ſcilicet tàm citò poſt luctum redeant ad ſolitam inobedientiam; ſignum certè uehemens, quòd propter culpã principaliter non luxerint, qui ad culpam renouandam illicò reuertuntur. Defeciſſent ergo hi in duobus, in hoc ſ. quòd culpam principaliter non planxiſſent, & in hoc, quòd in ſuo planctu propoſitum ſeruandorum mandatorum Dei nõ habuiſſent. Quid eſt ly Primo mane? Solicitudo quædam ſine iudicio, imò contra Moſaycum iudicium, habita. Verè de his dictum fuit in Pſalmo: Vanum eſt uobis ante lucem ſurgere. Quare uanum? Quia non ad finem intentum peruenire faciens, imò ad oppoſitum finis intenti. Intendebant enim iſti per hanc tàm matutinam ſurrectionem magna facere contra hoſtes, perterrefaciendo ſ. eos, & occidendo, & totum contra ſe fecerunt, quia ab hoſtibus perterrefacti, fugati, & occiſi fuerunt. Vide quid reſultat ex eo, quod quis de ſuo capite facit. Contra ſeipſum facit, quicquid contra rectoris iudicium fecerit, licèt aliter ſibi ſucceſſuras res iudicet. Quid eſt ly Surgentes? Ideſt quàm plurimi. Cùm enim dicat hoc indefinitè poſt totius populi mentionem immediatè factam, relinquitur, ut

Vide bene.

quàm magna pars ſurrexiſſe, & ad montem conſcendiſſe, intelligatur. Quid eſt ly Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt? Confidentia in proprijs uiribus ad benefaciendum. In cuius ſignum iſti audito, quòd Dominus non erat ſecum, adhuc uoluerunt aſcendere, quaſi quod in ſolis proprijs uiribus de uictoria confiderent; uel quaſi ex propria ſuperbia non crederent, quòd Dominus non eſſet ſecum, & in ſuo auxilio futurus. Hæc omnia mala facit confidentia in ſeipſo. Generat ſiquidem incredulitatem dictis aliorum, & credulitatem magnam opinioni propriæ, & demum totalem ſuã ruinam tùm in fruſtratorio labore aſſumpto, tùm in fama, tùm in perſona, ut hic patet. De talibus ſcriptum eſt Prouerb. 26. Stultus ſapientior ſibi uidetur decem hominibus, loquentibus ſententias. Quis ſtultus, niſi qui in ſeipſo (qui baculus eſt arundineus ab omni uento raptus) confidentiã habet? Solus ergo ſapiens, ab oppoſitis loquendo, qui ſpem confidentiæ ſuæ in Deum iactat. Hinc dicitur initium ſapientiæ timor Domini; quoniam qui timent Dominum, ſperant in eo, & non in ſeipſis. Quare talis ſtultus ſapiẽs ſibi uidetur? Quia ſuam ſententiam alienæ ſententiæ, i. ſententiæ ſui ſuperioris præfert: aut quia ſic credit, quia ſic ſibi credendum uidetur, non quia ſic ratio dictet. Iſti namque ſe uicturos hoſtes crediderunt, & benefacturos in illo itinere faciundo, quia ſic ſibi propter ſuam ſuperbiam uidebatur, non quia ſic ratio dictaret. Si enim ad rationem hanc Moyſis, ſcilicet ad ly Dominus non eſt uobiſcum, aſpexiſſent, intellexiſſent utique, quod ratio ſuadebat contrarium eius, quod facere credebant. Figurarũt ergo iſti illos, qui hoc, uel illud, credunt, quia ſic ſibi uidetur credendum, non quia Eccleſia ſuadeat. 2. 2. q. 5. art. 3. & huiuſmodi ſunt hæretici unum articulum negantes, alium que credentes. Credunt namque hunc, quia ſibi ſic credendum uidetur, non credunt uerò illud, quia ſibi non credendũ uidetur? Et ſic phantaſiã ſuam ſequuntur, non rationem: unde & animales dicuntur homines, quoniam animalia imaginatione, non rationibus uiuunt, primo Metaphyſicæ. Phantaſtici ergo potius, quàm rationales uocandi ſunt. Non mirum igitur, ſi ab Apoſtolo Petro dicuntur indocti, quoniam doctrina non fundatur in phantaſia, ſed in ratione. Quòd ſi rationem, non quid ſibi phantaſia apparere facit, ſequerentur in credendo, ſequerentur in ſua credulitate non proprium, ſed iudicium Moſaicum. In hoc repræſentat Moyſes Romanum Pontificẽ caput Eccleſiæ, ſicut ipſe erat caput ſynagogæ. Ideò non mirum, ſi hæretici poſtmodum in diuerſas ſcinduntur partes; quia & iſti concidiuntur ab inimicis. Quid enim eſt concidi, niſi in diuerſa partiri? Ideò non mirum ſi hæreticorum ſectas uocat Apoſtolus opera carnis (Galatarum quinto. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt &c. ſectæ); quoniam & iſti ſecuti ſunt carnem in iudicando, ſeu in ſuam ſectam faciẽdo, ut habetur 2. 2. q. 11. art. 1. ad tertium. Quare ſectæ dicuntur opera carnis? Quid eſt caro, ut hic ſumitur? Phãtaſia. Vnde opus carnis eſt opus phantaſiæ, ideſt à phantaſia, tanquam à principaliori, productum. Phantaſia namque (Philoſophus in ſecundo de anima) eſt motus à ſenſu in actu factus. Conſequenter ergo eſt ſenſus carneus, opus carneum, motus carnem non excedens. Nonnè igitur hæreſes omnes ſunt opera carnis, cũ hæretici, ſicut & hi eorum figura, ſibi à phantaſia dictum pro uero teneant, hancque ſibi iudicem omnium controuerſiarũ ſtatuant? Ex eo autem, quòd modo dicto ſunt opera carnis hæreſes uniuerſæ, ſequitur, quod omnis hæreſis eſt motus ſenſualis, à ſenſu factus, motus carneus, uiſibilia non excedens, & errans. Nam phantaſia eſt principium errandi, ut dicitur 4 Metaphy. Quaſi ergo fidem noſtram dicunt eſſe aliquorũ uiſibilium, non inuiſibilium omnes, qui hæreſibus inhærent. Et tamen dicit Apoſtolus, quòd fides noſtra eſt non apparentium, ideſt non per phantaſiam (Phanos enim græcè apparere ſignificat) propoſitorum. Vide ad quam infimum locum fidem trahere conentur hæretici, cum ipſam in phantaſia reponant; quam tamen fidem ob excellentiam ſuæ ſpiritualitatis ſupra intellectum collocari definiuit Apoſtolus. Non apparentium (inquit) eſt fides, ideſt non uiſorum ab intellectu, neque humano, neque angelico. Supra intellectum igitur angelicum ponitur fundamentum chriſtianitatis, & iſti hoc intra phantaſiam reponere contendunt. Magnopere igitur totã chriſtianitatem offendunt, qui fundamentum domus illius tam ignobile ſtatuunt. Quid ignobilius phantaſia in homine? Quid inſtabilius? Quid mobilius? Benè igitur ab Apoſtolo Petro non tantum indocti, ſed inſtabiles, nominati ſunt hæretici. Hanc illorum inſtabilitatem, qui non credit, illorum ſectas uideat, & ipſos, tanquam à phantaſiæ proprio effectu

2. Pet 3

arguens

arguens à phantaſia duci diiudicet. Deus, fidem locando ſupra intellectum, hominem ſupra hominem trahere uoluit, & iſti, eam in phantaſia ponendo, hominem infra hominem trahere cupiunt. Volunt ergo, hominem iumentis ſimilem efficere, contra quod in Pſalmis Deus tantopere ſtomachatur. Et Deo igitur, & hominis nobilitati (quaſi quod ſenſus in homine ſit nobilior, quàm ratio, & corpus, quàm anima) cõtrariantur hæretici; & ſolis beſtijs fauent: dum fidem phantaſia metiuntur. Hinc Apoſtolus Iudas de his, tanquam de beſtijs, loquitur dicens; Quæcunque tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.

QVÆSTIO CVM R.

QVId eſt, quòd iudæi iſti aſcendentes dixerunt ly Peccauimus? Quaſi enim uidentur pro peccato ſatisfacere uelle, tantùm abeſſe uidetur, ut iterum peccent. Reſpondendum eſt, quod dixerunt ly Peccauimus, ſed ſuperbè, non humiliter; ſed per indeuotionem, non per contritionem. Quaſi dixiſſent. Peccauimus: Quid inde? Potuimus peccare, poterimus, & pro peccato ſatisfacere. Mirandum non fuit, quod peccauerimus; quoniam id ex ſuaſione exploratorum uenit. In ſignum huius, poſtquam hi non adſunt amplius, uolumus peccatum illud retractare. Ex alijs peccauimus, ſed ex nobis uolumus oſtendere, quod peccatum illud nobis diſplicuit. Ex alijs cecidimus; ſed ex nobis ſurgimus. Ex alijs malum fecimus, ſed ex nobis bonum faciemus. Aliorum adhortatio fuit in cauſa noſtræ ſegnitiei ad aſcendendum; in cuius ſignum, remota cauſa remouetur effectus. Ecce aſcendimus. Vidiſti ſuperbiam iſtorum, excuſationem, & indeuotionem, in dicẽdo ly Peccauimus; & conſequenter percepiſti, eos hoc non dixiſſe per contritionem. Cæterùm dominus iuſtus oſtendere uolens, quòd ipſimet proprij peccati, non exploratores, cauſa uera fuerant, ipſos in peccatum ſuperbiæ nunc prædictum moxque puniendum, Moyſe diſſuadente, cadere permiſit. Ac ſi eos conuincẽs dicat: Quemadmodum Moyſes ſuadet quidem nobis non peccandum; & tamen non poteſt cauſare, quod non peccetis (ut patet); ita exploratores ſuaſerunt quidẽ uobis eſſe peccandum; & tamen non fuerunt; imò nec potuerunt eſſe, uera cauſa quod peccaretis. Vide Geneſis c. 3. con. 14.

APPENDIX.

1 HInc habes, quod non omnes ſunt laudandi, qui à ſcripturis introducuntur lugere pro peccatis; & conſequenter, quòd non omnes tales ſcriptura inducit, ut laudet; ſed ut iuſtè confundat. Nunquid laudandus eſt fletus damnatorum; & conſequenter illi ex hoc laudandi, quando præ anguſtia ſpiritus erunt (teſte ſapientia) gementes, pœnitentiam agentes, ſeipſos inſenſatos uocantes, & iuſtos ignobiles habitos pro uerè glorioſis commendantes? Abſit. Nunquid Iudæ proditoris fletus, ſeu pœnitentia, commendari debet? Abſit. Nunquid & Antiochi fletus, & peccati ſui recognitio, debet laudari? Abſit. De hoc enim flente dicit Macabeor. liber. Orabat ille ſceleſtus Dñm, à quo non erat miſericordiã conſecuturus.

2 Secundò habes conſequenter, quòd non omnis, qui dicit, peccaui, ueniam ſui peccati conſequitur; ſed tamen qui dicit peccaui cum tribus conditionibus præmiſſis, ſcilicet cum dolore de præterito, cum primo propoſito, & cauendi peccatum de cætero, & obſeruandi mandata Dei, cùm ſpe ueniæ à miſericordia diuina per Chriſtum conſequendæ. Alioquin Pharao, qui dixit Exod. 9. Peccaui etiam nunc, & Exod. 10. Peccaui in Dominum Deum & in uos; necnon Saul qui bis dixit. 1 reg. 15. Peccaui, ueniã de ſuo peccato habuiſſent, cuius tñ contrariũ apparet tum in contextibus harũ ſcripturarum, tum in expoſitionibus doctorum. Quantò igitur à conſequutione ueniæ remotos dicemus illos, qui negant confeſſionem; quando nec omnes, qui ſuum peccatum confitentur, ipſam conſequi uidemus? Vide S. Tho. Addi. art. nu. 1. 9. 10. 12. cum Elucid. Item ibid. nume. 19. 20. 24. 36. & 51. cum Elucid. ubique.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Non inquit, quoniam fleuit, uel quoniam confeſſa eſt peccatum, uel quia cognouit peccatum; ſed quia dilexit, ſcilicet Deum. In hoc enim radiõẽ habendi ueniam tetigit, & illud, ſine quo cætera prædicta nõ ualent ad ſalutem. Quaſi dixerit: Dilectio eſt forma tum fletus, tum cognitionis, tum confeſſionis, ad aſſequendã ueniã; & ideò eam ſolam tango; non tamen alia ad ueniam neceſſaria negãdo. Aliud eſt enim à forma, ut quæ ſit in toto hoc negocio, principali, totum denominare, aliud eſt ad conſtitutionem totius, alia quod concurrant, negare. Ego facio primum, non intendo ſecundum. Dilectio nanque ut contra iſtos, qui hæretici ſunt huiuſmodi adducentes pro ſuo ſenſu diſtorto loquamur clarius, & cognitionem prædictam, & fletum, & confeſſionem, includit; ſi uera dilectio ſit, tantum abeſt, ut iſta excludat. Prædicta uerò, etiam ſi iunctim ſumantur, dilectionem Dei non neceſſariò includunt, ut ſupra in exemplis patuit. Voluit ergo Chriſtus & à principaliori, & ab alia requiſita neceſſariò includente, denominationẽ facere, ideſt ipſi peccatorum dimiſſionẽ attribuere. Quid ergo mali fecit? Quam mali ideſt negandæ confeſſionis, occaſionem dedit? Imò confeſſionem, cæteraque ad dimiſſionem neceſſaria ſtatuit, ex quo dilectio uniuerſa hæc nullo ſani capitis renuente, includit, & neceſſariò quidem ſi uera eſt. Dimiſſa (inquit) ſunt ei peccata, quoniam dilexit. Ad rẽ noſtram modo. Fletus igitur illis, qui ſupradicti occaſione huius textus numer. ſunt, ex Chriſti dicto hoc ideò non profuiſſe ad dimiſſionem peccatorum intelligito; quoniam nõ erant dilectione diuina formati, ideſt quoniam ſine charitate erant. Ex hoc monſtratur quoque uniuerſaliter ex conſequenti, quòd pœnitentia omnis formata ualet ad peccati dimiſſionem; nulla autem informis, etiã quòd omnia alia habeat. Pro quo rectè magiſq; diffuſe percipiendo conſule Eccleſiæ ſanctæ doctorem egregium Diuum Tho. in addi. art. num. 35. 38. 39 uſque ad 43. cum Elucid. Semper ex prędictis in applicatione hac collige, quomodo uniuerſaliter ſano capite intelligas ſcripturarum omnia hortamenta, quãdo nos ad pœnitentiæ opera prænarrata inuitãt. Intelliguntur enim de pœnitentiæ operibus modo dicto formatis loqui, quoniã ſine charitate ad culpæ dimiſſionẽ cuius, dimiſſionem intendunt, non proſunt. 1. cor. 13. licèt ad illam diſponant, & ad alia quædam ualeant addi. art. num. 57. cum Elucid.

ECce mane ſurgentes aſcenderunt, &c. Quibus Moyſes, cur tranſgredimini, &c. Vobis non cedet in proſperum, &c. *Text.*

Concl. 13. *Quicquid agitur ab aliquo de proprio capite cõtra ſuperioris iudicium, licèt bonum uideatur, malum exitum habebit, & contra ſeipſum ſic agentem conuertetur, licèt pro ſe futurum uideatur.* [Ex eo.]

TEXTVS, antequam talia dicat, unde præſens documentum elicitur, apponit ly Ecce, quòd admirationis nota eſt. Hoc autem facit, ut oſtendat, hoc eſſe admiratione magna dignum. Et uerè ſic eſt. Nam quod mihi uiſum bonum, & ſucceſſurum in proſperum fiat deindè in contrarium; & mihi uiſum malum, & ſucceſſurum in ſiniſtrum, fiat deindè in cõtrarium, ſi contra ſuperioris iudicium illud a me amplectatur, hoc diminuatur, tam admirandum id exiſtit, ut nihil ſupra. Viderat Moyſes, iudæos iſtos ob bonum illis apparens, uelle conſcendere montem; & illis dixit: Nolite aſcẽdere. Iſte aſcenſus, quamuis bonum bis uiſus, ceſſit ne ipſis in proſperum? Non; imò in malum maximum (ut patet in textu.) Vnus itaq; ſuperior melius de eo, quod futurũ erat, iudicauit, quam multi inferiores. Sequatur ergo iudicio ſuperiorum ſubditus, & omnia ſemper in bonum ſucceſſum ſibi eueniet. Vtique ab oppoſitis hoc concludendum neceſſariò reſtat, ſi (ut uerum eſt) ageno de ſuo capite contra ſuperioris dictũ nihil in proſperum eueniet. Audi ſingula. *Ratio.*

EXAMEN.

ISTIS iudæis uidebatur, ſi aſcenderent, quòd de peccato prædicto ſatisfacerent, quòd Deo ex aſcenſu illo placituri eſſent, quòd alijs bonum exemplum darent, quòd inimicis terrorem immitterent, quod uictoriam indè relaturi eſſent. Nunquid putauerunt unquam ex ſe, quòd propter aſcenſum peccarent; quòd Deo ex aſcenſu diſplicerent; quòd iudæis alijs malum exemplum daturi eſſent; quòd ab inimicis perterrendi forent, quòd inimici ſeipſos, tam ignominioſe præſertim, ſuperarent? Nihil utique horum ex proprio capite putauerunt, imò forſan nec putauiſſent unquam; & tamen quid eis accidet; utrum Moyſes, uel illi, melius de futuris

turis coniectarint ex littera audiuimus. Sed, ut plenius documentum concluſionis huius imbibere poſſis, uide ſupra in ratione præcedentis concluſionis, unde documentum hoc quaſi digito monſtrādum, memorabile deſumpſimus. Vide Gen cap. 27. con. 13. & bene conſidera.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Non mea uolūtas fiat. Hoc dicere, facereque debet quis, quando ſuperioris iudiciū proprio ſuo contrarium uiderit. Tunc enim non faciat modo illo, quo iſti Iudæi fecerunt. Verè igitur Chriſtianis (qui ſcilicet Chriſtum in prædicta ſententia imitantur) nihil tandem in ſiniſtrum; ſed omnia in proſperum ſemper uenient, quandiu in talis obedientiæ conformitate manebunt. Hoc ipſum quoque denotauit alibi ſcriptura dùm ait: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Quare? Quia omnia illi in proſperum cedent.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concl. 13. cap. 14. admodum ualet contra peſtiferos errores Brentij, Pauperum de Lugduno, Begardorum, Huſſitarum; de quibus cum eorum damnatione uideas ſupra, Num. 5. concl. 10. & cap. 13. con. 7. & loca ibi citata, quod & ſemper in alijs cōcluſionibus facere debes. Ex illis etiam dictis uiciſſim concluſionem hanc firmari ſcias; uiciſſim, inquam, quia & ea hac cōcluſiones illæ firmantur.

Text. ET ecce primo mane ſurgentes, &c. non cedet in proſperum.

Concl. 14. *Vnus ſuperior melius cognoſcit ueritatē de his, quæ ſuis euenient ſubditis, quàm multi ſubditi de eiſdem.* [Ex eo.]

Ratio. MIRANDVM valdè hoc eſt, cum ordinariè duo plus uigeant intellectu, quam unus. Quid ergo de multis reſpectu unius? Certè ſi unus ille magis de ueritate futurorum cognoſcit, ſeu de futuris uera prædicit, quā illi multi, hoc non mirandum modò, ſed plusquam mirandum eſt. Ideò ad ſignificādam iſtius rei admirationem textus, antequam uerba intellectu in hunc progignentia narraret, uſus ſuit ly Ecce. Vt huius autem rationem concluſionis unius uidere poſſis, lege concluſionis præmiſſæ rationem. Ibi enim hoc dictum ex decurſu uerborum inuenies, quòd quia notatu digniſſimum extat, digito quaſi. i. ſpeciali concluſione monſtrare curauimus.

RESPONSIO TACITÆ
OBIECTIONIS.

1. VERVM eſt, quòd duo pluſquam unus uident; ſed ceteris paribus, hoc intelligitur. Si enim detur unus philoſophus, dentur uerò mille ruſtici; plus meliùs iudicat de ſciā ſpeculatiua philoſophus, quàm omnes unà ruſtici. Nā Philoſophus circa ſpeculatiua expertus eſt, & in illis uerſari eſt ſuū officiū: ruſtici uerò circa illa experti nō ſunt & illa cognoſcere nō eſt ſuū officium. Vnicuiq; autē experto in ſua arte credendum eſſe, fatentur omnes. Si autem detur unus philoſophus ex una parte; & duo ex alia philoſophi einſdē cum illo profeſſionis, & uigoris intellectus, tunc duo iſti melius iudicabunt de aliquo ſuæ profeſſionis, quàm ille unus de eodem eiuſdem profeſſionis. Hic enim cætera ſunt paria, ibi uero non. Modò ad rem noſtram. Datur prælatus, & ſubditi, diuerſa iudicant; tunc prælatus bene iudicabit, ſubditi uerò male. Quare? Quia prælatus habet officiū gubernandi ſubditū ſuū; non autē ſubditus habet officiū gubernandi ſemetipſum. Deus enim illi dedit hoc munus; Exempl. iſtis uerò idipſum denegauit: & ſi philoſopho uni ex eo, quod de officio ſuo tractatur, magis credendum eſt, quàm ruſticis multis ex eo, quod de officio iſtorum non tractatur; quantò magis uni prælato ex eo, quòd de officio ſuo tractatur credendum erit, quàm multis ſubditis ex eo, quòd de officio illorum non tractatur? Quis dedit officium illud philoſopho? Ars, humanum ſtudium, labor improbus. Quis dedit officium illud prælato? Inſtitutio diuina, diuinum auxilium, Deus. Quis maior horum, Deus, an homo? Nō homo, ſed Deus: imò Deus incōparabiliter in bonum undiq; excedit hominem. Si ergo ex eo, quod homo dirigit philoſophum credis (modo prædicto) philoſopho; cur ex eo, quòd Deus dirigit prælatum non credas (eodem modo) prælato? Hinc enim ratio pendet, quare concluſionis documentum uerificetur, quia Deus ſpeciali directione gubernat prælatum, in eo, quod prælatus eſt. Quid eſt prælatus in eo, quod prælatus, ſiue quid eſt prælatus, ut prælatus? Eſt in relatione regendi ſubditum cōſiſtens. Vnde cognoſcitur tunc prælatus agere, ut prælatus, quando gubernat ſubditum: ſi quando autem intendat gubernare ſeipſum, iam prælatus agit, ut homo talis, puta Petrus, non ut prælatus. Quando ergo ſtatuta facit ad regendos ſubditos, quando ſubditis aliquid prohibet, uel ſuadet, quod ad regimen ſpectat ſubditorum, tunc eſt prælatus. Quando uerò ipſemet prohibet ſibi, uel ſuadet aliquid, tunc eſt prælatus, ut homo talis in ſingulari. Hæc dixerim, ut intelligas prælatum faciliter poſſe decipi in gubernando ſeipſum; non autem ſubditos. Deus enim magis adeſt ipſi ad gubernandum ſubditos, quàm adeſt ipſi ad gubernandum ſeipſum. Non uult nanque, aliquem gubernare ſemetipſum, qui tamen inſtituit, ut gubernent alios. Nunquid non fecit hoc, ut cognoſcamus liquidò, quod ipſum bene gubernare alios non eſt opus prælati (nè glorietur ergo), ſed opus Dei in prælato? Vtique: Et id naturalis ratio ſuadet. Nam alij ſunt à nobis remotiores & minus dilecti, quam nos à nobis ipſis, cum unuſquiſque ſit ſibimet proximus maximè, atque dilectus. Naturalis igitur ratio conſideratis nunc dictis dictat quodammodo, quòd quis magis idoneus ad gubernandum ſemetipſum eſſet, quā quoſcunque alios, ſicut & ignis agit magis in proxima ſibi quàm in longinqua. Opus ergo Dei eſt in prælato, & ſupernaturale donum, quod alios bene gubernet. Exempl. Cum itaque (ut probauimus) id ſit opus Dei, atque inſtinctio, utique operi ſuo, atque inſtitutioni fauebit ſemper Deus. Si fauebit; ergo prælatus in gubernando ſubditos non poterit decipi. Intellige quæ dico, nè erres. Nō poterit (inquam) decipi ita, ut ſua deceptio in malum ſubditi proueniat unquam; quoniam obedientia, etiam in dubijs excuſat. Si enim prælatus tunc decipietur, ſibi decipietur tantùm, non ſubdito, dummodo, id quod ſubdito præcipit, manifeſtum errorem non contineat. Tunc. n. ſubditus non excuſaretur, ſed accuſaretur. Nec mirum: non eſt enim hoc, quia deceptio prælati in deceptionem redundauerit ſubditi; ſed quia elegit decipere ſemetipſum. Tunc nanque non habebat prælatum, cum apertiſſimus error iubebatur; & conſequenter ſi deceptus eſt ſubditus, non a prælato fuit illa deceptio. A quo ergo, niſi a ſemetipſo, qui uidit arcū extenſum, & effugere noluit? In hoc ſiquidem caſu rationē propriam, tanquam prælatum interiorem ſequi tenebatur, ex quo prælatum exteriorem audire non debebat. Vtquid. n. iſti ſubdito dedit rationem, ſiue intellectum Deus? Vt deficiētem manifeſtè iuſſionem prælati exterioris caueat; licèt nō, ut iudicet de ipſius iuſſu. Non autem in caſu illo iudicat de ipſius mandato; ſed manifeſtum uidet errorem. Iudicat enim (in propoſito) ſubditus de prælato, quando res probabiliter dubias a prælato iuſſas agere nō uult dicens. Quia malæ ſunt, ideò eas facere nolo, ſiue non teneor. Et in hoc caſu etiam à ſeipſo deciperetur ſubditus, quia peccaret; non autem a prælato, quia ipſum audiendo fideliter mereretur. Quid, ſi dubiū illud probabile contineret errorem? In tali negotio uerificabitur dictum Pſalmiſtæ illud, ſ. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Dices: Hoc eſt mirabile in oculis noſtris; ut ſubditus tunc obediēs illæſus euadat. Et ego dico: A' domino factum eſt illud, & conſtitutum, ut non ſolum illæſus tunc abeat; ſed etiam ut meritum, ſi eſt in gratia, acquirat. Vide, quantum Deus adeſt prælato in gubernando ſubditum ſuum. Nè mireris ergo, quòd unius, modò prælatus ſit, iudicium, etiam de futuris, in pertinentibus ad ſubditi ſui regimē magis præualeat, quàm multi ſubditorum ſuorum; quoniam Dominus unum ſpecialiter regit prælatum; non autem ſic ſubditos illos, propter rationem dictam.

COROLLARIVM.

SICVT ergo ſtultitia magna eſſet, dicere, quòd multi ruſtici concluſiones phyloſophiræ poſſent comparari uni tantùm philoſopho; ſic magna ſtultitia eſt dicere, quod multi ſubditi ſimul poſſint æque bene iudicare de rebus a ſe faciendis, Exempl. uel ſibi ex rebus illis euenturis, quemadmodum unus illorū prælatus. Et, ſi dicere hoc eſſet magna ſtultitia; quanta ſtultitia

nis erit idipſum tenere amplecti, proſequi? Ergo ſtultiſſimos nos oſtendimus, dum iuſſionibus prelatorum, ſiue iudicijs circa noſtri gubernationem, recalcitramus. Ergo ſtultiſſimi ſunt heretici, aliosque facere ſtultiſſimos conantur, quando nobis de noſtrorum maiorum iuſſionibus iudicare ſuadent, illisq; pro libito recalcitrare, & ipſi hoc idem (forſitan ut nō tantum uerbo, ſed etiam exemplo nos doceant: Ecce; quod etiā diabolus ſuos doctores habet) quotidiè faciunt, ac ſe facere gloriantur. Heu peſſimam generationem, quibus tam exoſa eſt ſapientia, & tam grata inſipientia. Non ſolum autē ille ruſticorū conatus ſtultitia magna eſſet, ſed nō minor ſuperbia: ſuper ſe nanque irent, dum non tantum philoſopho equari in tali iudicio uellent; ſed etiam ipſum ſuperare. Ergo non tantum ſuper ſe irent; ſed pluſquam ſupra ſe. Ergo non tantum ſuperbi; ſed pluſquam ſuperbi. Nec tantum pluſquam ſuperbi eſſent tunc; ſed omnibus propter hoc graues, odioſi, importabiles, abhominandi. Pauperem (aiunt) ſuperbum quis ferre poteſt? Ergo de ſubditis idipſum facientibus reſpectu prælatorum ſuorum ſupradicta uerificantur; & tanto magis, quanto prælatus à maiori inſtituitur ad gubernandū ſubditum, quàm philoſophus ad diſcernendū circa alicuius concluſionis uerum. Deus nanque maior eſt, quam ſcientia quęlibet. Et licèt Deus cum ſcientia illa dirigat prælium; tamen non ſic auxilio ſpeciali, quemadmodum prælatū. Ergo ſuperbia ſuperbiarum eſt nolle manere ſub ordine inſtituto a Deo; ſicut ſuperbia ſuperbiarum eſſet, philoſophum nolle manere ſub canonibus ſcientiæ in iudicando, ſed uelle ſupra ſcientiam ſcire. Ergo cæcitas cęcitatum eſt renuere obedire prælatis. Nam tunc renuimus dirigi ab eo, qui non poteſt errare (.ſ. Deo; qui & inſtituit prælatum, & nos per prælatum de omnibus informat), & eligimus dirigi ab eo, qui poteſt errare (.ſ. a nobiſipſis, qui in propria cauſa decipimur). Renuere ergo Deum, & ſe pro Deo conſtituere; eſt nolle obedire. Vnde ait ſcriptura, quod peccatum quaſi ariolandi eſt nolle acquieſcere. Quid eſt ariolare, hic ſumptū, niſi idolatrare? Et quid hoc, niſi unum Deum alium, pro Deo uero, ſibi cōſtituere? Ergo peccat peccato etiam præſumptionis ſubditus, quando iudicium ſui prælati iudicio ſuo poſtponit quoad ſuimet regimen. Nam tunc uſurpat illud quod ſibi Deus, & ſpecialiter quidem (cùm ſibi actualiter dederit prælatum), denegauit, ſ. gubernare ſemetipſum. Ergo non mirum; ſi ruina iſtis iudæis ſimilis ceruicioſis poſtea uenit. Quid? Et in tēpore prædicto ex inobedientia uenit, in præſenti uenit, & in futuro ueniet.

NOTATIO MAGNA.

ALIQVID nunc (nè ſermo de prælatis mancus ſit) circa Papæ iudiciū de credibilibus catholicæ fidei ſpecialiter dicendum eſt. Quemadmodum enim Papa eſt non tantum prælatus; ſed uniuerſorum prælatorum prælatus, ita non inconueniens, ſed conuenientiſſimum eſt, ut ei aliquid præ cæteris a Deo tributum in ſuo iudicio fuiſſe dicamus. Quid eſt illud ſingulare Papæ a Deo donatum, quod cæteris prælatis etiam ſimul ſumptis, non æquò conuenit? Quod non poſſit, ut Papa, errare in iudicio credibilium, ſiue in his, quæ ſunt fidei catholicę. Quid autem hoc ſit in ipſo ſingulare, ex prædictis patere poteſt. Alijs nanque prælatis tributum eſt, ut in perniciem ſubditorum errare non ualeant (modo ſupra declarato); ſed tamen non eis tributum, ut circa rem ſubditis impoſitam errare nequeant. Romano verò Pontifici eſt datum, & quod illis conceſſum eſt, & quod circa fidem errare omninò non poſſit. Si fatuum igitur maximè eſt, ſuperbum, cœcū, & præſumptuoſum nolle credere pręlatis alijs in iudicio, atque illis obtemperare; pluſquā maximè fatuū, ſuperbum, cęcū, pręſumptuoſum erit procul dubio, nolle iudicio Papę credere in fide, illique morem gerere. Si tantę ruinę (ut diximus) cauſa fuit, eſt, & erit, inobedientia reſpectu aliorum prælatorum; quantæ, putas, ruinæ cā fuit, eſt, & erit, inobedientia reſpectu pręlati pręlatorū oīum? Si Deus dicit deſpici, tanquam illorū inſtitutor & rector, quando alij prælati deſpiciuntur; quōmodo non quaſi incomparabiliter deſpicietur Deus, quando prælatus prælatorum, & conſequenter ſpeciali admodum diuina prouidentia inſtitutus, & rectus deſpicietur? Hæc omnia contra hæreticos, ſciſmaticos, & inobedientes dicta pro ueritate ſint. Cęterum quia de infallibilitate iudicij Papæ in his, quæ fidei ſunt, alibi dictum eſt Exod. 18. con. 5. & cap. 23. con. 6. & Leuiti. 11. con. 2. exam. art. 1. 2. 3. item in Elucida. pri. par. q. 74 ar. 2. & q. 35. art. 4. Item in Elucid. Addi. multis in locis (ut ex indice ibi patet) ideò uide illic, & iſta ſufficiant.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 14. capituli 14. admodum facit contra omnes illos errores, de quibus in concluſione 13. nunc dictum eſt. Et ideò ſicut ibi, ita hic te per omnia (ut allegatum eſt, & monitum, te gubernato.

SVrgentes aſcenderunt dicentes; Parati ad aſcendendum ſumus, quia peccauimus. Text.

Concl. 15. *Adeò peccator non poteſt de ſe pro peccato ſatisfacere, ut etiam, quando putat ſe de ſe ſatisfacturum pro peccato præterito, tunc cadat plerunque in nouum peccatum.* [Ex eo.]

DECLARATIO SENSVS CONCLVSIONIS.

HOC non in ſenſu hæretico, ſicut nec alia unquam, intelligas; ſed catholico. Quis eſt catholicus ſenſus in cōcluſione præſenti? Quòd peccator ſatisfactiones pro peccato ſuo facere de ſe non poteſt; & adeò non poteſt, ut, quando id ſolis ſuis uiribus innixus attentauerit, faciat potius neſciēdo contrarium. Non autem intendit catholicus, quòd uelle ſatisfacere pro peccato, ſit peccatum; ſed hoc hæreticorum eſt dogma.

RATIO CONCLVSIONIS

ISRAELITAS hos aſcendere uolentes uidemus, ideò hoc noluiſſe, ut peccato ſegnitiei prioris, qua renuerant aſcenſum, facerent ſatis; & conſequenter, ut Deum offenſum facto iſto poſteriori placarent. Hanc fuiſſe cauſam illorum animos ad iſtud mouentem, faſſi ſunt ore ſuo, quando dixerūt: Parati ſumus aſcendere &c. quia peccauimus. Motiuum igitur eorum fuit bonum, inquantum ſatisfactionem ſonabat, licèt eſſet malum, inquantum ſatisfactionem talem .i. proprijs uiribus fiendam importabat. Parati (inquit) ſumus aſcendere: ergo proprijs uiribus ſatiſfacere ſe credebant. Dominus (inquit ad illos Moyſes) non eſt uobiſcum, ergo ſolis proprijs uiribus &c. Dominus (inquit) nō eſt uobiſcum; ideò nolite aſcendere. Hoc audito, quid fecerunt Iſraelitæ iſti? Aſcendere uoluerunt. Ac ſi facto ſuo Moyſi reſpondiſſent: Quamuis Dominus non ſit nobiſcū; nos tamen parati ſumus. Quāuis ad aſcendendum Dominus nos non adiuuet; tamen parati ad aſcenſum ſumus, ideſt per nos aſcendere ualemus. Cū ergo aſcendere (ſecundum iſtos) ſatisfactio ēpro peccato diceret, reſtat, ut hi talia dicendo ſatisfacturos ſe ſolis uiribus autumarent. Quid magis ſuperbum? Ideo per manus inimicorum cadent uituperosè, ad deſignandum, quòd nullus propria ſola uirtute pro delicto quouis ſatisfacere poteſt. Nolite (inquit Moyſes) aſcendere; dominus enim non eſt uobiſcum. Quaſi dicat: Nolite conſumere in uanum laborē ueſtrū. Vide hic bonitatem Moſaycam, & in ipſa bonitatem Dei conſpice. Diligit nos Moyſes adeò, ut laborare nos fruſtra non conſentiat. Si labores ergo noſtri eſſent fruſtratorij; putas ad hos toties tot modis ſcriptura nos inuitaret? Abſit. Immò tunc ab ipſis laboribus, ſicut nunc facit Moyſes, auocaret.

COROLLARIVM.

LABORES ergo, ſatisfactiones, opera pęnitentialia, exerceri debent a nobis auxilio diuino, non proprijs uiribus innixis. Vnde in concilio Trid. ſeſſ. 6. cano. 1. ad hoc propoſitum legitur: Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ per humanæ naturę uires fiūt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo; anathema ſit. Hæc ibi. Ex quo igitur ſemper, & uijs multis, nobis labores huiuſmodi ſuadet; quid dicendum neceſſario nobis relinquitur; niſi quòd labores noſtri aſſumpti, ut ipſe in ſcriptura, loquitur ſunt fructuoſi, & in gratia exiſtentibus meritorij? Dicere

ergo,

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XV.

Text. VOta ſoluentes, uel ſponte offerentes:

Concl. 1. *Votum obligat ad redditionem ſui.* [Ex eo.]

Ratio. ECCE, quòd ſeparat ſponte offerentes ab his, qui uota ſoluunt, quaſi ex ipſa ſeparatione oſtendat, quòd ſoluentes uota non ſponte tantùm offerunt. Quomodo non ſponte? Ergo Deus accepta habet ſacrificia coacta? Non. Sed ly Sponte tenetur per reſpectum ad poſſe licitè aliter facere; nõ autem dicit tantum oblationem uoluntariam. Sponte nanque, i. uoluntariè facit quis aliquid dupliciter, aut quia, cùm aliter licitè facere poſſit, uult facere hoc; aut quia, cum aliter licitè facere non poſſit, uult facere hoc. Primus dicitur hic offerre ſpõte: ſecũdus dicitur uota ſoluere. Sed quomodo adhuc uoluntariè facit, ſi nõ poteſt aliter facere? Hic minus uidetur de uoluntario (dato interim quod ſit uoluntarium hoc opus), & conſequenter uota ſoluens nõ ſic laudãdus erit, ſicut ſponte offerens. Huius autem contrarium dicit Diuus Thomas in 2.2, q.88. ar.6: Ibi enim concludit, quòd magis meritórium eſt, facere aliquid ex uoto, quàm ſine uoto. Conſequenter igitur faciens ex uoto aliquid magis laudandus eſt, & magis uoluntariè operatur, quàm ſponte tantùm offerens, i. faciens id ſine uoto.

QVÆSTIO CVM R.

SEd quomodo in faciente aliquid ex uoto inueniri poteſt maius meritum, quam in faciente ſine uoto? Eadem ſiquidem uoluntate fertur & ſpontè offerẽs, imò & liberiori; & conſequenter iſte plus meretur, quam uota ſoluens. Patet enim quòd ſponte offerens poteſt licitè aliter facere; & conſequenter quòd non propter peccatum uitandum (ut facit uota ſoluens) uoluntariè uult non facere aliter, ſed propter amorem uirtutis, ſ. uel oblationis uel huiuſmodi. Etſi ergo uterque feratur ad uolendum offerre uoluntariè propter amorẽ uirtutis, unus tamen, ſ. uota ſoluens non uidetur ferri ad non uolendum contrarium ſic perfectè propter amorem uirtutis ſicut ſponte offerens, propter rationem iam dictam. Reſpondendum eſt nunc; & ut ueritatem omnino uideamus ad plenum, ponendus eſt uterque in principio, ſcilicet antequam adſit tempus ad faciendam oblationem. Tunc nanque pares ſunt, quia iſte alius nondum feciſſe uotum ponitur, & cõſequenter iudicium ueritatis, cum in nullo illorum ſit diſparitas, melius apparebit. Vterque igitur in illo principio poſitus uidet oblationem iſtam Deo gratam ad offerendum, & uterque poteſt licitè uelle contrarium, i. uelle non offerre illã Deo, cum hic uterque ſe ad hanc faciendam non eſſe obligatum cognoſcat. Quid accidit? Vnus illorum, puta Hieronymus, dicit; Ego me obligo ad faciendam ſuo tempore iſtam oblationem: alter uerò puta Ægydius, non dicit hoc. Hieronymus ergo uouit facere oblationem, Ægydius nõ. A quo coactus eſt Hieronymus ad faciendum illud uotum? A nullo homine, à nullo timore, à nullo exteriori. A quo? Ab amore uirtutis, quia ſcilicet tam amabat offerre Deo, ut uoluerit ſe obligare ad non poſſe facere aliter, quam offerre. Quare Ægydius non uouit? Quia a tanto amore uirtutis ad offerendum non ſtringebatur, a quanto Hieronymus. Amabat quidem Ægydius offerre Deo; ſed hic amor tantus non fuit, ut impulerit eum ad uolendum ſe obligare ad non poſſe facere contrarium. Amor ergo Hieronymi ad uirtutem fuit maior, & admodum maior; quam amor Ægydij. Admodum (inquam) maior, quia admodum maiora fecit in Hieronymo. Quid fecit? Fecit, ut uenderet ſuam libertatem, & (quod plus eſt) uoluntariè uenderet. Priuari bono maximo, & uoluntariè priuari illo, certe effectus eſt inferens maximam cauſam. Quid habet homo libertate ſua charius, uel æqualiter charum? Nihil prorſus in hoc mundo. Priuari ergo libertate eſt maximorum omnium maximus effectus. Sed quis uelit uoluntariè tam maximo bono priuari? Nullus equidem, niſi propter amorem rei maioris. Qui uoluntariè igitur libertate priuatur propter amorem uirtutis, demõſtrat, ſe amore maximo affici ad uirtutem; quoniam eam amare ſupra libertatem propriam comprobatur. Ab effectu igitur arguamus ſic ad cauſam. Iſte Hieronymus fecit hunc effectum maximũ, ſ. quòd uoluntariè priuauit ſe libertate ſua; ergo cauſa mouens eum ad hoc fuit maior. Nam cauſa eſt ſemper potior effectu, & uigoroſior: alioquin effectum introducere non poſſet. Quomodo enim minoris uirtutis cauſa poteſt mouere paſſum uirtutis maioris? Hoc autem ſcilicet quòd cauſa ſit maioris uirtutis, quam paſſum, tantò magis uerificatur nunc, quando cauſa mouere debet ſuauiter, ac delectabiliter, id, quod præcipuè cõtingit in actibus uirtutũ, cuiuſmodi eſt uotum, cuius iuſtus nõ ſit, qui ſolum iuſta operatur, ſed qui iuſtè, i. delectabiliter, & cum alijs cõditionibus neceſſariò ad hoc requiſitis. Cum igitur oblatio ipſa ſuauiter moueat Hieronymum ad uouendum (delectatur enim in illa, & ideò uouet illam facere. Vides, quòd quædam ſpiritualis uoluptas ipſum trahit ad hoc?), dicere oportet, quòd amor eius ad oblationem eſt maior ſuo amore ad libertatem. Hoc autẽ non ita eſt in Ægydio nõ uouente. Etſi enim ſibi placeat oblatio, oblationiſque deſiderium; non tamen ita, ut libertatem propriam cauſa illius perdere uelit. Amor Ægydij ad oblationem magnus eſt; ſed eſt ad libertatem maior; & per conſequens minus amare uirtutem iſtam conuincitur, quàm Hieronymus. Parum dixi. Hieronymus non tantum Ægydium hic ſuperat in uirtutis amore, ſed etiam ſeipſum ſuperat. Niſi enim ob uirtutis amorem ſeipſum ſuperaret; quomodo ob illius amorem ſui partem nobiliſſimam, libertatem, ſ. uoluntatis ligaret? Seipſum ergo non tantùm uincit, ſed in re ſibi chariſſima uincit. Donat igitur uirtuti præſentialiter non tantum deſiderium puta ad offerendum; non tantùm actum ad offerendum tempore opportuno donare intendit; ſed etiam præſentialiter, quicquid in ſeipſo melius eſt, donat uirtuti. Quomodo? Hieronymus nil habet, niſi actum, & potẽtiam; & Hieronymus quicquid eſt, liber eſt (ad hoc enim dicitur homo, & ab alijs quibuſcunque ſecernitur), quoniam unaquæque res ſufficienter diuiditur per actum, & potentiam, & principale in aliquo uidetur eſſe totum id, quod illud aliquid eſt. Nonnè actum offert Deo Hieronymus; cum exercere actum oblationis potentialiter intendit? Nonnè donat Hieronymus potentiam propriam Deo, cum eam propter Deũ ad oblationem ligat, ita, ſ. quòd non poſſit unquam facere cõtrarium? Actum ergo ad oblationem ligauit uterque; ſed potentiam ultra actum ligauit ad eam Hieronymus. Multum ergo dedit Hieronymus Deo reſpectu Ægydij; imò tam multum, quòd plus dare ipſi non potuit. Quid enim plus libertate in homine? Nunquid homo plus habet, quam ipſemet ſit? Liber eſt homo ſecundum totum id, quod eſt; inquantum libertate regitur quicquid eſt in homine, quod ideò patet, quia ſemetipſum interficere poſſet, & conſequenter, quod aliquid hominis eſt in homine, a libertate manat. Qui donat ergo libertatem alicui, donat totum, quod eſt, & poteſt, cum homo non ſit, nec poſſit, pluſquam homo. Talis ergo Deo donat multum & ariſmeticè & geometricè. Ariſmeticè quidem, quia libertas includit plura: Geometricè uero, quia libertas eſt quid nobiliſſimum. Vide ergo, quanta ſit differentia Hieronymi ad Ægydium & in amore uirtutis, & in dono propter uirtutem facto. Quid indè ad principale propoſitum? Hieronymus offert nè ſpontè? Sic, quia uoluit offerre. Meretur nè in offerendo? Sic, quia offerre uoluit. Offert nè magis ſpontè Hieronymus, quam Ægydius? Sic, quia magis uoluntariè. Quare magis uoluntariè? Quia uoluntate magis firmata in bono. Quare magis firmata? Quia uoluntate non poſſibili licitè mutari in contrarium. Nunquid non magis firmatum eſt, quod non poteſt mutari, quam quod poteſt mutari? Nunquid non magis firmum illud uoluntarium dices, quod & uis non mutare (hoc eſt propoſitum firmum, quod a pœnitentibus confeſſor exigit), & uis non poſſe mutare (hoc eſt uotum Deo factum), quam illud uoluntarium, quod uis tãtùm non mutare, etiam id ignarus caperet. Magis ergo firmata in bonum uoluntatem offert Hieronymus, quam Ægydius; & conſequenter magis inflammatã ad bonũ, & ideò magis ſpontè offert ille, quam iſte; magiſque meretur. Elicitur nè ex ſupradictis alia cauſa, quare Hieronymus magis mereatur, quam Ægydius? Sic. Quæ eſt illa? Quòd Hieronymus offert plura Deo, quàm Ægydius. Iſte nanque actum tantummodò offert, ille & actum, & potentiam. Alia nè eſt adhuc cauſa? Sic.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Quod Hieronymus offert Deo precioſius, quod habet, precioſius (inquam) & ſecundum intenſionem, & ſecundum extenſionem: Ægydius uerò non. Libertas enim eſt precioſior ſecundum ſe, quàm actus exterior ad ſacrificandum, & precioſior ſecundum extenſionem, cùm ad omnia fermè hominis gubernanda extendatur. Precioſius itaq; Hieronymus offert, quia & excellentiſſimum ſui, & totum quod poteſt offert: non ſic uerò Ægydius, & quia minus excellens offert, & quia partem tantùm eius, quod poteſt.

COROLLARIUM.

Euang. Aſſimilatur ergo Hieronymus uiduæ offerenti in gazophilatium, Ægydius uerò diuitibus illis, & alijs offerentibus. Nam ideò magis laudatur uidua illa de munere oblato, quia totum, quod potuit, Deo obtulit: iſti uerò non ſic laudantur, quia non totum, quod poterant, domino dabant. Nec miteris, quòd oblatio minor externa exteriorē laudationem à Chriſto maiorem meruerit; quoniam eam oblationem conſiderauit Chriſtus, ut uoluntatis effectum, non ſecundum ſe præcisè. Quomodo? Audi. Duo minuta ſecundum ſe conſiderata ſunt minoris ualoris, quàm duo aurei; at duo minuta conſiderata ſecundum reſpectum ad dantem poſſunt eſſe maioris. Tunc enim duo minuta dicunt totum, quod habet ille dans pauper, & conſequenter inferunt propè totam uoluntatem ad dandum: duo autem aurei tunc dicunt partem eius, quod habet offerens diues; & conſequenter minus deuotam uoluntatem important. Deuota namque uoluntas ea eſt; quæ exteriorem facit operationem facultate data, ut hinc ex Euangelio habetur, quod ex donatione exteriori infert uoluntatem magis, & minus deuotam. Hunc Euangelij locum benè notare contra hæreticos uoluntatem bonam uolentes aſtruere ſine operibus, etiam data facultate ad operandum; *Ex prædictis ergo habetur, quod uoluntas.* quantò maiorem facit extra operationem, uel minorem, tantò magis, uel minus, deuota nuncupatur. Vides namque, quòd Chriſtus ea ratione deuotiorem uiduam dixit, quia uoluntate deuotiori obtulit, & deuotiori uoluntate obtulit, quia totū, quod habebat Deo donauit. Totum (inquit) uictum ſuū dedit. Maius ergo donum reſpectu uoluntatis (ſic ſemper intellige prædicta) dantis infert, & deuotionem maiorem, & Deo gratiorem tam donationem, quàm donantem. Viduæ igitur rectè aſſimilauimus Hieronymum illum; Ægydium uerò diuitibus. Non mirum ergo; ſi Diuus Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. determinat, quòd opus minus abſolutè factum cum uoto eſt Deo gratius; & conſequenter maiorem operantis deuotionem continet, quàm opus abſolutè maius factum ſine uoto. Ratio enim huius ultra eam, quam ipſe optimè adducit (q. ſ. iā opus illud pertinet ad religionem, quæ omnibus alijs præſtat) eſt hæc, quam ex Euangelio habemus, quòd ſcilicet uouens etiam paruam rem offert Deo totum ſui, quod habet: dans autem etiam maximā rem non offert niſi partem eius, quod habet. Non itaque dicet, maiorem operationem abſolutè magis facere Deo gratum operantem; ſed maiorem reſpectu dantis, ſiue operantis. Hoc autem eſt; quia maior reſpectu operantis uoluntatem deuotiorem arguit. Et ſic de primo ad ultimum Deus magis penſat affectum, quàm cenſum; & ab affectu maiori, uel minori, infertur, quòd quis magis, uel minus in operando tale quid placet altiſſimo. Non mirum ergo ſi tantopere à Deo laudantur uouentes (dummodo faciant uota diſcreta, id eſt quæ adimplere poſſint, & periculo nō adimplendi, ex multitudine uotorum, non ſe exponant), dùm propter uota facta miraculum ſæpè facit Deus erga uouentem, quòd aliàs non faceret. Hoc enim, ſcilicet gratiarum poſtulatarum adimpletio ex uoto, non autem ſine uoto, ſignum manifeſtum eſt, quòd uota placent Deo, & quòd opera uotiua magis Deo placent, quàm opera non uotiua. Quātò enim magis de corde dederis Deo (ut dictum eſt), tantò magis te placere Deo, qui totum cor inquirit, neceſſum eſt. Hæc eſt ratio, quare opera uotiua ſic magnopere placeant altiſſimo: licèt namque (ut obiectioni tacitæ ſatisfiat) omnis bonus operans totum cor uno modò. i. quantum ad actum det Deo; bonus tamen operans ex uoto dat Deo totum cor duobus modis i. & quantum ad actum, & quantum ad potentiam, ut ſupra declarauimus. Quis autem non uideat, quòd dās totum cor duobus modis magis gratificatur illi, cui dat, quàm dās totum cor uno modo tantùm? Voluntas ergo Dei dicentis; Fili præbe mihi cor tuum, plus ſatisfacit uouens, quam non uouens. Iccircò non mirum, ſi Deus uouenti plura quotidiè donet, quàm non uouenti. Sic enim agendo, quid aliud facit Deus, niſi quòd ita nos uiſitat, ſicut eum colimus?

NOTATIO PRIMA.

Licet Hieronymum uouentem aſſimilauerimus uiduæ in Corollario præmiſſo, tamen illa aſſimilatio ſe habet in Hieronymo per modum exceſſus cuiuſdam. Hieronymus enim obtulit maximum donum, & ſecundum ſe conſideratum, & per reſpectum ad ipſum dantem; cum tamen uidua obtulerit maximum ex parte dantis ſolummodo conſideratum. Quid obtulit uidua? Duo minuta. Quid obtulit Hieronymus? Libertatem. Duo minuta ſecundum ſe conſiderata ſunt nè aliquid magnum? Non, imò ſic ſunt aliquid paruiſſimū. Libertas ſecundum ſe accepta eſt uè aliquid magnum? Imò tam magnum, ut ad ipſam nihil in humanis æquale reperias. Vide, ergo quantum ſit præ uidua laudandus Hieronymus. Si ergo Chriſtus laudauit uiduam, quia maximum reſpectu ſui obtulit; quantum, putas, laudaſſet illam, ſi etiam maximū ſecundum ſe obtuliſſet? Quòd ſi feciſſet, ut re uera feciſſet, nonnè per hoc Hieronymum plus, quàm uiduam, laudandū ab omnibus, notificaſſet? Qui ergo non laudat aliquē uouentem, contrarius eſt multum Chriſto, qui laudando uiduam, ipſum uouentem laude maiori dignum inſinuauit. Heu cæcitatem. Chriſtus laudat uiduam grande donum ex una tantùm parte Deo offerentem, & hæretici nolunt laudare grande donum ex duplici capite Deo exhibentem. Commendat Chriſtus uiduam dantem Deo totum cor una manu, & hæretici nolunt commendare dantem Deo totum cor duabus manibus. Parum dixi, nolunt commendare. Quid? Audent illum uituperare, uerbis lacerare, ac factis. Et ita cæcitati nimiæ nimiam temeritatem adiungunt. *Contra hæreticos.* Vnde monaſteriorum, conuentuum, fratrum, ſororum, presbyterorum, ac ſimilium deſtructiones ab hæreticis? Ab odio, quod contra uota, uouentesque, plus quam radicitus contraxerunt. Verè hi noui Euangeliſtæ ſunt, atque dicuntur; quoniam nouum, contra Chriſtum uiduam laudantem, Euangelium cudunt. Non mirum igitur, ſi Antichriſti à Ioanne in canonica prima uocantur; quandoquidem Chriſto, & id tam manifeſtè, contradicunt, nec uerbis tantùm, ſed & factis. Contradicere Chriſto uerbis conſtituit nè Antichriſtum? Ita. Ergo cōtradicere illi uerbis, ac factis conſtituit pluſquam Antichriſtum. Minus ergo dixit, & plus ſignificauit, dùm hæreticos Antichriſtos nominauit.

APPENDIX.

Ex Corollario ſupradicto, & concluſionis ratione habes, quòd hæretici deridentes uota derident honorem Dei, & dum uota perſequūtur honorem Dei maiorem perſequuntur. An inuident Deo iſti peſſimorum omnium peſſimi, quia tantùm ipſius honorem non poſſunt uidere ſuper terram? Verè ergo de ipſis per prophetam in Dei perſona dictum fuit; Odio habuerunt me gratis. Et dùm ſic odio habent Deum, nunquid non uides, quòd ſimul & hominibus gratiam Dei inuident? Per uota namque diximus non tantum, quòd Deus magis amari oſtenditur, ac honoratur; ſed quòd etiam plures quotidianæ gratiæ hominibus uouentibus, quam nō uouentibus conferuntur. Hi ergo ſunt ſicut ſcorpio, qui dum facie ſerena tibi appropinquat, eodem tempore tibi cum cauda uenenum parat. Veniunt iſti ad te ſerena facie, dùm quaſi tibi compatientes dicunt: Nos te ſeruire Deo gaudemus, ſed te ligamine quodam, ac ſi amoris exiſtas ſeruus, aſtringi ad illi ſeruiendum dolemus. Dolemus (inquiunt) pro tua ſalute, ac operū tuorum laudabilitate. *Apoſt.* Nam id, quod quis facit ligamine aſtrictus, parum laudabile eſt, parumque ad ſalutem proficit. Hilarem datorem (inquiunt) diligit Deus, non quaſi ex neceſſitate, aut ex triſtitia. Liberè igitur ſeruias altiſſimo ſine tot uotis. Deuotio namque maior in illo monſtratur, qui non obligatur ad aliquid faciendum, quod tamen facit, quàm in illo, qui obligatur ad hoc faciendum, & facit. Nonnè id apertiſſimum eſt, atque in horas nobis experimento conſtans? Vota igitur relinque, & Deo magis, utpotè magis liberè ſeruiens, gratus eris, atque commendabilis, ſalutique tuæ conſoles magis. Heu tu, quam ſerena eſt iſta ſcorpionum facies? quàm decora? quam tibi amica? Sed oculos tuos parumper ad horum caudam conijce, & quantum uenenum tibi per iſta parent, uidebis. Quid eſt ad caudam horum ſermonum hæreticalium reſpicere, niſi maturiori iudicio uſque ad intima iſtorum uerborum penetrare, & ipſorum ultima intelligere uelle? Cauda

enim

enim eſt ſcorpionis ultima pars, atque ideò ſibi intima, tibiq; inuiſa, niſi aquilino (qui profunda ſcrutantur in rebus) habueris oculos. Hoc modo teipſum non tantùm hic, ſed etiam ubique, circa omnes hæreticorum ſermones habere debes, ſi uis ab illorum ueneno cauere faciliter, atque immunis euadere. Eya age iſtorum uideas caudam hic, atque ad hanc normam alibi ſemper uidere, memoria teneas. Volumus (inquiunt) nos libere ſeruire Deo. Vbi cauda hic? Vide illam in ly Libere. Hoc ergo nomen profundius conſidera, atque ad ultimas, non ad ſuperficiales (ut uellent iſti) huius nominis intelligentias uigilanti ratione pertinge; & tunc caudam cœpiſti ſcorpionum iſtorum. Cùm caudam ceperis, nil amplius de ueneno timeas, quoniam non amplius ſcorpio caudæ iuæ, ſed tu ipſius dominus exiſtis. Si tu caudæ ſuæ dominus exiſtis, ipſa capta uenenum foras ex illa fortiter exprime, ne ulterius aliquos ſcorpio ille ueneno inficere poſſit. Sic ſancti Doctores fecerunt, caudas ſcorpionum acceperunt, dùm ipſa uenenum continentia uerba ſumpſerunt; uenenum expreſſerunt, dùm uerba illa uerò intellectu, falſo diſcreto, in igniretunt, uenenum ipſum fortiter ex caudis emiſerunt; dùm palàm omnibus fallacias hæreticorum ſub illis uerbis contentas fecerunt, atque ſic faciendo, & ſeipſos a ueneno illo immunes ſeruauerunt, & alios. Vbi igitur in illo ſupradicto iſtorum pronunciato eſt cauda, ut & tu Doctorum ſanctorum ueſtigia longe ſequi addiſcas? Eſt in ly Libere. Quare ly Libere, eſt cauda illorũ? Quia inter illa uerba hoc ſolum, ſcilicet libere, continet uenenũ. Iam cepiſti caudam, ſtringe modò, ut indè uenenum exprimas. Quomodo cauda illa ſtringitur? Conſideratione uigilanti, an ſ. plures habeat ſenſus uidendo, illoſque proſequendo. Hinc eſt, quòd hæretici partitiones nominum, atque uerborum, ſiue aliarum orationis partium, abhorrent, quia caudas ſuas tunc ſtringi ſentiunt. Ideò tunc, ut animalia bruta ſuis caudis calcatis, ad ſydera clamant, noſque catholicos tunc uocibus incuſant, necnon factis ſuam in nos uindictam moliuntur. Calca igitur, calca, ac benè ſtringe, nihil de illorum brutalibus clamoribus curans; quoniam in ſtringendo illas hominum ſalus, & ſcorpionum detrimentũ, conſiſtit. Vbi illa eſt, ut benè ſtringatur? En libere. Diuidatur ergo libere, & ſtricta eſt cauda ſcorpionis. Quomodo? Sic Libere eſt duplex, aliud cum ſeruitute alitur, aliud à ſeruitute fugatur. Hac calcatione adhibita, perge, & dic: Libertas, quę à ſeruitute fugatur, eſt illa, quę ſeruire creaturis propter ſeipſas, refugit. Nam poſito, quòd illis quis modo dicto ſeruiat, iam libertatem amittit. In ſeruitute illa libertas uiuere non poteſt, ſed ſtatim emoritur. Scis quare? Quia cor hominis tunc uileſcit, infra ſe deſcendit, de ſe erubeſcit. Cor enim hominis non nobilitatur, non eleuatur, non hilareſcit, niſi in ſuo fine; qui finis nulla creatura eſt, nec eſſe poteſt. Vide, quanta eſt dignitas cordis humani. Cùm igitur ſubijcitur (nam ſeruitus dicit ſubiectionem) illi rei, quæ non eſt ſuus finis, deterioratur; & conſequenter dignitatem ſuam, quæ libertas eſt, neceſſariò perdit. Hæc de libertate, quæ à ſeruitute occiditur, dicta ſint. Libertas autẽ, quæ cum ſeruitute alitur, eſt illa, quæ creatori, uel alij propter ipſum ſolum ſeruit. Poſito enim, quòd quis creatori, uel (ut præfertur) alijs ſeruiat, talis libertatem non amittit, ſed ipſam fouet. In ſeruitute iſta libertas, neque mori, neq; iacturam ſuſtinere ullo modo poteſt; imò extra ipſam, ut primum ſcilicet ſeruitutem hanc deſeruerit, ſtatim neceſſariò moritur. Scis quare? Quia cor hominis tunc adinuenit perfectionem ſuam, & ideò dignificatur, uireſcit, hilarẽ uultum facit, uitamq; floridiſſimam ducit, libertate propria gaudet, libertati quicquam contrarium non ſentit, ſupra ſe nobilitate conſcendit, & præ magna lætitia tantæ libertatis ſeipſum intra ſe continere non ualet. Quare tunc adinuenit perfectionem ſuam? Quia adinuenit finem ſuum. Finis cordis humani quis eſt? Subijci Deo. Quid modò eſt ſubijci Deo, niſi ipſi ſeruire? Quantò magis ergo aliquis ſubijcietur Deo, tantò magis ſeruiet ipſi Deo; & econtra, quantò ſcilicet magis ſeruiet Deo, tantò magis ſubijcietur Deo; ac propterea ſuum propriũ finem tanto magis conſequetur, ſuamque perfectionem; ac ideò tantò magis uitam liberam, gaudioſam, floridã, ac omnis ſeruilitatis libertati contrariæ expertem. Num incipit tibi (calcatione hac facta ſuper caudam ſcorpionis) apparere uenenum? Venenum erat periculo non noſcendi. Hoc uenenum abſcondebatur illa cauda, ſub nomine libertatis confusè acceptæ, ut minus uideretur eſſe uenenum, imò magis appareret eſſe antidotum, & conſequenter magis graſſaretur in populo. Calcata eſt cauda, uenenum apparere incœpit eſſe uenenum. Sed ut magis totaliter appareat, foras exprimatur è cauda. Quomodo uenenum è cauda foras exprimitur? Per applicationem diuiſionis factæ uerbi multiplicis. Audi. Materia, de qua loquebamur, erat ſeruire Deo; & ſimiliter argumentum hæreticorum zelare uidebatur pro ſeruicio Dei. Tu modò, ſi uis expreſsè cernere uenenum prius in cauda latens, applicando ly Libere ad ſeruire Deo dicas: Seruire Deo dicit ſubijci ſuo fini, ſubijci ſuo fini dicit recipere propriam perfectionem, recipere propriam perfectionem dicit recipere libertatem (nam propria hominis perfectio eſt eſſe liberum, ut ex eius diffinitione, quæ eſt animal rationale, patet. Nam potentiæ rationales, ſecundum philoſophum, poſſunt in oppoſita, ideſt ſunt liberæ). ergo ſeruire Deo facit libertatem, non deſtruit. Tunc ultra pergens magis extrahe uenenum; & dic: Si ſeruire Deo facit libertatem; ergo magis ſeruire, maiorem libertatem. Tunc adhuc. Si ſeruire magis Deo facit maiorem libertatem; ergo magis ſubijci Deo, maiorem, cum ſeruire alicui, & ſubijci ipſi, idem ſint. Tunc amplius. Si magis ſubijci Deo facit maiorem libertatem; ergo magis ligari propter Deum facit libertatem maiorem, cum eſſe ligatum propter aliquem, & eſſe ſubiectum ipſi, conuertantur. Tunc ultimò. Si magis ligari propter Deum cauſat maiorem libertatem; ergo uouere Deo cauſat maiorem libertatem, cum uouere Deo nil aliud ſit, quàm ligari propter Deum, ad aliquid ſ. agendum. Ecce expreſſio ueneni. Tu enim cernis apertiſſimè, quòd per hanc ſuaſionem ſic benè concinnatam hæreticus tibi, & omnibus, minuere uolebat libertatem, id quod maximum eſt hominis uenenum. Hinc, expreſſo taliter ueneno, cõſpicis apertiſſimè, quòd hæreticus unum prętendebat in ore, & aliud moliebatur in corde; quòd faciem (hoc eſt os, quia uidetur) ſerenam tibi oſtendebat, & de cauda (hoc eſt cor, quia minus uidetur) te ueneno inficere uolebat; quòd ueniebat in ueſtimentis (hoc eſt os; quia, ſicut & ueſtimenta uidentur) ouium, intrinſecus autem (hoc eſt cor; quia, ſicut intrinſecum, non uidetur) erat lupus rapax. Hinc cernis conſequenter, quòd hæreticus erat mendax; cùm ori cor geſtaret contrarium. ergo, quod erat in illo argumento filius diaboli; ergo quòd argumentum illius erat argumentum diabolicum; ergo quòd non pro Deo, ſed contra Deum, illo argumento zelabat; ergo quòd non pro tua ſalute, ſed contra tuam ſalutem, illo argumento agebat; ergo quòd hæreticus erat tibi in illo argumento capitalis inimicus; ergo quòd illud argumentum erat tibi propinatorium mortis; ergo quòd illud argumentum erat uenenoſum. Ecce expreſſiſti uenenum foras è cauda, quia omnes ſupradictæ deductiones, & applicationes, proceſſerunt ex hoc, quòd tu ly Libere ſecueras. Ex illa à te facta expreſſione, quid ſequitur? Maximum tui emolumentum, ac aliorum, maximumque hæretici diſpendium. Emolumentum tui, ac aliorum, eſt fugere ab hæretico, uitare pro tuo ſupremo poſſe hæreticum, omnia hæretici uerba habere de ſubitanea morte ſuſpecta, imò certa, imò certiſſima. Ab uno diſce omnes, inquiebat Sinon ille de græcis, & tu de omnibus hæreticorum ſermonibus, ab uno diſce omnes. Vnum audiſti ſupra hæreticorum ſermonem; audiſti, uidiſti, examinaſti; & quid per illum hæreticus intenderet, optimè percepiſti. Ab uno ergo diſce omnes. Quis modò a tàm graui hoſte non fugiat? Quis tàm atrocem inimicum pro ſuis uiribus non euitet? Quis tam capitalis inimici, uel unum uerbulum quantumcunque ſorte mellitum de improuiſa morte ſuſpectum, imò certum, imò certiſſimum, non timeat? Maximum ergo emolumentum tibi, aliiſque, feciſti, dùm caudam illam ſic calcaſti, & ex illa calcata uenenum foras expreſſiſti. Maximum, & diſpendium tuo hæretico attuliſti; quoniam ab ipſo turbam ſectatorum intercepiſti, & ipſum pro impio falſatio uerborum ſanorum demonſtraſti.

NOTATIO.

De uotis propter timorem factis ſcito idem iudicium, quod ſupra de uotis ex amore totali factis decreuimus, proportionaliter uerificari. Proportionaliter inquam, quoniã pariformiter idem iudicium non habent. Quis enim dicat timorem æquè amoremq; ualere apud Deum? Nullus. Sed quia timor ille amorem deindè ad uouendum inducit; ideò uota per timorem huiuſ. facta prædicti iudicij ſunt participatiua. Quamuis enim timeat febricitans de grauiori dãno, & ex timore inducatur ad uouendum; tamen liberè uouet, quia non niſi uoluntariè uouet. Verum quidem eſt, hoc uoluntarium eſſe uoluntarium mixtum; ſed tamen ex hoc non deſinit eſſe uoluntarium. Voluntarium ſanè purum magis uolun

tarium erit, ſed propter hoc mixtum nunquid inuoluntarium erit? Non; ſed minus uoluntarium, quam purum. Non dico minus uoluntarium, quam inuoluntarium, ſed minus uoluntarium, quam uoluntarium purum. Nam uoluntaria mixta magis habent de uoluntario, quam de inuoluntario, quoniá dicuntur uoluntaria ſimpliciter, & inuoluntaria ſecundum quid, ut patet ex D. Thom. 1. 2. q. 6. ar. 6. Exemplum eſt de proijciente merces in mare ex timore tempeſtatis. *Exempl.* Si ergo talis proijciens magis uoluntarius, quam inuoluntarius iudicatur in proijciendo, & talis proiectio magis uoluntaria dicitur, quam inuoluntaria, utique uouens ex timore multò magis dicetur uoluntarius, quàm inuoluntarius in uouendo, & uotum illud multò magis uoluntarium, quam inuoluntarium nuncupabitur. Multò magis, dixi, quoniam in proiectione mercium fit aliquid, quod de ſe uoluntati abſolutæ repugnat (nullus enim non compulſus, uellet proijcere merces ſuas in mare); in uoto autem illo fit aliquid, quod de ſe uoluntati abſolutæ non repugnat. Multi nanque optimi, etiam non timore compulſi, uolút uouere, ac uouent. Cùm igitur in proijciente detur timor præcedens, repugnantiaque ad actionem ſubſequens, & in uouente detur timor præcedens, ſed non repugnantia ſubſequens, patet, quòd uoluntas uouẽtis minus impeditur ad liberè uolendũ uotum, quam proijcientis ad liberè uolendum proiectionem. Stante igitur (ut uerum eſt), quòd uterque liberè magis, quam non liberè agat; ſtat & hoc, quòd uouens magis liberè, quam proijciens agit; & conſequenter quòd multò magis uoluntarium (ut probãdum erat) in illo, quàm in iſto eſt. Multum ergo uoluntariè mouetur ad terminandum ſuum uotum, qui ex timore in principio mouetur ad cogitandum de uoto emittẽdo. Quòd ſi uoluntariè multùm, ergo liberè multum. Laudanda ſunt ergo huiuſmodi uota, magiſque laudanda ex uotis talibus opera facta, q̃ ſine uotis huiuſmodi. Licèt.n. à primis uotis totaliter uoluntarijs, ſeu totaliter ob uirtutis amorẽ factis, iſta uota deficiant; tamen propter eandem circa illa dictam rationem proportionaliter intellectam, uota iſta proculdubio ſuperant opera non uotiua. Qui uerò damnant totaliter uouentes facto ſuo, uolunt de Euangelio auferre illud monitũ: Compelle intrare. Né igitur attrita fronte in Euangelium mutilandum inſurgamus, uota præmiſſa approbemus, oportet. Tales nanque ad emittendum uotum, & conſequenter ad faciẽdum ualdè bonum, compelluntur, dùm à timore mortis, aut prolixæ infirmitatis, aut grauis belli, aut ignominiæ, alteriuſvè periculi, ad uouendum aguntur. Quos ergo dominus, per ly Cõpelle intrare, in domum nuptiarum ſuarum recipit, nullus eos è domo temerariè depellat. Quos Chriſtus, per illud uerbũ, uouentes approbat quomodo chriſtiani erũt unq̃ dicendi, & non potius antichriſtiani, qui illos uouentes uituperant, conuitijs inſequuntur, ac reprobatos affirmãt? Huiuſmodi ſunt Euangelici noſtri moderni, nouum.ſ. Euangelium cum pſeudoapoſtolis à D. Paulo ſic ad Galatas taxatis nouis ipſorum ſenſibus per extorſionem adinuentis introducere contendentes.

¶Ergo de utriſque uouẽtibus dictum intelligas hic in textu a Deo ly Vota ſoluentes. Cùm enim abſolutè, nulla diſtinctione facta, faciat mentionem de uota ſoluentibus, & uota ſoluentes duplici ſint in diſcrimine (ut iam dictũ eſt), patet, quòd de utriſque loquutum ſe uoluit intelligi. Is nanq; totũ dixiſſe dr̃, qui de toto uerba faciẽs nihil excluſit. Ergo timor quandoq; eſt initium amoris, ut apparet in uoto per timorẽ inchoato, & per amorem emiſſo. En timor in amorẽ exiens.

¶Applica ad ly (Pſ.) Vouete, & reddite &c. Vel ad ly (Euãgelium) Cõpelle intrare. Vel uniuerſaliter ad aliquid de uoto memoriam faciens.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc. 1. cap. 15. facit contra Lãpetianorum, Lutheriq; errores de uoto perpetuo, quaſi ad ſui obſeruationem non obliget, ſentientium, quos cum propria eorum reprobatione uide ſuprà Gen. 31. con. 3. & Leuit. 27. con. 1. Item in Elucid. Addi. ar. num. 212. Et Elucid. pri. par. q. 82. ar. 1. Damnantur, & per conſequens iſta concluſio confirmatur, à Deutet. 23. Cum uotum uoueris Domino Deo tuo, nõ tardabis reddere; quia requiret illud dominus Deus tuus. Et, ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis, & facies, ſicut promiſiſti domino Deo tuo, & propria uoluntate, & ore tuo locutus es. Item Numer. 30. Si quis uirorum uotum Domino uouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciat irritum uerbum ſuũ; ſed omne, quod promiſit, implebit.

FEceritis oblationem domino &c. in odorem ſuauitatis &c. in oblationem ſuauiſſimi odoris domino. *Text.*

Concl. 2. *Poſt pœnitentiam dignè peractam Deus peccatores non ſpernit; ſed in gratiam priſtinam recipit.* [Ex eo.]

POSSET quis inquirere, cur Deus, cum in Leuitico ad longum ſatis de ſacrificijs offerendis tradiderit, nunc eorundem mentionem repetat; & ideò concluſio præſens, tanquam huic quæſtioni ſatiſfactura poſita eſt. *Ratio.* Vidimus Deum in precedenti capitulo uehementiſſimè iratum ita, ut patres ad unũ (demptis duobus) ſe occiſſurum promiſſerit: & filios propter patrum delictis pęnas in deſertos ſubituros per annos quadraginta. Vt ergo oſtendat, quod poſt illam filiorum pœnitentiã illos in gratiam priſtinam, in qua patres erant, recepturus eſſet; ideò de ſacrificijs commemorat. Non eſt itaque nugatoria hęc repetitio; quoniam ob aliam rationem, quę iam dicta eſt per concluſionem, fit ab illa, propter quam de ſacrificijs, primo meminit. In ſignum autem, ꝙ propter aliam rationẽ iſta dicãtur, uide, ꝙ non omnia repetit, quæ de ſacrificijs tradita erant, ſed quędam tantummodo. Quaſi dicat: Sub illis paucis etiam alia omnia intelligito, quæ ideò non replico, quia iſta pauca ſufficiunt ad inferendum propoſitum intentum. Sufficiunt nanque ad monſtrandum, quod Deus homines poſt condignam pœnitentiam in gratiam primam recipit; quoniam hic dicitur, ꝙ filiorum poſt ingreſſorum terrá promiſſionis ſacrificia erunt in odorem ſuauiſſimum domino. In odorem; ergo grata; ſuauitatis. i. ſuauiſſimi odoris; ergo gratiſſima; ergo modo, quo prius, grata. Nam ſuper gradum ſuperlatiuum nullus datur gradus altior: ex conſequẽti ſi gratiſſima poſt condignam pœnitentiam erunt, priora ſacrificia ante peccatum non erant gratiora. Eandem, ergo, idest æqualem, gratiam peccatore acquirere poteſt poſt, pœnitentiam de peccato, quam, ſeu quantam, habuerat ante peccatum.

APPENDIX.

HINC habes, quòd illi meritò damnati fuerunt ab Eccleſia, qui hæreticos poſt condignam pœnitentiam ad eoſdem honores recipi non debere dogmatizabant. Si enim Deus illos peccatores ad eandem gratiam recipit, eoſdẽque honores (puta ad ſacrificia offerenda); & Dei Eccleſiam peccatores ſimiliter recipere debere, cõſequens eſt. Quare aũt nõ niſi poſt primam uicem ſic recipiat hæreticos, eſt, non quia non uelit imitari Deum, ſed quia, eo ꝙ corda hæreticorum lapſorum denuo non proſpicit imitari ipſum ad plenum nequit, ut habes. 2. 2. q. 11. ar. 4. Secundò habes, quòd pœnam temporalem dare quidem uult Deus filijs propter parentum ſuorum peccata, ad ſpiritualem minimè. Licèt enim propter ipſorũ peccata filios uoluerit quadraginta annis affligere in deſerto, non tamen ob eorundem peccata uoluit filios in ſacrificiorum oblatione punire. Tunc autem eos ita puniſſet, ſi ſacrificia illa filiorum poſt parentum delicta minus grata ſe habiturum dixiſſet. Cuius tamen contrarium hic fatetur. Tertiò conſequenter habes, quòd Deus maximè nos patronos fecit animarum noſtrarum. Adeò nanque patroni liberi ſumus illarum, ut in illius nullam iacturam pati poſſimus, niſi uelimus. Abſque uoluntate quidem noſtra pœnas corporeas ſuſtinere ut plurimum cogimur; at ſine uoluntate noſtra nullam animæ tribulationem pati nos, poſſibile eſt. Peccarunt parentes, peccarunt cognati, peccarunt affines, atque conſanguinei alicuius, iſte in corpore quidẽ pœnam ſuorum quãdoque ſuſtinebit, etiam quod peccatis illorum nullo modo conſenſerit; ſed in anima, nullo conſenſu adhibito, punietur nunquam. Quoad ſalutem corporalem, inquam, diſpẽdium patietur nolens; quoad ſpiritualem verò ſalutem nullum, ipſo nolente patietur damnum. En. Iſti, propter ſcelera magna patrum, quoad ſalutem ſpiritus, paſſi nẽ ſunt aliquid,

uel rei minimæ? Non. Alioquin Deus iſtorum ſacrificia ſe in odore ſuauitatis, ſeu in oblationē ſuauiſſimi odoris, acceptaturum non diceret, ex quo patres illorum tàm odibiles Deo fuerūt: quid dicam? Totum antecedēs capitulum perquire, & nullam filijs à Deo irato ſpiritualem pœnam ob patrum iniquitatem illatam, uel inferendam, inuenies. Nonne igitur hinc edoctus ſtultos dices eos, qui poſtpoſita Dei gratia diuitias, honores, aut alia quęrent ſimilia? In omnibus naque prędictis damnum aliquod pati, uolentibus eis, poſſunt, id quod in gratia Dei reperiri, impoſſibile eſt. Quærere igitur illa, quorum nūquam ad uotum noſtrum patroni eſſe poſſumus; & illa minus quęrere, quorum liberi ſecundum noſtrum uelle patroni eſſe ualemus, quis non uideat, magnam eſſe ſtultitiam? Quot filios peccata parentum diuitijs, habitatione cōmoda, honoribus &c. priuarunt, etiam quòd filij innocētes forent? Videmus hic iſtorum iudæorum natos diuitijs, honoribus, habitationeq; cōmoda (quę omnia in terra ꝓmiſſionis habuiſſent) priuari per annos quadraginta propter patrū iniqua facinora. Quot filios gratiam Dei amiſiſſe propter defectum anteceſſorum ſuorum, uel in Dei gratia aliquid, ob huiuſmodi paſſos fuiſſe incommodi legis? Nullum. Cernimus hic, malignorum iudæorum filios ſacrificia gratiſſima Deo oblaturos; quod unque non fuiſſet, ſi peccata patrum ſuorū ſpiritualiter ſentire debuiſſent. Libertimā ergo nobis Deus fecit ſalutē ſpiritualē, & ita, ut nullus nobis in illa, uel in modico, nocere poſſit, niſi uelimus. Arcanū hoc intellexit Pſalmiſta, quādo ſecurus aiebat: Si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala. Et quis eſt, qui ambulat in medio umbræ mortis? Qui parentes, cognatos, & circuncirca ſe poſitos habet in peccato iacētes. Talis non timet mala, quia propter illorum omnium uniuerſa delicta nullam circa ſpiritus ſalutem pœnam expectat, imò certiſſimus eſt, quòd nullam huiuſmodi pœnam pro mitus mundi peccatis (mō innocens ipſe ſit) patietur unquam. Ideircò, quaſi interrogatus de tanta ſecuritate Pſalmiſta addit rationem ſecuritatis prædictæ inquiens: Quoniā tu mecum es, i. quoniam ego peccatis illorum, in quorum medio ambulo, dono tuæ gratiæ non ſum maculatus.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

Dicta Concluſio 2. cap. 15 tanquam in radice, & à fortiori, deſtruit hæreſim Nouati docentis, quòd in peccatum prolapſi, non ad pœnitentiam, ſed ad diaboli prædam admittendi ſunt. Si enim Deus (ut hic patet) poſt pœnitentiam dignè peractam recipit in priſtinā ſuam gratiam peccatores, conſtat, tanquam in præuia radice & à fortiori, quòd ipſe admittit eos ad pœnitentiam. Quòd ſi Deus ſic fecit, debet Eccleſia Dei ad exemplum ipſius, admittere in peccatum prolapſos ad pœnitentiam, imò, & cum uidere expedire, ad priſtinam dignitatem. Damnatam hanc hæreſim, & per conſequens concluſionem præſentem confirmatam, uide &c. in Eluaid pri. par. ar. num. 25 5. & Elucida. addi. num. 160. & ſuprà Gene. 45. con. 1. & cap. 4. con. 17. Damnarunt eandem, ideòque concluſionē firmarūt, Papa & martyr S. Fabianus (ut patet in uitis Rom. Pontificum), & plura concilia factis etiam ipſis, quæ non tantum æqualent, ſed & præſtant, uerbis. Concilium enim Chalcedonenſe action. 8. Theodoretum iam ab epiſcopatu ob hæreſim depoſitū, poſtquam eundem inſtantiſſimè de ipſius fide circa perſonam incarnati Verbi, & B. Virginis Maternitatē interrogaſſet, ipſumque ad bonam mentem rediſſe probaſſet, reſtituit ad honorem priſtinum, ſecundum quod ibi legitur in hæc uerba. Reuerēdiſſimi Epiſcopi clamauerunt. Theodoretus modò anathematizet Neſtorium &c. Quod cum dixiſſet, omnes Epiſcopi clamauerunt. Theodoretus dignus eſt ſede Eccleſiæ, orthodoxum paſtorem, orthodoxum doctorem Eccleſia recipiat. Hæc ibi. Concilium Nicenum 2. in action. 1. ſic habet. Venerūt in Concilium tres Epiſcopi ex conciliabulo Epheſino 2. in quo damnatæ fuerant imagines, reſipiſcentes, & attulerant libellos confeſſionis ſuæ, ex Chryſoſtomo & ex Baſilio in oratione in 40. martyres, probantes uenerationem imaginum, & cinerum ſanctorum martyrum. Quos benignè excepit Sancta Synodus, etiam reſtituens eis ſuis ſedibus, in quibus continuo iuſſi ſunt reſidere. Hæc ibi. Ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſ. 7. ſic habetur. Leguntur litteræ ſubſcriptę per Bernardinum Carauaial, & Federicum de Sancto Seuerino olim Cardinales, ſuper materia abiurationis ſchiſmatis, & unionis Eccleſiæ, & confeſſionis errorum ipſorum, & petitionis ueniæ propter ſuſcitatum ab illis ſchiſma &c. Qui poſt paucos dies in palatio Apoſtolico priſtinæ dignitati ſunt reſtituti in conſiſtorio ſecreto, poſt ſolemnem abiurationem ſchiſmatis ad palatium uenientes tanq̄ priuati clerici, & ante pedes Papæ abiurato ſchiſmate alta, & intelligibili uoce. Hæc ibi. Ecce, quòd non tantum in quodcunque peccatum prolapſi; ſed & in hæreſim, ac ſchiſma, admittūtur ad pœnitentiam, inſuperque poſt ipſam dignè factā (conformiter concluſioni) ad priſtinas dignitates.

Cum ingreſſi fueritis terram habitationis ueſtræ, quam ego dabo uobis &c. addentes odorem ſuauitatis Domino. *Text.*

Concl. 3. *Quando Deus nos ex una parte affligit, ex alia nos conſolatur.* [Ex eo.]

Deus quare nunc de ſacrificijs commemorat, poſt præcedens immediatè capitulum? Id facit ad præſens documentū nobis innuendum. In præmiſſo capitulo quid fecit Deus? *Ratio.* Filios Iſrael multum afflixerat tum ex eo, quòd illis patres eorum ſe per mortem ablaturum comminatus fuerat, tum ex eo, quòd filios ipſos progreſſuros quadraginta annis adhùc per deſertum ſtatuerat. Prima fuit afflictio grandis ualdè, cum filius naturaliter amet intensè patrem ſuum; & conſequenter naturaliter intensè doleat de morte illius, maximè ſi moriatur in ſolitudine, & extra patriā, & nondum adepto deſiderio ſuo uehementi. Modò patres horum morte ablati ſunt ab iſtis & in deſerto; & conſequenter extra ſuam patriā; & conſequenter nondum habita terra cuius adipiſcendę deſiderio tāta diſcrimina multarum rerum ſæpè ſuſtinuerant. Secunda nihilominus afflictio fuit grandis. Nam præ itineris labore ſi iam (ſupra 11.) murmurauerāt hebręi, quantum putas addi laborem iſtis filijs, quādo his adhuc itineris anni quadraginta prorogantur? Dolebant de itinere paucorum dierum, & iter ipſis in ipſorum filijs multorum annorum adiungitur. Ecce q̄ ille, qui fugit unā crucē, inuenit duas cruces. Fugere. n. uolebant iſtam crucē. ſ. itinerādi tādiù in deſerto (ideo nanque murmurabant, quia hmōi iter finiri cupiebant) & factum eſt indè (quia ſcilicet tentauerunt me per 10. uices. In his enim uicibus hęc murmuratio una fuit,) ut multiplices cruces, ſcilicet pluri admodum tempore itinerando, inuenerint. Poſt duplicē iam dictam afflictionē datam filijs iſtis, quid fecit Deus? Duplicem & conſolationē illis promiſit. Prima eſt, quòd iterato daturum ſe iſtis terram optimam pollicetur. Nequid enim hāc toties promiſſam nunc denuo polliceretur, niſi ad ſubleuandum corda afflictorum? Secunda eſt, quòd ſe iſtorum ſacrificia libentiſſime acceptaturum notificauit, & hoc magna fuit afflictis conſolatio, quòd in dicam regis regum gratiam futuri eſſent. En quo modo Deus ſimul conſolatur eos, quos affligit. Hoc autem quare faciat, audi.

APPENDIX.

Hinc habes primò, magnā Dei eſſe miſericordiā ſuper afflictos. Niſi. n. miſericordia magna moueretur ſuper illos, ipſos afflictionē habere ſine cōſolationis admixtione permitteret. Cōſolationem ergo admiſcet afflictis, ut cognoſcant, ſe à Deo puniri miſericorditer; ut cognoſcant, Deum punire ad modum patris, non inuidentis; ut de afflictione ſui Deo gratias, uelut bono patri, referant; ut etiā de admixta conſolatione gratos Deo ſe exhibeant; ut in utraque parte ſemper in gratiarum actione uerſentur. Cōſolationem quoque afflictis admiſcet Deus ad inſtar medici, ut afflictionē portare ualeant, & non præ magnitudine illam abijciant. Vidiſtin, medicum inaurare pillulas, poſt medicinam mordēdum pomum, ſiue dulce quippiam, tradere infirmo, tempore medicinæ animum bonum verbis de ſanitate ſecutura plenis adijcere ægroto? Eya. Cur inaurat pillulas medicus? Vt infirmus eas melius ſumere ualeat, & ſine grandi horrore. Ad hunc finem & medicinam in uaſe groſſo (puta æreo, argenteo) non tranſparenti (puta uitreo) infirmo propinat. Cur

dulce aliquod ori ægrotantis poſt medicinam admouet? Nè illam iam ſumptam infirmus abijciat è ſtomacho ſuo; ſed ut a dulci illo aliquantulum temperatam illam retineat. Cur uerbis ſanitatem ſecuturam ſonantibus, tempore medicinæ præſertim, utitur medicus ad ægrotum? Vt medicinam ſuſcepturi bonum ſtomachum cauſet infirmo: omnia uerò hæc propter ſanitatem infirmo donandam efficit medicus. Aufer iſtud de ſanitate præmiſſa deſiderium à medico: iam ipſe aut medicinam pro infirmo non ordinabit, aut ordinatam utrum infirmus eam recipiat, non curabit; & ſic ab omnibus illis blandis, quas diximus, captiunculis uerſus infirmū abſtinebit. Ad finem ſimilem mouetur Deus, quando conſolationes afflicto immiſcet. Quid afflictio? Amara pillula; amara medicina. Quid miſericordia, ſeu conſolatio admixta? Pillularum inauratio, uas quoddam groſſum, nè abhorreas medicinam uiſam; uerba medici ubi animum bonum adijcientia. Cur conſolationes igitur miſcet Deus? Vt afflictionem melius, id eſt nō cum tanto horrore acceptemus. Nè illam præ deſperatione à nobis quantum ad nos attinet, reijciamus; ut eam forti ſtomacho bibamus, eandemque; quantum ſufficit, retineamus. Hæc ergo ſolamina dat Deus afflictis, ut ad ſalutem peruenire ualeant; & conſequenter nè medicinam in uanum ſumant. Tunc autem illam in uanum ſumerent, ſi per illam non reciperent ſanitatem. Deſiderium igitur, quod habet Deus erga ſalutem noſtram, facit, ut nobis & medicinam afflictiuam & aliquid ſimul conſolatorium propinet: quod ſi iſtud Deo deſiderium non ineſſet, tunc nobis infirmantibus afflictionem in præſentiarū non daret; aut ſi daret illam, ut ad ſalutem noſtram ipſam biberemus, non efficeret. Cū ergo impoſſibile ſit, huiuſcemodi deſiderium à Deo (quantum eſt ex Dei parte) auferri, impoſſibile eſt, quòd afflictis ſuis fidelibus conſolationem non admiſceat. Hinc Apoſtolus nos afflictos alloquens dicebat: Fidelis Deus, qui non patietur uos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut poſſitis ſuſtinere. Admiſcet ergo conſolationes afflictioni, ut ſuſtinere afflictionem poſſimus, & conſequenter, ut afflictio nobis proueniat ad ſalutem. Iſta autem admixtio ex fidelitate Dei (iuxta Apoſtoli præmiſſam auctoritatem) promanat, qua ſcilicet Deus, ſe creaturæ ſuæ amatorem, & conſequenter ſalutis eius deſideratorē, negare nō poteſt. Iſta eſt miſericordia de qua loquebatur Propheta dicens: Sperantes autem in do-
2 mino miſericordia circundabit. Secundò habes, q̄ Deus maiorem miſericordiā tribuit iudæis iſtis poſt, quā afflictionem antè. Duplex afflictio præmiſſa duplici conſolationi præmiſſæ, & conſequenter ſuo tempore exhibitę, conferatur, & quod dicimus, apparebit. Afflixit filios iſtos per laborem quadragenarium, & poſt laborem illum itineris terram ipſis optimam habitandam, ueluti eorum propriam dedit. Quem laborem non expetijſſet talis terra; ut in poſſeſſionē laboranti traderetur? Maiorem utique laborem, ſi de condigno tantū, nō adiuncta miſericordia, terra ipſa poſſidenda exhiberetur. At condignitas tn̄ nudi laboris non attendebatur; ſed laboris obedientia ſancta ueſtiti. Quòd autem libenter, cęteriſque ad eam conditionibus requiſitis concomitantibus, obedientiam huiuſcemodi uerſus Deum exequerentur; ex magna miſericordia diuina eis donatū eſt. Quo facto quid ſignificatum fuit, niſi modus, quo ad cœlum poſſidendum ueniamus? Vide. Erat promiſſa terra millies; ad eam tamen obtinendam labor multus præuius requiritur, q labor, licèt ſit magnus, de condignitate tamen ſua pręciſè nō attingit terrā; niſi miſericordia Dei, gratiā obediendi donante, adiuncta. Quando igitur coronat in nobis merita noſtra, coronat dona ſua; ſicut quando coronauit ſeu compleuit (quod idem eſt) iſtorum iudæorum labores in eis, coronauit ſuas in eis largitiones. Conſolatio itaque maior correſpondet afflictioni minori. Alia afflictio iſtorum filiorum fuit; quòd per mortem patres eis ablati fuerunt. Nunquid non maior iſti afflictioni appoſita fuit conſolatio? Vtique. Nam Deus loco patrum amiſſorum ſeſe illis in patrem benignisſimum offert. Audi quid dicat. Cum feceritis oblationem, &c. ſuauiſſimi odoris domino; id eſt ego gratiſſimas habebo ueſtras oblationes. Si ſic, ergo ego habebo uos gratiſſimos. Si ſic, ergo ego ero uobis ſpecialis pater. Quis. n. aliquos pro gratiſſimis habet ad æqualitatem patris? Huius negatiuam affirmare uoluit Apoſtolus per uerba iſta: Si decem millia pedagogorum habeatis, ſed non multos patres. Quid enim præmiſerat Apoſtolus tunc? Quòd ipſos tāquā filios chariſſimos, monebat. Ergo uoluit, ſubſequentia uerba, quæ iam dicta ſunt, probationem eſſe, quòd aliquem habere gratiſſimum alium infert, quòd ille aliquis eſt ueluti bonus pater iſtius alterius. Deus igitur, cum in locum patrum occiſorum ſucceſſurum ſe promittat iſtis filijs in benignisſimum patrem (ut qui non auertat faciem ſuam ab illorum ſacrificijs; ſed eam ad illa maximè conuertat) utiq; conſolationem maiorem deſolationi minori condonat. Proprium igitur Dei eſt miſereri ſemper, in quantùm, ſi paſſiones Chriſti abundant in nobis (quod aiebat Apoſtolus) ſuperabundant in nobis per Chriſtum conſolationes. Tertiò 3
habes, quòd Propheta minus dixit, & plus ſignificauit ibi: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo cōſolationes tuæ lætificauerunt animam meam; & ibi: Cum ceciderit non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuā; & in ſimilibus locis. Quaſi diceret ex perſona iſtorum iudæorum. Multitudo dolorum duorum erat in corde noſtro, & conſolationes duæ maiores lætificauerunt nos. Quare maiores? Quia lætificauerunt animam, dolores autem erant in corde. Nonnè anima eſt maior, melior, nobis charior, & intimior, quàm cor? Vtique. Conſolationes ergo, quoniam ad animam peruenerunt, fuerunt & maiores, & meliores, & nobis chariores, & fortiores, in lætificando, quam dolores in contriſtando nos. In ſecunda prophetica auctoritate præmiſſa, nunquid non idem cernis? Supponit enim manum dominus conſolando. Ceciderant iſti iudæi in mæſtitiam, quia (ut dicitur capitulo 14.) bis à Moyſe afflictionibus ſibi inſtantibus auditis, luxit populus nimis; ſed non ſunt colliſi, id eſt per illam triſtitiam abſorpti. Quare non etiam colliſi? Quia dominus ſuppoſuit manum ſuam, conſolationem ſcilicet (in cap. 15.) eis promittendo.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Beati pauperes; quoniam ueſtrum eſt regnum Dei. Per pauperes intellige afflictos duobus illis modis. Sunt enim pauperes, & per carentiam cō̄moditatum corporalium (hoc denotatur per ambulare iſtorum in deſerto,) & per carentiam amicorum ferè omnium (hoc nominatur per amiſſionem iſtam patrum ſuorum.) Per regnum Dei, intellige poſſeſſionem illius terræ, tanquam propriæ, & adimpletionem omnium deſideriorum. Horū prius hic notatur per ingreſſionem ad terram habitandam; poſterius uerò per hoc, quòd oblationes ſunt in odorem ſuauiſſimum domino. Nonnè hoc dicit adimpletionem uotorum offerentium? Vel ad ly &c.

DE pulmentis dabitis primitiua domino. Tam.

Conclu. 4. *Qui comeſturus aliquid non benedicit prius, domino peccat.*

CIBORUM ſuorum dare primitiua domino figura fuit, quòd Deus uult recognoſci à nobis antequam cibos noſtros comedamus. Hoc autem quid eſt, niſi benedicere Deo prius de cibis ſumendis, ſeu (ut aiunt) benedicere menſæ? Ecce, cō̄ſuetudo iſta laudabilis antiquis in figura mandata, & approbata; cuiuſque contrarium prohibitum, & per caſtigationē reprobatum. Quare dicebantur primitiua? Quia debebat dari prius, & antequam comedas benedictio, & non tantum poſt comeſtionem beneficij recognitio. Quòd talis peccet, niſi primitiua ciborum modo dicto Domino offerat patet per textum poſt multa dicentem ly Culpa eſt per ignorantiam, & ly Offeret pro peccato ſuo, & ly quòd inſcia peccauerit coram Domino. Leuit.

NOTATIO.

A Simili patet, quòd de omnibus, & in omnibus rebus primitiua Deo offerre debemus, id eſt gratias ei referre, hoc eſt ei benedicere; & quidem ante omnia. Vnde id ſignificans Apoſtolus nos monebat dicens: In omnibus gratias agite; & Primum quidem gratias ago. Quòd uult, nos gratias Deo de omnibus agere, uult nos offerre aliquid de cunctis rebus noſtris Deo; quòd autem uult, nos primùm gratias illas agere, uult illud aliquid eſſe primitiuum. Reddiderunt ergo primitias de omnibus rebus fideles antiqui Deo, & hoc mandatum etiam nos modo noſtro dicto, qui tunc in illa cęremonia figuratus eſt, Deo primitias de omnibus offerre tenemur: alioquin peccamus, iuxta ſupradicta.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Panem, & benedixit. Nū quid Chriſtus inuenitur comediſſe, aut comeſtionem conceſſiſſa

ceſſiſſe alicui, ſine præmia gratiarum actione. Quare? Quia is qui in antiqua lege mandauerat de ciborum primitiis offerendis, mandatum obſeruabat; & conſequenter, quomodo illud antiquum præceptum in noua lege intelligẽdum quoad obſeruationem eſſet, oſtendebat. Hoc modo dicitur Chriſtus factus nobis iuſtitia; quia uiam iuſtitiæ nobis in omnibus, & uerbis, & factis demonſtrauit. Vel ad ly.

NOTATIO TEXTVS PRIMA.

IN texta dicitur, quòd culpa populi fuit per ignorantiam; & tamen quòd non ſponte peccauerunt. Cum itaque omnis culpa, niſi ſpontanea ſit, (ſecundum Diuum Auguſtinũ) non ſit culpa; meritò uidendum nobis incumbit, quid intelligat littera per ly ſponte. Sciendũ igitur; quòd ſponte quandoque diſtinguitur contra inuoluntarium, quandoque contra uoluntarium tale idest per malitiam. Vt diſtinguitur contra inuoluntarium, ſumptum fuit ſupra ibi; Vel ſponte offerentes: ut aũt diſtinguitur cõtra uoluntariũ tale, ſumitur hic; Non ſponte peccauerunt. Vt diſtinguitur cõtra inuolontariũ ly ſponte, idem eſt, quod uoluntariè; & ſpõtaneum idẽ quod uoluntarium; ut diſtinguitur contra uoluntarium tale, ly ſponte, idem eſt, quod nõ uoluntarium ſic, ideſt per malitiã. Peccauerunt itaque ſponte populus hic, quoniam uoluntariè peccarunt; non peccarunt ſponte, quoniam per malitiam non peccauerunt. Hinc patet; quòd D. Auguſtino nihil eſt cõtra. Stat enim quòd omnis culpa, ſi futura ſit culpa, uoluntaria ſit; atque ideo ſpontanea, ut ſpontaneum cõuertitur cũ uoluntario; & quòd non omnis culpa ſit uoluntaria ſic, ſeu non ſpontanea ſic, ut ſpontaneum conuertitur cum uelle per malitiam. De uoluntario, & inuoluntario, uide 1. 2. q. 6. per totum.

SECVNDA.

HINC patet, quòd peccata aliqua ſunt per malitiam, aliqua per ignorantiam; & conſequenter aliqua per fragilitatem. Nam textus apertè loquitur de peccato per ignorantiam in ly Si inſcia ſeu neſciens peccauerit; etiam de peccato per malitiam in ly Verbum Domini contempſit; implicitè uerò loquitur de peccato per fragilitatem, uidelicet ſubintelligendo hęc peccata ſub peccatis per ignorantiam. Vide ſuper capitulum quartum, quintum, uel ſextum, Leuitici. Nã quomodo hæc conſequentia ualeat, ſcilicet dantur peccata ignorãtię, ergo fragilitatis, ibi comperies de hoc triplici peccato uide 1. 2. q. 76. 77. 78. per totum.

TERTIA.

EX hoc quòd dominus pro peccato ignorantiæ uult ſacrificium, pro peccato uerò malitiæ nõ uult placari; oſtẽ
1 dit multa. Primò quòd non omnia peccata ſunt (contra
quoſdam hæreticos) eiuſdem grauitatis apud Deum; & con-
2 ſequenter ſecundum ueritatem. Secundò, quòd peccata igno
rantiæ & conſequenter fragilitatis, ſunt remiſſibilia; pecca-
ta uerò malitiæ ideſt per contemptum uerbi domini, per ſu-
perbiã, per rebellionem aduerſus dominum (ut littera expo
nit) ſunt irremiſſibilia. Vtquid enim Deus uult, ſacrificium
offerri pro illis peccatis, niſi ut ueniam illorum largiatur?
Vtquid uerò non uult, ſacrificia offerri pro iſto, ſcilicet pec-
cato malitiæ; niſi ut ueniam ſe non donaturum de iſto attenta
conditione talis peccati ſignificet? Hæc de remiſſibilita-
te, & irremiſſibilitate, quomodo intelligi debeãt, uide in Le
uitico ſuper capitulum quartum, quintum, uel ſextum & 2.
3 2. q. 14. art. 3. Tertiò oſtendit Deus per hoc id, quod per B.
Iohannem Euangeliſtam poſtea ſub aliis uerbis dictatus e-
rat, eſſe bene dictum. Quid aũt? Eſt peccatum ad mortem;
non pro illo dico, ut roget quis 1. Ioan. 5. Hoc autem me-
lius apparet, ſi connectatur ſententia immediatè præcedens,
ſcilicet. Qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum nõ ad mor
tem; petat, & dabitur ei uita peccãti non ad mortem. Eſt pec
catum ad mortem &c. Quare hoc eſt benè dictum? Quia ad
imitationem ipſiuſmet Dei eſt dictum. Videmus enim nũc,
quòd Deus non mandat de aliquo ſacrificio pro delinquen-
te ex malitia. Quomodo ergo uis, Beatum Iohannem man
dare de oratione aliqua pro peccante ad mortem, ideſt ex
malitia? Quis ergo iuſtus dominus, ſuauis, benignus, ſan-
ctus, fidelis, ut in omnibus uerbis ſuis; & conſequenter in
iſtis; idcircò Beatus quoque Ioannes in hoc ſuo uerbo, nõ dico ut pro illo roget quis, eſt iuſtus, ſuauis, benignus, ſanctus, & fidelis. Quod ſi ſic; ergo tùm Dei in hoc loco, tùm B. Ioannis in loco illo dictum eſt iuſtum, ſuaue, benignum, ſanctum, & fidele: ergo quibuſcunque de illis uerbis contrarium eius, quod nunc diximus, uidetur, hoc eſt propter illius, cui ſic uidetur, indiſpoſitum guſtum.

NOn ſponte peccauerunt &c. Anima, quæ per ſuperbiam &c. quoniam aduerſus dominum rebellis &c. uerbum domini contempſit &c. præceptum illius fecit irritum. *Text.*

Concl. 5. *Si ſuperbia, rebellio, contemptus, eſſe ſpontaneum, facere præceptum irritum, in peccato malitiæ reperta comparentur ad ſuperbiam, rebellionem, contemptum, eſſe ſpontaneum, & facere præceptum Domini irritum, in peccatis, uel ignorantiæ, uel fragilitatis repertis, tunc in his non uidentur eſſe illa quinque; ſed tantùm in illo peccato; cùm tamen etiam in iſtis ſint.* [Ex eo.]

CLARVM eſt, quod non poſſumus peccare; niſi ſuperbia, rebellio, contemptus, eſſe ſpontaneum, facere irritum præceptum diuinũ, interueniant. Ob hoc enim ſcriptum eſt, quod initium omnis (non tantum per malitiam facti) peccati ſuperbia, quia nullum peccatum abſque ſuperbiæ admixtione fit. Scriptum eſt etiam, quòd initium ſuperbiæ eſt apoſtatare à Deo; ad denotandum, quòd nullum peccatum abſque Dei contemptu, & rebellione fit. Contemnitur namque neceſſariò à nobis is, ciq; rebellamus. i. bellũ aduerſus eũ facimus, cui terga uertimus, ſiue à quo apoſtatamus, ſiue à quo auertimur, aliũ loco eius nobis ſubſtituendo. Quis hoc non uideat? Ait quoque Diuus Bernardus: Aufer uoluntatem, & non erit infernus, ut deſignet, nullum peccatum inferni meritorium ſine ſpontaneitate fieri. Quis uerò non cernat liquidò, quod omnis peccans irritum facit præceptum diuinum? Si enim ipſum irritum, quantum eſt in ſe, non faceret; procul dubio ipſum ratum apud uoluntatem ſuam haberet, tantùm abeſt, ut tranſgrederetur illud. Qui etenim aliquid ratum, ſiue pro rato habet, illud confirmare dicitur, & approbare, ipſique inhærere, atque ipſum complecti, nec ab illo uelle diſcedere. Vniuerſa hæc ſignificantur ab eo, qui dicit; Ego hoc ratum, ſiue pro rato habeo, ut in quotidiano ſermone uſitatum eſt. Quomodo ergo non irritum facit præceptum diuinum is, qui factis ipſum nõ confirmat, non approbat, ipſi non inhæret, ipſum non complectitur, ab ipſo uult diſcedere, imò de facto diſcedit? Hæc omnia facit peccans, ſiue per ignorantiam, ſiue per fragilitatem peccet, ut patere poteſt conſideranti. Ergo talis irritum facit præceptum diuinum. His tamen non obſtantibus attribuit littera, tanquam ſpeciale quoddam, quinque illa in concluſione dicta peccato ex malitia, ipſaque remouet à peccatis ex ignorantia, & conſequenter ex fragilitate, patratis. Dicit namque de peccante anima per malitiam, quod per ſuperbiam aliquid committit, quod aduerſus Dominum rebellis eſt, quòd uerbum Domini contemnit, quòd præceptum illius facit irritum, quòd ſponte peccat. Hoc autem ultimum (.ſ. quod ſponte peccat) negauit littera de ignorãtibus dicens: Quoniam non ſponte peccauerunt. Ergo per hoc textus remouiſſe implicitè uoluit a peccatis per ignorantiam, & per fragilitatem alia quatuor. ſ. ſuperbiam, rebellionem, contemptum, facere irritum mandatum Domini. Nam in ly Non ſponte, excludi iſta quatuor intelligamur. Quod ſic patet. In eſſe uoluntario includuntur alia quatuor, cum nullus, niſi uolũtate interueniente ſit, aut ſuperbus, aut rebellis, aut contemnens, aut propriè irritans aliquid. Vnde ergo tollitur uoluntas, inde tolluntur iſta quatuor. Cùm igitur à peccatis factis non per malitiã tollatur uoluntas, patet, quòd tunc per hoc tolluntur iſta alia. Voluntatem tunc a peccatis illis tollere textum, nonnè patenter cernis, quando taliter peccantes dicit, non ſponte peccaſſe? Si igitur tales non ſponte peccarunt, conſequens eſt, quòd nec per ſuperbiam, nec per rebellionem, nec per contemptũ, nec per irritare pręceptum, peccauerint. Quomodo itaque fieri poteſt, ut hæc quinque (ſecundum quod probatum eſt) in peccatis etiam ignorantiæ, ac fragilitatis exiſtant; & ſimul in

cis

Ratio.

cia non ſint, ſed in ſolo peccato ex malitia commiſſo? Hoc modo .ſ. qui in concluſione dictus eſt, comparatione uidelicet, non abſoluta conſideratione. Quaſi in littera dicatur. Quinque illa, ut reperiuntur in peccato per malitiam, ſi comparentur ad eadem quinque, ut in peccatis alijs inueniuntur, tunc quinque illa malitia ueſtita adeò ſeipſa quinq; alijs conditionibus induta ſuperant, ut in ſolo peccato per malitiam eſſe uideantur. Et congruè ſatis id littera inſinuat. Nam ſicut peccatum malitiæ peccatis alijs comparatum adeò illa ſuperabundat, ut peccata iſta nulla ferè dicas, quamuis ſecundum ſe mortalia eſſent, ita conditiones malitiæ ueſtitæ ſeipſas malioa ſpoliatas ſic uincunt, ut has nullas uideri faciant. Nonnè textus peccata alia nulla ferè dixit in comparatione ad malitiæ peccatum, quando illa uenialia .i. ueniæ propinqua ſtatuit eſſe, illud uerò nõ ita item? Comparatiuè igitur, & ſic intelligendus eſt loqui textus de illorum peccatorum conditionibus quinque modo, quo diximus, ut ſingula ſingulis correſpondeant. Dicamus ergo Peccatum ignorantiæ eſt nè abſolutè peccatũ ſuperbiam, rebellionem, contemptum, uoluntatẽ continens, & mandatum irritum faciens? Ita. Eſt nè talia continens comparatiuè ad peccatũ malitiæ? Non. Et hæc eſt illa (quintuplex ſcilicet) grauitas, quam Theologi continere dicũt peccatum malitiæ, non peccata alia, ſcilicet ignorantiæ, aut fragilitatis, quorum theologorum dictum modo præfato intelligitur. Hinc etiam prouenit; quòd peccatum malitiæ nullam in ſe habet excuſabilitatem; peccata uerò alia nonnullam habent. Hinc enim hoc modo gloſatur à ſacris Doctoribus; quòd malitiæ peccatum ideò dicitur irremiſſibile, cætera uerò remiſſibilia. Vide S. Thom. ubi ſupra, ideſt 1.2.q.14.ar.3.

APPENDIX.

1 HINC habes, quomodo intelligas id Chriſti ad iudæos pharisaicos: Vos irritum feciſtis mãdatum Dei propter traditionem ueſtram. Sic enim intelligitur ex præſentis capituli textu, quòd ipſi iudæi per malitiam ſic peccabant; & conſequenter quòd traditionem illam ſuam ex malitia conſirerant, licèt eam falſam eſſe, malamque cognoſcerent. Et tunc Chriſtus arguit iudæos illos de duobus; primò .ſ. q̃ cõtra Dei mandatum agebant, ſecundò q̃ malè ſe agere agnoſcebant; ſed ideò contra Deum peccabant, quia uolebant. Cùm igitur malè ſe agere cognoſcerent, & malè non agerent in propoſito, niſi traditionem ſuam illam ſeruari faciendo, patet, quòd traditionem illam eſſe malam, & contra Deum cognoſcebant. Vndè habetur talis intellectus dicti præmiſſi à Chriſto. Ex præſentis cap. textu, qui ad ſolum peccatum ex malitia factum apponit ly Præceptum Dei fecit irritũ, cuius dicto correſpondet in Euangelio ly Irritum feciſtis mandatũ Dei propter traditionem ueſtram.
2 Secundò habes, q̃ tunc quis dicitur propriè facere rebellionem contra prælatum ſuum, quando ex malitia facit; ideſt facit non quia ignorat, quod facit; nec quia à paſſione impellitur ad faciendum, quod facit; ſed quia cognoſcendo quod facit, & animo quieto à paſſione uolendo, uult facere, quod facit. Hinc habes, quomodo multa in ſcripturis, ſiue ſupra, ſiue infra intelligas; quando de rebellione loquuntur. Hinc etiam habes, quomodo multa ſanctorum patrum dicta monachorum, uel aliàs regularium, percipias, dum in conſtitutionibus, uel regulis illorum ſubditos rebelles ſic, uel ſic, coërcendos ſtatuunt.

DECLARATIO.

DENOMINATIO principaliter ſit in uitijs à rebus intẽtis; non ab incluſis tñ, ſiũ dẽnominatio ordinariè fieri debeat à principali, & principale in peccante ſit uoluntatis intẽtio (ut ita dicã) intẽta. Denominatio igitur ſumi dẽt formaliter, non autem quaſi materialiter. Stante regula hac, ad peccata illa attende, & dicas: Peccans per ignorantiam intendit nè principaliter ſuperbiam, rebellionem, contemptum, irritamentum, uelle contra Deum? Non propriè, & principaliter. Quomodo enim intendat propriè, & principaliter uelle contra Deum, ſuperbire contra Deum, rebellare contra Deum, contemnere Deum; ſi, quod facit, neſcit eſſe contra Deum? Sed tamen iſta omnia, hoc non obſtante, intendit conſequenter, cùm hoc eſſe contra Deum ſcire debuiſſet, & noluerit ſcire. Rurſum. Qui per fragilitatem peccat, intendit nè illa quinque propriè & principaliter? Non. Quomodo enim intendat hæc illa, cùm illa eſſe contra Deum non aduertat propter impetum paſſionis? Sed tamen omnia iſta hoc non obſtante, intendit conſequenter, cùm paſſionem reprimere per ſanam uoluntatem debuiſſet. Quid ergo hi duo peccantes intendant propriè, & principaliter? Conuerti ad bonum commutabile concupitum, ad quod quia deindè ſequitur ſemper auerſio à bono immutabili, ideò mortaliter agunt. Peccans autem per malitiam quid propriè, & principaliter intendit? Superbire contra Deum, rebellare Deo, contemnere Deum, irritum facere præceptum Dei, adimplere uelle ſuum contra Deum, quæ omnia concluduntur dicendo, q̃ peccãs ex malitia ideò peccat, quia vult peccare. Non enim poteſt dicere iſte, ideò pecco, quia ignoro hoc eſſe peccatum; nec iterum, ideò pecco, quia à paſſione præpedior; ſed dicere cogitur, ideò pecco, quia uolo.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Peccatum autem in Spiritumſanctum non remittetur &c. Hinc enim habuiſti cauſam quintuplicem in peccato ex malitia repertam, quæ in alijs peccatis non ſic inueniuntur. Hac de re peccatum in Spiritumſanctum, ſeu peccatum ex malitia, uocatur blaſphemia ſpiritus; quoniam tale peccatum ex ſpiritu, ideſt ex uoluntate proprio quodam impetu deſcendit (ut uiſum eſt). Vel ad &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 5. capit. 15. deſtruit hæreſim Iouiniani Apoſtatæ (ut refert Alphõſus Caſtr. uer. Peccatum) dicentis, peccata omnia eſſe paria. Patet enim hic totum oppoſitum. Damnatur quoq; & meritò, à ſupra Exod. 9. con. 6. & Leuit. 4. con. 1. Item in Elucid. addit. articulum. 400. Damnatur, & ab Auguſtino ſuper Ioan. tract. 41 allegante illud Apoſtoli, non regnet peccatum in ueſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentijs eius. Non inquit, non ſit; ſed non regnet. Quandiu uiuis, neceſſe eſt, peccatum eſſe in membris tuis; ſaltem ei regnum auferatur, ut nõ fiat, quod iubet. Surgit ira, noli iræ dare linguam ad maledicendum, noli iræ dare manum, aut pedem, ad feriendũ. Non ſurgeret ira iſta irrationalis, niſi peccatum eſſet in membris; ſed tolle ei regnum, nè habeat arma, & contra te pugnet. Verùm, quia paucorum eſt, per cõcupiſcentiam non abduci (ait Aug. lib. 2. cap. 2. contra Iulian.) in illis, in quibus ab illo concupiſcentiæ malo rebellante etſi non lethaliter, tamen uenialiter uincimur, in his contrahimus, unde quotidie dicamus; dimitte nobis debita noſtra. Hæc ex Auguſtino. Cùm ergo peccata uenialia plus, quàm lethalia, ponderent; patet contra Iouinianum, quod non ſunt paria omnia peccata; nec peccatores pares in peccatis, aut pœnis. Vide loca citata.

QVi recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent. Text.

Concl. 6. *Licitum eſt arreſtare aliquem, ſiue in carcerem ponere; donec plenius cognoſcamus, quid de eo faciendum ſit, dummodò ſufficientia ſint indicia ad arreſtandum eum pro ueritate amplius inquirenda.* [Ex eo.] Ratio.

COLLIGENS ligna in ſabbatho offertur Moyſi, &, quia plenius vult inſtrui à Deo de his, quæ circa eum facienda ſunt, ideò eum in carcerem recludit. Nonnè uides hic concluſionem expreſſam? Ad inſtar enim eius oſtenſum eſt, quòd iudici inferiori licitum eſt malefactorem in carcere ponere, donec ſuperioribus maleficium intimet, ab eiſque, quid circa malefactorem faciendum ſit, inſtruatur. Dummodò (dicit) ſint ſufficientia indicia ad taliter arreſtandum illum. Vnde hoc additum trahitur? Ex hoc, quòd Moyſes non arreſtauit iſtum hominem pro ſuo libito; ſed tantùm poſtquam error hominis, & quidem notorius, contra legem diuinam ſibi delatus eſt. Ex cauſa igitur, & urgenti ſanè, motus eſt ad arreſtandum illum.

APPENDIX.

HINC habes, quid dicas de illis, qui aliquem hominem arreſtant in carcere ſine ſufficienti cauſa. Dicendũ eſt enim, quòd malefaciunt. Sicut namque ſine ſufficienti cauſa mortem naturalem alicui inferre illicitum eſt omnibus hominibus,

minibus, ita cunctis hoībus illicitum eſt inferre alicui mortē ciuilem ſine cauſa ſufficienti, quamuis iſta cauſa requiratur minor hic; quoniá & mors ciuilis minor eſt, quàm mors naturalis. Mors autem ciuilis eſt libertas hominis, ut ſcilicet poſſit ire, quò vult. Huius enim libertatis hominis nullus alius eſt patronus abſolutus, ſicut nec uitæ hominis; niſi ſolus Deus. Et ideò ſolus Deus homini pro libito ſuo poteſt licitè auferre iſtam libertatem, ſicut & uitam. Ad hunc enim ſenſum ſcriptum eſt, quòd mors, & uita in manu Domini, ad denotandum ſcilicet, quòd ipſe ſolus eſt patronus harum abſolutus; & quod pro placito ſuo huic licitè uitam dare, uel prolongare poteſt; illi verò mortem dare, uel accelerare. Vſurpant ergo ſibi poteſtatem diuinam, & itcircò temerariè agunt illi omnes, qui ſine ſufficienti cauſa aliquem
2 arreſtant, uel arreſtare tentant. Secundò habes à ſimili, quòd licitum eſt iudici arreſtare aliquem ex cauſa ſufficienti ad hoc, ut ab ipſo plenius de ueritate informetur. Quemadmodum etenim id poteſt ad hoc, ut plenius à ſuperiori de ſentētia diffinitiua informetur, ita id poteſt ad hoc, ut plenius de facinore malo ab ipſo informetur. Vtrobique ſiquidem ad facinoris punitionem procedimus. Tertiò habes cō
3 ſequenter, q̄ R. Inquiſitores benè faciunt, quando aliquem ex cauſa ſufficienti ad taliter arreſtandum, arreſtant ad hoc, ut uel ab ipſo de mala ſubodoratione, uel à ſuperioribus de modo procedendi circa ipſum, plenius informentur. Nec Inquiſitores igitur, nec iudices aliqui, de hoc taxari poſſunt tanquam crudeles uel iniuſti (dummodo, ut dixi, ſufficiens ad ſic arreſtandum cauſa exiſtat), quoniam exemplum id faciēdi hic à Moyſe habent. Quòd autem Moyſes in hoc facto benè ſe habuerit, patet; quia Deus de facto illo non repræhēdit eum; quod utique feciſſet, ſicut & alias (puta ad aquas contradictionis) fecit, ſi Moyſes ſic faciendo deliquiſſet. Quid ergo aliqui repræhendunt Reuerendos Inquiſitores, quando factum Moſaycum imitantur? Sunt forſan iſti repræhenſores Deo ſapientiores, aut hominum miſerorum magis amatores? Non miſereantur ergo tales pauperis in iudicio (ut in Exodo mandauit dominus), ſed modernos malorum punitores laudent quòd antiquum malorum punitorem. ſ. Moyſen imitentur. Recluſerunt (inquit) eum, ſubaudi, de mandato Moyſis, ubi patet, q̄ Moyſes neſciebat de iſto particulari quid faciūdum eſſet, quia fortè iſte erat pauper (hoc notatur in ly colligebat ligna), & conſequenter aliqua diſpēſatione à Deo uidebatur quodammodo excuſandus. Et ratione igitur paupertatis, & ratione rei paruæ (hoc eſt colligere ligna), & ratione rei forſan tunc neceſſariæ illi (hoc eſt ligna), Moyſes putare ſibi poſſe uidebatur, q̄ taliter homo in tali caſu excuſationem reciperet aliquam. Hac de cauſa triplici motus eſt ad inquirendū à Deo, utrum taliter aliqualiter excuſaretur in ueritate, nec nè. Et ideò, non ut a ſe puniendum, ſed ut à Deo iudicandum, ipſum recludi fecit.

NOTATIO.

HOc in loco duo aduertē. Primum quòd non eſt incōueniens, ſciēti legem ordinariam occurere caſum particularem, extra legem ordinariam extimatum, quem neſciat. Ecce, quid uides hic? Quòd de iſto ligna colligente in ſabbatho neſciebat, quid faceret: & tamen ſciebat in uniuerſali hanc regulam, quòd oīs legis tranſgreſſor mortem meretur. Dubitabat itaque, an ſub regula iſta iſte caſus contineretur; quod eſt dubitare, vel utrum hic homo tranſgreſſus eſſet legem ſtante ſua paupertate, rei paruitate, & quaſi neceſſitate (ut dictum eſt); uel utrum, dato quòd eſſet legis tranſgreſſor, eſſet ei rationibus dictis pœna mitiganda. Hæc autem duplex Moyſis dubitatio ſtabat cum ſcientia illa uniuerſalis regulæ habita; propterea que Moyſen ignorantiæ legis non arguebat. Stat ergo, quòd quis ſit doctus in aliqua facultate per uniuerſales regulas facultatis illius: & tamen de aliquo caſu particulari, utpote q̄ a regulis uniuerſalibus uideatur uſquoque diſcedere, iudicare per ſeipſum neſciat. Hinc mirum non ſit, ſi in facultate legis ciuilis multæ opiniones circa caſus particulares inueniūtur doctorum; qui tamen omnes regulas uniuerſales illius legis norunt in eiſque conueniunt. Quod uerò dico de lege ciuili, intelligas tu de omni alia facultate. Nec ideò mireris ſi in eis diuerſitatem opinionum reperias; nec propterea imperitiæ arguas doctrinæ illius doctores circa particulares caſus uere dubitantes. Secundum, quod hic aduertas, eſt, quòd in caſibus dubijs te, antequam ſententiam proferas, debes certificare, uel inſpiciendo per te librum, uel alium doctiorem conſulendo. Hoc enim facto Moyſes, te in ſimili caſu quid facere oporteat, edocuit. Laudabile ergo eſt conſulere alios, & magis teneri ignorantem eligere, quam præſumptuoſum. Præſumptuoſus fuiſſet Moyſes dando ſententiam, de qua nondum certus erat, utrum bene ſe haberet, uel male. Quid fecit? Elegit teneri magis ignorantes, quam præſumptuoſus. Magis conſcientiæ ſuæ, quam famæ ſuæ quoad doctrinam, rationem habere uoluit. Hoc & tu (confeſſores præſertim nouelli prædicatores, ſeu doctores, ſeu &c. hoc ipſum audiant) magis conſcientiæ tuæ, quàm famæ doctrinarum conſulas. Ergo dicendum, faciendumque eſt, quando & conſcientia tua, & confitentis ſiue alterius proximi conſcientia, interuenit. i. committitur periculo, ſi talis, uel talis, de caſu aliquo ſententia à teipſo detur? Tūc quidem dicendum quod ait Salomon in prouerbijs, & quod Chriſtus in Euangelio per exemplum indicauit. Quid ait Salomon? Diſcurre (ait cap. 6.) feſtina, ſuſcita amicum tuum: Nè dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitēt palpebrę tuę. Quare? Quia (inquit) illaqueatus es uerbis oris tui, captus es proprijs ſermonibus, defixiſti apud extraneū manū tuá, dū ſpopondiſti pro amico tuo. Vel ergo, ò tu, non audias confeſſiones, uel non geras uicem doctoris (hoc enim eſt ſpondere pro amico tuo. i. exhibere te ad ſatisfaciendum proximo tuo de dubijs circa ſalutem ab ipſo poſtulatis, quoniam tunc communem perſonam agis, & in tuam quodammodo tutelā ſuſcipis populos tuos quantum ad hoc): aut, ſi ſic agis, Moyſen hic imitari memento. Hæc nota, ut intelligere ualeas, quāta ſcientia requiratur à confeſſore (ſub hoc intellige proportionaliter ſimiles); ſi dignè, & ſine peccato, officium ſuum exercere uelit. Hinc enim habes, quòd ſufficit, cum omnia mandata diuina cognoſcere; de peccatis mortalibus contra illa, ſecundum regulas ordinarias, ſcire determinare: non autem de caſibus omnibus particularibus ſcire per ſeipſum iudicare; at de talibus nouiter occurentibus ſufficit, quòd ſciat dubitare, ad librum recurrere, alios peritos conſulere; & ſic tandem rectam ſententiam proferre. Ex Euangelio quid per exemplum habetur ad præmiſſum negocium? Quòd is, qui ab amico de uia ueniente præuentus fuit cognoſcens ſe non habere tres panes pro comeſtione amici ſui, iuit ſolicitiſſimè (hoc notatur per ly Media nocte) ad poſtulandum hos ab altero amico, & importuniſſimè (hoc notatur per ly Si perſeuerauerit pulſans). Sic quoque tu ſolicitiſſimus aſſiduuſq; ſis in conſulendo uel mortuos per librum, uel uiuos per loquellam tuam antequam, uel ſiquando, caſus aliquis proximi tui occurrat tibi. Memento, quòd, ſi de ſalute corporali proximali fuit hic tàm uigilantiſſimus; multò magis in de ſalute ſpirituali proximali debes uigilātiam exercere ſimilem, maximè cùm tibi ſpecialiter talis proximus creditus fuerit ſiue ratione cōfeſſionis, ſiue diſciplinæ, ſiue &c.

NEſcientes, quid ſuper eo facere deberent. *Text.*

Concl. 7. *Peccati non eſt reus Doctor aliquis; ſi aliquando in ſua facultate occurrat ſibi caſus ignoratus ab eo: Et conſequenter Doctus non dicitur quis eò, quòd in tali ſua facultate ſciat quicquid circa illam occurrere poteſt dubitabile.* [Ex eo.]

MOYSES eſt Doctor primus legis: & tamen neſcit, caſum hunc de quantitate pęnæ iudicare; nec tamen in hoc peccati reus dicitur Moyſes. Vide pleniorem declarationem in præcedentis concluſionis notatione, cum hęc concluſio ex loco illo ſumatur. Ibi quoque uidebis, quid ſufficit doctori ſcire ad euitandum peccatum ignorantiæ in arte ſua. *Ratio.*

NOTATIO.

PRAEMISSA acceperimus eſſe dicta ad effugandos ineptos ſcrupulos aliquorum lectorum, ſiue doctorum, ſiue &c. non ad aliqualem inertiam fomentandam (quòd abſit). Dicta etiam ſint ad inſtruendā aliquorum ignorantiā, qui putant; quòd, utprimum aliquis in arte quapiam dicitur doctor, ſit obligatus ad ſciendum extempore omnes caſus poſſibiles particulariter moueri in tali arte. Hanc vero ſuam opinionem adeò bonam arbitrantur, ut, ſi Doctorem illum in aliquo ſuæ ſcientiæ caſu particulari deficere extempore uiderent, uel reſpondere, Ego uolo uidere melius libros, uel

ſimilia,

ſimilia, Vt (inquam) ſi hæc uiderint, ſcandalizentur. Hi pro fectò ideò ſcandala talia patiuntur de ſuo proximo, quoniã ignorantia requiſitorum neceſſariò ad Doctoratum laborãt. Si nanque iſta ſcirent; non ſcandalizarentur. Studeant ergo Doctores, nec tamen plus nimiò ſcrupuloſi ſint circa officiũ ſuũ modo dicto; & cæteri ipſos in honore habeant, & ſciant, ꝙ non omnia poſſumus omnes. Hæc omnia ex Moyſis præſenti exemplo.

NOTATIO TEX.

ADVERTE circa id, quod dicitur de colligente ligna lapidato, quę ſequuntur ex 1.2.q.122.ar.4.ad ultimũ. Sabbathi obſeruatio erat figuralis. Rurſus. Figura eſt proteſtatio ueritatis. Item. Proteſtationem ueritatis, nec in modico oportet præterire. Ex his tribus quid ſequitur? Quòd non licebat præterire ſabbathi obſeruationem nec in modico: alioquin ueritatis proteſtatio non fuiſſet ſabbathum, & cõſequenter nec illa obſeruatio figuralis; id quod eſt contra Apoſtolum dicentem: Omnia in figura (Ecce, quòd omnes illorum obſeruationes erant figurales) contingebant. Hinc eſt, quòd in ſabbatho prohibebantur etiam decoctiones ciborum, & alia huiuſmodi. Hinc eſt, quòd ſic arctè obſeruabatur, ut nec etiam ligna tunc colligere liceret. Dominica vero cum figuralis non ſit; quid de illa ex his dicendum relinquitur? Quòd non ſic arcta eſt eius obſeruatio; quod in operibus ſeruilibus illo die faciundis, ex cauſa rationabili in aliquo caſu diſpenſari poteſt. Nam etſi opera ut proteſtatiua ueritatis non admittant diſpenſationem propter rationem tactam, quia. ſ. veritatis proteſtationem non licet nec in modico præterire: tamen opera ut ſecundum ſe conſiderata diſpẽſari poſſunt pro loco, & tempore. Totum ergo fundamentũ diuerſitatis huius eſt conſideratio operum. Nam antiquitus in ſabbatho conſiderabantur opera, quatenus figuralia; nũc autem in Dominica conſideramus, ſecundum ſeipſa. Sed dices: Quid figurabat ſabbathum, ut ab omni opere ſeruili ſic arctè abſtineri debuerit? Figurabat quietem Dei creatoris die ſeptimo, quietem Chriſti redemptoris in ſe-

Vide. pulchro die ſeptimo, quietem animæ cuiuſque hominis in Deo ab opere peccatorum, quietem in patria ab omnibus laboribus omnium beatorum. Ad deſignandum igitur, ꝙ iſtæ quatuor quietes nõ admittũt aliquod opus ſeruile, hinc eſt, ꝙ ſic arctè ſeruabatur ſabbathũ. Vnde ſi aliquod uel modicũ opus ſeruile ſabbathũ admiſiſſet; aut iſta non figuraſſet, aut falsè pro aliquali parte figuraſſet. De primo quidem

1 figurato (. ſ. Dei quiete ab opere uniuerſo creato) patet, ꝙ nul lum opus ſeruile admittebat, quia nullum opus ex tunc totaliter nouum poſtea fecit, quod requies illa ſeptimo die habita ſignificabat 1.q.73.ar.1.ad 3m. Nunquid igitur non uides, ꝙ, ſi uel modicum opus ſeruile admiſſum fuiſſet in ſabbatho, relinqueretur, ꝙ Deus ſeptimam illam diem opus totaliter nouum crearet: & conſequenter, cùm hoc ſit falſum, iuxta illud Eccleſ. 1. Nihil nouum ſub ſole, relinqueretur, ꝙ ſabbathum non fuiſſet illius requiei uera figura, quod contra ſcripturam (Exo. 20.) manifeſtè pugnat? Iure ergo hic Deus etiã colligentem ligna iudicat tranſgreſſum fuiſſe ſabbathum, & extremo ſupplicio punit. De ſecundò autem per ſabbathum

2 figurato (Chriſti. ſ. quiete in ſepulchro) patet, ꝙ nullum opus ſeruile admittebat, quoniam nullum opus uitale, inquantum homo, habuit Chriſtus in ſepulchro per illud triduum, cùm in illo triduo eum ueraciter fuiſſe mortuum, mortuumque perſeueraſſe, catholica profiteatur Eccleſia. Vnde, ſi in ſabbatho aliquid talis operis admiſſum fuiſſet, ſignificatum uideretur, ꝙ Chriſtus in illo triduo non eſſet, & non perſeueraſſet uerè mortuus. Vt igitur & uerè mortuum tunc, & uerè in morte perſeueraſſe Chriſtum figuraret ſabbathum, ideò nullum uel paruulum opus ſeruile illius obſeruatio admittebat. Iure igitur Deus colligentem ligna, tanquam mandati huius trãſgreſſorem, lapidari præcipit. De tertiò autem per ſabbathum

3 ſignificato (. ſ. de quiete humanæ animæ à minis) patet, quòd nullum opus ſeruile admittit, quoniam unum ſolum peccatum mortale facit, ut cor hominis quieſcere non poſſit. Quomodo quieſcat, ſi cũ unũ peccatum mortale facit ipſum cor, eſt quaſi mare feruens? Quia itaque nullum opus ſeruile moraliter. i. nullum peccatum mortale, compatitur ſecum quies animę in Deo; idcirco ad hoc figurandum, nullum in ſabbatho ſeruile opus admittebatur. Conſequens ergo erat, vt & talis obſeruatio denotaret, quòd homo debet abſtinere ab omni peccato mortali; ſi uult habere gratiam Dei, ſeu in Deo quieſcere per gratiam. Ergo ex illa obſeruatione habebamus etiam, quòd gratia Dei non compatitur ſecum aliquod peccatum mortale. Ergo illinc trahebamus, quòd ineptum eſt. a. contra Dei voluntatem, dimidiam à Deo de peccatis mortalibus ſperare ueniã. Alioquin gratiã, per quã ſit uenia, ſtare poſſet cũ aliquo peccato mortali. Iure igitur colligentẽ ligna in ſabbatho Deus dãnauit ad mortẽ. De quarto demũ 4

per ſabbatum ſignificato (ſcilicet de quiete beatorum in patria) clariſſimum eſt, quòd nullum omninò admittit opus ſeruile; quoniam de ipſis beatis ſcriptum eſt: Vt requieſcant à laboribus ſuis, & quòd Deus compleuit (id eſt finem impoſuit) labores illorũ. Vnde ſi in ſabbatho uel modicum opus ſeruile, quatenus ſcilicet ſeruile (ut ſupra intelligitur: nam formaliter ſumuntur uerba ſcripturarum, niſi aliud obſtet) admitteretur; tunc ſabbathum eſſet falſa figura ſuperni ſabbathiſmi. Nõ igitur aliquod falſum admittatur in ceremonijs à Deo inſtitutis, quæ omnia figuralia erãt; ideò iure optimo ſeruilis quæque prohibebantur in ſabbatho. Hinc eſt quòd meritò colligens ligna in die ſabbathi, licèt hoc in contemptum feſti non egerit, morti lapidationis adiudicatur.

¶ Ex his nota aliud; quantã ſcilicet curam habuerit Deus de ueritate figurarum, & argue ſic: Si Deus magnam curam habuit de figuris in ſe, nè ſcilicet contineret uel modicum, falſitatis in ſe; multò magis profectò habebit curam de figuris in relatione ad figurata, ut ſcilicet adimpleantur uſque ad ſummum: & ſi Deus tantam curam habuit de figuris quocunque modo ſumantur; maiorem utique curam habebit de figuratis, utpotè nobilioribus. Nam figurata ſunt finis, figuræ verò ſunt ad finem: ergo maiorem habebit curam Deus de Eccleſia, quàm de ſynagoga & (ut argumentatur Apoſtolus ad hebræos) magis zelabit nunc circa obſeruationem mandatorum, quam tunc; inquantum magis puniet tranſgreſſores nouæ legis, quam antiquæ. Ratio conſequentiæ huius eſt, quia totus ſynagogæ ſtatus erat figuralis, ſtatus uerò Eccleſiæ eſt figuratus; ſimiliter, & præcepta ceremonialia erant figuralia, noſtra autem ſunt figurata. Verbi gratia. Sabbathum, inquantum ceremoniale, figurabat Dominicã. Tranſgreſſor igitur ſabbathi ſi tantas pœnas dabat; maiores utique dabit dominicæ trãſgreſſor. Quod autem dico de Dominica, & ſabbatho, intelligas quoque modo ſuo de alijs feſtiuis diebus. Ex hoc patet, quòd aliud eſt, obſeruationem ſabbathi fuiſſe ſtrictiorem, quam Dominicæ; & aliud eſt, tranſgreſſorem illius obſeruantiæ fuiſſe magis puniendum, quam tranſgreſſorem iſtius. Primum iam affirmauimus; ſecundum autem negauimus. Quòd primum affirmetur, docet D. Thomas loco præſcripto: quòd ſecundum negetur, cõſtringit Apoſtolus loco allegato. Ex maiori cura iam concluſa, quam Deus ſupra ſynagogam habet de Eccleſia, ſic rectè argumenteris ad infinita, quæ argumentationes utique, utpotè in illa cura fundatæ, verum concludent. Vt. Si in ſynagoga prouiſum fuit de ſummo capite (Deuteron. 17. ly Si difficile &c.): ergo & in Eccleſia multò magis. Si capiti illi omnes tenebantur credulitatem in quæſtionibus decidendis firmam præſtare, eique ſub pœna mortis obtemperare: ergo capiti Eccleſiæ multò magis talem credulitatem talemque obedientiam ſub pœna maiori (. ſ. ſub pœna æterni in inferno) debent omnes. Et ſic diſcurre tu de ſummis prouidentijs, quæ in ſynagoga habebantur; & conclude firmiter, quòd omnes tales perfectiores inueniuntur in Eccleſia Dei, & hoc propter rationem ſupra adductam, quòd ſynagoga reſpectu Eccleſiæ eſt figura. Sic & diſcurre de omnibus præceptis moralibus ibi, & hic repertis: & firmiter concludas, propter eandem rationem, ꝙ maiorem pœnam præ antiquis illis merentur tranſgreſſores moderni.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Sabbathum eſt. Et quotieſcunque de ſabbatho fit memoria, potes hæc omnia applicare. Vel ad alium diem feſtum. Vel &c.

FAciant fimbrias &c. Recordentur omnium mandatorum domini: nè ſequantur cogitationes ſuas &c. ſed faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo. Text.

Concl. 8. *Recordatio crebra mandatorum Dei eſt uia ad reprimendum peccata, & ad aſſequendum ſanctitatem ueram* [Ex eo.].

In

In fimbrijs habebant ſcripta Dei mandata: vnde uidentes fimbrias, recordabantur mandatorum diuinorum. Quia ergo ſæpius videre fimbrias (ut patet) illis occurrebat; ideo per recordationem mandatorum, cum uiderent fimbrias, intelligitur crebra recordatio illorum. Quid faciet huiuſmodi recordatio? Faciet (inquit Deus, ſi conſideres) ut facilius te retrahas à ſequella cogitationum tuarum malarum, & ad obſeruantiam mandatorum diuinorum ſanctitatis uetre gonitricem peruenias.

APPENDIX.

HINC habes, quòd memoria quantum pendet ex parte noſtri, eſt principium noſtræ ſalutis. Cognitio enim ſequitur ad memoriam (ut patet) & amor ad cognitionem, & ſalus ad amorem. Intellectus parit cognitionem, uoluntas amorem, charitas ſalutem. Quis parit recordationem? Memoria. Cum itaque dicitur, quod cognitio eſt principium noſtræ ſalutis, hoc dictum pro tanto uerum eſt, pro quanto cognitio includit memoriam. Impoſſibile enim eſt, ut aliquis cognoſcat aliquid, niſi prius ſibi repræſentetur; ſicut impoſſibile eſt, ut diligat, niſi id quod diligendum eſt, ſibi prius repræſentetur. Sicut ergo ex hoc ultimo dicimus, quòd intellectus neceſſariò præcedit uoluntatem, tanquam illi ſuũ obiectum offerens; ita dicendum eſt, quòd memoria præcedit intellectum, tanquam ſuum obiectum illi apportans. Recordatio itaq; cognitionem, affectionem que antecedit, tam in bonum, quam in malum. Hæc eſt ratio una, propter quam Deus ſic ſolicitus fuit inculcare ſemper recordationẽ beneficiorum, uel mandatorum Iſraelitis, quia ſ. ex recordatione tali, uelut ea radice, omnia bona dependent. Quoties audiſti Deum dicentem ad Iſrael: Memento, ut facias? Quid eſt, Memento, ut facias: niſi monſtrare apertè, quòd memoratio eſt principium ad faciendum? Quoties audiſti illum dicentem; Memento, ut diem ſabbathi ſanctifices, uel, ut facias mandata mea? Quid eſt ly Memento, ut &c. niſi oſtendere liquidò, ꝙ memoria eſt initium operis; & conſequenter quòd memorari bona eſt initium operandi bona?

2 Secundò conſequenter habes rationem, quare Deus millies dicit populo; Vt recordentur egreſſionis de Ægypto, & huiuſmodi. Ratio nanque eſt, quia recordatio bonorum eſt uia ad operandum bona. Hoc. n. uolebat Deus per illud dictum, ut ſ. ſciliçet ea recordatione bonorum habitorum diſponerentur ad operandum bona, id eſt ſeruandum mandata ſua.

3 Tertiò habes conſequenter, quòd bonum ualde eſt frequentare conciones, ſacras lectiones, ſtudia ſancta. Ratio omnium horum, atque ſimilium eſt; quia per illorum, ſimiliumq; frequentationem nobis reducuntur ad memoriam diuina mandata, & cum quadam uocis energia, quę non erat in fimbrijs. Vnde, ſi fimbrias ob recordationem diuinorum præceptorum uoluit portari Deus; multò magis per illud nobis mandauit audire conciones, ſacras lectiones, ac huiuſmodi; cum in iſtis magis ſaluti ſint, quàm per fimbrias intentus. In illis, namque ſacris concionibus &c. & fit recordatio mandatorũ Dei, quod per fimbrias fiebat, & cum quadam (ut diximus) uiuæ uocis energia, quæ à fimbrijs non dabatur. Dicemus ergo quòd figuratum à fimbrijs eſt omne illud, per quod mandata Dei ad memoriam reducuntur, & magis, ac minus, ſecundum quòd talis reductio eſt magis, uel minus uigoroſa.

4 Quartò ab oppoſitis habes, ꝙ illa omnia, quæ rerum mundanarum nobis faciunt memoriam, uel quæ nos à memoria diuinorum abducunt, ſunt à Chriſtianis fugienda. Libri ergo mundiales, (puta fabularum poeticarum, amorum laſciuorum &c.) à Chriſtianis ſunt eliminandi, propter duas rationes, & quia diuinorum memoriam impediunt, & quia humanorum memoriam ſubminiſtrant. Vnde qui legunt tales libros non tantum non portant fimbrias, ſecundum quòd hic præcipitur, ſed etiam contrarium fimbriarum (id quod peius eſt) circumferunt: talesque meritò debẽt timere, ne de ſe ipſis uerificetur illud Apoſtoli. 1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Vnde id timentes debent fugere omnino lectionem, imò & auditionem, talium librorum, & rerũ in ipſis libris contentarum. Quintò conſequenter habes, ꝙ ſtare in ſolitudine ad memorandum facilius mandatorum Dei, legere libros deuotos, locos religioſos inuiſere, fugere ab hoc turbas populorum, à familiaritatibus multorum ſeiungi, ac huiuſmodi facere, ꝙ omnia talia (inquam) ſunt quædam delatio fimbriarum à Deo hic mandatarum. Quòd ſi legere libros deuotos eſt ſic, ergo & audire legentes illos, & loqui de Diuinis, & collationes ſcripturarum facere, atque id genus alia, ſunt fimbriarum delatio. Quicunque igitur horum aliquid facit, præceptum de fimbrijs tunc adimplet ſecundum figuratum ſenſum: qui autem non facit, non adimplet illud.

FAciant ſibi fimbrias in angulis palliorum ponentes in eis uittas hyacintinas &c. Text.

Concl. 9. *Mandata diuina debemus obſeruare, & cum perſeuerantia, cum affectu magno, cum intentione cœleſtium, cum reſtrictione noſtrarum uoluptatum.* [Ex eo.]

IN his fimbrijs (ut diximus) continebantur ſcripta mandata Dei, & ipſorum mandatorum obſeruantia deſignabatur. Quid eſt, quòd Deus uoluit, mandata ſua haberi in fimbrijs? Quia nos illa obſeruare uult cum perſeuerantia. Ratio. Sicut enim fimbria quid ultimum ueſtimenti eſt, perſeuerantia dicit quid ultimum noſtræ uitæ, quæ ueſtimentum eſt, Pſal. 101. Ideò congruenter per fimbriam perſeuerantia ſignificatur. Quid eſt, ꝙ ponuntur mandata diuina circa pedes? Quia cum affectu duplici obſeruanda ſunt. Pes enim cum ſignificet affectum noſtrum, & ſit duplex; is rectè ſignificat affectum duplicem. Quis autem ſit iſte affectus duplex, inſinuauit Apoſtolus, cùm ait: Omnia in charitate fiant. Charitas ergo eſt ille affectus duplex, quo omnia mandata ſeruare debemus: affectus quidem, quia charitas eſt amor; duplex uerò, quia & Deum, & proximũ reſpicit. Charitas igitur eſt ille affectus magnus, quẽ diximus in concluſione; quoniam charitas non tantum amor eſt, ſed et uehemẽs. Vnde Spiritusſanctus ad uenit die Penthecoſtes non ſolum ad inſtar ſpiritus (.i. uẽti,) ſed etiam ſpiritus uehementis. Si huius affectus uis cernere magnitudinem ſeu uehementiam, inſpice ad Apoſtolos, qui affectu iſto repleti omnes mundi angulos fortiter uicerunt, omnes mundi angulos uelociter cucurrerunt, in omnibus mundi angulis mandata, ſeu cognitionem Dei conſcripſerunt. Nũquid fruſtra dictum eſſe putas, quòd huiuſmodi mãdata deſcribi deberent in quatuor angulis palliorum? An nõ in figura noſtri temporis hæc dicta ſignanter fuerũt? Etenim Apoſtoli Chriſti, ueri proculdubio Iſraelitæ (ſpiritu, ſ. & carne) cognitionem Dei in toto mundo ſparſerunt. Et quid eſt totus mundus; niſi quatuor anguli, ſ. oriens, occidẽs, meridies, ſeptentrio? Si totus mundus igitur in quatuor angulos plagarum diuiditur; & Apoſtoli per totum mundũ Chriſti fidem prædicauerunt, iuxta id Pſ. 18. In omnem terra exiuit ſonus eorum: ergo figura iſta, quæ hic de fimbrijs habetur, iam adimpleta fuit tempore nouiſſimo. Affectus ergo ille uehemẽs extitit, quo mouente in paruo tempore tanta fecerunt Apoſtoli. Quid eſt tertio, quòd uittæ, ubi ponuntur mãdata, ſunt hyacinthinæ, non alterius coloris? Quia mandata diuina ſeruare debemus propter amorem cęleſtis, non alterius cuiuſque retributionis. Huc noſtra tendere debet intentio, & ſic (iuxta monitum Apoſtoli) quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram. Quoties audis in Euangelio Chriſtum eos redarguentem (puta ieiunantes &c.) qui ob intentionem placendi mundo bona faciunt? Scis, quid facit tunc Chriſtus? Vittas, non ſieri hiacinthinas uidens, excandeſcit. Quaſi talibus dicat: Nonne uobis olim à me per Moyſen mandatum fuit, ut mandata cõtinerentur in uittis hyacinthinis? Et quare nos poſuiſtis illa in uittis alterius coloris? Quoties admonentem Chriſtum audis in Euangelio, ut bona noſtra faciamus coram Patre noſtro, i. ut in illis faciendis Deo tantũ placere ſtudeamus? Nonne audiſti Prophetam Chriſto monenti ſic in ſpiritu reſpondiſſe: Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem? Chriſtus in Euangelio monebat Prophetam, ut ſua bona faceret coram Patre ſuo, i. propter intentionem cœleſtium, & Propheta ſe tam firmiter cum ſuis ſimilibus Chriſto in hoc obedịturum reſpondet, quòd præterito utitur pro futuro. Quid Chriſti dictum, aut Dauidis, ad uittas hyacinthinas? Multũ per omnem modum. Chriſtus enim nunc admonet nos, ut impleamus, quoad ſenſum figuratum, præceptũ illud antiquum de uittis hyacinthinis, & Propheta ipſum ſic monentem uidens in ſpiritu reſpondet, quòd faciet uittas hyacinthinas. Audi. Color hyacinthinus eſt color cæleſtis. Qui

ergo

ergo ſeruat mandata propter patrem Deum; propter intentionem cœleſtis retributionis, hic habet ſcripta mandata in uittis hyacinthinis. Qui uerò ſeruat mandata motus ab intentione alterius retributionis, hic mandata quidē habet ſcripta *Aureum* in uittis, ſed non ſunt hyacinthinæ illæ uittæ. Et ideircò, quaſi exponens ſignificatum coloris hyacinthini, ſubdit Deus hic; Sintque ſancti Deo ſuo. Hoc eſt ergo habere mandata ſcripta in uittis hyacinthinis eſſe ſanctum Deo noſtro, i. adimplere mandata propter intentionem cœleſtium; ſeu Dei, qui eſt in cœlis. Hinc uides, quòd licet cæremoniale hoc in ſenſu figurali obſeruari non debeat nunc; tamen obſeruare hoc tenemur in ſenſu figurato. In ſenſu figurali hoc ſeruare, mortiferum delictum eſſet; in ſenſu figurato hoc ipſum non ſeruare periculoſum ualdè, uel (ſi intentio altera finem ultimum diceret) mortale eſſet. Quod aūt dico de hoc cæremoniali, tu de omnibus alijs antiquis ſimiliter intelligas. Quid eſt ergo, q̃ mandata ponuntur in uittis? Quia per hoc denotare uult *Vide.* Deus, quòd nemo obſeruare mandata ſua poteſt, niſi à uoluptatibus proprijs coarctetur. Denotare ergo conſequenter per hoc Deus uult, quòd homo non poteſt ſuus fieri diſcipu-*Matt 10* lus, niſi ipſe homo ſemetipſum abneget; & conſequenter u-*Luc. 14* fortiori oĩa relinquat, patrem, matrem, amicos, ac ſimilia. Hæc omnia cùm ſint ab Euangelio expreſſa, nonne uides, q̃ Euangelium Deus antiquo tempore in ſcripturis ſanctis per prophetas ſuos prænunciauerat? Hoc illud eſt, quod Apoſtolus primo capitulo ad Romanos ait, quod ſcilicet Euangeliū antè promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. Sic n. quæ in Euangelio habentur, in cæremonijs antiquis (ut hic, & ſupra, patuit ſæpius) deſcripſit; uoque tunc Euangelium in ſcripturis ſanctis per prophetas ſuos promiſit. Magis enim eſt deſcribere in Euangelio continenda, quam, quòd Euangelium ut uenturum, promittere. Nam qui deſcribit Euangeliū dat ex hoc intelligere, quòd Euangelium uenturum ſit; qui autem ſolum promittit, quòd Euangelium ſit uenturum, nō dat ex hoc intelligere, quid continendum ſit in Euangelio. Minus ergo dixit Apoſtolus tunc; & plus ſignificauit. Dixit namque, quòd Euangelium Deus antè promiſerat: & ſignificauit, quòd Deus ante in Euangelio continenda deſcripſerat: dixit, quòd promiſerat per prophetas ſuos, & ſignificauit, quòd ipſum deſcripſerat per cæremonias ſuas. Et per ora igitur prophetarum, & per facta cæremoniarum, Deus Euangelium nouum primitiuo mundi tempore, & promiſit, & deſcripſit. Euangelium igitur umbraticum erat ſtatus antiquorum fidelium; noſtra uerò lex eſt Euangelium clarum, illam ſcilicet umbram dilucidans. Quomodo non dilucidans umbram illam dixerim Euangelium noſtrum, cum loco uittarū abnegationem omnium ad ſe pertinentium exprimat? Vittas dicebas, umbraticè loquebaris. Abnegationem ſimpliciter pro uitta ponis, clarius loqueris. Mandata in uitta debere portari præcipiebat Deus, parum nobis utilia proferre uidebatur, & ideò umbraticè, cum umbra ſit parum utilis homini, loquebatur. Nunc autem exponens mandatum illud ait, quòd præcepta uolens ſeruare debet abnegare ſemetipſum: ualdè nobis utilia dicit, & non lucidè, cùm lux ſit multum utilis homini, loquitur. Nihil enim utilius eſt homini, quam abnegare ſeipſum, i. quam reſtringere ſe à uoluptatibus, ſeu à uoluntatibus proprijs. Reſtrictionem hanc ipſa uitta ſignat. Vndè, quaſi expones uittæ huius ſignificatum, ſubiunxit dominus: Nè ſequantur cogitationes ſuas, cùm uiderint eas, i. uittas. Ecce, quod uitta quandam cogitationum noſtrarum reſtrictionem, ſiue non ſequelam uoluntatum, importat. Qui uult ergo mandata Dei ſeruare, priùs ſciat, ſe à proprijs uoluntatib. implendis coarctare debere. Hoc enim ſignificabat id factū quod. ſ. mandata Dei ſcripta appendebantur in uittis. Nonne hoc tibi uidetur idem Euangelio dicenti: Non poteſtis duob. dominis ſeruire, & cupiditatibus ueſtris? Et quid eſt hoc, niſi dicere: Mandata Dei debeos appendere in uittis? Vitta enim eſt res ſtrictat, ut patet.)

¶Applica ad ly (Euangelium) Qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Ideircò enim mandata Dei ſcribuntur in fimbrijs, quæ ultima pars ueſtimenti ſunt. Vel ad ly (Euangelium) Cùm facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Tunc una manus ſcire dicitur, quid faciat altera manus, quando ipſa eandē rem facit, quam altera. Hoc autem eſt, quando de manu in manum datur aliquid, puta quando candela una transfertur de manu in manum. Quid indè? Huiuſmodi motus (teſte philoſopho in phiſicis) non eſt continuus; quoniam uariationem ſubiectorum habet. Na ſciat igitur una manus, quod facit altera; quid eſt? Eſt perſeuerare in opere illo; puta in faciendo eleemoſynam. Chriſtus ergo uolebat, mandatum eleemoſynæ poni in fimbrijs, quando, unam manum opus alterius neſcire, ſuadebat. Vel ad ly (Euangelium) Ignem ueni mittere in terram; & quid uolo, niſi ut ardeat? Hoc eſt. Charitatem ueni ad prædicandum, & quid uolo, niſi ut conſeruetur in opere mandatorum Dei? Dic mihi. Lex nonnè dicitur ignea in ſacris literis? Vtique. Quid eſt ergo ignem illum ardere, niſi charitatem in lege ſeruanda habere? Ignem habes, ſi charitatem habes; ſed ignis ille non ardet, ſi per illam charitatem non operaris. Quia ergo Chriſtus uolebat nos in uacuum gratiam Dei recipere, ſed potius fidem noſtram per dilectionem operari; ideò ignem miſiſſe in terram non contentabatur; ſed uolebat, ut ignis ille arderet. Sicut autem per ardorem conſeruatur ignis, nè pereat; ita per obſeruantiam mandatorum Dei conſeruatur charitas in nobis. Quid eſt ergo, ignem ueni &c. & quid uolo, niſi ut ardeat; niſi q̃ charitatē dat nobis Deus, ut eius auxilio conſeruemus illam? Hoc & modo poſuerat Adamum in paradiſo uoluptatis, ut cuſtodiret illum. ſ. paradiſum. Quid eſt paradiſus uoluptatis, niſi charitas omnes uerè bonas uoluptates tam excellenter continens, ut omnem ſenſum exuperet, & omnia delectamenta terrena præ guſtu ſuo nihil eſſe oſtendat? Quomodo cuſtoditur paradiſus iſte? Eo modo, quo & ignis ſua ardet. Quatenus enim ardet, eatenus conſeruatur. Vnde quemadmodum ſi non ardet, non cōſeruatur, ſed perditur; ita ſi paradiſus non cuſtoditur, nobis non conſeruatur, ſed (id quod damna noſtra tam noſunt) citò perditur. Cùm itaque ignis hic tunc ardeat, quando ſeruantur mandata Dei ab habente illum, & Chriſtus uelit, ut ardeat; patet, q̃ Chriſtus uult, mandata diuina ſeruari cum charitate. Hoc autem quid eſt, niſi ponere Dei mandata circa pedes noſtros, quos ambiunt fimbriæ; hoc eſt, ambulare ex affectu charitatis in lege domini perſeueranter? Vel ad ly (Euangelium) Vt glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Ne faciatis iuſtitiam ueſtram coram hominibus, ut uideamini ab eis. Ora in abſcondito. His enim, & ſimilibus, mandatur nobis à Chriſto, ut uittæ, in quibus ponuntur mandata diuina, ſint de hyacintho. i. cœleſtis intentione oſtentantur. Vel ad ly (Euangeliū) Qui non tollit crucem ſuam &c. non eſt me dignus; Qui odit animam ſuam, in uitam æternā cuſtodit eam. Is enim tollit crucem ſuam, & ſequitur Chriſtum, qui ſemetipſum à uoluptatibus ſuis ſequendis cohibet propter Chriſtum; & hic eſt, qui mandata Dei appendit in uittis. Quaſi ergo dixerit: Qui mandata mea propter me non ponit in uittis (hoc eſt totum illud: Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me); non eſt me dignus. Item. Odit is animam ſuam, qui uoluntates ſuas malas non ſequitur, & hic habet mandata Dei in uittis. Quaſi ergo dictum ſit: Qui mandata Dei appendit in uittis, hic in uitam æternam cuſtodit animam ſuam. Vel ad ly &c.

NOTATIO TEXT.

SINT (inquit) ſancti Deo ſuo. Hoc eſt ſancti de corde puro, & conſcientia bona. In hoc autem totus nodus conſiſtit. Vnde ad hoc etiam ſe dedit nobis per incarnationis myſterium Luc. 1. ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo (nota ly Coram ipſo) omnibus diebus noſtris. Lucas ergo expónit hunc Numer. textum. Ac ſi dicat. Seruire Deo cum his omnibus conditionibus, eſt eſſe ſanctum Deo ſuo. Talis in actibus ſuis, cùm uiuat non ſibi, ſed Deo; quærens gloriam non ſuam, ſed Dei. Talis ergo ieiunat, orat, ſtudet, laborat &c. Deo, quia in omnibus his non quærit, quæ ſua ſunt; ſed quæ Dei. i. non ſuam; ſed Dei gloriam quærit. Sicut ab oppoſitis non ieiunat Deo, qui ex ieiunio non quærit gloriam Dei. Similiter non orat Deo, qui ex oratione ſua non quærit gloriā Dei. Pariter non ſtudet Deo, qui ex ſtudio ſuo non quærit gloriam Dei. Item, non laborat per concionem, per lamentationem, per &c. Deo, qui ex talibus factis quærit gloriā ſuam, non Dei. Tales igitur ſibiipſis ieiunant, orant, ſtudent, concionantur, legunt, & ſi quid aliud faciunt. Et ſi gloriam alicuius alterius in factis prædictis quærunt, ei ieiunant, orant &c. Cōſequenter ergo & illius ſerui ueri ſunt, cuius gloriam inquirunt; adeò q̃ actiones illas bonas faciunt in ſeruitium illius, & non Dei. Hinc eſt, q̃ tales uocantur ab Euangelio hypocritæ; quia bonum opus Dei non ordinant in ſeruitium Dei, ſecundum q̃ natura operis exigit; ſed diſtorquent in ſeruitiū alterius, ſecundum q̃ natura operis nō exigit. Vnde per opua oſtenſum prætenditur unum. i. Dei ſeruitium, & per cor operantis

rantis occultum, aliud ſit. ſ. ſeruitium alterius à Deo. Hoc autem eſt hypocriſis, id eſt oſtendere unum, & facere oſtenſi contrarium.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

HÆC Concluſio 9. cap. 15. tanquam ſu radice, deſtruit (ut patet applicanti) hæreſes illas, quas damnat, & Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. Nemo autem, quantumuis iuſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum Dei putare debet, nemo temeraria illa, & a patribus ſub anathemate prohibita uoce uti, præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet; ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat, ut poſſis. Cuius mandata grauia nõ ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt, qui autem diligunt eum (ut ipſemet teſtatur) ſeruant ſermones eius, quod utique cum diuino auxilio præſtare poſſunt. Hæc ibi. Et canon. 18. Si quis dixerit, homini, etiam iuſtificato, & ſub gratia cõſtituto, Dei præcepta eſſe ad obſeruandum impoſſibilia; anathema ſit. Et cano. 20 Si quis dixerit, hominem iuſtificatum, & quantumlibet perfectum non teneri ad obſeruantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum, quaſi uerò Euangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio uitæ æternæ ſine conditione obſeruationis mandatorum, anathema ſit. Et can. 19. Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem; cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit. Et cano. 21. Si quis dixerit, Chriſtum Ieſum a Deo hominibus fuiſſe datum, ut redemptorem, cui fidant, non etiam, ut legiſlatorem, cui obediant, anathema ſit. Hæc ibi. Ex quibus confirmatur, declaraturq́, concluſio: ut ſapiẽs, à figura ſimbriatũ ad figuratũ diſcurrendo, indicabit. Dixi, concluſionem hanc hæreſes illas deſtruere tanquam in radice, quia per hoc, ꝙ illa mandata obſeruari, & cum illis circunſtantijs ſimbriatum, iubentur, liquet præſupponi, & ipſa eſſe obſeruatu, taliq; obſeruatu, poſſibilia, & nos ad obediendum Deo eſſe obligatos. Quorum tamen oppoſita dicunt hæreſes prædamnatæ.

Text. EGo uos dominus Deus ueſter, qui eduxiſti de terra Ægypti, ut eſſem Deus ueſter.

Concl. 10. *In ſeruitio Dei poſſumus ſemper proficere, & Deus deſiderat hoc, & ob hoc dat nobis beneficia; ut proficiamus in ſuo ſeruitio.* [Ex eo.]

Ratio. IAM erat Deus eorum, ideircò dixit, Ego dominus Deus ueſter. Si erat iam, quare dixit, ſe populum ex Ægypto eduxiſſe, ut eſſet Deus illius? Ego (inquit) dominus Deus ueſter, & eduxi uos, ut eſſem Deus ueſter. Non uidebatur ergo ſibi, ꝙ eſſet Deus illorum, qui adhuc quaſi non eſſet, quærebat eſſe Deus illorum. Et tamen erat iam Deus illorum, qui de exiſtentibus in Ægypto dixerat Moyſi miſſo ad Pharaonem; dices Pharaoni dominus Deus hebræorum miſit me ad te. Et cum hoc tamen non erat Deus illorum eo modo, quo cupiebat Quare Deus dicitur alicuius? Quia colitur ab iſto. Erat ergo Deus hebræorum adhuc in Ægypto, quia tunc etiam colebatur ab illis. At, quia cupiebat magis coli poſt egreſſionem de Ægypto a iudæis ipſis, ideò eduxerat eos illinc, ut eſſet Deus illorum. Vnde ſcis, Deum ideò eduxiſſe iudæos indè, ut magis coleretur ab eis? Scio hinc; quia dicitur: Ego eduxi uos, ut eſſem Deus Deus ueſter. Taceo, ꝙ etiam ſic intelligatur ly Vt eſſem &c. i. ut perſeueraretis in ſeruicio mei. Hoc enim in Ægypto forſan non feciſſent, ideò eduxit eos indè. Quaſi per hoc unicuique uero Iſraelitæ (in quo dolus non eſt) dicat. Exi è malorum conſortio, ſi uis perſeuerare in bono.

APPENDIX.

1 HInc habes, ꝙ beneficia alicui à Deo donata ſunt admonitiones quædam dicentes ei: Seruias Deo magis. Quaſi dictũ ſit in littera. Eductio, qua eduxi uos de terra Ægypti, incitamentum fuit uobis à me datum, ꝙ faceretis ſic, ut magis eſſem Deus ueſter: id quod fit per amplius obſequium Dei. Beneficia ergo Dei ſunt uoces nos hortantes, & quaſi cõſtringentes, ad ſeruiendum Deo. Secundò conſequenter habes, 2
ꝙ omnes uocantur ad ſeruitium Dei; conſequenter ad ſalutẽ æternam; conſequenter vult Deus omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Quis eſt (rogo) in toto uniuerſo, qui a Deo beneficijs non donetur? Beneficia (ut in littera habes) ſunt uoces Dei ad ſalutem: ergo nullus eſt, qui non uocetur ad ſeruitium Dei, & conſequenter ad ſalutem. Iſta eſt illa uocatio exterior uniuerſalis, quæ ſolet dici dari à Deo omnibus. Tertiò habes, ꝙ deſiderium Dei non tantum eſt ad no- 3
ſtram ſalutem, ſed etiam ad profectum noſtræ ſalutis. Vide, ꝙ hic non contentatur, iudæos coluiſſe ſeipſum; ſed etiam incitat eos beneficijs ad magis colendum ſeipſum. Ergo in uolendo utilitatem noſtram, nunquam ſatiatur, inquantum ſcilicet nos ſemper proficere in ipſa deſiderat; cũ utilitas noſtra in ei ſeruiendo tota conſiſtat. Quartò conſequenter ha- 4
bes, quàm conformiter ad ſcripturam hanc ſcripſerit D. Thomas, quando determinauit 2. 2. q. 24. ar. 7. ꝙ homo in hac uita ſemper in charitate proficere põt. Vt quid enim dicitur uiator, niſi quia nondum ad uiæ terminum peruenit? Via autem eſt charitas, de qua loquẽs Corinthijs Apoſtolus dicebat, adhuc excellentiorem uiam uobis demõſtro. Hanc Sancti Thomæ determinationem diximus huc aptari; quoniam alias deſiderium Dei eſſet ad impoſſibile. Deſideraret nanque profectum noſtrum, qui dari non poſſet: deſiderium uero Dei eſſe fruſtratorium eſt pluſquam inconueniens. At dices. Deſiderat hic Deus nos proficere pro aliquo tempore, quod fieri poteſt, non autem pro ſemper, quod fieri non poſſe uidetur. Reſpondetur, ꝙ gloſa hæc deſtruit textum, unde repudianda uenit. In textu nanque habetur, ut ſim Deus ueſter, non autem, ut ſim uſque ad tãt tps Deus ueſter. Vndè cùm hic non ponatur determinatio tpis ad eſſendum Deũ illorũ, imò cõtrariũ determinationi tali ſuadeatur; gloſa prædicta eliminanda eſt. Contrarium (dico) determinationi illi ſuadetur hic; quoniam uerba ſimpliciter ſumenda ſunt, quãdo ſimpliciter proferuntur. Hic autem proferuntur ſimpliciter, i. nullo addito; conſequenter ſumuntur ſimpliciter. i. nulla determinatione addita. Ratio huius eſt, quia accipienda ſunt ſemper ſcripturarum uerba in potiori ſuo ſignificato, niſi aliud in ueritate obſtet. Quod obſtaculum non eſt hic; quoniam ex alijs ſcripturæ locis profectus talis ſemper datur. Non quòd iam acceperim (aiebat perfectiſſimus Apoſtolus), aut perfectus ſim; ſequor autem, in anteriora extendens meipſum. Et nè hoc de ſe tantùm dixiſſe illum putares, addidit: Quicunque perfecti ſumus, idem ſapiamus. Nullus ergo (ſecundum Apoſtolũ) datur homo uiator, qui non poſſit in anteriora extendere ſemetipſum; & conſequenter magis proficere in ſeruitio Dei. Imò imperfectorum hominum hoc eſſe monſtrauit, putare ꝙ non poſſint ſe in anteriora extendere. Ad hoc enim denotandum ait; quicunque perfecti ſumus, idem (. ſ. nos ad anteriora poſſe noſipſos extendere) ſapiamus: tacitè relinquendo clarum, ꝙ ad imperfectos attinet, ſentire de ſeipſis contrarium. Quintò conſequenter habes, ꝙ habens animum non 5
amplius proficiendi facit contra uoluntatem Dei hic deſcriptam. Hinc iſte talem habendo animum peccat. Et ſi peccat dicendo, non curo amplius proficere, quantò magis peccaret Vide.
dicendo, nõ poſſum amplius proficere? Hinc ad intellectum uerum S. Bernardi uenis, qui dicit, ꝙ in uia Dei non progredi, retrogredi eſt. Quomodo ex ſupradictis intelligitur? Quod ideò talis retrograditur in uia Dei, quia in habendo animum non progrediendi peccat. Omnis enim qui peccat, retrograditur in uia Dei. Sit ergo quotidiè tibi, quaſi nondum ſeruire Deo inceperit. i. hoc æſtimet: & ſic facilius animum non progrediendi uitabit, progrediendique adipiſcetur. Hunc modũ oſtẽdit littera ſe habendi quotidiè, quando Deus, quaſi nondum unquam Deus hebræorũ fuerit, dicit ly ut eſſem Deus ueſter. Per hoc namque dat nobis intelligere altiſſimus, quomodo nos debeamus in dies noſmetipſos habere in ſui ſeruitio. Viator ergo eſt homo, uel quia progreditur, uel quia retrograditur.

¶Applica ad ly (Euangelium) Venite poſt me. Nunquam inuenis dictum, ꝙ ueniant uſque ad tantum temporis. Venite, quid importat? Motum. Nunquam ergo uoluit, nos ſtare idest animum non proficiendi habere, qui dixit: Venite poſt me. Nam ſi uel per tantillum temporis habet quis animum non ulterius ſe mouendi in uia Dei, iam per illud tempus non uadit poſt Chriſtum, ſed ſtat poſt Chriſtum. Ve-

nite igitur poſt me,& incipire mihi ſeruire,& ſemper habeatis uetum animum ultrà proficiendi in ſeruicio meo. Ecce, quòd etiam ex hac auctoritate oſtẽditur, nos poſſe ſemper proficere in charitate, id quod eſt magis, ac magis ſequi Chriſtũ. Venite itaque poſt me.i.mihi per conformitatem adhærete; nec nunquam ſatiemini magis mihi per ampliorem conformitatem appropinquate. Huic ergo propoſito multum aptari uidetur illud medicinæ pronunciatum, quo dicitur, omnis repletio mala, panis autem peſſima. Quis eſt enim ſecundum æſtimationem propriam in uia Dei repletus, niſi qui amplius in anteriora proficiſci non vult, aut hoc ſibi neceſſarium non putat? Quis eſt ſecundum æſtimationem ſuam repletus pane, niſi qui Chriſto uero pani, magis incorporari non deſiderat? Is & repletus pane dicitur, qui ad Euchariſtiam aridus, i. ſine deſiderio, uel quaſi ſine deſiderio diuinorum, ſeu cibi talis, accedit. Illius enim repletio, atque iſtius, manifeſta uidetur. Nam ſi repleti non eſſent: is Dei ſeruitium maius, iſte panem auidè, deſideratet. Mala ergo cùm ſit omnis repletio. & ille, & iſte in malo ſtatu eſſe reperitur. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc 10. capit. 15. deſtruit hæreſes Begardorum, & Beguinarum dicentium, quòd homo in hac uita poteſt tantam uirtutis perfectionem acquirere, ut reddatur omnino impotens ad peccãdum, & amplius in gratia proficere non poſſit, quoniam ſi quis poſſet ſemper proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectioc inueniri. Et eorundem dicẽtium, ut ſupra Leuit. 18.con. 1. Et quorundam (ut refert Direc. Inquiſit. 2. p q. 10.) dicentium, quòd Maria uirgo in conceptione filij Dei ſic fuit plena gratia, quòd ex tunc nec profecit, nec proficere potuit, nec aliquid gratiæ in die Pẽthecoſtes cõſecuta fuit, quia ſic erat plena gratia, quòd proficere in gratia nõ ualebat. Patet enim ex concluſione præſenti totum oppoſitum dictorum errorum. Damnantur quoque, & per conſequens concluſio firmatur, à Clementin. de hæretic. c. Ad noſtrum. Ibi enim, & prædictis & alijs Begardorum erroribus recenſitis, contra omnes fertur ſententia reprobationis. Item à Leuit. 18. conc. 1. Valent & cõtra iſtos decreta Concilij Tridentini ſupra Nume. 15. con. 9 Errorem autem illum in ſpeciali de B. Virgine dãnandum iuſſit, & interdixit, Papa Greg. XI. præhabito multorum magiſtrorum conſilio, ut refert Directorium ibidem, ut ſupra. Vide Sãctum Thomam Eccleſię Doctorem, in 2.2.q.24.art.7. ſpeciatim ad 3m. & art. 8. indeque edoctus cognoſces, quantæ fuerint illuſiones Begardorum a diabolo; ac ſolues. Vide & Cardinalem Caiet. ibid.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XVI.

SVfficiat uobis; quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt dominus.

Concl. 1. *Ambitioſorum eſt laudare populum in eius præſentia; conſequenter oſtendere, ſe ſtare pro populo; cum tamen reuera ſtent contra populum.* [Ex eo.]

CHORE ambitioſus, ut aurã popularẽ facilius captaret multitudinem populi in eius præſentia commendat de hoc; quòd populus Sanctorum eſt, & in ipſis eſt dominus. Laudationem hãc feciſſe ipſum coram multitudine, oſtendit quod ſequitur in textu. ſ. Moyſem locutum fuiſſe ad chore, & ad omnem multitudinem. Non proſpicit autem ambitioſus, an ueritatem laudando dicat nec nè, dummodo ad intẽtum ſuũ .i. ad fauorem populi aſſequendum, perueniat. Quid enim illi, & ueritati: cum ſeipſum uanitati dedicauerit? Ecce laudat chore multitudinem; quòd omnis ſanctorum ſit & in ipſis ſit dominus: & tñ in cap. 14. quot contra hoc dicatur audiuimus. Cur enim mortui ſunt exploratores, niſi quia ſancti nõ erant? Cur alijs cõminatus fuit Deus, quòd terram promiſſam non intrarent, niſi quia ſancti nõ erant? Cur illi, qui aſcẽderunt, uerticem montis, ab hoſtibus effugati fuerunt, niſi quia ſancti non erant? Quomodo ſi fuiſſent ſancti, ſi (ut ibi dicitur) dominus non erat cum eis? Et ſi dicatur, quod multitudo hęc dicitur ſanctorum, & in ipſa eſſe dominum, ratione patrum antiquorum, quia. ſ. erant omnes iſti filij ſanctorum patriarcharum, in quibus fuerat dominus, reſpondebitur, quòd licèt hoc in ſeuerum ſit, non tamen monſtrat intentum ipſius chore, & conſequenter chore dicit falſitatem in uerbis illis iuxta intentionẽ eius intellectis. Quid chore intẽdebat, per illa uerba concludere? Quòd ſanctitas patrum iſtis filijs profutura erat, etiam ſi Moyſi non eſſent ita ſubiecti. Ad hoc ſi quidẽ intentum ſubdit ipſe chore uoce deſpectiua contra Moyſen & Aaron, cur eleuamini ſuper populum Domini? Quaſi diceret illis. Etiam quòd à uobis, tanquam à ſuperioribus, non gubernetur populus; ipſemet bonum finem, ſortiretur, quoniam ipſum eſſe filium ſanctorum, ei multum proficiet ad ſalutẽ. Vide, quàm apertè mendax ſit in his iſte ambitioſus. Nũquid non Deus, ſanctitatem patrum illorum nulli horum ſuffragaturam, demonſtrauit, ſi & ipſi ſancti non eſſent, quando in 14. capitulo cõtra iſtos filios tam comminatoriè locutus eſt? Contra dominum igitur nunc loquitur chore huiuſcemodi uerba, quoniam malitioſa eum obcæcauit ambitio?

¶ Nota hic & aliud, quod in cõcluſione dicitur, quòd dum ambitioſus ſtare pro populo monſtrat, tunc ſtat contra populum. In præmiſſis uerbis populi libertatẽ, ab obedientia uidelicet Moyſis uolẽdo eximere illum, uidebatur inquirere chore, & conſequenter ſtare pro populo. Sic ſonabant ſermones eius. Quid autem ſub illis uerbis libertatis intendebat? Vendicare (ut infra, ipſius aperiens intentionem, dixit Moyſes) ſibi ipſi ſacerdotium, & conſequenter dominium ſuper populum. Dùm ergo quærere populi libertatem uidetur, & procurare pro populo, tunc in ueritate ſeruitutem ipſius quærit, & contra populum procurat. Contra populum ſi quidem, cæteris paribus, eſt nouum ſuper ſe habere prælatum. Aſſuetus enim eſt antiqui prælati moribus, antiquuſque prælatus magis agnoſcit populi conditiones. Quo fit: ut inter eos maior ſit & ſimilitudo, & conſequenter maior dilectio: quandoquidem utraque, ſ. & ſimilitudo & dilectio, ſequitur cognitionẽ. Eſt autem nouum prælatum pro ueteri, cæteris paribus, accipere, ac ſi Doctor nouus pro ueteri ſufficiatur diſcipulo, aut Medico humſce infirmi experto medicus eiuſdẽ literaturæ, ſed minoris experimenti ſuccedat. Hæc aũt quantũ inutilitatis ſeu nocumẽti, afferant tùm diſcipulis tũ infirmis; norunt melius ipſi. Quãtã verò inutilitatẽ afferet diſcipulo, ſi nouus ille Doctor eſſet etiã inſufficiẽs; & infirmo, ſi nouus ille Medicus parum artem medicinę calleret? Maiorem utiq; ſatis: quoniam inutilitatis cauſa (puta nouitas, & inſufficientia) duplicata tunc eſſet. Multùm igitur ſtabat contra populum ipſe chorè; qui nouum ſe prælatum ſuper populum facere diſponebat, & maximè loco Moyſis tàm ſalutem populi amantis, atque regentis. At inquies. Chore inutilitatem iſtam non intẽdebat, ſed utilitatem, quoniam ſeipſum fore meliorem plebis gubernatorem ſperabat. Quid mihi (inquam) de ſua ſpe, ac potius præſumptione? Vnum eſt, quòd incommodum magnum ex illa mutatione adueniſſet plebi undique, etiam ſi illam incommoditatẽ chore non intendiſſet. Dixi ly undiq; quoniam plebs, & ex priuatione tanti paſtoris. ſ. Moyſis damnificaretur, & ex noui ductoris, ſ. ſuperbi chorè aduentu iacturam quinque faceret.

Exempl.

APPENDIX.

HINC habes, quòd ambitioſi falſitatem ſub uero palliant; ruinamque ouium ſub ſpecie zeli (ſi permittantur) introducunt? Nunquid non ruiſſet populus: ſi chore, ut intendebat, regimen ſuper illum obtinuiſſet? Utique. Signum huius pronoſticum fuit, quòd adhærẽtes ipſi chore diſſipati ſunt à Deo. Pręelegit enim Deus diſſipare aliquos de populo, quam totum populum, id quod ſequutum facilè fuiſſet, ſi ipſum chore ſuper multitudinem principari permiſiſſet. 1

Secundo conſequenter habes, quòd fuit diabolo ſimilis ipſe chore in hoc, quòd quoſcunque traxit ſecum in culpam, traxit & in pœnã. Nunquid nõ & Abſalon ambitioſus quos in peccatum ſeditionis ſecum traxit, perditionem quoque mor- 2

tis

3 tis eadem uia illis procurauit? Tertio conſequentes habes,
quòd ambitioſi, atq; ſeditioſi, à nobis ſunt multum uitandi.
Nam ſuis adhærentibus ruinas magnas ſua parant ambitio-
ne, & ſeditione. Qui ſunt ſeditioſi? Quos nominis huius inter
pretatio monſtrat. Seditioſus dicitur quaſi ſeorſum ducens.
Seorſum, à quo? Seorſum, ab ordinario rectore. Vidiſtin iſtũ
chore? Ideò dictus eſt, & fuit ſeditioſus, quia populum ſeorsũ
ducere nixus eſt ab ordinario rectore, ſ. a Moyſe. Vnde qui-
cunque inobedientiam erga prælatum ordinarium ſuadent,
(Nõne hoc faciunt omnes hæretici, ac ſciſmatici?) ſunt ſedi-
Contra hæreticos tioſi. Hoc eſt primum, ad quod exequendum nititur ſeditio-
ſus: vt poſt ueniat ad ſecundum aſſequẽdum quod erat prin-
cipaliter intentum. Quid eſt hoc principaliter intentum a ſe-
ditioſo? Aliud caput, ſeu rectorem alium, conſtituere ſuper
his, quos ab ordinario ſubduxerint. Vidiſtin iterum chore
à Moyſe expreſſum ibi; multum erigimini filij Leui? Hoc
eſt enim, ac ſi dictum eſſet. Tu chore uis teipſum conſtituere
caput ſuper populum. In huius ſignum loquens Moyſes ad
chore dixit, Globus tuus ſtat contra Dominum; Et uobis uen
dicatis ſacerdotium. Dixit namque Globus tuus, ut monſtra
ret, quòd chore ſeipſum, tanquam caput, ad illam multitudi-
nem gerere ambiebat. Seditioſus ergo propriè duo habet,
vnum principaliter intẽtum (. ſ. ſeipſum, uel alium quempiã,
caput nouũ inſtituere, de quo & in primo capituli. 14. exem-
plum legiſti), aliud ad finem (. ſ. diſſuadere obedientiam ver-
bis, exemplis, uel ambobus, ad ordinarium rectorem). Hæ-
retici nunquid non habent vtrunq;? Proculdubio. Diſſuadent
enim, quãtis aſtutijs ſibi ab illo callido ſerpente ſuministra-
tis poſſunt, obedientiam erga Romanum Antiſtitem; qui ve-
rus ordinarius rector ac paſtor omnibus Chriſti ouibus in
B. Petro Apoſtolo à Chriſto ipſo trina confirmatione coram
alijs parentiſſimè inſtitutus, ac datus eſt, Ioã. 21. Et id faciũt
hæretici ad ſe erigendum. Vnde Aug. lib. utili. creden. ait, q̃ hæ
reticus eſt, qui commodi temporalis, maximè principatus &
De hæreticis. gloriæ ſui, gratia falſas opiniones ſequitur. Ergo aſſimilãtur
ipſi chore in culpa. Non dubium igitur, quòd aſſimilabuntur
eidem in pœna. Seipſos ergo cum omnibus ſuis ſequacibus
certiſſimè peſſum daturi ſunt, & hæretici, & ſciſmatici, quo-
4 niam ideo cum ipſo chore eriguntur, ut cadant. Quartò con
ſequenter habes, quòd prophani hæretici non quærunt liber
tatem populorum, quando ipſis obedientiam ad ordinarios
prælatos diſſuadent; ſed quærunt ſuper ipſos erigi multum,
ad inſtar iſtius chore. Quid eſt, ſuper ipſos erigi multũ? Velle
eis populis dominari; eoſque in ſui ſeruitutem redigere, ac
eis uti, ut libet. Similes ergo diabolo patri ſuo ſunt, qui ideo
nobis obedientiam ad Deum Deique vicem gerentes diſſua-
det, quò nos in ſuam tyrannidem trahat, noſque ſecundum
ſuam uoluntatem, quocunque uoluerit miſerrimè ducat. De
horum hæreticorum præmiſſa intentione contra populos lo
quebatur Apoſtolus ad Corinthios, quando talia dixit. Suſti-
netis; ſi quis (en ipſi ſunt Chorei tæ) in faciẽ nos cædit; ſi quis
extollitur; ſi quis deuorat, ſi quis uos in ſeruitutem redigit. Si
cut enim ſeducere conabantur pſeudo Apoſtoli Corinthios,
ab obedientia ad Apoſtolum, ut in ſeruitutem propriam do-
ciſſimam (Hæc dinotatur pro habet in faciem uos cædit, ex-
tollitur, deuorat, in ſeruitutem redigit) ipſos aſtutiſſima illa
uia, attraherent: ita hæretici in pſeudo Apoſtolis, talia inten-
dere, talemque uiam ad intentum ſuum aſſequendum am-
plexuros fore, deſcripti fuerunt. Libertatem itaq; populis an-
nuntiant ore, ſi quæ dicunt fecerint: Et ſeruitutem illis
imponere intendunt grauiſſimam, ſi ſuis dictis aſſenſum
præbuerint. O bella præmiatio ſuorum ſequacium.
O bellus fauor, quem populis prædicant. Sed vide aſtu-
tiam. A libertate vera, quæ in legitima obedientia conſiſtit,
populos prætextu ſeruitutis, nẽ. ſ. ſerui ſint auocant: & ad ſer-
uitutem grauiſſimam ſub nomine libertatis aduocant. At pa
trem ſuum chore imitantur, qui tali aſtutia populos Iſrael
de vita ad miſerabiliſſimam mortem uocauit (ut per capitu-
li diſcurſum patet.)

¶Fœlices vtique fuiſſent iſti iudæi, ſi fœlicitatem ab ipſo chore promiſſam noluiſſent. Nunc autem quia ipſius fœlicitatem voluerunt, ideò infœliciſſimi facti ſunt, ac propterea fœlicitatis nomine deluſi. Nunquid non voluerunt ipſius chore fœlicitatem, quando à Moiſaica diſciplina ſubducere ſe, ad ſuaſionem chore erã tentaturi? Vtique. Fœlicitas nã quæ à chore promiſſa in rebellione ad Moyſen conſiſtebat, ac inobediẽtia. Dicebat. n. chore. Si vos ab iſto moſaico iugo ſubduxeritis, beati eritis, liberi eritis, vitã floridã ducturi eſtis. Vide fœlicitatẽ promiſſam ab hæreticis hic ad vnguẽ de pictam, Cæterùm inopinatam, ſubitaneam, horrendiſſimãq; audi, infœlicitatem eis vice fœlicitatis obuenientem. Aperta eſt terra, & eos, omneſque ſuos deglutiuit: atque viui deſcenderunt in infernum, vt legis in textu. Caueat igitur populus, nè credat Choreiticis hominibus. i. hæreticis, quoniã abſq; du bio, ſi id non cauerit, à Deo morte inuſitata, & hic, & in futuro percutietur. Legiſtin vnquam verſum illũ; Si non vis calui, fugias conſortia calui? Hic ad propoſitum capituli huius accommodatiſſimum eſt. Quomodo interpretatur chore nomen? Caluus. Non mirum igitur, quòd caluetur. i. decipiatur, qui ipſius chore conſortijs adhæret. Eadem ratione, quia, ſcilicet hæretici omnes (vt oſtendimus iam) ſunt choritæ, decipi neceſſum eſt eos ab illis, qui eos, eorumque dogmata ſequuntur. Hæc omnia prædicta bene nota, contra hæreticos.

ADuerſus Moyſen & Aaron &c. cur eleuamini ſuper populum domini? Quòd cum audiſſet Moyſes locutus eſt ad chore &c. Multum erigimini filij Leui? *Text.*

Concl 2. *Hæretici nobis imponunt falsò illa, quæ de ipſis nos catholici ueraciter dicimus: ſed ad cognoſcendum inter tantas turbas, quis uera de altero uel falſa loquatur, canonicas litteras oportet conſulere ſecundum uerum ſenſum Sanctæ Eccleſiæ (Huius enim eſt iudicare de uero ſenſu, & interpretatione ſcripturarum ſacrarum. Concil. Tridentin. Seſſ. 4.) intellectas. Alioquin ſemper in ancipiti ſtabimus* [Ex eo]

Hvivs concluſionis figura hic ſcribitur: figuratum verò illud quotidie cernitur. Figura eſt inter ipſum chore, & Moyſen. Figuratum inter hæreticos, & catholicos. Moyſes enim catholicorum, chore autem hæreticorum (per hæreticos etiam alios infideles intellige) partes agit. Audi. Moyſes dicit ipſi chore cum adhærentibus illi, Multum erigimini filij Leui. Chore cum ſuis dicit Moyſi & Aaroni, Cur eleuamini ſuper populum domini? Vterque ergo reprehendit, & taxat alterum de ſuperbia; & conſequenter de omnium peccatorum regina, delictoque maximo, magis tamen, & minus. Si enim ponderes uerba ipſius, chore, cum illa. ſ. emphatica interrogandi (melius dicam reprehendendi) nota tunc perſpicies, quòd chore cum maxima inuerecundia, præſumptioneque, ſuperbiam arripuit Moyſi & Aaroni. Quid ſi adiunxeris, quòd Moyſes, & Aaron erant perſonæ maiores, quam chore, necnon honore quouis dignæ; ac ipſius chore benefactrices? Procul dubio temeritatẽ iſtius chore in uerbis prædictis hinc maximè importari ſatebers. Si etiam addideris illud quod ſupra (capit. 12.) habuimus Moyſen. ſ. fuiſſe mitiſſimum omnium; tunc intelliges, q̃ iſte chore in his uerbis & mentitur & maximè mentitur. *Ratio.* Superbum itaque, inuerecundum, præſumptuoſum, ingratiſſimũ, mendaciſſimum, ex prædictis conuinces fuiſſe ipſum chore ſuis in ſermonibus. Hincque fiet, ut uideas, quòd Moyſes minus ipſum chore de ſuperbia taxauit, quàm taxatus ipſe a chore fuerit, & conſequenter quòd modeſtiùs locutus eſt ueritatem Moyſes, quam ipſe chore falſitatem. Veniamus iam ad figuratum. Nunquid non de peccato maximo hæretici taxant catholicos, quando ipſos uocant hæreticos? Nunquid non catholicorum expoſitiones in ſacra ſcriptura hæretici uocant hæreticas? Verè ex animo ſuo alios iudicans eſſe tales. Quia enim ipſi hæretici ſunt, & ſcripturas diſtorquent 2. Petr. 3. ideò catholicos iudicant hæreticos, & ſcripturarum diſtortores. At ipſi (inquis) hæretici ſic de catholicis dicent. Quia inquient, uos eſtis hæretici, & ſcripturas diſtorquetis; ideo uos uocatis nos hæreticos, ac ſcripturarũ diſtortores. Quid ergo inter hæc tam diuerſa faciendum, ut cognoſcamus ueritatem? Catholici ſeipſos catholicos, contrarioſque hæreticos appellant. Hæretici ſimiliter ſeipſos catholicos, contrarioſque hæreticos nuncupant. Quis horum ueritatem dicit? Cui credendum eſt? Neutri illorum, ut illi præciſè homines ſunt, credendum eſt, ſi uis reperire uerũ: ſed dominũ cõſulere oportet, quò ex ipſo ueritatẽ agnoſcamus. Sequendus eſt in hoc diſcrimine Moyſes, hoc eſt, illud, q̃d ipſe

in tanto periculo fecit, & nos facere debemus. Etenim ille figura fuit noſtri, ac iſtius ueritatis inueniendæ ſolidiſſimum exemplar. Quid fecit Moyſes? Quando uidit ſeipſum à chore de maximo peccato taxari (hoc peccatum maximum repræſentabat hæreſim); & ipſum chore in tali peccato eſſe, quod ſibi imponebat; Nec tñ ipſum chore uelle ſe peccati talis eſſe reum, Moyſen uerò immunẽ: Tunc inquã quid faciẽdam dixit, ut ueritas pateſieret? Manè (inquit) notum faciet Dominus, qui pertineãt ad ſe, & ſanctos applicabit ſibi. Hoc igitur facite. Tollat unuſquiſque thuribulum ſuum &c. & ponite coram domino, & quemcumque elegerit, ipſe erit ſanctus. Hæc dixit Moyſes ipſi chore, illiuſque ſequacibus. Ac ſi dixiſſet apertius. Tu me de maximo peccato notas, ego te de eodem, & uterque noſtrum ſe de impoſito crimine innocentem profert. Nec tu mihi credas igitur, nec ego tibi; ſed iudicium ueritatis expectemus a Domino cras. Quemcumque enim Dominus innoxium monſtrabit, is proſectò innoxius erit, & quemcumque culpabilem pronunciabit, is procul dubio culpabilis erit. Ita fiet, ut populus nos audiẽs uaria de nobis proferentes ad inuicem, ueritatem clariſſimè agnoſcat, & conſequenter, hæſitatione omni poſtpoſita, ueritatem ſequi ualeat. Hoc eſt exemplar, quod nobis à Domino in monte, idest in Moyſe monſtratum eſt. Faciamus ergo & nos ſecundum hoc exemplar, & uerum a falſo cras, ideſt citò, dignoſcemus apertè. Vbi igitur Dominus, qui à nobis conſolatur? Scriptura Domini. Scripturas (inquit Chriſtus) ſcrutamini, quoniam ipſæ teſtimonium perhibent de me, ideſt ubi oſtendunt quid ego dicam, quid faciã, quid uelim, quem eligam, quem odio habeam, quem pro bono iudicem, quem malum pronunciem. Inuentus ergo a nobis eſt Dominus. Modò conſulatur. Tollat (inquit Moyſes) unuſquiſque thuribulum ſuum, & ueniat ante dominum: ut ueritatem hãc poſſit agnoſcere. Thuribulum cuiuſq; quid eſt? Intellectus ſuus. Intellectum ergo ſuũ hũc ferat unuſquiſque, ut ſciat, nos in ignorantia non fundari, ſed in ſcientia. Honor enim regis non

Pſalm. ignorantiam, ſed iudicium (hoc non tantum ſcientiam, ſed ſcientiam certiſſimam ſonat) diligit.

EXAMEN MAGNVM, AVREVM.

EAMVS cum thuribulo noſtro coram domino, & electos ab ipſo, reprobatoſque, uidebimus. En Dominus in prima B. Ioannis canonica capitulo ſecundo: uadamus ad eum cum thuribulo noſtro. Quid ibi legis? Quis ſit catholicus, quis ſit hæreticus. Ablata igitur eſt omnis ambiguitas, quoniam dominus, ad cuius conſpectum uenimus, locutus eſt. Non igitur amplius dubitari poterit de ueritate, quoniã non in ore hominũ, ſed in ore Dei, conſtitutam habebimus. Poterunt dicere modò homines, hic eſt Chriſtus, aut illic;

Matth. 24. nos non credemus. Poterunt dicere, Ecce in deſerto eſt, ecce in penetralibus: Nos non exibimus. Quare non ad illorum dicta credemus, aut exibimus? Quoniam dominus, ubi ſit, demonſtrauit. Vnde quod ipſe demonſtrauit, noſtra demonſtratione non opus habet. Teſtimonium enim Dei maius eſt, quàm teſtimonium hominum. Hoc eſt autem teſtimonium Dei, quod maius eſt, quod teſtificatus eſt de eſſe catholico, & hæretico. Vbi? Iam diximus; in B. Ioanne. Audi B. Ioannes in loco prçallegato, ut nobis utriuſque aperiſſimã cognitionem traderet, utrumq; diffinitur. Sciebat enim quòd diffinitio eſt uia certior omnibus alijs ad cognoſcendum aliquid; unde & ad hoc ſignificandum diffinitio rei a philoſopho dicitur ianua omnis cognitionis de re illa. Diffiniuit ergo catholicum, diffiniuit & hçreticum, ſub nominibus tamen alijs, quoniam per ly Nos, intellexit catholicos, per ly Antichriſtos, uerò hæreticos. Exierunt (inquit) Antichriſti ex nobis: Et, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Sic ergo diffinit hæreticum. Hæreticus eſt ille, qui exijt ex nobis, Sic autem diffinit catholicum. Catholicus eſt, qui permanet nobiſcum (quantum ad intelligentiam. ſ. Patet enim ex contextu ibi ſermonem eſſe de ueritate, & de mendacio. Ergo utrobiq; in diffinitione eſt ſubintelligendũ ly Quãtum ad intelligentiam) Quid clarius? Afferat unuſquiſque thuribulũ tuũ, & videat. Quis loquitur? B. Ioannes, imò in B. Ioanne dominus. Quid ergo intelligis per ly Nobis? Apoſtolos. Ioannes ſiquidem Apoſtolus, non Pſeudoapoſtolus, erat. Ergo per ly Ex nobis, caput Apoſtolorum uerum. ſ. B. Petrum cointelligis. Catholicum ergo illum eſſe nonnè liquidiſſimè ex his dictum à Ioanne fuiſſe; qui cum B. Petro Apoſtolo manet? Vtique, & limpidius luce hoc eſt. Quid inde reſtat? Quòd hæreticum illum. B. Ioannes ſanxerit: qui ex nobis, ideſt à B. Petro Apoſtolo, exierunt. Intellexiſti hæc omnia? Hæreticus itaque nullo modo dici poteſt is, qui B. Petro Apoſtolo adhæret, ſicut nec catholicus unquam uerè dici poterit ille, qui a B. Petro exit. Vbi B. Petrus Apoſtolus? Vbi ſucceſſor eius. Vbi talis? Vbi Roma. Romanus nanque Pontifex eſt uerus B. Petri Apoſtoli ſucceſſor; quoniam ibi ſuccedit aliquis Petro, ubi Petrus decedit. Naturale etenim hoc eſt, ut ſuccedere dicatur quis alicui, qui eius locum tenet; & eius locum tenere dicatur, qui eius locum decedentis ſubintrat: quod utique in diuerſis locis non eſt, ſed in eodem loco. Verbi gratia. Corpori corpus ſuccedere tunc dicitur, quando eundem locum, quem corpus anterius deſerit, corpus poſterius acquirit. Phyſicam legat, qui negat hoc, & ſuam ignorantiam fateatur. Quis modò neſciat, B. Petrum Romæ deceſſiſſe ſub Nerone Auguſto? Succeſſor ergo eius Romæ, non alibi, dignoſcatur eſſe, oportet, hoc eſt, Romanum Pontificem, non alium quemlibet, ſucceſſorem B. Petri Apoſtoli dicere. Cum autem Romanus Pontifex ſit uiſibilis, ſenſibiliter audiatur: impoſſibile eſt neſcire, quinam ſint ab eo exeuntes, & qui cũ eo permanentes. Ab eo namque exeunt, qui eum non audiunt obtemperando in his, quæ ſunt fidei: cum eo permanent, qui eius de fide iudicio ſe cõmittunt. Impoſſibile itaque eſt, non cognoſcere ueraciter, quis ſit hæreticus, & quis catholicus. Dicat ergo chore Moyſi, in non es ex parte domini: taxet Moyſen de peccato maximo. Nunquid propter hoc Moyſes non eſt à parte domini; aut peccato maximo obnoxius? Non utique, quoniam propter noſtrum affirmare, uel negare, nihil mutatur in re. Dicat Moyſes ipſi chore atque ſequacibus; uos maximo peccato inuoluti eſtis. Nũquid propter hoc choritæ talibus infamijs obuoluuntur? Non uiq; propter eandem rationem: niſi inquãtum loquitur Dominus in Moyſe. Licèt n. noſtrum affirmare, vel negare, non inferat rem ueraciter eſſe talem neceſſariò, tamen diuinum affirmare, uel negare, talem ineuitabiliter rem eſſe veraciter infert. Vnde ſi Deus dicit, ipſum chore eſſe malum, hoc ueraciter in chore inuenitur; non quia Deus per ſuum dictum cauſet malitiam in chore, ſed quia diuino dicto non poteſt ullo modo ſubeſſe falſum, id quod de humano (ut ſic) dicto uerificari nequit. Solus enim Deus ſecundum ſe infallibiliter eſt verax, & omnis creatura (ut ſic præciſè) mendax. Moyſes igitur non quatenus homo præciſè, ſed quatenus habens inſpirationem a Deo, ueritatem de ipſo chore dicebat; quando ipſum de maximo delicto arguebat. Quod autem inſpirationem diuinam, dum talia de chore dicebat, haberet, patuit per effectum domini ſubſequẽtem. Talis enim effectus Moſaycum dictum pro vero approbauit: Et Choriticum dictum pro falſo annotauit. Et hic eſt ſtatus. Cum ergo vis agnoſcere an catholici, uel hçretici de ſe inuicẽ uera, uel falſa loquantur, ad dñi effectum. ſ. ad ſcripturam facta (ut ſupra in concluſione) confugito. Et hic ſit oĩs controuerſiæ ſtatus atq; decimo. Vide Leuit. cap. 21. con. 2. exam. aure. 1. 2. 3. confirmantur prædicta de Romano Pontifice a Grçcorum ipſorum concordi ſententia (duobus ſolum exceptis) in ſacro & maximo Concilio Florent. Seſſ. vltima, quorum Græcorum præmiſſa ueritas ex ſuis Doctoribus Græcis excepta (vt ibi dicitur) fuit poſtmodum Latinis intimata, & ſic a toto Concilio ſimul ibi in litteris ſanctæ vnionis repoſita, roborata, ſolemniterque publicata.

APPENDIX.

HINC habes, quomodo intelligas dictum Chriſti ita, q liquidiſſimè ex dicto illo in cognitionem perſonarum venias & nullum inde tibi dubium relinquatur. Quod eſt illud dictum Chriſti? A fructibus eorum cognoſcetis eos. Hic voluit Chriſtus nos docere modum, quo falſos prophetas (. ſ. hæreticos deprauantes prophetas. ſ. ſcripturas ſanctas) agnoſcamus, & dixit. Licèt ueniant ad nos in ueſtimentis ouium, tamen a fructibus eorum cognoſcetis eos. Quæ ſunt ueſtimẽta ouium? Eleemoſynæ, ieiunia orationes, ſcripturarum ſacrarum ſcrutatio, & huiuſmodi. Si hæc egerit fidelis: nonnè dicam, iſta eſſe fructus illius? Vtique. Sunt igitur iſta fructus. Quid ſi ſunt fructus, & ad me ueniat aliquis falſus propheta talibus operibus ueſtitus, vnde cognoſcere debeo hunc? Si ex fructibus eius: ergo, cum bonos fructus præſeferat, iudicabo hũc bonum? Nõ. Illi enim fructus nõ ſunt fructus eius, ſed ſunt fructus ouium. Si fructus ſunt ouium, & hic facit illos, nunquid hic eſt ouis? Reſpõdetur, q non. Ratio eſt; quia

fructus

b fructus iſti non ſunt facti ab hoc, ſed ſimulati ab hoc. Vnde
c veſtimenta huius diei quidem poſſunt illa opera; non autem fructus. Ex intrinſeco enim calore procedunt fructus (vt in arboribus patet) veſtimenta verò ab extrinſeco veniunt.

De fructibus ac veſtibus. Vnde fructus à mortuo produci non poſſunt, veſtimenta verò mortuo imponi poſſunt. Calor intrinſecus, à quo opera habeat quòd dicantur fructus, quid eſt? Gratia Dei. Cum itaque quicquid procedit à gratia Dei, ad honorem Dei ordinetur & ad ſalutem proximi, reſtat, vt quicquid ſit, ſi ad gloriam Dei ad ſalutem que proximi non ordinetur, non poſſit dici fructus; & ideo diximus, quòd iſta opera ſunt tantùm fructus ouium; quoniam oues ſolummodo iſta opera ordinant ad laudem Dei & ſalutem proximi. Quomodo enim falſos prophetas dixerem ſic ordinare illa, cum intrinſecus ſint lupi rapaces? Rapaces; quare? Quia per illa opera intendunt rapere honorem Deo, ſibique ipſus attrahere; rapere ſalutem proximi, ipſiusque damnum procurare. Remanet ergo, quòd illa opera ſint fructus ouium, & non iſtorum: Licèt iſtorumque veſtimenta dici valeant. Veſtimenta ouium ſunt ad defenſionem à malis, veſtimenta iſtorum ſunt ad oſtentationé falſæ bonitatis, & coopertionem veræ malignitatis. Et ideo ſupradiximus; quòd præmiſſi fructus ſunt quidem ſimulati ab iſtis, idest exterius ſolùm oſtenſi, ſed non ſunt facti ab iſtis: quandoquidé non eſſent intrinſecus lupi rapaces modo expoſito, ſed intrinſecus eſſent oues omnia quæ habet, donantes patrono. Hinc eſt, quòd Chriſtus non dixit, A veſtimentis eorum cognoſcetis eos; vel, a fructibus oſtenſis ab eis cognoſcetis eos, ſed, à fructibus eorum cognoſcetis eos.

Quæſtio. ¶Sed dices. Si opera ideò dicantur fructus, quia ſunt à calore intrinſeco, ergo nõ potero ego facilius cognoſcere falſos prophetas; cùm illorum intrinſecum non videam. Per eandé quoque rationem nõ valebo cognoſcere faciliter bonos prophetas, & diſcernere vnum ab alio. Remanebo igitur in ancipiti de via ſalutis meæ. Aut ſaltem talis viæ cognitio non erit mihi facilis, ut Chriſtus in verbis præmiſſis, maximè adiuncto contextu, voluiſſe innuere videtur. Quomodo igitur illos agnoſcam ex fructibus eorum? Forſitan ex malis, quia mala ſunt fructus eorum? Non poſſum hoc faciliter, quoniam mala ſua ſub veſtimentis ouium contegunt, unde aut ſola bona video, aut mala difficulter. Vlterius ſi mala iſtorum quædam aliquando video; ſuccurret mihi tunc, quòd nemo ſine crimine viuit. Qui ſunt igitur illi fructus eorum, qui manifeſti ſunt ad videndum, & ex quibus viſis eos eſſe falſos prophetas ſine

Solutio optima ſcrupulo dubietatis dicere poſſim? Reſpondeo, & quidem firmiſſimè tenendum, videlicet quòd fructus eorum tales ſunt illi, qui in diffinitione à B. Ioanne data de his falſis prophetis habentur. Quid habes in diffinitione illa? Quòd proprietas iſtorum propriè tantum eſt exire quantum ad intelligentiam à B. Apoſtolis, conſequenter a B. Petro Apoſtolo, conſequenter à ſucceſſore eius, conſequenter à Romano Pontifice. Sic ſupra deductum fuit, atque firmatum. A fructibus ergo eorum i. ab iſto illorum exitu, cognoſcetis eos. Hic autem exitus vocatur in plurali fructus, quoniam hic exitus licèt ſit unus, plures tamen malos fructus ſecum trahit. Quemadmodum & peccatũ originale licèt ſit vnum in quolibet, tamen, propter eandem rationem vocatur peccata mundi. Talis quoque exitus dicitur fructus non ſimpliciter, quoniam non procedit à calore naturæ noſtræ conformi i. à gratia, ſed fructus ſecundum quid i. fructus eorum, quoniam à calore naturæ noſtræ difformi i. à malignitate prouenit. Talis exitus eſt manifeſtus; quandoquidem hunc alijs toto ſuo poſſe ſuadere nituntur, adeo quòd & verbis, & exemplis, ſe talem exitum feciſſe in aperto proteſtantur, & ſic proteſtantes de hoc gloriantur. Nõ potes igitur ambigere, quoniam malos iſtorum fructus præmiſſos, clauſis quodammodo etiam oculis, videre compelleris. Ad hunc ſenſum in Apoſtolo Gal. 6. quòd opera carnis legis: inter quæ ibi ponuntur ſectæ, ſunt manifeſta. Quare ſunt manifeſta? Propter rationem iam nunc adductam. Talis quoque exitus non eſt de illis peccatis, de quibus dicitur, quòd nemo ſine crimine viuit, ſed eſt de illis de quibus dicitur quòd qui non credit iam iudicatus eſt. Et propter his eorum fructibus viſis, idest hoc eorum exitu, non potes non cognoſcere pro certo, quòd illi ſunt falſi prophetæ. Vide ergo quid Chriſtus in verbis prædictis. ſ. a fructibus eorũ cognoſcetis eos, voluit principaliter dicere, & nunc (ut oſtenſum eſt) videbis, quòd qui ſint hæ-
d retici, ad digitum demonſtrauit. Secundò cõſequenter hinc fit, quòd quicunque credunt hæreticis dicendo, neſciebam quòd eſſent hæretici (niſi fortè nimium obmiſi fuerint), ſunt inexcuſabiles de peccato ſuo. Habent enim, ſeu habuerũt, à Chriſto ſignum apertiſſimum atque indubitatum ad cognoſcendum eos ſin quòd expoſitum eſt. Hoc ſignum dictum a Chriſto fuit figuratũ fore apertiſſimum, & conſequenter pro apertiſſimo ſumendum, quando terra dirupta eſt ſub pedibus, horũ iudæorum ſeditioſorum cunctis videntibus, ab ipſaque deglutiti fuerant. Hoc enim factum datũ fuit pro ſigno alijs Iſraelitis, quòd iſti Choritæ erãt mali, Moyſes verò bonus. Quia igitur ſignum illud fuit manifeſtum iudæis omnibus, hinc ſignificabatur, quòd ſignum figuratum in lege noua a Chriſto erat dandum ad cognoſcendũ figuratos Choritas, qđ quidé ſignum futurum erat manifeſtiſſimum. Vtrunque ergo ſignum, & figurale ſ. & figuratum, fuit a Deo, ac vtrunque ad ſuccurrendum ſaluti fidelium, ſufficientiſſimè datum eſt.

Tertiò conſequenter habes; quòd non eſt ex inſufficientia, idest immanifeſtatione ſigni, quòd aliqui nũc imitentur hæreticos ſeu alios infideles (id enim ſignum ad cognoſcendum omnes infideles valet,) ſed eſt ex defectu hominum. 3
Quemadmodum enim murmuratio, de qua textus, ſequenti die a iudæis zelantibus pro chorè facta non proceſſit ex immanifeſtatione ſigni illius figurãtis, ita & nunc, quòd aliqui zelent pro hæreticis (credendo, ſcilicet illis, vel fauorem aliquo modo præſtando, vel illos excuſando, vel laudando,) non prouenit ex immanifeſtationem illius ſigni figurati. Vnde iſta iudæorum, quam narrat litera, murmuratio proceſſit? Ex malitia populi. Hoc enim eſſe verum; teſtata fuit pœna ſequens, ſcilicet incendium à Domino cõtra murmuratores tales immiſſum: ſignum profectò, quòd etiam fauentes quouis modo hæreticis comburi merentur. Sicut ergo ex iudæorum malitia fuit, quòd pro ipſo chore zelauerũt, ita etiam ex hominum malitia nunc venit, quòd aliqui, imò multi (Non enim ſine cauſa dicimi nunc, quòd omnis multitudo ſequenti die murmurauit) pro hæreticis aliquo ſupradictorum modorum zelent. *Aut exemp.*

Quartò conſequenter habes, quid circa iſtorum murmurantium cæcitatem, in figura temporis noſtri, aduertas. Quantitatem cæcitatis iſtorum nota; quæſo. Viderunt hi tàm inſolitum, tàm horrendum, tàm monſtruoſum, ſupplicium datum a Deo ipſi chore cum ſequacibus; & nunc, nunc, quaſi nil viderint omnino, ipſum chore ſequuntur, atque commẽdant. Viderunt Deum tam ardentiſſimè pro Moyſe contra ipſum impetẽtes exarſiſſe; & nunc, nunc, quaſi nil protius viderint, contra Moyſem inſurgunt. Cæcitatis huius quantitatem tu pondera, & vide, ſi homines ſunt huiuſmodi, an beſtiæ. Quid? Non ipſos beſtias, ſed malas beſtias, idest peiores beſtiis, dixerim. Etenim ſi beſtiarum unam, nè ſic faciat, flagellaueris, alias ab hoc flagello erudiri naturaliter, ita videbis, ut abſque noua flagellatione faciant repentè, quòd te per unius flagellationem velle coniectarunt. Nonnè ad ſenſum quotidie id patet? Et tamen quàm citò ipſum chorè, quem flagella peſſimam rem feciſſe monſtrarunt, ſecuti fuerint illi, audinimus. Sequenti (inquit) die. Saltem expectaſſent aut tempus, quo iſtius punitionis domini obliti fuiſſent; aut certè alteram diem poſt illam. Quid eſt ſequenti die, niſi citò, immò citiſſimè, poſt factum illud dominicum? Quid eſt citiſſimè, poſt tantum factum peccare, & in fauorem choritarum quidé? Eſt oſtendere manifeſtè; ſe non per obliuioné, nec per ignorantiam, ſed per grãdem malitiam peccare. Hoc de hoc notauit ſcriptura cùm dixit, iſtos non tantum peccaſſe, ſed ſequenti die. Et quomodo ſi tàm horrendam pœnam in memoria retinebant, illam non timuiſſent? Quoniam præ malitiæ magnitudine impediti ſunt, nè ſuper talis pœnæ timorem cogitarent. Audiſtin unquam de aliquibus fuiſſe a ſcriptura dictum, quòd excæcauit eos malitia illorum? Quid eſt dicere, excæcauit eos malitia illorum, niſi patefacere, quòd talis cæcitas, ſeu ignorantia, fuit affectata? Affectata ſanè, quoniam à malitia in affectu exiſtente cauſata. Vidiſtin unquam; ignẽ fumantem prohibere viſionem aliquarum picturarum præ ſe exiſtentium; quæ aliàs de ſe ſunt viſibiles, igne ſcilicet remoto? Quid modò ſit malitia; nouimus. Malitia enim eſt idem; quod malignitas. Malignitas verò idem eſt; quod mala igneitas. Quare mala? Quia tibi nocet. Facit enim quod non videas illud quod ante te eſt, & conſequenter quod aliàs, remota, ſcilicet iſta igneitate, & videres & facillimè videres. Non mireris, ergo quòd iſti non timuerint pœnam, aut quòd illius recordati ad timendum non fuerint, quoniam igneitas hæc, præ fumoſitate ſua ad cerebrum, illos & à recordatione proficua, & omnino à recordatione forſan, impediebat. Ratione enim malignitatis intraneæ fumantis nec heſternì ſupplicij recordabantur, *Exempl.* *Exempl.*

nec illud timebant; & ideò à murmuratione non ceſſabant. Vide, quantum bonum cauſaſſet timor, & quantum malum cauſauit intimiditas. Cùm igitur malignitas timorem abſtulerit ab illis, & intimiditatē attulerit eis; procul dubio malignitas non peccatum modò dicetur; ſed peccans peccatū. Quare peccatum, peccans? Quia peccata multa cauſat hoc peccatum, ſcilicet malignitas, vt iam demonſtrauimus, ex litera.

NOTATIO.

DEVS tam acriter contra chorē choritaſque iratus eſt, quia pro Moyſe maximè ſe zelare, uoluit nobis declarare. Chore namque ideo peccauit, quia contra Moyſen, & verbis ſuperbiam ſonantibus, & factis ſequaces adunantibus, ſeipſum erexit. Vt igitur Deus mōſtraret, ſe curam honoris Moſayci habere cordialem, ideò contra chore honorem Moyſis dupliciter (ut dictum eſt) tangentem ita deſeuit. Si hoc fecit pro Moyſe, quid rogo, faciet pro Eccleſiæ ſanctæ primicerio? Si tantum zelauit pro ductore ſynagogæ, quantum, putas, zelabit pro Eccleſiæ ſanctæ capite? Si contra inſurgentes in Moyſen ita efferbuit, quid contra oppugnantes Papam facturus eſt? Magis utique magiſque multùm, Eccleſiæ ſuæ capiti aderit; maioribuſque pœnis aduerſarios caſtigabit illius. Huc attendant hæretici, ipſumque chore imitari ulterius pertimeſcant: ſi fortè malitia nondū obcæcauit, adinſtar murmurantium ſequenti die, corda illorum. Huc attendant & cæterinè hæreticos ipſos contuendent, ſcientes, quòd murmurantes pro chore incendio perierunt.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) Nè circunferamini omni uēto doctrinæ. Vel ad ly (Ioannes) Nolite omni ſpiritui credere. Vel ad ly (Apoſtolus) Doctrinis uarijs, & peregrinis, nolite abduci. Vel ad ly (Euāgelium) Cauete ab hominibus &c. attendite a falſis Prophetis. Quare attendendum? Quia loquuntur, ut oues ſe catholicos uocātes; alioſque pro hæreticis in populo nominantes. Ob hoc attendendum, nè ab horum uocibus ſeducamur, eos propter voces illas credentes catholicos. Si tantùm ad uoces ipſius chorè attendiſſes, quid dixiſſes? Quòd chore erat bonus, Moyſes uerò malus. Ecce, quantùm ex ſola uocum inſpectione deceptus fuiſſes. Nè igitur circunferaris, ad monitum Apoſtoli, omni uento doctrinæ; nè omni Spiritui, ad Iohannis hortationem, credas; nè doctrinis uarijs, ad Apoſtoli monitionem, abducaris; ut caueas, ad Chriſti ſuaſionem, ab hominibus, ut attendas, ſecundùm quòd ipſemet inſtruit, à falſis Prophetis: Ad Deum enim Moyſe confugito, Deum teſtem interpellato, effectum Dei ſacram videlicet ſupradictam ſcripturam iuxta ſanctæ Eccleſiæ ſenſum conſulito. Sic.o.fiet, ut & chore pro chore agnoſcas, ac ideò uelut malum deuites, & Moyſen pro Moyſe agnoſcas, atque ideò ceu bonum ſequaris. Hinc poſtea fiet, ut ſupplicia ipſi chore data effugias, & fauores Moyſi hic à Deo præſtitos faciliter habeas. Vide, quanta bona, quotque, ex ſacrarum ſtudio ſcripturarum proueniant. Ideò enim chore pro chore renuiſti, quia ſtuduiſti; ideò ipſum uitaſti, quia ſtuduiſti; ideò pœnas ipſi datas euaſiſti, quia ſtuduiſti; ideò infernum illi collatum fugiſti, quia ſtuduiſti. Item ideò Moyſen pro Moyſe ſuſcepiſti, quia ſtuduiſti; ideò ipſum adamaſti, quia ſtuduiſti; ideo ipſum imitatus fuiſti, quia ſtuduiſti; ideò fauores ipſi è cœlo datos habuiſti, uel habere meruiſti; quia ſtuduiſti. Ea quantus turbis erutus, & in quantam ſerenitatem eductus fuiſti; quia ſtuduiſti? Ama igitur ſcientiam ſcripturarum, & hæreticos pro catholicis non amabis, catholicoſque pro hæreticis odio non habebis, quoniam omnia in harum luce clareſcent.

De ſtudij utilitate.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 2. cap. 16. confirmatur maximè, & declaratur, per compend. Albert. Magni lib. 7. cap. 9. ſchol. Item lib. 5. c. 43. ſchol. quæ loca omninò uideas; quoniā mirabilia, & uerìſſima ſunt. Facit ad hoc etiam multum conſiderare dicta Leuit. 13. con. 1. & Numer. 2. 9. 10. Item Elucid. pri. par. ar. num. 1. 184. Memento autem ſemper uidere loca citata tibi, quò & hic, & ubique iuxta occaſiones mitteris ad ſtudendum. Quia uerò de hæreticorum uerſutijs inſidijs, & conditionibus, aliqualis incidit ſermo, propterea depictos ipſos à ſacris litteris (nè quando tantùm uocāt latenter, quātum uelleut) proponere ante oculos tuos operæpretium duxi, licet, uarijs uerbis, earundem ſenſu ſeruato, ut illos euidenter ex pictura cognoſcens euitare totaliter, euitarique facere à quibuſcunque, faciliùs poſſis. Vide picturam. Hi ſunt operarij ſubdoli, ac fallaces hæretici, populi chriſtiani capitales mortiferique inimici, ſubuerſores catholicæ fidei, & contemptores Eccleſiæ ſanctæ Dei. Hi ſunt vulpeculæ Sanſonis facies quidem habentes diuerſas, ſed caudas ad inuicem colligatas; qui uineam Domini Sabbaoth, Eccleſiam uidelicet catholicam, per totum orbem diffuſam hac, illac diſcurrentes conantur totis uiribus demoliri. Hi ſunt, qui circumeuntes mare, & aridam, & conuenticula facientes, ſegregant ſe à communi conuerſatione fidelium uita, & habitu diſſidentes. Hi ſunt apri de ſylua motu uelociſſimo, & morſu amariſſimo, fructus fidei uberes deuaſtantes. Hi ſunt, qui prætendunt quandam fictam, & ſimulatā exterius ſpeciem, ac imaginem ſanctitatis; per quam faciliùs perſuadeant, & ſeducant; ſed ſunt ueraciter, ut ſepulchra exterius dealbata, quæ interius plena ſunt ſpurcitijs, & cadaueribus mortuorum. Nam omnis cogitatio eorum intenta eſt ad malum omni tempore. Sunt enim ſerpentes, hæreſis uirus afflantes; qui eos lethaliter inficiunt, ad quos accedunt, iuniſque uenenoſi, ac mortiferi ſcorpiones geſtu, & habitu ſimplices; qui, niſi de medio extirpentur, uenena ſua infundent, inficiēt, occident. Re uera namque omnis, qui de uenenatis eorū participauerit, morietur; hoc eſt, quicunq; eorum doctrinæ perfidæ, ac nepharijs conſilijs adhæſerit, æternis incendijs deputabitur. Hi ſunt noua Achan progenies; quæ de anathemate letiehn regulam auream, palliolumque, furatur. Hi quoque ſunt, Dathan & Abiron, & Chore deteſtanda ſoboles, quæ nouis thuribulis fermentatum thymiama, nouis altaribus adolere contendit; quæ irritare præſumit Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum Domini. Hi ſunt caupones, qui aquā uino commiſcentes draconis uirus propinant in deaurato calice Babylonis, ſermo quippè eorum eſt gladius melle litus. De his vulpinis hominibus inquit. B. Hieronymus in epiſt. ad Pammachium. Frequenter hæretici, dum coguntur, ſubſcribere, nè de Eccleſia expellantur, ſuum errorem palliant fictis uerbis, & ea temperant, & ordinem uertunt, ut catholicam credantur tenere ſententiam; &, quam ſe tenere fictis uerbis ſimulant, corde negant, & quod ſermone dicere coguntur, mente damnant. Et, ſi quando aperta blaſphemia publicè auribus fuerit reuelata, & uiderint contra ſe audientium turbam circunfremere, tūc ſimplicitate ſimulata dicunt, audiuiſſe ſe primùm; ſed, magiſtrum dicere, neſciunt; cumque eorum ſcripta teneantur, uoce negant, quod literis profitentur. Item de ijſdem ex B. Auguſtino contra Donatum. Frequenter repertum eſt, quod hæretici aſſerunt, eſſe fidem, quod ipſi credunt; & ſuam ſectā dicunt Eccleſiam. Vndè cum catholicus audit fidem, & Eccleſiam, intelligit fidem catholicam, & Eccleſiam Romanam, hæreticus autem pro fide intendit ſuam hæreſim, & pro Eccleſia ſuam ſectam, contra quam dicere non intendit. Ex hoc antè dicto Auguſtini elicias, quòd a multis annorum centurijs forſan hæreticorum plures utuntur nomine Eccleſiæ Romanæ, & fidei, intelligentes Eccleſiam, & fidem Conſtantinopolis; quoniam a tempore Conſtantini Magni Romanorum Imperatoris, quo ſedem ſuā Syluestro ſancto Papæ ob Euangelicam ueritatem cedens tranſtulit Bizantium, tunc primùm ciuitas Bizantij uocata fuit, & Conſtantinopolis, & Roma noua. Nè igitur per æquiuocationem nominis decipiaris, explicent Eccleſiam, & fidem Romæ ueteris, ſeu Italicæ. De multis alijs hæreticorum captiunculis, uide Directorium Inquiſit. 3. par. numer. 88. ad 98.

Recordatio.

Deſcriptiones hæreticorum, & aſtutorum.

IRatus Moyſes ualdè ait ad dominū, nè reſpicias ſacrificia eorum &c. *Text.*

Concl. 3. *Rebellare ſuperiori eſt peccatum, & ratione ſui, & ratione ſcandali.* [Ex eo.]

PER rebellionem ſuperiori factam intelligo, quando ſubditus non vult obedire, quia non vult: id quod ſepius inordinata uerba ſuperbiæ iniuriæque plena contra ſuperiorem ſecum trahit. Scis quare? Quia uoluntas non tantum vult facere ſuo modo, non alterius: ſed etiam vult oſtendere, ſe iure optimo id facere. Vide, quam uerſipellis, atque in cunctis dolis uerſata ſit ipſa uoluntas. Malè facit, & malefacere uult, & *Ratio.*

tamen

Superba uolũtas. tamen ſe benefacere cunctis, imò ſibimet, ſuadere conatur. Num iſta eſt illa lingua doloſa, quam ſibi uitandam imprimis intellexit propheta? Num iſta uoluntas eſt illa labia iniqua, quæ ſibi primò, ut ſpiritum eius extinguerent, uidit occurrere pſaltes? Vtique. Hæc enim eſt adeò infeſta benè facere cupientibus, ut dormire ſciat nunquam. Tàm ad cauendũ difficilis eſt propter uarias argumentationes doloſas (.i. quæ bonum ſuadere uidentur; & tamen malum re uera continẽt, atque concludere intendunt); quas continuè facit, ut de euaſione ab hac propheta ſecum deſperauerit; neceſſariumque duxerit, ad Dominum pro tali ſalute clamare. O Domine (inquit) libera animam meam, à labijs iniquis, & à lingua doloſa, idest à uoluntatis meæ captiunculis dolo, & iniquitate, plenis educere me digneris. Quis ipſius uolũtatis dolus, atq; iniquitas? Velle malefacere, & interim ſe benefacere demonſtrare. Hoc autem doli, atque iniquitatis facit, ut quantò minus ſibi, ac alijs malefacere uidetur; tantò magis abſque fręno, imò cum laude ſic argumentationibus illis acquiſita, malefacere queat. Ex hac iniqua intentione ſua fit, ut ſuperiorẽ ſuperbè alloquatur, ſe uidelicet iuſtificando, & illum accuſando. Hinc etiam fit, ut ſcandala magna in proximis oriantur, & uoluntas illa finaliter confundatur; quoniam abſque ulla dubitatione, qui malignantur, exterminabuntur Pſal. 36.

EXAMEN I.

QVòd verò per rebellionem in concluſione dictam ſic, ut dictum eſt, intelligi debeat, & undè tanta mala ſequantur, patet in textu. Quare Dathan & Abiron dicuntur Moyſi fuiſſe rebelles? Quia ipſi obedire primò noluerunt; ſecundò quia uerba ſuperbiæ replicarunt; tertiò quia contumelioſa uerba contra ſuperiorem protulerunt. Hinc mala plurima dimanarunt, atque ruinæ (ut per ſingula uidebimus), & conſequenter tùm ratione culpæ, tùm ratione nocumenti, rebellio maximum peccatum fuit. Audi ſingula.
1 Primò Dathan & Abiron obedire noluerunt, quod ſatis primo ſuo uerbo dixerunt, per ly Non ueniemus. Quid eſt ad nuncios Moyſis tam reſolutè reſpondere, non ueniemus, niſi apertè dicere, ideò non obediemus, quia nolumus. Propria igitur uoluntatis electione elegerunt non obedire, id quod eſt ex malitia peccare. Vndè hinc trahitur, quòd rebellis propriè non eſt, qui ex fragilitate, uel ignorantia peccat; ſed qui
2 peccat ex malitia, modo prædicto. Secundò Dathan & Abiron ſuperbiæ uerba replicarunt, quando in fine ſuæ temerariæ locutionis dixerunt concludentes, non uenimus. Et nota differentiam principij, & finis, ut uideas, quòd ſemper peccatum ſuperbiæ ad maius trahit. In principio dixerant iſti, non ueniemus, in fine dixerunt, non uenimus. Vtrunque ſuperbia; ſed tamen in fine replicata, & aucta. Quòd ſit replicata patet ad litteram: Quòd ſit aucta ſic oſtenditur. Verbum futuri temporis abſolutè prolatum durationem intermediam importat, & conſequenter poſſibiliter mutationem uoluntatis continet, quod ſcilicet per illud tempus intermedium uoluntas poſſit mutari ab eo, quod tunc uolebat, in oppoſitum. Verbum autem præſentis temporis nullam durationem intermediam ſonat, & ideò uoluntatis immutabilitatem, ut ſic, dicit. Quando ergo futuro adiungitur præſens ſuper eandem rem loquẽdo, tunc oſtenditur, quod faciemus, quæ facturos nos diximus, & immutabiliter faciemus, i. quod ab illa prima uoluntate non deuiabimus. Eſt enim uerbum hoc præſens, quando ſubſequitur, confirmatio quædam, & uoluntatis præmiſſæ, & infallibilitatis euentus. Eſt n. idem, ac ſi diceres. Tàm certum eſt: quod q̃ illud nunc facio. Sicut ergo nunc, nõ me uenire, certum eſt; ita, tunc me non uenturum, certum eſt. Sic uoluerunt dicere iſti ſuperbiſſimi duo, & ita per uerbum præſens, ſ. Non uenimus, & confirmatam uoluntatem priorem in ſuperbia, & auctam monſtrauerunt. Quis modò neſciat, quòd ſuperbia aucta maius peccatum eſt, quam non aucta? Si hoc ſcit unuſquiſque; ſciat etiam, quòd ly Non uenimus ſecundo loco dictum maiorem ſuperbiam ſonat, quam ly Non ueniemus primo loco pronunciatum. *Soluitur dubium.* Licèt enim ſi ſeorſum conſiderentur præſens, & futurum; durationem prolixiorem uoluntatis dicat futurum reſpectu præſentis, tamen ſi coniunctim modo prædicto attendantur; tunc præſens durationem prolixiorem dicit, inquantum ſupra prolixitatem addit infallibilitatem prolixitatis. Si namque dicam, ego non ueniam me uoluntatem in tempus prolixum talem habere oſtendo, ſi verò dicam; ita non ueniam, ſicut nunc non uenio; tunc prolixitatem ipſam uoluntatis infallibiliter ueraciam aſſeuero. Modò ſuperbiſſimi iſti viri ſic ſua verba intelligere, ac intelligi voluerunt, quando prius ly Veniemus pòſt ly Venimus, ea voluntatis malitia dixerunt. Ac ſi nuncio reſpondiſſent. Dic Moyſi, quod non veniemus, & quod tam certum eſt, nos non uenturos eſſe, quam certum eſt, nos nunc non uenire. Ac ſi intuliſſent. Nè remittat nuncios ad nos pro hac re, quia in vanum laboraret. Et ita vides, quòd iſti non tantum non obedierũt: ſed etiam quòd contra obedientiã ſe per malam uoluntatem muniuerunt, quaſi contra illam bellantes; & ideò rebelles ad ſuperiorem appellati ſunt. Tertiò de uerbis iniurioſis, contumelioſis, deriſorijs, infamatorijs, iſtorum duorum contra Moyſen dictis; quid loquar? Vide rogo, quot & quanta peccata in rebellionis uno peccato includuntur; & indè rebellionem maximum peccatum concludas exiſtere. 3

¶ Nunquid (inquiũt) parum tibi eſt, quod eduxiſti &c. Hic Moyſen de inuidia ſimul magna, magnaque tyrannide, taxant. Dicunt enim. Tu nos eduxiſti de terra Aegypti, quod quidem factum te fuiſſe inuidum uerſus nos demonſtrat, nõ beneuolum. Vbi nota tu, quod beneficium non tantum pro beneficio non agnoſcunt; ſed etiam pro maleficio, & maximo quidem, reputant. Vnde ſcitur; quod iſti de inuidia magna cõtra ſe Moyſen taxarunt? Si hoc enim uerum eſſet; Moyſen etiam de ſimulatione per eadem uerba taxaſſe viderentur, quoniam Moyſes ex beneuolentia ſe ad illos ex Aegypto ducendos moueri proteſtatus fuerat ipſis. Ex iſtorum uerbis id ſcitur, & de vtroque crimine taxatum iri Moyſen ſimul ab iſtis gratis conceditur. Audi uerba iſtorum. Eduxiſti (inquiunt) nos de terra Aegypti, quæ lacte, & melle manabat, Vt occideres nos in deſerto. Si non dicerent, quòd terra Aegypti lacte, & melle manabat: Moyſen, quòd hanc eductionem ex inuidia feciſſet, non taxaſſent. Laudando autem terram, de qua educti ſunt, eductorem de inuidia erga ſeipſos taxauerunt. Quaſi dicerent. Tu nos ideo ex Aegypto eduxiſti; quia nobis de bonis noſtris facultatibus inuidebas, & niſi melle, & lacte manaſſet terra, non eduxiſſes nos illinc. Præterea. Illud iſtorum duorum additum, ſcilicet ut nos occideres in deſerto, inuidiam præmiſſam uehementer exaltat. Minus enim eſt priuari bonis in Aegypto exiſtentibus, quàm extremo ſupplicio idest morte, & quidem in deſerto loco, puniri. Et ideo Moyſen per hoc additum de maiori inuidia, quam prius, calumniantur. Ratione ergo principij, ſcilicet de terra eductionis, & ratione finis, ſcilicet in deſerto occiſionis, inuidiam Moyſis prædictã adaugent. Quin & ipſis, ſcilicet tum fine tũm principio, iunctis, etiã inuidiam ipſam inueteratã fuiſſe, continuamq; profeſſi fuerunt. Si enim ab eductionis illius tempore inchoauit, & ad tempus præſens uſque durauit, ergo & inueterata, & continua, fuit. Moyſen itaque taxarunt in premiſſis, & quod contra ipſos inuidus fuerit (priuauit enim eos terra lacte, & melle manante) & quod uehementiſſimè (uolebat enim eos occidere in deſerto) & quod inueterate, & quod continuè.

EXAMEN II.

DE Tyrannide quoque magna in uerbis iſtorum præmiſſis Moyſen falsò (ſicut & in alijs) taxari dicebamus. Parum (inquiunt) num obi eſt; niſi & dominatus fueris noſtri? An & occulos noſtros uis eruere? Puto ego iſtos in unum conueniſſe cum chore in ſententia illius præmiſſa, illamque declaraſſe. Quid dixerat Chore ad Moyſen, & Aaron? Cur (aiebat) eleuamini ſuper populum domini? Iſtha ergo igitur eleuatio à chorè Moyſi impoſita erat tyrannis illa; de qua obijcientes in faciem Moyſis, loquuntur iſti duo. Voluit ergo chore dicere; quod Moyſes imperioſè dominabatur populo, & ipſum iniuſtè crudeliterque deprimebat, id quod magna tyrannis eſt. Hanc, & iſti duo, ſed explicatius, Moyſi obiecerunt, quando, eum dominij ſuper ſeipſos cupidum, oculorumque ſuorum erutorẽ, modoque emphatico, pronunciauerunt dicẽtes. Num parũ, &c.? An oculos, &c.? Quaſi dicant. De malis noſtris nondum es ſatiatus: Inuidia tua ambitio tua, crudelitas tua, iniuſtum dominium tuum, ſunt inſatiabilia. Et ita Moyſen non tantum, quod multa mala fecerit, ac faciat, facereque intendat, incuſant, ſed etiam quod in illis faciendis non ſatietur; utpotè quod parum uideatur ei iſta feciſſe. Damnant ergo Moyſen, & de peccato, & de animo maximo ad peccandum puta de inſatiabilitate peccandi: Tyrannidem quoque inauditam quis nõ videat eos Moyſi aſcribere, quando, quod eorum uelit oculos eruere dicunt. *Tyrãnis.*

¶ Den-

¶Deriſoria etiam uerba, non contenti de contumelijs præmiſſis, addere non uerentur dicentes: Reuera induxiſti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis; & dediſti nobis poſſeſſiones agrorum, & uinearum. Vbi nota, ꝙ in contemptum Moyſis ironicis verbis vtuntur, & ꝙ ipſum de mendacio, fallaciqne animo, doloſitate uè taxant. Quis, ut primum etiam audierit, ironiam illam contemptum grande innare nō mox agnoſcat? Et ſi quis Moyſen terram abundantiſſimam in poſſeſſionem Iſraelitis promiſiſſe, ac nōdum dediſſe, aduerterit, conſpiciet liquidò, quòd per illam ironiam dum iſti Moyſen tanquam mendacem, fallacem, doloſúmque, tractare intenderunt. Hæc de rebellione ratione grauitatis culpæ dicta ſint.

¶Modò ſi ad rationem ſcandali ſequētis inſpiciamus, grauitatem rebellionis pluſquam infinitam ferè confiteri cogemur. Quid ait ſcriptura de rebellionis huius ſcandalo? Multa quidem. Primò, quòd Moyſes his auditis iratus eſt ualdè; ſecundò, ꝙ orauit ad dominum, nè reſpiceret ſacrificia corū ſcilicet rebellium; tertiò, quòd omnis multitudo Iſrael coaceruata eſt contra Moyſen, & Aaron à rebellibus; quartò, ꝙ omnis multitudo Iſrael diſperſa ferè fuit à domino propter rebellionem iſtam; quintò, quòd terra abſorpti ſunt rebelles principales cum tabernaculis ſuis, ac uniuerſa ſubſtantia ſua; ſextò, ꝙ uiui deſcenderunt in infernum; ſeptimò, ꝙ iſta magna ſupplicia fuerunt rebellibus irrogata coram omni multitudine Iſraelitica. Per rebellionem ergo ſuam ſcandalizauerunt, & alios, & ſeipſos, ex quo ſcandali maior ſatis rebellionis cuiuſque magnitudo infertur. Hæc enim rebellio (ſicut & cætera antiquitus facta) eſt uelut ſpeculū, in quo omnium rebellionum conditiones, atque naturam, uidere poſſimus; tanquam à ſimili ad ſimile arguentes. Cæterum per ſingula, quæ circa huiuſmodi ſcandalum dicta ſunt, ſingillatim examinemus, ut illis facilius penetratis, grauitatem rebellionis melius agnoſcamus.

Norma rebellionum.

DE SCANDALO
EXAMEN I.

SCANDALVM rebellionis appello omne, quod ex rebellione illa ſecutum eſt, quoniam admirationem magnā, uel etiam (ſi in electis fieri poſſet) finalem ruinam proximorum ſonare uidentur uniuerſa. Circa primum igitur, id eſt circa ly Iratusque eſt Moyſes ualdè, nota, quantitatem rebellionis magnopere ex hoc declarari. Vide. Qualis erat Moyſes? Mitiſſimus omnium, qui in terra erant, id quod ſupra capitulo 12. huius habuiſti. Quantitas ergo rebellionis maxima neceſſariò fuit, quæ mitiſſimum ad magnam iracundiam traxit. Iratus (inquit) eſt ualdè. Quare iratus eſt? Non quia, ad iracundiam pronus eſſet, cùm oppoſitum iræ i. mititatem, maximè poſſideret, ſed quia ad iram, per capillos (ut aiunt) tractus eſt. A quo ad hanc tractus eſt? A rebellione. Peccatum ergo rebellionis magnum fuit, cùm Moyſen a natura ſua ferè ad extra naturam duxerit. Et ſi adiungas, quòd ualdè iratus eſt, ipſum peccatum non magnum ex iſto effectu, ſed magnum ualdè, aſſeuerabis. Circa ſecundum ſcilicet ly Moyſes, ait ad dominum, nè reſpicias ſacrificia eorum, notabis, quòd iræ Moſaycæ hinc magnitudo, & rebellionis peccati conſequenter oſtenditur. Iratus (inquiebat littera) eſt Moyſes ualdè. Quantū ualdè? Vt in orationem ad dominum contra ipſos; & conſequenter, ut in mali ſpeciem quamuis non in uerè malum, reſpectu aliquorum proruperit. Magis commoueri Moyſes (dempto peccato) non poterat contra iſtos, quàm ad illorum caſtigationem uocando Deum: & conſequenter rebellionis peccatum adeò hinc magnum demōſtratur, ut nihil ferè ſupra. Hæc duo facta Moyſis ſcandala nominauimus ſupra, nō quia in his peccauerit Moyſes; ſed quia Moyſes, ſi minor fuiſſet meritis, ſcandalizatus de facto (quantum ex talibus factis uideri datur) fuiſſet; & quia, cùm poſt rebellionem iſta fierēt, ſcandala eſſe iudicari potuiſſent a multis. Moyſes (inquit) ait ad dominum, nè reſpicias ſacrificia eorum. Hoc certè ſecundum, pluſquam primum, malum eſſe uidetur multis, licèt re uera nullum malum, ut profertur à Moyſe, dici poſſit. Ex quo enim dictum eſt, quòd Moyſes iratus erat ualdè, & poſtea ſequitur, quòd ait illa præmiſſa ad dominum, uidetur pluribus, quòd Moyſes animo uindictæ iſtam orationem fecerit. Confirmaturque. Nam ly Iratus ualdè ponitur pro nominatiuo huius uerbi. ſ. ait ad dominum. Dicitur enim in textu. Iratusque Moyſes ualdè ait ad dominum. Vbi non ſunt duæ ſententiæ. ſ. iratus eſt, & ait ad dominum; ſed una tātùm ſcilicet iratus ait ad dominum. Si ergo animus uindictæ in orationε præſumebatur ex immediata ſequella orationis poſtquam Moyſes iratus narratur, multò magis talis animus præſumitur ex hoc, quòd Moyſes actualiter iratus orationem huiuſcemodi domino præſentauit. Fundatur autem in hoc præmiſſa plurium opinio, quòd iſta Moyſis oratio fuerit uindicatiuo animo facta; quia ira eſt appetitus uindictæ. Si ergo (inquiunt) Moyſes iratus fuit, nō potuit nō appetere uindictā; quoniam diffinitionem iræ habeat, qui iratus eſt, oportet. Quomodo enim poteſt quis eſſe homo, & non eſſe animal rationale? Diffinitio namque nulla à ſuo diffinito remoueri non poteſt; quoniam id contradictionem, ſi fieret, implicaret. Quomodo igitur ſi Moyſes iratus eſt, uindictæ animum non habuit? Et ſi iratus orauit ſic, quomodo animo uindicatiuo non orauit? Et ſi animo uindicatiuo orauit, quomodo non peccauit? Videtur ergo propter hoc, ꝙ uerè ex rebellione illa ſcandalizatus fuerit, id eſt quòd ab illa motus ſit de facto ad peccandum.

De primo.

De ſecū.

Vide.

DE SCANDALO
EXAMEN II.

AT pro uero præmiſſorum intellectu notandum ꝙ aliud eſt appetere uindictam ex odio hominum, aliud eſt appetere illam ex odio uitiorum. Primo enim appetitu animus appetentis fertur contra homines, tanquam ipſos odiens; ſecundò contra uitia, tanquam ipſa odiens. Conſequenter ergo primus appetitus eſt uituperabilis; ſecundus uerò laudabilis. Odire namque homines, ut ſic, eſt uituperabile: odire autem uitia, ut ſic, eſt laudabile. Quia uerò in homine uitioſo poſſum duo conſiderare, ſcilicet & quòd homo eſt, & quòd uitioſus eſt, ideò hominem uitioſum poſſum illaudabiliter, & laudabiliter odire; poſſum laudabiliter, & illaudabiliter amare; poſſum ſimul amare, & odire. Nec mireris, quòd à uitijs ad hominem uitioſum deflectatur oratio; quoniam uitia non niſi in concreto, puta in homine, phyſicè reperiuntur. Vndè ſi ego odi laudabiliter uitia; illa mihi hominem uitioſum laudabiliter odioſum reddunt. Vndè ſicut laudabiliter deſtructionem uitiorum appeto, ita laudabiliter appeto deſtructionem hominum uitioſorum. Idem enim eſt odire uitium in homine, & odire hominem uitioſum, cùm abſtractum, & concretum eandem rem prorſus deſignent. Sicut namque album ponit albedinem (philoſophus in prædicamentis) ita portat, ita uitioſum uitium purum ſignificat. Igitur vitioſum odiendo benefacio: uitioſum amādo malefacio. Igitur vitioſo, vt ſic, perditionem deſiderando benefacio: uitioſo, vt ſic, uitam appetendo malefacio. Igitur uitioſo, vt ſic, proſperitatem volendo maleficio, aduerſitatem autem, benefacio. Igitur caſtigationem vitioſo, ut ſic, deſiderando benefacio, non caſtigationem verò, malefacio. Igitur uindictam cōtra vitioſum, quia vitioſus eſt, optando benefacio, vindictam contra vitioſum, quia mihi aliàs inimicus eſt, optando malefacio. Igitur orando contra vitioſum, vt ſic, quò vindicta fiat; benefacio, orando cōtra uitioſum, ut alias mihi inimicus eſt, quò vindicta fiat, malefacio. Quando enim moueor contra vitioſum, vt ſic, dicor moueri zelo iuſtitiæ diuinæ; quoniam vitiū, vt ſic, eſt contra honorem diuinum; & conſequenter à Deo caſtigari meretur. Quando autem moueor contra vitioſum, vt mihi aliàs hoſtis eſt, dicor moueri liuore uindictæ. Licèt enim, & in primo caſu appetitu uindictæ mouear, tamen ille appetitus non uocatur liuor, ſed zelus. Nam liuor ſonat ordinariè in malum; zelus uerò in bonum.

De uitioſo.

¶Ad rem modò noſtram. Moyſes, quando iratus ait ad dominum, nè reſpicias ſacrificia eorum, hoc dixit utique appetitu vindictæ (vt arguebatur ex diffinitione iræ), ſed non liuore vindictæ. Hoc eſt. Zelo diuino mouebatur ad optandū pœnam vitioſis, non intereſſe proprio. Siue. Honor diuinus eum ad ſic orandum mouebat, non honor proprius. Vel. Sic orabat contra vitioſos, ut ſic, non contra vitioſos, vt homines, aut hoſtes. Seu. Ex odio vitiorum ad hanc orationem mouebatur, non ex odio hominum. Amabat ſiquidem homines, & ideò cōtra iſtos rebelles ſic orabat, unde uiſi homines amaſſet, talem orationem contra iſtos non feciſſet. Quos homines amabat? Et alios, & hos. Timebat nanque alijs, nè ab his totaliter ſeducerentur ad huiuſmodi rebellionem faciendam. Timebat uerò his rebellibus, nè rebellioni cœptæ tenacius adhærerent; & ipſam quantum in ſe erat, magis augere annuterentur. Amor enim Moyſis ad alios, & hos homines, cauſabat in illo iſtum ſanctum timorem. Et iſte ſanctus timor cauſabat in Moyſe iſtam ſanctam orationem.

Dicebat

Dicebat enim Moyſes intra ſe. Si rebelles hi non citò puniuntur in hoc, quòd Deo odibiles oſtendantur timor ille duplex quem timebam, eueniet mihi. Nam rebelles tūc tanquā benefacientes à cæteris reputabuntur, & cōſequenter cæteri illos faciliter imitabuntur: & ipſimet rebelles fient in ſua inchoata rebellione firmiores, audiciores, ac intollerabiliores. Quocirca rebelles iſti peccatis ſuis magis adanctis, & peccatis alienis, inuoluentur, & conſequenter pœnas merebūtur maiores. Vt igitur & ruinæ multitudinis & auctioni tum peccatorum tum pœnarum iſtorum rebellium, occurram, remedium hoc ſolum, ſ. orādi Deum pro uindicta cōtra rebelles, relinquitur. Vide ergo, quàm multipliciter bono motiuo ductus ſit Moyſes ad ſic orandum, & conſequenter uide, quòd Moyſes amabat & iſtos, & amabat cum iſtis totam reliquam multitudinem, dùm tales contra iſtos orationem promebat. Vnde per talem orationem magis diuinam miſericordiam, quàm punitiuam iuſtitiam, rogauit; ac impetrauit: magiſque amicabilem cunctis Iſraelitis, quam odioſam, orationem profudit.

Dubium cum reſponſione

¶ At dices. Habetur in textu, quòd orauit iratus; & non quod orauit beneuolus, ergo non miſericordiam magis, quàm punitiuam iuſtitiam per ſuam orationem intendebat; dato etiam (vt damus), quòd zelo uindictæ diuinæ ſic rogauerit. Pro reſponſione aduertas, quòd non dicitur in textu, Moyſen iratum contra aliquem oraſſe; ſed tātùm dicitur, quòd Moyſes iratus orauerit ſic. Nec id ſine cauſa factum fuiſſe putes. Dicendo namque, quòd Moyſes iratus orauit, relinquit, quòd intelligamus, Moyſen fuiſſe iratum contra res, quæ propriè iram contra ſe habendam merentur. Nam quando aliquid abſolutè profertur, in ſenſu promptiori ſumitur. Verbi gratia. Chriſtus ait; comedite, quæ apponūtur. Nunquid per hoc intelligis, quòd comeſturus ſis patinas, & tobaliam? Minimè. Sed accuſatiuum de ly Comedite, dicis eſſe ly Comeſtibilia, quoniam nō occurrit prima fronte accuſatiuus aptior. Quis enim accuſatiuus accommodatior de ly Comedite, niſi nomen uerbale, id eſt à verbo iſto deriuatum, comeſtibilia? Sic in propoſito. Moyſes iratus eſt, cùm abſolutè dicatur, quo modo intelligitur? Contra quod iratus eſt? Contra iraſcibilia (paſſiuè loquendo), non contra non iraſcibilia: & contra magis iraſcibilia potius, quàm contra minus iraſcibilia. Hæc autē expoſitio tantò uerior habēda uenit: quantò Moyſes, de quo ira dicitur, erat prudentia bona prudens. Quia n. erat bene prudens, ideò iraſci uolens contra iraſcibilia iraſcitur, non contra non iraſcibilia; & contra magis iraſcibilia potius, quàm contra minus iraſcibilia. Quæ ſunt iraſcibilia? Mala, non autem bona. Malum enim, quia mihi diſconueniens apparet, ad iracundiam me pertrahit, bonum uerò, quia mihi id pro conueniens apprehendo, ad iram non incitat. Quæ modò ſunt mala uera? Vitia, non autem homines: & ſi quando homines eſſe malos propter uitia dicetis, Vitia tamen magis. De bene prudenti igitur dicendo quòd iratus eſt, nil aliud addendo, quid per hoc intelliges? Quod contra vitia hominibus illis inexiſtentia, nō cōtra homines, iratus ſit. Quantò autem magis unus uitia alicuius odit tantò magis amare conuincitur hominē illum. Nam uitia ſunt hominis illius deſtructio, unde odiens uitia conuincitur, quòd nollet, hominem illum deſtrui. Hoc autem eſt deſiderare bonum hominis illius. Si ergo iratus quis contra uitia orat pro remotione uitiorum, is profectò beneuolus homini orat eò magis, quantò magis iratus uitijs orat. Stat igitur, quod iſtam orationem Moyſes fecit beneuolus magis, quam iratus, & conſequenter quod miſericordiam magis, quam punitiuam iuſtitiam, ſic orando, poſtulauit. Cui iratus erat? Vitijs. Cur? Quia erant hominum deſtructio. Ergo propter homines, i. propter amorem ad homines, odio habebat uitia. Ergo, cum propter quod vnumquodque & illud magis; amator magis hominum, quam oſor uitiorum erat Moyſes. Si ergo ut oſor uitiorum ſic orauit, ut amator magis hominum ſic oraſſe dicendus eſt. Nonnè uides modò, quam bene diximus ſupra, quòd in præſenti præcatione magis ſe beneuolū monſtrauit Moyſes, quàm iratum? Quando itaque dicitur in textu, quòd iratus orauit, denominatio illa non fit à maiori, ſed à magis præſenti. Quid erat maius in Moyſe? Beneuolentia ad homines; cùm præ ſui magnitudine redūdaret in odiū uitiorum. Quid erat tunc magis præſens Moyſi, id eſt quid tunc, quando iratus dicitur, ſibi occurrerat exterius? Vitium. Licet enim homines materialiter Moyſi tunc occurriſſent, & loquerentur, formaliter tamen uitia hominum ipſi occurrerunt, & loquuta ſunt, quæ conſequenter uitia magis præſentia fuerunt. Homines nanque iſti erant tunc ſicut inſtrumenta, per quæ uitia loquebantur, & ſuum ad extra mittebant furorem. Quapropter, cum poſt locutionem illam mox dicatur quod Moyſes iratus orauit relinquitur, quòd denominatio ſit facta à magis tunc præſenti motiuo, & non à maiori abſolutè. Magis ergo beneuolus abſolutè orauit, ſed magis iratus reſpectiuè ad præſentia. Reſtat igitur (ut interrogationi iam in principio factæ reſpondeamus), quòd Moyſes ex horum rebellium ſuperbiſſimo incurſu ſcandalizatus non ſit; imò quòd ex ipſo ad bonum magis incitatus. Audiſtin unquam in ſcriptura, quòd non contriſtabit iuſtū quicquid ei acciderit; id eſt quòd quicquid iuſto acciderit, non pertrahet eum ad peccatum? Item. Legiſtin unquam in Pſalmo, quòd tanta eſt pax diligentibus legem domini, ut non ſit illis ſcandalum? Si iſthæc legiſti, & audiſti, de facto hoc Moyſi dicta fuiſſe ſcias, ad oſtendendum, ſcilicet quòd Moyſes in tali facto nec ſcandalizatus, nec ira maligna percitus dicendus eſt.

Odium ab amore cauſatum.

DE SCANDALO.

EXAMEN III.

CIRCA tertium, ſcilicet ly Coacerua ſſent aduerſum eos omnem multitudinem, aduertas; quantam ruinam faciat paucorum rebellio in alijs uidentibus, ſeu quantam uim habeat ad ſcandalizandum cæteros. En multitudo iſta Moyſen pro ſancto & habuerat, & tātò tēpore pro amico ſibi fideliſſimo experta fuerat in multis occurrentijs (puta in crebris eius precationibus ad dominū ne diſſiparetur; in recuſatione fiendi caput ſuper aliam grandiorem gentem &c.); Et tamen nunc ad paucorum rebellionem contra Moyſen mota eſt quoque ipſa, vt contra Moyſen rebellaret. Maximam ergo uim habuiſſe oportuit rebellionem paucorum; ut ſufficeret ad extrahendam optimam opinionem (imò ſcientiam) de Moyſe è capitibus iudæorum omnium, & introducendam in illorum capita contrariam opinionem de eodem Moyſe. Ne mireris ergo, ſi rebellionem tam acriter oderunt ſancti, & odiendam in ſcriptis reliquerunt. Nè mireris etiam, ſi Lutherus, alijque hæreſiarchę tantam ruinam fecerunt in Populo. i. tantam poſt ſe turbam traxerunt, quoniam in tanta ſacrata figurarum figuram hanc adimplerunt. Figurauit enim hoc factum; quòd ad rebellionem omnis multitudo faciliter mouenda erat nouiſſimo tempore. Scis unde rebellio quælibet ſecum habet uim trahendi alios ad ſui ſequellam? Ex hoc; quòd homo ſuimet dominium appetit, & ſubiectionem ad alterum refugit naturaliter. Quando ergo ſibi apparet (etiā ſi falſum ſit quod apparet), quòd ſubiectionem ad alterum non habebit, ſed ſuimet patronus fiet, tunc faciliter mouetur ad ſequendum id, quod talis apparentia ſuadet. Quoniam autem in rebellione apparentia huiuſmodi datur (etiam quòd falſum appareat): ideò rebellantem unum faciliimè alii ſequuntur. Si enim ex ſe talem apparentiam diligunt, ſe ſequendam putant, multò magis, ſi aliquem talis uiæ ducem habuerint, ipſam ſequendam putabunt; ac de facto ſequentur. Huius exemplum habes non tantum hic in terra: ſed etiam de lucifero in cœlo. Hinc patet, quòd aliqui poſſunt eſſe ſuperbi; & tamen ad exemplum alterius ſequi rebellionem cōtra quempiam, & conſequenter velle ſubijci quodammodo huic tanquam capiti. Nam licet in rebellione iſti uelut ſuo capiti ſubijciantur, tamen ſibi apparet, quòd hoc ſic ſubijci eſt quoddam facere ſuo modo. Vnde, ut faciant ſuo modo, ſequuntur hūc. Propterea igitur & ſuperbi tales ſunt, quia volunt facere modo ſuo; & ſubiecti, quia caput unum ad rebellandum ſibi eligunt. Vide cæcitatem. Rebellant, ut capiti ſubiecti non ſint; & rebellando caput, cui ſubiecti ſint, eligunt. Illud velle non ſubijci dicis ſuperbiam, quia ideò nolunt ſubijci, ut ſuo modo uiuant: Iſtud nihilominus uelle ſubijci, dicis ſuperbiam; quia ideò ſic huic eligunt ſubijci, vt poſſint (id quod ſibi apparet) facere ſuo modo. In rebellantibus itaque nulla reperitur humilitas; etiam quòd ibi inter ſeipſos inueniatur ſuperioritas & inferioritas uoluntaria; ſed ex omni parte ibi reperitur ſuperbia magna. Quare, ſi ibi inferioritas, & voluntaria quidem, inuenitur, humilitas, quæ eſt uelle inferiorem eſſe, non inueniri dicitur? Quia humilitas non eſt tantùm uelle ſubijci, ſed eſt velle ſubijci, ut ſubijciatur; id eſt eſt uelle ſubijci formaliter, non tantum materialiter. Cum igitur rebellium nemo eligat ſubijci, ut ſubijciatur, ſed (quæ uera ſuperbia eſt) ut non ſubijciatur, id eſt ut ad libitum ſuum uiuat, patet liquido,

De ui rebellionis.

Exempl.

ꝙ rebellium nullus, licèt ſubiectus uoluntariè, eſt humilis.

¶ Amplius qd dicã? Audi. Denominatio principalis a fine primariè intento fit, nõ aũt à uia ad illum finem. Verbi gratia. Aliquis mœchatur, ut furetur, iſte uiagis dicendus eſt fur, q̃ mœchus, ut ait Philoſophus in quinto ethicorũ: & ſi dicetur mœchus, non niſi impropria denominatione dicetur. Ad rẽ ergo. Subijci eligit quis capiti rebellionis, quare? Vt ſuo modo viuat; qualem vitam viuere non poſſet, niſi rebellaret ad inſtar ipſius. Quid ergo dicemus? Humilitas eſt nè ſubiectio illa, an ſuperbia? Non humilitas; ſed ſuperbia. Illa. n. ſubiectio ſpeciem trahit a fine, ad quem tendit; non autem à via illa, quæ ad finem tendit: Quemadmodum mœchia illa furtum dicebatur potius ratione finis, quam Mœchia. Superbia igitur erit ipſa ſubiectio, & non tantùm ipſa ſuperbia. Tantum itaque abeſt, ut ſubiectio illa dicatur humilitas, quòd etiam aſtutiſſima ſuperbia eſt, ſiue ſuperbia humilitatis pallio ueſtita. An non legiſti quandoque in ſcriptura, quod eſt, qui nequiter ſe humiliat, interiora uero eius dolo ſunt plena? Ecce: illa ipſorum ſubiectio eſt. Quare nequiter ſe humiliant? Quia non, ut ſe humilient, ſed ut ſuperbiam exerceant, ſe humiliant. Si nequiter ſe humiliant, ergo non humilitas illa ſubiectio, ſed nequitia, dicenda eſt; quoniam humilitas uera non nequitia, ſed uirtus exiſtit. Quare interiora eius dolo plena ſunt? Quia unum oſtendendo, contrarium in corde intendunt. Dolus enim eſt, monſtrare vnum ad extra; Aliud ad intra uellare, & uelle. Tales fuerunt omnes diaboli ſequentes luciferum; tales fuerunt omnes hi iudæi ſequẽtes chore ipſum; tales ſunt lutherani omnes ſequentes lutherum; tales ſunt fuerunt, & erũt, omnes hæreſiarcarũ, & ſchiſmaticorum aſſeclę, & quicunque alij ſequentes in rebellando caput unum uoluntariè ſibi ſtatutum. Quòd autem omnis iſta multitudo fuerit talis, ideſt undiq; ſuperba, patet, quia Deus eam uolebat diſperdere, & quidem repentè. Separamini (inquit ad Moyſen, & Aaron) de medio congregationis huius, ut eos repentè diſperdam. Cum itaque eos diſperdere vellet, patet; ꝙ ſuperbi erant, etiam in ſequendo chore ſeditioſum: quoniam ſuperbis, non autem humilibus, Deus reſiſtit. Circa hoc quartum, ſcilicet ꝙ omnis multitudo hæc ferè diſperſa fuit propter rebellionem, aduerte: ꝙ aliqua cõpaſſio habenda eſt quādoqꝫ uerſus rebelles membra, quæ non eſt habenda uerſus rebelles capita. Ratione enim rebellionis, quamuis membra hæc mereantur diſperdi, & repentè diſperdi, ratione tamen ſeductionis a primoribus, qualemcunque compaſſionem merentur. Idcirco innuens dominus, quid ratione rebellionis mereantur, dicit; ut eos repentè diſperdem: innuens autem, quid ratione ſeductionis aliqualiter mereantur, multitudinem totius turbę non diſperdit.

DE SCANDALO
EXAMEN IIII.

CIRCA quintum, ꝙ ſcilicet terra deglutiuit capita rebellionis, nota, tantum eſſe peccatum hoc, ut ſuſtentari etiam a re inanimata nequeat. Vide. Rebellionem commiſit diabolus, cœlum hunc ſuſtinere non potuit; rebellionem commiſit primus homo, paradiſus terreſtris eum abiecit; rebellionem commiſit chore, terra ipſum ſuſtinere non ualuit. Quæ ſigna ſunt hæc? Quòd rebellis à nullo debet palliari, ab omnibus debet caueri, a cunctis dēt exoſus haberi; & ꝙ rebellis in nullo loco bene manet, niſi in inferno ſepultus. Ecce hi in infernum deſcendentes dicuntur operti humo: nè fortè uel halitus illorum, uel aliquod veſtigium appareret. Ea ratione, & illorum tabernacula, & uniuerſa illorum ſubſtantia, de medio ablata fuit: Vt ſcilicet non tantum rebelles odio haberi à Deo hinc diſcas; ſed etiam quodcunque ueſtigium illorum.

¶ Circa ſextum, quòd ſcilicet uiui deſcenderunt in infernum, notabis; quòd aliqui damnati etiam nunc cum corporibus ſuis cruciantur in inferno præ magnitudine iniquitatum ſuarum. Sicut enim aliqui cum corpore ſimul, etiã nũc in paradiſo cęleſti glorificantur propter excellentiam ſuorum meritorum; ita fuit cõueniens, ut & in inferno talis correſpondentia reperiretur. Hoc autem factum eſt etiam ad oſtendendũ, & ueritatem noſtræ fidei, & quòd Deus æqualiter iuſtus, ſicut miſericors, eſt. Nos enim credimus, & quod in paradiſo beati corpore quoque glorificati erunt, & quòd in baratro corpus quoque pœnas tollerabit æternas. Nos etiam tenemus fide, quòd Deus ſua eſt iuſtitia, & ſua miſericordia; & conſequenter, quòd æqualiter iuſtus, & miſericors eſt. Nota etiam circa hoc ſextum, quòd ſicut aliqua ſanctorum corpora relinquuntur in terra, ut in honore habeantur (iſtæ ſunt ſacroſanctæ ipſorum reliquiæ) ita quædam iniquorum corpora tolluntur è terris, ut honore omni priuentur. Honor ſiquidem qualiſcunque reputatur mortuo, ſi corpus eius honorifice inter homines ſepeliatur, ut patet. Iſto modo qualicunque honore priuati ſunt, qui cum corporibus de terra ſublati ſunt. Adhuc notabis, quòd hi duplici dedecore caſtigati fuerunt ad oſtendendum, quòd præ alijs Dei honorem uaſtare conati rebelles fuerunt, conantur, & conabũtur. Quo duplici dedecore? Primo, quia inter homines ſepultura priuati ſunt, ſecundo quia inter dæmones ſepulti fuerunt. Sepulchra eorum (propriè de his loquitur pſalmiſta) domus illorum in æternum, eorum, inquam, ſecundum totum hominem acceptorum. Videamus, ſi fortè, & diues ille a Luca deſcriptus, & epulo, & ueſtibus præcioſis indutus, & admodum crudelis, cum corpore ſimul ſepultus ſit in inferno, quandoquidem ibi ſub uno contextu dicitur mortuus, & in inferno ſepultus. Sed ſi intelligatur de anima ſolum, aliquos tñ in inferno ſecũdũ totũ ſepultos antè diẽ quoq; iudicij nouimus, qui ſunt iſti chorite, & iſtos nouimus eſſe figura omnium in inferno ſecundum totum ſepeliendorum ſiuè antè, ſiuè poſt uniuerſale iudicium. Speciali igitur priuilegio in malum ſumpto donati ſunt rebelles à domino, ut hos antè hominem antè malos ignoſcas.

EXAMEN V.

CIRCA ſeptimum. ſ. quòd caſtigationes huiuſmodi factæ ſunt coram omni multitudine, aduertas duplicem bonitatem Dei: in illos. ſ. qui non puniuntur nunc, & in illos, qui nunc puniuntur. Pro primo ſcias magnam eſſe Dei bonitatem, dùm unum coram alijs flagellat. Nam ſic faciendo, timorem immittit alijs; nè talia peccata admittant, & conſequenter aliorum tùm culpas futuras poſſibiles quantum eſt ex ſe ſuſpendit, tũ pro culpis pœnas. Ob hoc ab Apoſtolo dictum eſt, ꝙ publice peccantes publicè arguantur, ut (inquit) cæteri timorem habeant. Pro ſecundo noueris, ꝙ magna miſericordia Dei in punitos oſtenditur, quãdo publicè caſtigãtur. Ratio eſt, quia, dùm publicè caſtigantur, ab alijs illorum peccata non facilè admittuntur; & conſequenter iſti puniti euadunt in futurum pœnas quæ ſibi deberentur pro peccatis aliorum; q̃ ex ſui imitatione (quod facile eueniret) patrarent. Dans nãque malum exemplum tenetur ſecundum quælibet iura de omni damno ſecuto ex ſuo malo exemplo, ſicut & ſuaſores cuiuſcũque vitij tenentur de uitio ſecuto in his, quibus tale uitium ſuaſerunt. Hinc dicitur, ꝙ non ſolum qui peccata faciunt pœnas merentur, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Qui enim dat malum exemplum; nonnè omnibus peccatis, qui ex illo exemplo ſequi nata ſunt, conſentire uidetur? Conſentit utique, & magis, quam qui ſuadet verbis peccata facienda, quantò magis plus mouent exempla, quam verba. Impedire igitur peccata aliorum ſecutura ex huius exẽplo, eſt res magna miſericordia in hunc, quoniam eſt pœnas huic in futurũ venire poſſibiles impedire. Cùm igitur Deus publicè caſtigauerit rebelles iſtos, quid dicendum ex hoc reſtat, niſi ꝙ ſic agendo miſericordia magna in caſtigatos vtebatur? Vide hic iuſtitiam ſimul & miſericordiam etiam in peccato maximo rebellionis, & hinc arguas a fortiori ſic. Si Deus peccatores maximos maximè caſtigando ex iuſtitia, miſericordiã non deſeruit, quin hac in illos uſus fuerit eodẽ tempore, ergo multo magis (nõ tantum à ſimili) Deus quoſcunque peccatores caſtigando ex iuſtitia, miſericordia etiã tunc temporis in illos utitur. Et, ſi miſericordiã nullam aliã in illos oſtenderet, niſi hanc, ꝙ illos nunc temporis caſtigat, hęc miſericordia ſufficeret. Sed ſi aliquã aliam miſericordiã cum hac (ut fecit uerſus rebelles iſtos) demõſtrat in eos, hoc ex ſuperabundanti eſt. Audi. Dum mali citò puniuntur morte, ſua mala finiuntur; itaut & peccata ab ipſis fienda, & pœnę pro ſuis his peccatis habendæ, tollantur. Nonnè iſta miſericordia tibi magna vr̃? Vtique. Hæc aũt miſericordia in omni punitione peccatoris nunc temporis facta ſaluatur. Hanc in iſtos miſericordiam ſuperius appetebat Moyſes, dum orauit, nè ſacrificia iſtorum reſpiceret dominus. Ex hac namque confuſione habita poterant faciliter (ſi uoluiſſent) ad cor ſuum rebelles iſti redire: proptereaque iſtam confuſionem ipſis appetere fuit miſericordiam magnam ipſis deſiderare. En quomodo fuit beneuolus his Moyſes (ultra prædicta ſuo loco) in præmiſſa oratione. Hinc, ad deſignandum quòd

Vnde mũdo à ſcãdalis.

miſericordia ſemper iuſtitiam eodem tẽpore comitatur. Legimus, in quodam propheta dominum ſic alloquentẽ, cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis, id eſt non tantùm poſt iram, ſed etiam in illa ira. Bonus ergo eſt dominus eſſentialiter, cùm nunquam miſericordiam deſerat, ſeu à miſericordia deſeratur. Si enim de quo minus ineſſe videtur, ineſt; multò magis, de quo plus uidebitur ineſſe, inerit, ſecundum regulam philoſophi. At punitioni maximorũ delinquentium minus uidetur, miſericordiam ineſſe .i. tunc miſceri illi punitioni, & tamen (vt vidimus) & ineſt, & valdè ineſt. Quid ergo concludere reſtat? Quòd in quorumcunque delinquentium punitione miſericordia Dei ineſt, & vehementer ineſt. Non igitur tantùm iuſtus dominus in omnibus vijs ſuis, ſed etiam ſanctus (.i. miſericors) in omnibus operibus ſuis, ut olim Pſalmiſta cecinit.

APPENDIX.

1 HINC habes, ꝙ rebellio propriè ex ſuperbia procedit.
Hoc enim deſignauit Moyſes, quando ad chorẽ cũ ſuis
rebellantem dixit, cur erigimini filij Leui? Deſignat ũr, & hoc
uerba tùm chore, tùm Dathan cum Abiron (vt in tex patet);
2 quoniam ex abundãtia cordis os loquitur. Secundò habes,
quòd rebelles propriè ſunt, qui ex malitia peccant, .i. peccant,
quia uolunt. Hoc deſignarunt uerba ipſorum Dathan & Abiron .ſ. Non uenimus, .i. venire nolumus. Tertiò, quòd rebel-
3 les, & culpas admittere uolunt, & pœnas ſubire recuſant. De-
ſignarunt hoc Dathan & Abiron, qui ad Moyſen ire ideò no-
luerunt, nè ab ipſo repræhenderentur. Si ergo iſtam pœnam
tàm paruam, ſcilicet admonitionem ſuperioris, refugerunt
ſic obſtinatè: altas pœnas maiores quanta obſtinatione illos
4 recuſaturos, & tam in animo recuſaſſe pùtas? Quartò ha-
bes, quòd delinquens, quando paruam pœnam ſubire non
vult, in magnam pœnam incidit. Deſignauit hoc ſcriptura
præſens, dùm poſt recuſationem ueniendi pro reprælienſio-
ne ad Moyſen narrat horrendam pœnam inflictam ipſis Da-
than & Abiron. Bonæ igitur ſunt repræhenſiones; quia ſi reci-
piantur, maiores pęnas impediunt, quæ aliàs venturæ eſſent.
Hinc nõ recipientes illas, ut debent, à ſcriptura ſacra meritò
multifariè uituperantur. Vt Prouerb. 10. qui increpationes re-
linquit, errat, & 12. qui increpationes odit, inſipiens eſt, & 15.
qui increpationes odit, morietur; & ibid. qui abijcit diſcipli-
nam, deſpicit animam ſuam, & Sap. 12. qui increpationibus
non ſunt correcti, dignum Dei iudicium experti ſunt. Hoc
iſtemet ordo pœnarum denotauit. Quaſi ex ipſo dictum ſit.
Si Dathan & Abiron repræhenſionem Moyſis faciendam re-
5 cepiſſent, deglutionem à terra euaſiſſent. Habes ergo quintò,
quòd ſuperbia retfunditur in caput ſuperborum, & ꝙ pœnas no-
bis dandas ex nobis augemus. Ex ſuperbia namque uenit, ꝙ
pœnam paruam, id eſt repræhenſionem quis fugiat; ſed in ca
puccius ſuperbia retunditur, dùm pro parua pœna recuſata
magna, quam effugere non poſſis, datur. Si dirupta eſt terra
ſub pedibus eorum, quomodo fugere potuiſſent à pœna uen-
tura? Hoc ergo facto ſignificatum eſt, quòd Deus pœnas peccatoribus paruas renuentibus adeò magnas dabit, quòd ipſas, etſi uoluntate recuſabunt, non poterunt effugere. Pro parua ergo magna datur pœna; pro recuſatione datur hoc, quòd iſtam effugere non ualeas. Semper ergo uincit Deus ab omni parte, ſi contendere uolueris peccator cum eo. Vincit & pœnam, uincit & uoluntatem. Vincit pœnam; quia maiorem apponit; uincit uoluntatem, quia non poſſibilem vitari infligit. Quia primam uitare uoluiſti, & uitaſti; ideò ineuitabilem tibi dedit, quam uitare uelis, & uitare non poſſis. Quare ineuitabilem ſic infligit; & non ineuitabilem, quam uitare non uelis, nec poſſis? Vt magis in pœna crucieris; vt non tantum à pœna exteriori, ſed & à pœna interiori, in exteriori una caſtigeris. Iſte eſt ille gladius bis acutus, quem habere iudicem dicit Apocalipſis, quoniam dupliciter, cùm ſit unus tantùm, affligit. Exterius affligit, quoniam terra deglutit peccantes; interius uerò, quoniam hanc deglutionem uitare uellent. Ecce, ꝙ uoluntas iſtis pœna eſt, ſicut prius delectatio fuit. Imò tanta pœna tunc iſtis, ſimilibusque, uoluntas exiſtit; ut exterior ſine uoluntatis appetitu tali, pœna dici non poſſit. Si enim deglutiri iſti uellent à terra, quis hanc pœnam illis eſſe pœnam affirmare auderet? Voluntas igitur pœna principalis in damnatis, uel huiuſmodi alijs, dicitur, quoniam uoluntas eſt illa, quæ pœnam facit eſſe pœnam, cùm de ratione pœnæ ſit eſſe contra uoluntatem. Et meritò. Sicut enim uoluntas facit, peccatum eſſe peccatum; ita uoluntatem facere pœnam eſſe pœnam iuſtum eſt, ut pœnæ correſpondeat ipſum peccatum; & ubi delectatio amabilis fuit, ibi dolor miſerabilis exiſtat. Nã ſicut peccatũ eſt ſecundum uoluntatẽ, ita pœna eſt contra uoluntatem. Item. Iuſtiſſimum eſt, ut ſicut Deo per uoluntatem rebellarunt peccatores, ita uoluntas propria ſibiipſis rebellet. Hoc eſt illud, quod per prophetam comminatus fuit dominus peccatori, arguam te (inquit) & ſtatuam contra faciem tuam. *Pſal. 49.* Tunc nanque arguitur peccator, & ſtatuitur contra faciem ſuam, quando uoluntas propria eſt illi ipſi pœna. Sicut è contrario de iuſtis dicitur in Ezechiele; ꝙ unumquodque coram facie ſua gradiebatur. Quid eſt coram facie ſua ambulare? Voluntatem ſuam non eſſe ſibi tormentum, ſed delectatio. Quaſi ergo ex his dicatur. Peccator habebit ſemper illud, quod nollet, & hinc tùm extra, tùm intra cruciabitur, iuſtus autẽ ſemper habebit, quod uolet; & hinc tùm extra, tùm intra conſolatione replebitur.

¶ Vis cernere, ꝙ exteriora non cruciant, niſi adiuncta renitentia uoluntatis, & conſequenter quòd voluntas eſt illa, quæ cruciat ſolùm formaliter? Ad martyres inſpice. Illis multa ſupplicia irrogabantur à tyrannis, & tamen illi illa non ſupplicia, ſed delectamenta, eſſe dicebant. Decipiebantur nè in iudicio ſuo? Non. Voluntatem enim renitentem ad illa ſupplicia non habebant, & illa, quæ alias uoluntati contraria, & conſequenter ſupplicia fuiſſent, ipſis ſupplicia nõ erant. *Matt. 9.* Mortua erat quandoque una puella, & tamen Chriſtus dixit; non eſt mortua, ſed dormit. Mirabile dictu, de mortuo dicere, ꝙ dormit. Mors namque ſupplicium ſonat extremum, dormitio uerò conſolationem magnam. Non ſufficit ergo Chriſto à mortuo negare ſupplicium extremum, ſed addit ipſi conſolationem magnam cùm dicit: Non eſt mortua puella, ſed dormit. Quid per hoc ſignificabat Chriſtus? Quòd martyribus pœnæ omnium terribiliſſimæ .i. cruciatus uſque ad mortem acerbiſſimi, & mors ipſa, non tantum non forent pœnæ, ſed maximæ conſolationes. Vnde hoc? A voluntate. Qui enim ipſas uoluntate deſiderabant, ipſas ut pœnas ſentire nõ poterant, ſicut qui eas uoluntate recuſabant, ipſas pro non pœnis iudicare nequibant. Hinc eſt, quòd aſtantes quandoque martyrizatis compatiebantur lachrymando, & martyrizati gaudebant in ſupplicio. Aſtantes dicebant puellam mortuam eſſe mortuam, martyres dicebant puellam mortuam non eſſe mortuam, ſed dormientem. Et hoc, quia utrique pro appetitu uoluntatis propriæ externa iudicabant eſſe ſupplicia, uel non eſſe. Hinc patet, ꝙ infernum portari à damnato, vbicunqua ſit, eſt clarum veriſſimumque. Quomodo enim ſuam voluntatem quocunque non portent? An forſan uoluntate ſua ſpoliari poſſunt, ut aliquò eat homo iſte, & aliò ſua uoluntas? Neutiquam. Habet ergo infernum ſecum, ubicunque ſit, damnatus: quia ſuam, ubicunque ſit, habet uolũtatem.

NOTANDVM AVREVM.

APPLICA ad ly (Euangelium) malos malè perdet. Malos perdere eſt conſueto ſupplicio eos afficere, ſed malè *Mat. 21.* perdere eſt eos inſolito ſupplicio caſtigare. Malè perditi ſunt iudæi illi agricolæ: quia terra dirupta eſt ſub pedibus eorum, & deglutiuit eos. Quid eſt, quòd terra dirupta eſt ſub pedibus eorum? Eſt eos diſperſos eſſe per uniuerſum mundum, nec alicubi propriam habere manſionem; ſed, ut hic, uel hic, maneant, ab aliorum voluntate pendere, non à terra, quam calcant. Quomodo enim dirupta eſſet nunc terra ſub iudæorum modernorum pedibus, ſi à terra, quam calcant, ſua ſtabilitas in alicubi habitando dependeret? Quia ergo nunc regnum, & gentem, & templum, & terrã promiſſionis, & quietam habitationem, & prophetarum conſolationes, & ſacrarum ſolatia ſcripturarum, & ſacerdotium, & huiuſmodi perdiderunt iuxta prophetiam Oſeæ c. 3. ideò terram ſub pedibus eorum diruptam nunc eſſe, dicimus. Nunquid non terrã ſub eius pedibus diruptam eſſe dices, qui in terrarum nullo loco quietus, ſuoque habitator exiſtit? Et ſi conſideraueris, quòd etiam omnibus his, quæ dicta ſunt, nunc ſuper terram priuantur (tum ſcilicet propheta, tùm ſacerdocio, templo, ſcripturarũ genuino ſenſu, &c.) nonne tibi uidebunt à terra abſorpti? Imò & uiui deſcẽderunt in infernum, dices: quando, eos ſine Deo eſſe in hoc mundo, conſpicies. Vis, eos ſine Deo eſſe in hoc mundo, conſpicere? Quid credunt? Quid adorant? Quem ſuum eſſe Deum affirmant? Deum unum; ſed non trinum ſimul. Vbi eſt Deus eorum? Nullibi. Nam Deũ unum, non trinum ſimul, reperire impoſſibile eſt, ſi de Deo vero loquamur. Adorant ergo, quod non datur, adorãt quod

neſciunt

neſciunt (ut olim de ſamaritanis dixit Chriſtus) adorant opus fantaſiæ ſuæ, ſicut olim gentiles adorabant opus manuũ ſuarum. Sicut ergo ex hoc, quod gentiles adorabant opus manuum ſuarum, dicti ſunt ab Apoſtolo Eph. 2. fuiſſe ſine Deo in hoc mundo, ita iudæi moderni ex hoc, quòd adorãt tantum opus fantaſię ſuæ, ideſt Deum, quem ſibi cõfingunt, merito dicuntur eſſe ſine Deo in hoc mundo. Quem Deum adorant? Deum non crucifixum. Vbi eſt iſte Deus eorum? Nullibi reperta, quãuis ſit fantaſiatus abeis. Impoſſibile.n. eſt, Deũ inuenire nũc, qui non fuerit crucifixus, qui nõ fuerit mortuus, qui non reſurrexerit, & de quo nõ uerificentur omnia quæ ſunt in ſymbolo fidei. Iudæi ergo nũc ſunt ſine Deo in hoc mundo. Cum quo ergo ſunt? Cũ diabolo. Nam qui non eſt mecum (aiebat Chriſtus) contra me eſt, ideſt cum aduerſario meo, qui diabolus dicitur, exiſtit. Viui ergo deſcendunt iudæi moderni in infernum, quoniam adhuc uiuentes ſocij dæmoniorum, qui in inferno ſunt, exiſtunt. In his omnibus quid conſideras? Quòd Deus iudæos agricolas nõ tantum perdidit, ſed malè perdidit. Et quare? Quia ipſis Dathan, & Abiron in culpa ſimiles fuerunt. Hinc enim factum eſt, ut & in pœna ipſis ſimiles fierent. Figura ergo modernorum iudæorum tùm quoad culpam, tum quoad pœnam, fuerunt Dathan, & Abiron. Rebellarunt illi Moyſi, rebellarunt moderni Iudæi Chriſto. Moyſen de ſuperbia calumniati fuerunt, Chriſtum de ambitione (dixerunt enim, illum ſe ideò dixiſſe regem iudæorum) falsò accuſarunt. Contra Moyſen multitudinem concitarunt contra Chriſtum turbam hominum compulerunt. Moyſen, ut impoſtorem, ſeu falſarium (atqui terram promiſſam non eis dederit) nominarunt, Chriſtum iſti uelut mendaciorum ſeminatorem tractauerunt (atqui eum ſeductorem poſt mortem uſque appellauerint). Moyſen tanquam ſibijpſis inuidum dixerunt, dum eum è terra Ægypti bona ſeipſos eduxiſſe falſi ſunt, Chriſtum ceu inuidum ſibijpſis iudæi nuncuparunt, dum cũ ſamaritanum multones appellarunt Moyſen populi deſtructorem dixerunt, dùm eum populi facultates comediſſe taxarent (contra quod loquutus eſt Moyſes, ac ideò illud iſtorum conuitium eſſe inſinuauit, cùm domino dixit; Tu ſcis quòd nec aſellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum) Chriſtum iudæi de hoc eodem conuitiarunt, dum ipſum deuoratorem, ac nimi potatorem, notarunt. Moyſen habere pro domino ſuo recuſarunt, & toto quidem poſſe (ut ex ſuperioribus a littera tractis habes) Chriſtum pro domino ſuo habere iudæi, totis uiribus, renuerunt. Et ſicut hãc recuſationem in publico fecerunt, ac feciſſe gloriati ſunt Dathan, & Abiron: ita iudæi moderni in publico, coram ſcilicet facie pilati, hanc recuſationem fecerunt; non habemus, inquientes, regẽ, niſi Cæſarem; quem & Chriſtum, ut hanc figuram ſuperarent, in conſpectu omniũ crucifixerunt. Figuram ergo cum quantum ad culpam moderni expreſſiſſent, & quoad pœnam exprimere illam eos neceſſarium fuit. Diruptam ergo fuiſſe terram, modo dicto, ſub pedibus Iudæorum, ac uiuos eos deſcendiſſe, deſcendereque quotidiè in infernum: hæc, inquam, tota pœna fuit figuratum per iſtorum ſupplicium. Quod autẽ modernis Iudæis pœna illa data fuerit propter rebellionem apertiſſimã contra Moyſen figuratiuo, ideſt contra Chriſtum, patet ex ipſo citato Euangelio. Cum ergo (loquit) uenerit paterfamilias, quid faciet illis agricolis? Malos (loquuntur ibi iudæi a ueritate coacti cõtra ſe) malè perdet. Quid eſt ly cùm ergo? Deductio ex ſuperioribus, & oſtenſio ex qua culpa ſequatur uẽtura pœna. Superiora quid erant? Quòd iudæi filium patrisfamilias uineæ eiecerunt extra uineã, & occiderunt. Ecce figurata rebellio, & quidem iure. Nam figuratum eſt maius, & rebellio iſta maior eſt; tùm quia eſt contra filiũ naturalem patris, tum quia occiſionẽ huius dicit; enim tamen nec Moyſes naturalis filius patris huius fuerit, nec etiam à Dathan, &c. occiſus.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concl. 3. cap. 16. eſt directè contra temeritatẽ erroneam, & ſeditioſiſſimam Muntzeriſtarum dicentium, quòd libertas per principes extincta eſt armis uindicanda: Et quòd omnes Principes, & Magiſtratus ſunt occidendi. Et Manicheorum dicentium, poteſtatem ciuilem eſſe ejiciendam. Et Anabaptiſtarum dicentium, homines non eſſe ſubiectos alicui legitimæ poteſtati. Et nõnullorum aliorũ de poteſtate, prælatione, & ſubiectione, pperã ſentientiũ, de quibus, cum eorũ dãnationibus, uidebis ſupra Exo. 32. con. 5. & Nume. 12. con. 9. & Gen. 41. cõ. 4. Item in Elucid. addi. art. nu. 80. 103. Patet enim hic a fortiori, temeritates prædictas falſiſſima continere. Si enim rebellare ſolùmmodo contra ſuperiore eſt illicitum; multo utique magis tractare de illorum morte, & adhuc magis, illos occidere erit illicitum. Peſſimè igitur ipſe Thomas Muntzerus ſeu monetarius, a quo Muntzerici, ſeu Muntzeriſtæ, conſuluit; quamuis lib. de captiuit. Babylonic. apud Lutherũ legiſſet, nullam ſperari eis remedij, niſi, omnibus legibus humanis extinctis, populus in libertate regnaret. Nã teſte Federico Staphile, de Lutheranorum ſe concordia, inde motus eſt ad conficiendũ codicem, quo ſuos complices inſtruxit ad caſtigandos Chriſtianos principes, magiſtratumque ſibi inſtituendum; adeò quidem, ut moueret per totam Germaniam ruſticos ipſos contra principes, propter quod, prælijs paſſim commiſſis, perierunt ultra centum millia ruſticorum. Vidiſtiné in Geneſis. 3. cap. diabolum ſuadere libertatem primis parentibus contra præceptum diuinum; & totum ſuadentis oppoſitum quoad libertatem, cõtigiſſe? Sic & hic, ſecũdum Staphili præmiſſi narrationẽ. De libertate, quo nomine Muntzerus ſeipſum cum Luthero, aliosq; decepit, uide ibidem in Geneſi, cõclu. 2. & indè ueram a falſa libertate diſcernere ſciens cognoſces apertè, quantum ſit damnabilis, & error, & radix erroris, Monetarij antedicti. Patet enim ex concluſione ſuperius declarata totum contrarium errorum omnium prædictorum, & quidem abundantiſſimè. Damnantur quoque omnes illi, & à fortiori quidem, infrà capituli huius concluſione ſexta, quoniam ſi de tyranno non occidendo paſſim ibi cautus, multò utiq; magis de legitimis principibus, quãuis alias ſuſtitan malis, idipſum prohiberi contelligetur. Vide ibi, & applica. Itẽ a Rom. 13. oĩs aĩa poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nõ eſt.n. poteſtas, niſi a Deo. Itaq; qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſe ſibi damnationẽ acquirit. Quæcunq;.n. a Deo ſunt, ordinata ſunt. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal, cuĩ honorem, honorem, & hæc non tantum propter iram (ſcilicet precipio) ſed etiam propter conſcientiam. Dati ſunt.n. principes ad uindictam malorum, laudem uerò bonorum. Hæc ibi ſententialiter, & multa alia contra prædictos, ac ſimiles, ſeditioſos errantes; quæ per te uidebis. Item damnantur à Gen. 3. conc. 2. & cap. 10. con. 5. 4. cap. 41. conc. 4. Vide, & Leuit. 20. con. 1. & Numer. conc. 8. indeq; multum ad condẽnandum eoſdem iuuaberis, ſi tamen recte (ut decet) applices applicanda. Reprobantur etiam à 1. Petr. 2. ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiuè regi tanquam præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis, ad uindictam malorum, laudem uero bonorum. Quia ſic eſt uoluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quaſi liberi, & non quaſi uelamen habẽtes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Serui eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Vide quomodo B. Apoſtolorum princeps ad uiuum effigiauit uelamen malitiæ, (quod ipſi libertatem uocant) Muntzeriſtarum &c. ac illos grauiſſimis uerbis omnino damnauit. Vide Extra de maiorit. & obedient. cap. multis. Ob prædicta tamen non fit, ut alicui Domino, poſtquam in hæreſim lapſus eſt, non obediens uaſſalus de rebellione ueraciter incuſandus ſit; & ſcripturarum ipſarum mandatis contraueniat. Nam talis Dominus ipſo iure perdit ſubditos, eo modo uidelicet; quo Papa Gregorius. 9. extra de hæretic. declarat dicens. Abſolutos ſe nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obſequij, quicunque lapſis manifeſtè in hæreſim aliquo pacto, quacunque firmitate uallato, tenebantur aſtricti. Hæc ibi. Quinimmo etiam iure naturali patriæ poteſtatis priuantur hæretici, in 6. de hæret. cap. quicunque, & iure gentium introducto dominio ff. de iuſt. & iur. l. ex hoc iure, & c. in ſexto de hæret. cap. cum ſecundum leges.

TV ſcis, quòd nec aſellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Text.

Tyran-

Concl. 4. *Tyrannis admodum dedecet principem Chriſtianum, ac multorum malorũ eſt cauſa.* [Ex eo.]

Ratio. MVLTA crimina fuiſſe obiecta Moyſi, ſi capitulum hoc legeris attentè, uidebis: & tamen Moyſes non tam iudicialiter curauit de alijs ſe expurgare, ſicut de tyrannide. Tirannidem etiam falſo impoſitam Moyſi ab iſtis, occaſionem rebellionis extitiſſe, nullus eſt, qui ambigat. Adeò enim tyrannidem populus naturaliter odit, ut ad opinionem eius coaceruatam mox à Moyſe rebellarint. Vide ſingula. Princeps erat Moyſes tàm populo gratus, tàm populo reuerèdus, tàm populo beneficus: Et tamen contra ipſum opinio tyrannidis mox rebellare populum facit. Opinio illa de Moyſe erat falſa, nullam que de tam ſancto uiro apud tàm cognoſcitiuum populum bonitatis Moſaycæ habere debuerat apparentiam: Et tamen ad ſolum auditum tyrannidis rebellat populus è ueſtigio. Quid ſi illa opinio fuiſſet vera, aut de ſe aliquo modo uériſimilis? Tunc utique ſine dubio magis rebellaſſent. Hæc de motiuo populi ad rebellandum; & conſequenter ad oſtendendum ſecundam partem concluſionis, ſ. quòd tyrannis principum eſt cauſa multorum malorum in populo. Si enim eſt cauſa rebellionis, utique eſt multorum malorum, cùm ad rebellionem (ut uidimus) multa mala ſequantur. Quid autem dicemus de prima parte eiuſdem concluſionis, quæ iam facta eſt, quòd. ſ. tyrannis maximè dedecet chriſtianum Principẽ; & conſequenter quod chriſtianus princeps eam maximè odio habere debet? Vide Moyſes audito nomine tyrannidis ſibi impoſito mox fuit iratus, & iratus valde, deque purgatione iſtius calumniæ fuit magis ſolicitus, quam de alijs. Vis cernere magnitudinẽ purgationis ſuæ circa hoc? Deum teſtem ſuper hoc ipſum inducit: quod non ſine magna ualde cauſa ab ullo fieri debet, nec fit ab hominibus ſanctis, qualis erat ille. Tu ſcis (inquit); quòd nec aſellum quidem acceperim unquã ab eis, nec afflixerim quempiam eorũ. Nota etiam, ꝙ ex omni parte ſe a tyrannide purgat. Dicit. n. ſe neque in facultatibus populum afflixiſſe, neque in ſeipſo: & conſequenter omnem tyrannidis ſubodoratione a ſemet excludit. Tyrannidis

Tyrannis pingitur. nanque diffinitio unam illarum, aut ambas ſimul, habet cõditiones reſpectu ſubditorum ſuorum. Aut ſiquidem illos affligit nimis quoad facultates ſuas, aut eos nimis aggrauat in perſonis ſuis. Afflictio quoad facultates populi nimia, eſt imponere gabellas iniuſtas, permittere latrocinia facta eſſe impunita, res ſubditorum applicare ſibi ſub aliquo quæſito colore, iuſtitiam debitam non exercere; Et (breuiter) plus iuſto depilare populum ſuum, quocunq; modo fiat aut quouis prætextu. Aggrauare quoad perſonas, eſt uelle, illos de populo ſtipendijs proprijs militare, illos a negocijs proprijs impedire, illis abuti pro voluntate (vt adulterari &c.) illos more ſclauorum (ut ita loquar) pertractare. De primo ſe purgauit Moyſes dicens, quod nec aſellum quidem acceperit ab eis; de ſecundo autem dicens, quòd non afflixerit illorum quempiam.

APPENDIX.

1 HINC habes ab oppoſitis, quid ſit uerum dominium, ſeu regimen ſine tyrannide. Quid eſt? Eſt non grauare ſubditos nimis, nec quantum ad illorum facultates, nec quan-
2 tum ad illorum perſonas. Secundò conſequenter habes, ꝙ verum dominium ad utilitatem ſubditorũ ordinatur, tyrannicum autem ad utilitatem propriam. Ergo verè dominus, ſi imponit ſubditos gabellas, uel huiuſmodi, hoc facit, ut defendere poſſit populum ab ingruente aduerſitate tunc mediãtibus pecunijs acceptis à populo ipſo. Ergo tyrannicus dominus ſi imponit gabellas, uel huiuſmodi ſubditis ſuis, id facit, ut impleat marſupium propriũ; non curando interim de utilitate populi, uel grauatione nimia. Ergo tyrannorum gabellæ &c. nunquam habent finem, ſiue tempore pacis, ſiue tempore belli. Ratio eſt, quia finis appetitus a tyranno eſt infinitus; ſ. augmentatio pecuniarum propriarum, commodorũ propriorum, & huiuſmodi. Vnde quæ ſunt ad hunc finem ab ipſo ordinata. ſ. gabellæ &c. nunquam decrementum, ſed incrementum potius accipiunt, quocunque tempore dato. Iuxta enim finem diſponuntur ea, quæ ſunt ad finem. Ergo verorum dominorum gabellæ &c. aliquando vel finem (proportionaliter ad negociũ utile ſubditis, pro quo imponebãtur), vel decrementum habent. Ratio eſt, quia remota cauſa, puta negocio tali occurrente pro tempore (non enim ſemper tale negocium durat), remouetur effectus, puta gabellæ &c. tali tempore impoſita. Vide Cardinalem in Summula Caietanum pro conſcientia uerb. Vectigalia. Et ſic per teipſum diſcerne ad cognoſcendum tyrannidem a legitimo dominio differentẽ, ex diffinitione data (.ſ. ꝙ tyrannis ad propriam, Dominium iuſtum ad ſubditorum, vtilitatem ordinatur); quæ ex capitulo iſto deſumpta eſt. Tertiò habes, ꝙ prin- 3
cipes, ſi volunt pacificè dominari, debent fugere tyrãnidem. Audiſti enim hic, ꝙ populus exacerbatur, & valde quidem, ipſam tyrannidem in ſuperiori. Quid inde ſequitur neceſſario? Quòd populus (ſi poteſt) uel rebellat, uel rebellare tentat, vel rebellare deſiderat, vel dominum ſuum non amat, vel etiam ipſum odit: & cõſequenter quòd ſiquis nõ eſt domino ſuo, & conſequenter quòd dominus populo ſuo confidere non poteſt, & conſequenter quòd nunquam uera pax inter dominum ac ſubditos reperitur; & conſequenter quòd ſubditi (ſi poſſent) dominum ſuum morte afficerent, uel inhonorarent. Quartò habes, quòd tyrannis eſt ruina populorũ 4
tùm quoad animas, tùm quoad corpora, tùm quoad facultates & mobiles & immobiles. Quintò conſequenter habes, ꝙ 5
eadem tyrannis eſt ruina ipſorummet dominorum. Si enim non habebunt ſubditos, quomodo erunt domini? Et ſi habebunt ſubditos contra ſe dominos ſemper ad mortem uſq; iratos; quomodo gaudebunt in dominio? Mortem ergo ſibimet, ac ſubditis, & per malum exemplum omnibus abſolutè, tùm dominis, tùm ſubditis, procurat unus tyrannus. Nõ mirum igitur, ſi tãtopere Moyſes ad ſe de tyrannidis impoſitura excuſandum fuit ſollicitus.

Mala tyrannidis.

Not. ¶ Samuelem, 1. Reg. 12. ſeipſum de tyrannide qualiber coram populo ſolicitè purgaſſe inuenies. Signum profectò clariſſimum, quòd ſancti homines nil ſupra tyrannidem exoſius habent; & conſequenter nil iuſto dominio gratius in ſuperioribus uident. Tyrannidem ipſam ſub perſona Saul primi regis Iſrael inuenies etiam, ad longum, deſcriptam a domino. 1 Reg. 8.

Text. TV ſcis, quòd nec aſellum &c.

Concl. 5. *Nullus eſt adeo amatus princeps à populo ſuo, quin ab eodem populo, ſi ad tyrannidem declinauerint, rebellionem non patiatur; uel de facto, uel ſaltem quantum eſt ex uoto populi.* [Ex eo]

Ratio. CONCLVSIO hæc ex ſuperiori dependet; ſi bene inſpicias: ideò huius declaratio, ſi præcedentia conſideratis, facilè ubi occurret. Tamen id breuiter hinc conijce. Moyſes amatus, & pluſquam amatus, ratione multorum reſpectuum (ve nunc) erat a populo iudaico, nec vllo modo ſecundum ueritatem tyrannidem exercuerat: & tamen populus totus, quia ipſum aliquo modo modo tyrannum ſeductus tunc opinabatur, contra ipſum rebellauit. Quid ergo populi faciẽt (ò principes), ſi non falsè, ſed uerè tyrannidem in eos uel paruam exercueritis? Vobiſmetipſis ergo uidete, nè quando inter uos tyrannis inueniatur.

NOTATIO.

ID facit populus tùm ratione vitij, tùm ratione libertatis. Vitium enim de ſe eſt abhominabile; & conſequenter à cognoſcentibus illud odio magno habetur. Non poteſt autẽ non cognoſci; ſi in aperto poſitum ſit, & in ruinam id cognoſcere debentis actualiter veniat. Modò tyrannis eſt uitiũ poſitum in aperto, tùm quia eſt in perſona publica (puta rectore malo, principe &c.), tùm quia exercetur extrinſecè per manus etiam multorum perſonarum miniſtrantiũ & huiuſmodi. Venit quoque tyrannis in ruinam cognoſcere debentium ſcilicet ſubditorum, quoniam actualiter per tyrannidẽ expoliantur tùm bonis tùm &c. (ut ſupra. 4. concluſione habuimus). Huiuſmodi enim ruina apertè facit multum oculos ad cognoſcendum illud vitium adeò, ut tyrannis parua quandoque videatur ſpoliatis magna. Quantò enim magis ſibi decedere ſentiunt populi ſentiunt per rectoris actionem: tantò magis ipſum rectorem ſibi ipſis inutilem & nociuum, & conſequenter tyrannum, conijciunt. Hinc eſt, quòd boni rectores, quando populum ex una parte grauant, deberent ex alia parte oſtendere ſecundum veritatem populo, & grauamen illud in manifeſtè maius emolumentum populi uenire: Et niſi fiat ſic, aliquam maiorem ruinam populo imminere. Et tunc populus clarè uidens, grauamen illud in ſuimet utilitatem maiorem uenturam de proximo, rectorem uerum do-

minum eſſe exiſtimabit, atq; ideò eum amabit, nec rebellionem molietur aliquando. Ratione quoque libertatis populum ad rebellionem eſſe proclíuum, dixi; quoniã homo quilibet hominis naturam, ideoque liberam, ac ideò libertatis defenſatricem, naturaliter habet. Vnde fit, ut & ſeruitutem refugiat homo, niſi alicuius libertatis ſpecie veſtiatur, & illius libenter ſit ſeruus, quem libertatis propriæ ſuiipſius maiorem aliqualiter credit. Oportet igitur ſecundum ueritatem oſtendere ſubdito populo, quòd ſic uel ſic faciendo, ad eius libertatem maiorem, uel iam exiſtẽtem ſeruandam, aſpirat princeps; id quod ſi populus in ueritate capiet, ſubditum ſe eſſe gaudebit (ut qui conſideret, ſe per ſe ſolum ſuam libertatem tueri non poſſe) nec de rebellãdo cogitabit. Ecce, ꝙ libertatem diligere non excludit uniuerſaliter diligere ſubiectionẽ, etiam in hominibus. Si.n. hoc excluderet, nullus inueniretur ſubditus uoluntarius hominum; quod tamen falſum eſt. Multò igitur minus excludet ſeruire libenter, & uoluntariè Deo, quia ſeruitus ad Deum (quandoquidẽ ab hoĩum ſeruitute in infinitũ differt) libertatẽ hoĩs plus incõparabiliter ſouet. Hoc cõtra hæreticos votũ impetẽtes, atque ſeruire Deo: Vt liberi (inquiunt) ſimus. Ad ea ergo, quæ ſupra (15.) de ſeruire Deo per uotum contra ipſos diſputauimus, additur: ꝙ nemo æqualiter aut melius tueri poteſt libertatem noſtram,

Aureum ſicut Deus. Vnde, ſi hoc ſolum eſſet in cauſa, nec melius à ob ſeruire Deo noſtrũ expectaretur; uouere, ac Deo ſeruire debe remus. Qñ enim ſeruimus ipſi idem eſt, ac ſi ei dicamus: ꝙ libertatẽ quam donauit nobis, ſeruare dignetur, ad honorem ſuum, & ſalutem tum noſtram tùm proximorum. Hæc à fortiori dicta, per reſpectum ſcilicet ad ſeruientes hominibus, bene notato: vt & in ſeruitio Dei accendaris, & hoſtes conuincas omnium creaturarum ſuiq; creatoris.

Text. TV ſcis; quòd nec aſellum quidem unquam acceperim ab eis &c. Coaceruaſſent aduerſum eos omnem multitudinem.

Conclu. 6. *Quandoque ſubditi tyrannidem falſò opinantur de principe rectore uè ſuo, ac propter talem opinionem falſam ipſi contra rectorem audent rebellare de facto.* [Ex eo.]

Ratio. Hi iudæi fuerunt figura omnium in concluſione expreſſorum. Vide igitur. Iudæi iſti falſò tyrannidẽ impoſuerũt Moyſi, Aaroniq;, ac ideircò contra eos rebellarunt. Figurarũ ergo; ꝙ in ſucceſſione temporum aliqui tales inuenirentur ſubditi; tantoque magis faciliter, quantò rectores ad bonitatem Moſaycam non partificarentur. Hinc ſiquidem fiendum erat, ut facilius de ipſis opinionem talem habituri eſſent aliqui populi, & conſequenter facilius rebellaturi.

APPENDIX.

1 HINC habes, ꝙ non ſemper ſubditis, etiam multiplicatis, credendum eſt cõtra rectores ſuos. Quid ergo tūc? Examinanda eſt cauſa querelæ populi contra rectorem: vt de hoc exemplum nobis ſuo facto reliquit Moyſes. Quid fecit inter has querelas Moyſes? Cauſam examini diuino examinandam inter ſe & populum attulit dicens: Tu ſcis, quia nec aſellum unquam &c. Quaſi homini diceret. Qñ tu videris totum populum tyrannidem rectori aſcribere; nè velox ſis ad credendum; ſed benè prius cauſam iſtam (.i. materiam iſtam, querelam iſtam) conſidera. Si inueneris, ꝙ populus falſò tyrannidem rectori imponat: tunc & rectorem ſuper illos confirma, & acerrimè illos caſtiga. De hoc enim modo procedendi in tali querela habes hic normam ab altiſſimo. Nunquid Deus ob querimonias illas caſſauit Moyſen à gubernatione populi? Minimè. Imò licèt multoties verba fecerit de præficiendo Moyſen alteri populo (quamuis hoc nunquam dixerit propter defectum Moyſis) nunc tamen, quando populum falsò tyrannidem attribuere Moyſi comperit, Moyſen pro rectore populi confirmat. Huius ſignum eſt, quòd Dominus dicit Moyſi poſt orationem factam (quod repræſentat examinationem querelæ factam, ac ueritatem inuentam), præcipe uniuerſo populo ut &c. Et, ſi per totum reſiduum capituli diſcurras, ſemper Moyſen aliquid, officium rectoris importans, exercuiſſe uidebis. Cur, hæc facta eſſe, putas? Certè, vt confirmatum Moyſen ſuper impoſtores tyrannidis hinc agnoſceres: & agnoſcendo ſcires, quid tu iudex in ſimili facto, reperta impoſtura huiuſcemodi, facere debeas. Caſtigauit quoque Dominus populum tyrannidis impoſtorem acerrimè, narrãte litera: quò, quid tibi iudici in tali negocio occurrenti facto opus ſit, hinc addiſceres. Secundò ergo (ab oppoſitis) habes, ꝙ ſi rector uerè de tyrannide impoſita conuincitur: tunc rector ipſe & debet a ſuperiori legitimè priuari regimine ſuper populum illum, & hac ſequenti punitione caſtigari. Primò debet conſtringi ad reſtituendum omnia per tyrannidem a populo illo emuncta. Hoc enim de neceſſitate in quacunque iniuſta extorſione eſt, & a quocunque: reſpectu cuiuſcunque fiat. Secundò debet priuari; nè in poſterum ſuper quempiam regimen aliquod obtineat ſaltem per decem annos, quod ſpatiũ à iure pro pœnis determinari ſolet. Nam qui abutitur beneficio, quale eſt regnare, meretur priuari: & ſemel ſuſpectus ſemper eſt ſuſpectus de eodem crimine, niſi cõtrarium appareat. Si ſic fieret: certè daretur exemplum omnibus rectoribus dominio legitimo regere, non tyrannide peſſumdare, ſubditos ſuos. Quod autem ſic agendum eſſet, patet (ut diximus) ab oppoſitis. Nam populus principalis de falſitate apud Deũ conuictus, per demerſionem in mortem de medio alioru ſublatus eſt, & omnis ſubſtantia ipſius. Subſtantia igitur malè extorta per rectorem debet perire a rectore, id eſt reſtitui ſpoliato populo; & rector ipſe de medio quoad regimen tolli debet, nè amplius (ſaltem per decennium) in regiminis officio compareat. Tunc enim ſic punitis populis, aut rectoribus pro requiſitione iuſtitiæ; tunc, inquam, ſanctificaretur terra noſtra, ſicut & hic ſanctificata dicuntur thuribula in mortibus impiorum. Audiſtin unquam dixiſſe Chriſtum, egreſſo Iuda proditore, nunc ſanctificatus, ſeu clarificatus, eſt filius hominis? Si, Ioan. 13.
remoto impio, clarificatur filius hominis: ergo, remoto impio, clarificaretur Eccleſia ſponſa filij hominis. Ab oppoſitis
igitur quid tertiò habes? Quòd, ſi non remoueantur modo ſu 3
pradicto impij tales, quicunque ſint (ſiue.ſ. rectores, ſiue populi), obtenebrabitur Eccleſia; & filij hominis honor, quantum in hominibus iniuſtis eſt, diſſipabitur; & ſicut in mortibus impiorum ſanctificabatur (ut hinc trahis) ita in uitis impiorum blaſphemabitur. Satagant ergo, ad quos attinet, punire (ſecundum ꝙ oportet) iniuſtos.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

EX Concl. hac 6. c. 16. nè inferas, quaſi ab oppoſitis, ꝙ ſubditi benefaciant rebellãdo contra principem uerè tyrannũ; qm̃ in cõcl. 3. huius dictum eſt, quòd ſecundum ſcripturas dominis etiam diſcolis à ſubditis ſuis obediendũ eſt. Quamuis etiam uideas, concluſiones ſupradictas 4. 5. 6. demonſtrare, deteſtandam eſſe tyrannidem: caue tamen, nè exindè deducas errorem cuiuſdam Ioannis parui (teſte Ioanne Gerſone) narratum, atque damnatum à Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. in hæc uerba. Nuper accepit hæc ſancta ſynodus, ꝙ nonnullæ aſſertiones in fide, & bonis moribus, multipliciter ſcandaloſæ, reipublicæ ſtatum & ordinem ſubuertere molientes, dogmatizatæ ſunt; inter quas hæc aſſertio delata eſt. Quilibet tyrannus poteſt, & debet, licitè & meritoriè occidi per quemcunque uaſſallum ſuum, uel ſubditum; etiam per clanculariàs inſidias, & ſubtiles blanditias, & adulationes, non obſtante quocunque præſtito iuramento, ſeu confœderatione, factis cum eo; non expectata ſententia, uel mandato, iudicis cuiuſcunque. Aduerſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta ſynodus exurgere, & ipſum funditus tollere, declarat & definit, huiuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus; ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria, uias dantem, reprobat & condemnat. Declarat inſuper, & decernit, quòd pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes ſunt hæretici; & tanquam tales iuxta canonicas ſanctiones puniendi. Hæc ibi. Vbi nota; quod non ſine cauſa appoſuit ſignanter ly Quilibet, & non dixit abſolutè ly tyrannus. Per hoc enim datur intelligi; quòd qui diceret, non quemlibet, ſed ſolum aliquem (.i. tyrannum quòad dominium, qui ſcilicet non eſt legitimus dominus, ſed re uera intruſus.) poſſe licitè, remoto omni mendacio & ſcandalo, occidi, non incideret in hunc canonem in cuius ſignum,

tollere

tollere talem tyrannum, non eſſet ſubuertere ſtatum, & ordinem reipublicæ (de quo loquitur Concilium, ad litteram patet), ſed eſſet uero domino ab intruſo rempublicam uendicatam reſeruare. De tyranno itaque aliter ſumpto loquitur; id eſt de tyranno quò ad modũ regendi ſubditos uaſſallos &c. quibus alias legitimè præeſt. Nã ſic re uera omnia ferè perturbarẽtur: quoniam tunc uxor in maritum erga ſe tyrannicè agentem, monachi in ſuum prælatũ, clerici in epiſcopum, ſi quando taliter ſe gerentes haberent erga ſubditos ſuos, inſurgerent licitè; & ſic de alijs huiuſmodi. Quæ omnia ſunt manifeſtè contra ſcripturas adductas in conclu. 3. huius & maximè contra ly Eſtote ſubditi, & obedite, dominis ueſtris etiam diſcolis. Eſt ergo perniciosiſſimus ille error, & per conſequens non eſt trahendus ex bonis concluſionibus textualibus hic datis. Concordat Concilio cum Caietano Diuus Tho. 2. 2. q. 64. art. 3. Vide eius opuſcul. 20. cap. 6. & 2. ſentent. diſtinct. 44. artic. penult.

Text. **VT cernant ea pro ſigno, & monimento filij Iſrael.**

Concl. 7. *Deus, dùm unum punit, alium erudit; hoc eſt, Deus caſtigationes aliquorum ordinat ad correctionem aliorum.* [Ex eo.]

Ratio. Ideò mandauit dominus, ut ex thuribulis fierent laminę, & altari affigerentur, quò filij Iſrael ſuperſtites uidentes laminas illas, recordarentur caſtigationis hominum præſumptuoſorum, & hinc præſumptionem talem fugere docerentur.

APPENDIX.

1 HInc habes, q in uno, & eodem, opere Dei apparet iuſtitia, & miſericordia. Iuſtitiam punitiuam cernas in caſtigatis; miſericordiam in dando ſignificationem reliquis, ut
2 fugiant a facie arcus. Secundò conſequenter habes, quòd Deus ſeruilem timorẽ deſiderat, atq; procurat, in nobis eſſe; quò ad obſeruantiam mandatorum eius ueniamus. Et ideò hunc timorem non debet homo a ſe abijcere, ſed in ſe procurare (conſiderando, ſcilicet ea Dei iudicia, quæ timorẽ huiuſmodi incutiunt); ut ad mandatorum Dei obſeruantiam ueniat, & ad timorem filialem iſta uia demum introducatur.

NOT. TEXTVALIS.

0 COncluſionis contextum in littera uideãt omnes hi, qui non exiſtentes in ordine aliquo præſumũt officium illius ordinis exequi, tanquam ex officio miniſtrãtes. Ad hoc enim mandauit dominus fieri memoriale aliquod, ut recordarentur illorum punitorum, qui non uocati a Deo officium Aaronicum exercere uoluerũt. Videant, & in pęna iſta Lutherani; q non omnes ſunt ſacerdotes, imò nec altaris miniſtri,

Contra hæreticos. & ſciant hinc, q contrarium, ut ipſi faciunt dogmatizantes merentur iuſtè comburi. Et hi ergo, qui talia officia non habendo ordinem præſumunt facere: &, multoque magis, hi, qui illos ad illam præſumptionem doctrina ſua inducunt ignem pro pœna genuina habere debent. Quid ad textum hunc tam clarè loquentem cõtra huiuſmodi homunciones? Nota etiam, q figurauit Deus; aliquos reperiendos in futurum, qui talia auderent, uel docerent, tuncque hoc figurauit: quando memoriale de pœna illorum iudęorum fieri mandauit. Ad quid enim hoc mandaſſet, niſi aliqui inueniẽdi quandoque eſſent, qui tali memoriali opus haberent, uel nè deciderent in ſimilem culpam, uel ſcirent, q ſimilia facta tentare eſt culpa ignis meritoria? Quid in his omnibus niſi hæreticos in ſuis dogmatibus depictos, eorumque pœnam condignam exaratam, conſpicis? Talium ignis combuſtio nõ ab hominibus, ſed à Spirituſancto, quòd faciẽda ſit, profecta eſt.

Text. **SEparamini de medio congregationis huius, ut eos diſperdam.**

Concl. 8. *Præſentia bonorum uirorum eſt cauſa, q mali quandoque non puniantur.* [Ex eo.]

Ratio. POSSENT Dominus diſperdere malos, etiam bonis in medio illorum ſaluatis; ſed bonos à malis ſeparari mandat, quando malos uult caſtigare, quò documenti concluſionis huius normam effigiet. Quaſi diceret. Vos boni eſtis mihi impedimento ad puniendum malos, ſi inter illos manſeritis: Et ideò ab his recedite, ut liberè poſſim eos caſtigare.

APPENDIX.

HInc habes, q boni, etiam ſolummodo p inhabitationem ſuam cum eis, malos iuuant. Quid ergo, ſi pro malis orauerint? Quid ſi malos docuerint uerbo, uel ſcripto? Certè; maius eſt pro malis orare, vel eos aliquomodo docere; quàm ſolummodò inter eos corporaliter inhabitare. 1
Secundò ergo conſequenter habes, quòd orationes bonorũ factæ pro malis malos adiuuant. Ergo orandum pro peccatoribus eſt ſecunda ſecundæ quæſt. 83. art. 7. 8. Tertiò conſequenter habes, quòd bonos ponere inter malos (dummodò boni ſint ad inſtar Moyſis ſcilicet perfecti, uel ſaltem in bonis moribus bonis aſſuefacti) eſt ualde bonum ad hoc, vt in locum, ubi ſunt mali, ira Dei non ſæuiat. Taceo, quòd per bonos iuuabuntur etiam mali & orationibus, & exẽplis, & doctrinis, & huiuſmodi: ita, quòd ad bonam frugem mali conuertentur quandoque, uel ſaltem ab inſolentijs ſuis vtcunque compeſcentur. Hoc ſalutiferum monitum, a ſpiritu ſancto per ſcripturas (vt hic, & alibi ſupra, patuit) edocti, ſolent ſeruare ſuperiores: quando aliquem diſſolutum vel conuentum, uel monaſterium, uel locum, reformare uolũt, ſiue ab ira Dei aliqualiter protegere. Quartò habes: quòd mali pro magno beneficio tenere deberent; quòd boni aſſocientur ibi, & ad habitandum ſecum in locis aliquibus ueniant. Emolumentum namque maximum ex hoc ipſi mali (ut ex littera habetur) reportant: & non mali bonis, ſed boni malis, fructuoſi multum exiſtũt. Quintò conſequenter habes, quòd mali, dùm perſequuntur bonos, perſequuntur ſemetipſos; Vltra hoc, quòd in bonos peccant, quos ratione gratitudinis iuuare ſemper deberent. Sextò habes, quod ſignũ uindictæ diuinę citò affuturę eſt, quando recedunt boni a malis. Boni enim (ut uides hic) ſunt quaſi pro muro malis, ad defendendum eos ab ira diuina. Septimò habes, quantam reuerẽtiam, ſiuè (ut aiunt) reſpectum, deferat bonis Deus. Horum enim in conſpectu non uult punire malos: quaſi dignum nõ iudicet, in conſpectu tantorum uirorum (hi boni ſunt) ſupplicia contra aliquos exercere. Quid feciſſet Deus quoad iſtã reuerentiam, ſi iſti mali fuiſſent ciuiliter amici bonorum iſtorum? Certè, ad puniendum malos lento magis gradu propter reſpectum bonorum amicorum ſuorum proceſſiſſet. Si namque propter bonos, quibus mali inimici ſunt, pœnam malorum differt, rationi cõſentaneum eſt, ut aliquid plus in malorum fauorem faceret, ſi bonorum amicitiam tenerent. Ad præmiſſa confirmanda facit illud, de bonis principaliter, dictum Sap. 12. Tu autem dominator virtutis cum magna reuerentia diſponis nos. 2 3 4 5 6 7

¶ Applica ad ly (Euangelium) Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis. Hoc eſt. Per eleemoſynas facite, ut bonorum amicitiã acquiratis. De bonis enim ibi loquitur, quoniam dicit, ut, cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Vidiſtin ibi, ſeruum malum propter beneficia in bonos oſtẽſa fuiſſe à Domino de prudentia laudatũ? Bonorũ igitur tùm corporalis præſentia, tum multò magis amicitia contracta, malis proficit ad ſalutem. Contrarium ergo dicas de abſentia corporali bonorum, uel de ad eos inimicitia, reſpectu malorum. Vel ad &c.

MVrmurauit ſequenti die omnis multitudo contra Moyſen & Aaron. Text.

Concl. 9. *Flagella quantacumque non ſunt ſufficiẽtia ad retrahendum nos à malis: niſi Dominus per internam attractionem operetur.* [Ex eo.]

ECCE. Dominus tantas ſtrages impiorum iam fecerat in horum conſpectu, vt ab illis commouerentur ad ceſſandũ à malis operãdis cõtra Moyſen, & Aaron. Vides autẽ in tex. qd hi fecerint; quam nullam utilitatem inde aportauerint. Signa maxima ſuppliciorum etiam in memoria retinebant, cũ una tantùm dies præteriſſet; Et tamen nullam inde ſui emendationem oſtendebant: imò nouam murmurationem addebant. Ratio.

APPENDIX.

HINC habes, quantæ uis ſit mala conſuetudo. Iſti enim
1 aſſueti erant (ut per omnes libros Moſaycos patet) ad
murmurandum. Et ideò, dato etiam quolibet à murmura-
tione freno, murmurare non deſiſtebant. Præſentia erant il-
la, quibus à ſupremis amabilibus cohibentur beſtiæ: Et tamē
iſti homines propter illa præſentia à prauis operibus nō ceſ-
ſabant. Verè ergo non beſtiæ tantùm, ſed malæ beſtiæ, ideſt
peiores beſtijs, ſunt peccatores ad malum aſſueti. Quæ ſunt
illa, quibus beſtiæ a ſupremis amabilibus arcentur? Sunt
flagella. Maximè amabilia a beſtijs, q̄ ſunt? Cibus, & coitus.
Flagella admoueas beſtijs, nè hoc edant, aut nè ſic coeant:
per experientiam uidebis, quòd à talibus faciendis tempera-
bunt. Vnde S. Thomas 1.2.q.35.arti. 6.ex D. Auguſtino dicit.
Quandoque quidem etiam uidemus, immaniſſimas beſtias
a maximis uoluptatibus abſtinere dolorum metu; qui con-
trariatur uitæ, quæ maximè amatur. Quaſi ergo dicat? Quòd
multum, & pluſquam multum, erat amata ab iſtis murmura-
tio (ſimilia uina ſub hac intellige, vt ſeditionem hic tactam
poſt murmur, rebellionem, ceruicoſitatem &c.) cum per fla-
gella, eaque omniū maxima, ab huiuſmodi uitijs non abſti-
2 nerent. Conſequenter ſecundò habes, quòd propter flagella-
tiones non moueri a uitijs eſt ſignum magni amoris uitiorū,
& tantò maioris, quantò fuerint flagellationes maiores non
3 potentes diſtrahere hunc à uitijs. Tertiò habes intellectum
Iſai. illius prophetici; Vexatio dat intellectum. Intelligitur enim
adiuncto Dei ſpeciali auxilio. At dicet quis. Cur ergo ma-
gis dicitur, quòd uexatio dat intellectum, quàm quod con-
ſolatio temporalis: cùm utrinque requiratur auxilium diui-
num ſpeciale? Quia de ratione vexationis eſt retrahere cor
ab alijs in ſeipſum (cùm vexatio omnis cōſtringat cor): dele-
ctationis autem eſt trahere cor a ſeipſo ad alia (cum delecta-
tionis ſit dilatare). Quando autem cor in ſeipſum ab alijs
retractum eſt, magis diſpoſitum eſt ad audiendum Deum
loquentem ad cor, quàm quando a ſeipſo ad alia eſt diſtra-
ctum. Verbi gratia. Audit quis magis loquentem tem-
pore ſilentij, quam tempore ſtrepitus. Cùm ergo magis
diſpoſito maius detur a Deo auxilium, non mirum, quod
uexationi magis attribuatur dare intellectum, quàm tem-
porali conſolationi; licet utrinque auxilium Dei ſpeciale
ad hoc requiratur. Quartò conſequenter habes, quòd
4 debemus poſtulare a Deo non præciſe tribulationes, ſed au-
xilium in tribulationibus poſtulatis. Alioquin contra nos
oraremus, petendo tribulationes, ſcilicet præciſè: cùm ſine
illius ſpeciali dono magis ex tribulationibus deficiamus (ut
5 in iſtis, patet) quam proficiamus. Quintò habes procliuita-
De proni- tem magnam hominis ad uitia, cùm nec flagella ipſius pro-
tate ad cliuitatis actum impedire ualeant. Quid; ualeant? Non tan-
malum. tum hanc non ualent flagella in quocunque tempore conſi-
derata; ſed nec etiam flagella nunc, nunc præſentia. Iſti nam-
que ab heſterno die in proximis flagellati, adhuc murmurāt.
6 Sextò habes, quantùm poſſit amor propinquorum. In his,
enim tantùm potuit, ut impios pro impietate a Deo id con-
teſtante occiſos uocent populum domini dicentes: Vos in-
terfeciſtis populum Domini. Et in hoc figurant iſti fauto-
res hæreticorum. Hi enim fautores, ſeu credentes hæretico-
rum, poſtquam uiderint, impios eleuatos cōtra Eccleſiam Sā-
ctam, aut Eccleſiæ Sanctę caput (ut hi ſcilicet Dathan, & Abi-
ron, ac cæteri prædicti erant contra Moyſen) comburi: Quid
imitando iſtos iudæos, dicunt? Reuerendos Inquiſitores
incuſant aut de odio, aut de imperitia, aut de ſuperbia, aut
de crudelitate, aut de iniuſtitia: quaſi uaſtent populum domi-
ni. Duo itaque, ſicut hi ſuæ figuræ, mala in hoc faciunt; lau-
dandos uituperant, & uituperandos laudant. Inſtinctumque
creſcunt aliquando iſta duo in ore illorū: Vt contra Reuerē-
dos inquiſitores ſeditiones, ac tumultus (more ſuarū figura-
rum hic depictarum) ſuſcitent. Et quantos tumultus, ac ſedi-
tiones? Vt ſancti officiales prædicti quandoque fugere co-
gantur. Hæc autem omnia ab amore propinquorū dimanāt.
Impoſſibile namque ferè eſt: quòd inter iam heri occiſos nō
fuerit aliquis propinquus iſtorum iudæorum dicentium, uos
interfeciſtis populū dñi, & mouentium tumultus. Propin-
quus (inquā) uel propinquitate ſanguinis, uel affinitatis, uel
familiaritatis, uel amicitiæ, uel particularis affectionis, uel
immediatè, uel mediatè, ideſt uel ipſis occiſis propinquus,
uel occiſorum ipſorum propinquis aliquo dictorum modo
rum. Amor ergo iſte carnalis faciebat iſtos & pro necatis ze-
lare, & contra Moyſen tàm audacter tumultuare. Amor ip-
ſe iudicium peruertebat in iſtis, ut ſanctum Moyſen pro im-
pio iudicarent, & quidem uoce publica; & impiiſſimos popu-
lum domini nominarent, & quidem apertiſſima facie. Verè;
& diabolus ſuos zelatores habet. Sed hi parumper expectent,
A diabolo enim ſuo patrono præmiabuntur abūdāter. Quid *Transla-*
faciet diabolus? Zelatores illos tantùm calefaciet in inferno, *tio verbi*
ut non amplius zelent, & quanto magis zelatores fuerint, tan- *fictitia.*
tò magis (nec iniuria ſanè) eos à zelatione per gehennam
ſanabit.
7 Septimò habes, quòd huiuſmodi hæreticorum fautores,
etiam uerbotenus tantùm, comburi temporaliter merentur.
Vtquid enim putas, Deum iſtos iudæos horum fautorum fi-
guras concremaſſe? Quò hinc diſcas: & quòd figuratū con-
cremari magis merentur; & q̄ hæc ſententia non inquiſitori-
bus, primò ſed Spirituiſancto, attribuenda eſt. Nè dicant
itaq; unquā amplius hæretici, q̄ Eccleſia Sancta non habet à
Deo mandatum, ut eos comburat: qm̄ non tantùm de hoc
mandatū habes in uerbis, ſed (quod præponderat) in factis.
De hoc diſcurre ſupra in capitulo iſto. Octauò habes, quòd 8
Reuerendi inquiſitores non ſunt culpandi, ſi quandoque
fugiunt à ſeditionibus impiorum commotis. Huius enim
exemplum habent hic à Moyſe, & Aaron, qui commotâ ſe-
ditione, fugerunt in tabernaculum fœderis. Non enim om-
nis, qui fugit, culpandus eſt. id quod in Exodi capitulo ſecū-
do examinauimus. Ideò uide tu illic. Sufficit hic oſtendere,
quòd Moyſes non peccauit fugiendo. Hoc autem faciliter
oſtenditur: ſi conſideretur, quòd Moyſes à Deo, de fuga ta-
li reprehenſus non eſt. Solet nanque ſcriptura reprehende-
re Moyſen, quando malè agit, ſicut ad aquas contradictio-
nis patet. Ex eo ergo, quòd hic à Deo ſibi tunc apparente nul-
lam reprehenſionem habuit: eliciendum relinquitur nobis,
q̄ Moyſes fugiēdo rumores illos nō peccauit. Si igitur, ad in-
ſtar eius, quandoque ſancti officij adminiſtratores turbas ab
impijs concitatas fugiunt: Quare ſine cauſa reprehendun-
tur ab hæreticis, aut plebeis hominibus? Imò parum dixi.
Deus non tantum Moyſen fugientem non reprehendit; ſed
etiam ipſi apparuit, ipſi tunc fauit, ipſum exaudiendo pro po-
pulo conſolatus fuit. Nonò habes: q̄ Reuerendi inquiſito-
res tempore turbarum commotarum contra ipſos, & conſe-
quenter contra ſanctum officium, orationes pro populis ſibi
commiſſis feruentiores facere debent, & crebriores: Vt Moy-
ſen figuram ſuam imitentur. Tunc nanque Moyſes non iuit
ſed fugit in tabernaculum ad pro populo orandum. Quid
eſt fugere ad orandum? Eſt ſolicitè orationis locum petere:
Eſt feruenter orare, eſt cum maxima inſtantia per timorem
ſui ac populi excitata orationes multiplicare. Decimò ha- 10
bes, quod dominus pugnat pro Sanctæ inquiſitionis mini-
ſtris. Vide attentiùs. Inſurrexerunt hi iudæi in Moyſen; nō
uoluit ſe corporaliter defendere Moyſes; punitionem in il-
los, utque tumultus magnos feciſſent in unum, non potuit
exercere; fugit Moyſes, quia officium ſuum contra tantam
congeriem facere nequibat. At Deus pro Moyſe decertauit,
Deus pro Moyſe impotente inquiſitionis officium executus
eſt, Deus pro Moyſe hæreticos figurales uſque ad quatuorde-
cim millia hominum ac ſeptingentos igne combuſſit. Quid
tibi uidetur? Inquiſitionis Sanctæ officium deperire nè po-
teſt? Impediri nè poteſt? Dico tibi ex littera iſta edoctus, q̄
ſi ab hominibus impedietur, Deus officium hoc per ſemetip-
ſum diligentiùs, & cōtra impios acerbiùs exequetur. Si negli-
gentia hominum, uel nequitia, ad deperditionem ducetur,
aut duci uidebitur: Deus officium hoc ſuſcitabit, ac per An-
gelorum miniſterium (ut nunc fecit) inquiſitionis munere
contra hæreticos figuratos multò magis fungetur. Quis illū
impediet? Quis illum effugiet? Horrendum eſt incidere in
manus Dei uiuentis (ut hic per totum capitulum patet) Vn-
decimò conſequenter habes, quòd impedientes inquiſitio- 11
nis officiū cremari merētur. Vide hic. Iudæi hi cremati ſunt.
Quare? Quia Moyſen de officio ſuo reprahendere, & quo
audiſti modo ab officio illo impedire auſi fuerūt: quia Moy-
ſen pro bono officio, quòd faciat, perditorem populi domi-
ni uocaruerunt. Nunquid non tibi uidetur, quòd Moyſen ab
officio, quod tenebat, perditorem populi domini uocan-
do deterrere uoluerint iſti maligni? Vtique. Nam ideò of-
ficium Moſaycum, tanquam carnificinum, uituperarunt,
ut Moyſen ab ipſius officij proſecutione perterrefacerent.
Quid antè iſtis ea hoc acciderit, uidiſti, quòd ſcilicet a Deo
iuſtiſſimo propter iſtud igne cōſumpti fuerunt. Si figurales
igitur inquiſitionem impedientes acerbè puniti ſunt, mul-
tò

tò magis figurati: & ſi uerbis ſolummodò impedimentum hoc exercentes, multò magis factis id attentantes. Contra hæreticos, fautores, credentes illorum, &c. clama indè, nè ceſſes.

EXAMEN AVREVM.

DIximus in præmiſſis, quòd Moyſes in hac littera Inquiſitores figurat, officium Moyſis officium inquiſitorum, exiſtentes contra Moyſen exiſtentes contra inquiſitionem. Hoc, ſi littera profundius inſpiciatur, ex multis
1 apparet. Primò adeſt ignis pœna; quæ nunc ordinariè his, qui contra ſanctam inquiſitionem delinquunt, datur.
2 Secundò agitur de ſchiſmate contra Moyſen excitato tùm à chore, tùm à Dathã, & Abiron, quod quidem ſchiſma corruptionem fidei ab hæreticis in ſua ipſorum malignitate perti-
3 naciter inuentam figurat. Tertiò adiunt uerba ipſius choræ aduerſum Moyſen idem prorſus ſonãtia, quòd in ſeipſo chore prædictus geſtabat. Et hoc apertè deſignat hæreticorum proprietatem; quæ eſt falsò imponere catholicis, quæ ipſi re uera perpetrantur (ut ſupra in quadam huius con-
4 cluſione habuiſti). Quartò adeſt non tantum perſonarum, ſed & omnium ad ſe pertinentium demolitio (ac pates de chore, Dathan, & Abiron) quæ caſtigatio ordinariè hæreticis intelligitur per hoc; quòd eorum bona omnia confiſcan-
5 tur. Quintò adeſt Moyſes ſemper pro populo exorans, & ſanctificata dicens thuribula in mortibus impiorum. Quis magis orat pro populo Dei, quam Inquiſitor Reuerendus: cũ tanto plus pro eo re uera exorare dicendus ſit, quã eo plus in eius utilitatem hæreticos lupos ab ouium gregibus arcet? Quando autem magis ſanctificantur homines fideles, quam ubi mortibus impij ex ipſorum numero tollũtur? Tunc Eccleſia ſancta uerè ſanctificari dicẽda eſt in mor-
6 tibus impiorũ. Sextò adeſt Moyſes diſtrictè dicens ad multitudinẽ, ex parte Dei: Recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, nè inuoluamini in peccatis eorum. Vide hæreticos excommunicatos. Excommunicato enim nõ poſſum appropinquare, cum eo loqui, illius menſam uel res participare; alioquin inuoluor in peccatis illius, inquantum cado in excommunicationem minorem; & ſi in talibus uerſus hæreticum perdurabo, ſuſpectus habebor. De hac re uide Addi. art. numer. 91. 92. 93. ſemper cum Elucid. Hanc prohibitionem non communicandi excommunicato tetigit B. Ioannes in ſua canonica ſecunda, quandò dicit, Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam, non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce (inquit) prædixi uobis, ut in die domini non confundamini. Ecce effectus excommunicationis maioris à canonicis hoïs depictus, nõ à Romanis Põtificibus (ut impij garriunt) nouiter inuentus. Quid? Voluit correſpondere Apoſtolo in
B. Ioan. primo capitolo ad Galathas, ubi angelum de cœlo, ſi aliã doctrinam ueniens attulerit, excommunicat. Maxima certè auctoritas prælatorum Eccleſiæ: Vt & in angelos de cœlo, ſi uenerint in terram poteſtatem iuriſdictionis habeant. Quod ergo dicitur Petro, quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. non intelligitur de hominibus tantùm; ſed de omnibus, & Angelis cæleſtibus aduenientibus ſuper terram, ſeu apparentibus ibi. Hanc modò excõicationem, quem effectum, ſcilicet habeat, gloſauit breuibus uerbis præmiſſas Euangeliſta Ioannes Nè (inquit) dixeritis ei Aue; alioquin cõicatis operibus eius malignis. Si Ioãnes dicit excõicatũ priuari cõſortio fideliũ quoad loqllã: ergo multò magis ipſũ priuari conſortio fideliũ quoad ſacramẽta, orationes, ſuffragia, ſepulturas, ac ſimilia pro comperto relinquit. Priuatus enim minori ex culpa ſua, priuatur & maiori beneficio: ut ratio naturalis dictat. Effectum igitur excommunicationis cùm nõ habeamus alicubi, ita liquidiſſimè, cum excõmunicatione etiam minore in participante adiuncta: ſicut in B. Ioanne habeamus; & ibi B. Ioannes hunc effectum contra hæreticos aſſignet. quid reſtat dicẽdum? Quòd per effectum ſimilem hic à Moyſe narratum (ſ. recedite à tabernaculis impiorum &c. nè inuoluamini in peccatis eorum), notatur ſint q̃ hæretici, & excommunicati. Nam per effectum in cauſæ cognitionem deuenimus; & conſequenter per effectum excommunicationis hæreticorum (ſimilis quippè eſt effectus iſte effectui dicto à B. Euãgeliſta Ioanne) intelligimus hic hæreticos deſignatos. Contra hæreticos autem Inquiſitionis ſanctæ officium ordinatur: ergo & Moyſes hic Reuerendos Inquiſitores figurat, & officium hic Moyſis officium Inquiſitorum, & Dathan cum chore, ac Abiron ipſos hæreticos.

¶Applica ad ly (Paulus, & Iacobus Apoſtoli) Tribulatio patientiam operatur. Quomodo intelligis? Quòd, nõ niſi adiuncto ſpeciali diuino auxilio, patientiam operatur: alioquin & impatientiam, & deſperationem, operatur. Vel ad ly (Euangelium) Beati pauperes &c. qui perſecutionẽ patiuntur. Paupertas ergo, perſecutio, & ſimilia, pariunt nobis beatitudinẽ? Si tamen addatur ibi auxilium diuinum ſpeciale & accepter-

PRO ECCLESIA

SANCTA DEI.

DIcta Concluſio 9. cap. 16. facit contra hæreſim flagellantium dicentium, q̃ flagellare ſe prodeſt ad delenda quæcunque peccata potius, quàm confeſſio quælibet, imò id præferendum eſt martyrio. Hi (nè mireris ex nomine) ab actu proprio dicti ſunt tales. Diſcurrebant enim per mundum flagellando ſeipſos; doctrinã, quæ narrata eſt, diſſeminantes. Rudes homines erant, cruces in ueſtimentis deferebant, urbes gregatim mœſti intrabant, liuentes ex crebris flagellorum ictibus ſcapulas præferentes, nihil poſtulantes, oblata ſpontè ſumentes, hiſque religioſis ſignis uitia tegentes, diffundebant per Galliam, & Germaniam hæreſes ſuas. Vndè non ſunt, neque uocantur, hæretici ex eo, q̃ flagellarent ſe; ſed ex eo, quòd præcludentes uiam ueritatis dicebant, flagellationem talem quoad peccata delenda præponderare confeſſioni cuiuis, ac martyrio; aliaſque hæreſes, quæ uel in Gabriele Prateolo, uel in Ioanne Gerſone, qui cõtra hanc ſectam tractatum edidit, inuenies. Tandem circa an. 1343. horum hæreſis damnata, igne & gladio cum ſecta ſua extincta eſt. Contra iſtorum hæreſim (ut dictum eſt) militat concluſio præſens. Per hoc enim, q̃ monſtrat, flagella quantacunq; non ſufficere per ſe ad retrahendum homines à peccatis, relinquit à fortiori clarum, q̃ flagellare ſe non eſt per ſe ſufficiens ad delenda peccata, & multò minus eſt proficuum magis, quam confeſſio quæuis, & martyrium. Satisfactionum quidem locum ſupplere poſſunt flagella ſpontè ſuſcepta, & pro ſe, & pro alijs, ut patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 9. & cano. 13. (ſic B. Dominicus, ordinis prædicatorum pientiſſimus Pater, tres ſingulis noctibus manu propria de quadam cathena ſectas diſciplinas recipiebat; unam pro ſe, alteram pro peccatoribus, qui uerſantur in mundo, tertiam pro his, qui in purgatorio cruciantur), licèt, inquam, ex ſatisfactionũ loco ſint, non tamen ob hoc ſacramentalem confeſſionem, aut martyrium adæquant; tantum abeſt, ut ſuperent Damnatur, & à 1. Corin. 13. ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ecce, q̃ per locum à maiori condemnatur opinio prædicta flagellantium, quoniam maius eſt corpore ſpontè ardere, quam ſe flagellare. Quòd uerò ipſi charitatem non haberent, patet; quia in illa ſua ſententia hæretici erant. Nam ſacramentalis confeſſio eſt neceſſaria, & iuris diuini; iuxta Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & cano. 6. quorum neutrum de flagellare ſe modo illo, quo flagellantes utebantur, eſt ex uera dicendum, cũ Eccleſia ſancta multos aſſignet ſaluos, qui ſic ſeipſos non flagellauerunt. Similiter martyrium eſt actus maximæ perfectionis, ut habet eximius Eccleſiæ doctor S. Thom. 2. 2. q. 124. ar. 3. & uſque adeò, ut B. Auguſtinus in lib. de Sanct. Virginit. cap. 46. præferat martyrium uirginitati, quamuis & ipſa perfectionem dicat: quod perfectionis culmen ſuprpſius flagellationi non cõueniat, certum apud rectè ſapientes eſt. Item ipſa hæreſis, inquantum præfert ſe flagellare martyrio, damnatur à Chriſto Ioan. 15. maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Item martyrium uicem baptiſmi ſupplet, ex Auguſtino lib. 1. de peccat. remiſſ. c. 16. quod de flagellare ſe nullus unquam prudens aſſeruit.

B. Dominici charitas, ut in uita eius.

QVod cùm feciſſet Aaron &c. obtulit thimiama; & ſtãs inter &c. dominum pro populo deprecatus eſt; & plaga ceſſauit. Text.

Concl. 10. *Orationes ſacerdotis publicè facta, & ceremoniæ ipſius, & ſacrificium, multum ualent pro populo etiam peccatore, & actualiter pro peccatis caſtigato.* [Ex eo.]

Ratio. ISTE populus iam adhuc pro nouis peccatis erat à Deo ſeueriſſimè caſtigatus, plagaque ibat, & progrediebatur, ad uaſtandum populum. Quid actum eſt? Aaron ſacerdos pro ipſis peccatoribus deprecatus eſt, thura obtulit, thimiama fecit, & plaga ceſſauit. Si antiquus ſacerdos tanta potuit per ſigna, ſeu figuras noſtri temporis apud Deum iudæum, quanta poterunt ſacerdotes noui per ſignificata ſeu figurata? Utique magis Deum iratum contra nos placabunt. Si thura illa, ſi thimiama illud, tanti facta ſunt apud Deum, ut his oblatis Dei plaga ceſſauerit, quæ iam actu ſæuiebat, quantum, putas, uirtutis ad Deum placandum habebit ſacrificium altaris noſtri? Etenim illa uirtutem aliquam huiuſmodi nullatenus habuerunt ex ſeipſis; ſed tantùm ex relatione ad Chriſtum, quem offerendum in altari ſignificabant. Si ergo Chriſtus in ſui umbra oblatus, tantùm potuit apud patrem, maius certè quaſi incomparabiliter poterit Chriſtus in ſeipſo oblatus. Et ſi tūc, ſemel tantùm, oblatus, utique magis admodum nunc pluries patri a ſacerdotibus repræſentatus. Nam plures miſſæ dicuntur, & quotidiè.

APPENDIX DE CEREMONIIS.

1 HINC habes, quòd ceremoniæ multum ualent apud Deum. Conſidera, quid Moyſes dixerit ad Aaron, & illarum ualorem conſpicies. Quid illi dixit uolens per eum Dominum placare? Tolle (inquit Moyſes ad Aaron) thuribulum; & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populum, ut roges pro eis. Quid eſt ponere incenſum ſuper ignē in thuribulo antea poſitum, atque thurificare? Nonnè iſtæ ceremoniæ ſunt? Utique. Et tamen quantum ualuerint eas apud Deum arbitratus ſit Moyſes audiuimus. Nec erravit quidē, ut ex facto ſubſequenti patet. Rem grandem uideas. Prius de ceremonijs facit mentionem Moyſes, quàm de oratione, cū de thuribulo prius aſſumendo iniungat Aaroni, quam de oratione. In grandi ergo conſideratione ſe habuiſſe ceremonias figurales demonſtrauit, qui & ipſas orationi pro tanto periculo fiendæ iungi uoluit, & ipſas orationi præmiſit. Verum ex ordine ipſo ceremoniarum ad orationem non putes ceremonias in maiori habendas reuerentia, quàm orationē; ſed tantùm quòd illæ maioris momenti ſint, quàm nos credamus. Hoc ex tali ordine uoluit ſignificare Moyſes, non autem ceremoniarum præſtantiam ſuper orationem. Quaſi, ſic ordinando, dixerit. Quemadmodum non credebatis unquam, quòd ceremonias orationi præmitterem; & tamen eas illi præmiſi præter credulitatem ueſtram, ita ceremoniæ, licèt orationi non præſtent, ſunt ponderis maioris, quàm uos unquam credatis. Præmiſit quoque ceremonias orationi Moyſes, ut monſtraret, quòd multum ad orationem diſponunt ceremoniæ. Hinc uidebis in noua lege per ueterē figurata, quòd ſacerdos ante miſſam ueſtibus ſacris induitur, aquam benedictam accipit, altare thurificat, & alias huiuſmodi ceremonias facit. Hæ procul dubio magni faciendæ ſunt, licèt ceremoniæ ſint, ut hic ex locutione Moſaica patet. Et ſi figurales tanti fiebant, tantumque apud Deum poterant, maioris admodum figuratæ ceremoniæ faciendæ ſunt, magiſque ualebunt apud altiſſimum.

2 ¶ Secundò habes differentiam inter ceremonias Eccleſiaſticorum, & non Eccleſiaſticorum. Vide: Ducenti quinquaginta uiri offerebant incenſum, & ex ipſa oblatione non tantum non placarunt Deum, nec ſibi, nec alijs; ſed exacerbauerunt eum adeò, ut morte aſperrima, ignis uidelicet, eos mox afficeret. Aaron incenſum obtulit, & ex ipſa oblatione non tantū placatus eſt dominus populo caſtigando, ſed etiam actualiter illum caſtigans a plaga quieuit. Maius quippè ſignum placationis eratit iam in furore poſitum Dominum a furore compeſcere, quam a furore ipſo eum mitigare, antequam furere inciperet. Hæc ab exemplis quotidianis de hominibus melius addiſcis, quandoquidem paſſio furoris, quæ in Deo non eſt, in eis reperta id facilius nobis hominibus oſtendit. Quid eſt, quòd eædem ceremoniæ ab Aaron, & cæteris prædictis factæ diuerſiſſimos ſortiuntur effectus? Quia ceremoniæ omnes, niſi fuerint a capite Eccleſiæ comprobatæ, imperhiſſimè ſunt; tantùm abeſt, ut ſalutem aliquam conferre ualeant. Vidiſti illos ducentos quinquaginta uiros? Thura contra uoluntatem Moyſis obtulerunt. Vidiſti Aaronem? Thura ſecundum ordinationem Moſaicam obtulit. Quid Moyſes? Caput ſynagogæ. Non maioris factum credas caput ſynagogæ a Deo, quam caput Eccleſiæ. Si ergo contra capitis Eccleſiæ (Romani ſcilicet Pōtificis) ordinationes uolueris ceremonias adinuenire, ipſiſque pro tuo libito uti, ex ceremonijs illis damnum non utilitatem reportabis. Oratio tua, non tantum ceremonia tua, tunc tibi fiet in peccatum, ut olim Pſalmiſta hinc edoctus concinebat. Si autem ceremonias iuxta capitis Eccleſiaſtici ordinationem ſeruaueris, tunc tuæ ceremoniæ Aaronis effectum habebunt. Hæreticorum igitur, & omnium ſorum cantantium ceremoniæ caſſæ ſunt, & uanæ, immo noxiæ, atque mortiferæ. Quòd ſi de ipſorum ceremonijs, tanquam à figura ad figuratum hinc arguens, illud dixeris, etiam de ipſorum orationibus, & de hymnis, idipſam fateri cogeris. Magis ergo contra Eccleſiæ capitis regimen Deo aliquid offerentes ipſum Deum irritant, quam propitiū ſibi, uel alijs, faciant. Hæc cōtra quoſque infidelium ritus notato, ex capitulo præſenti De ceremonijs audi Concil. Trid. ſeſſ. 22. canon. 7. ſi quis dixerit, ceremonias, ueſtes, & externa ſigna, quibus in miſſarū celebratione Eccleſia catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quàm officia pietatis; anathema ſit. Et ſeſſ. 23. cano. 5. anathematizat obloquētes cōtra ceremonias in ordinatione exercitas. Et ſeſſ. 7. can. 13. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus in ſolemni ſacrorum adminiſtratione adhiberi cōſuetos, aut cōtēni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari, poſſe, anathema ſit. Hæc ibi. Ad quid autem ualeant ceremoniæ, & cur inſtitutæ ab Eccleſia ſint, uide idem Concilium ſeſſ. 22. cap. 5.

3 ¶ Tertiò habes rationem, quare nobis peccantibus Deus à plaga, uel a maiori plaga, indulget. Ratio enim eſt, quia ſacerdotes pro nobis Deum exorant; tùm in miſſis, tùm in canonicis horis, tum in alijs diuinis officijs, atque ceremonijs. Multò enim magis ſacerdotes noui apud Deum pro nobis reconciliādis poſſunt, quam antiqui. Et hoc a Deo fuit optimè factum. Nam plus peccantes efficacioris interuentu opus habent. Quis modo neſciat, chriſtianum populum peccantem plus (cæteris paribus) peccare, quam populum Iſraeliticum? Immò & multa grauiſſima peccata inter chriſtianos quoſdam (ſemper enim ſeruatis ſeruandis loquor, etiam ſi id aliquando non exprimerem) inueniuntur; quæ apud antiquos illos Iſraelitas, uel non legas aliquando, uel non tam frequentia legas. Nonnè furtur hunis ſunt, & blaſphemiæ horrendiſſimæ, & contra naturam uitia impudentiſſima, & proximorum expoliationem per multiplicem nunquam ab antiquis forſan excogitatam uſuræ crudelitatem? Quid dicam de periurijs, rapinis, homicidijs, proditionibus, adulterijs, ſcurrilitatibus, inceſtis, ſacrilegijs, ac huiuſmodi pœnè infinitis? Hæc profectò incendium ſuſcitarent in populo chriſtiano, flammaque etiam in præſenti uaſtaret nos, niſi ſacerdotes, tanquā Aaron nobis per precamina ſua feſtinantius ſubuenirent. Quòd ſi de ſacerdotibus hoc dico, multò magis de primo ſacerdote illo dicendum eſt id, qui ſedens ad dexteram patris interpellat pro nobis. Hæc eſt una ratio, quare Deus mundum inter tot crimina ſuſtentat, quare non omnes ſodomitas (ut olim) incendio conſumit, quare tot murmuratores (ut quondam) ciua morte non perimit, quare tot ſeditioſos contra ſedem capitis Eccleſiæ (ut tunc ſynagogæ) ſtam iniis actionibus nō deuorat. Videamus itaque ne ſecundum duritiam noſtram, & impœnitens cor theſaurizemus nobis iram in die iræ, ac iuſti iudicij Dei.

4 ¶ Quartò conſequenter habes, quòd populus chriſtianus multum ſacerdotibus obligatus eſt. Vidimus enim ſupra, quòd ſacerdotes diuinam manum a plaga retinent, ad modum Aaronis, & ſi non in totum quandoque, tamen pro magna parte. De ceremonijs Eccleſiaſticis diffusè tractatū uideas in lib. qui prætitulatur, Sacerdos in æternū, e dechiaratione della meſſa.

Text. PErgens citò ad populum, ut roges pro eis.

Concl. 11. *Præſentia corporalis ſacerdotis multum facit ad orandum pro indigentibus ita, quòd magis (cæteris paribus) prodeſt populo præſentialiter coram ipſo orās, quam non præſentialiter.* [Ex eo.]

Ratio. NIL ſine cauſa factum, maximè in ſacris literis, credere phas eſt. Cur igitur Moyſes uolens Aaronem pro populo deprecari mittit eum ſolicitè ad populum, & Aaron illuc ora

turus

parus euenerit, & illic coram populo rogans exauditus dicitur? Vt ſacerdotis præſentiam corporalem infirmantibus magis prodeſſe ad orationes à ſeipſo factas hinc agnoſcamus, quàm ſi pro eis ſacerdos abſens rogaret dominum.

Not. ¶ Hoc ego puto hinc eſſe, quia ex infirmitate uiſa accenditur magis ſacerdos ad orandum feruenter; & ex ſacerdote miſſo in oratione inflammatur populus ad diſponendum ſe pro receptione beneficij poſtulati à ſacerdote.

Orat. ¶ Optimè igitur factum eſt conuocare populum ad Eccleſiam, ut coram ſacerdote ſtar, quando pro ipſis rogat ſacerdos in miſſa. Optimè igitur factum, ut populus aduocetur in templum, quando clerici pro ipſo cannonicas horas ſoluere habent. Optimè igitur factum habere inſtrumenta, quibus cōmodius ad templa conuocentur. Optimè igitur inſtitutum eſt,

Cāpane. ut in templis campanæ reperiantur. Hinc ergo, & optimè factum dicas, infirmos quoſque, uel adduci ad ſacerdotes, uel ſacerdotes ad ipſos imbecilles adducere, quò Deum pro ipſis deprecentur. Sic enim facilius (ut in litera uidiſti) exaudietur ipſe ſacerdos, & infirmus alleuiabitur. Ob hoc Aaron ſtabat inter mortuos, ac uiuentes, dùm pro ipſis oraret ad dominum. Non enim ſine cauſa (ut diximus) ad populum, oraturus pro ipſo, miſſus eſt, & uenit, & ibi deprecans exauditus eſt. Orationes igitur communiter factæ magis ſunt ualoris.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Si duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Ecce duo: Aaron, & populus. Iſti duo conſenſerunt ſuper terram ad orandum; &, ut ſic ſuper terram conſentirent, iuit Aaron ad illorum præſentiam. Aaron itaque conſenſit populo, pro ipſo rogando, populus autem conſenſit Aaroni, ſe ad orationis effectum recipiendum deuotè diſponendo. Ob hoc igitur aduocentur, & populus in Eccleſias, ut ſe coram ſacerdotibus orantibus magis diſponant, & ſic ſacerdotum orationes pro ipſo factæ citius exaudiantur. Et quia non adeſt nunc Moyſes, qui illos ad inuicem conuenire iu-

Cāpane. beat, id iubeant clerici per campanas ad hoc deputatas. Clerici igitur ad præſentiam ſacerdotis (uel in miſſa, uel quomodolibet aliter) oraturi pro ipſis conuocantes populum per campanas gerunt uices Moyſis, & ipſæ campanæ nunc Moſaicam uocem repræſentant. Hæc ſupradicta circa concluſionē contra hæreticos benè nota.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XVII.

Vem ex his elegero germinabit uirga eius, & cohibebo à me &c. (quaſi per totum).

Concl. 1. *Chriſti ſacerdotium manifeſtandum erat per crucem, & ibi cōſummandum, & per crucem oſtendendum toti populo uniuerſi mundi, quòd Ieſus Chriſtus ſolus eſt à Deo ſacerdos electus; & per hoc confundendi erant omnes rebellantes Chriſto, ſacerdotiumque alteri aſcribentes; & crux Chriſti flores emiſſura erat, & fructus in toto mundo.* [Exeo.]

Quid eſt, quòd ſummus ſacerdos ſynagogæ manifeſtatur eſſe à Deo ſacerdos electus per uirgā? Quòd ſummus totius Eccleſiæ ſacerdos Chriſtus manifeſtandus erat mūdo ſacerdos à Deo datus per crucem. Quid eſt, quòd uirga Aaronis floret, & fructus producit coram toto Iſrael? Quòd coram toto mundo, imò & in toto mundo, flores ac fructus pulcherrimos germinatura erat crux Chriſti. Quid eſt; quòd per uirgam ſic oſtenſam in fauorē Aaron confundantur omnes rebelles Iſrael, qui ſacerdotium Aaroni inuidebant, ac alteri aſcribebant? Quòd demum per crucem confundendi ſunt omnes Chriſto rebelles, & iudæi ſacerdotium Chriſti Antichriſto aſcribentes, & huiuſmodi. Quid eſt, quòd uirga Aaron refertur in tabernaculum teſtimonij, ut ſeruetur? Quòd gloria crucis Chriſti conſeruabitur ſemper à Deo, tantum abeſt, ut ſit contra gloriam Dei & cōſequenter quòd conſeruatio gloriæ crucis Chriſti non eſt opus humanum, ſed diuinum.

DE CRVCE EXAMEN I.

QVATVOR iſta iam dicta de cruce Chriſti, & præfigurata de ſacerdotio eius, examinabuntur ex iſta litera per ſingula. Dicamus ergo. Sacerdotium Chriſti ab inſtanti ſuæ ſanctiſſimæ cōceptionis incæpit, cū tunc incæperit eſſe homo, & ſeipſum pro peccatis noſtris offerre patri iuxta diffinitionis ſacerdotis datā ab Apoſtolo ad hebræos 5. Sacerdotis ergo diffinitionem quando accepit, tunc & diffinitum accepit, id eſt ſacerdos eſſe inchoauit, & conſequenter ſacerdotium ſuum tunc initium ſumpſit. Hoc (ut dictum eſt) ab inſtāti conceptionis ſuæ ſanctiſſimæ fuit: & ideò iure dicunt ſancti, quòd Chriſtus tunc nō tantùm incæpit eſſe homo, ſed & incæpit pro nobis pati. Paſſionem enim ſuam in mente ſibi mox depingi uoluit, & ex ipſa uiſa angi, & conſequenter ſeipſum pro noſtris peccatis ſatisfactionem Deo patri offerre. Erat ergo tunc ſacerdos, & ſacerdos à Deo electus (ut qui à patre ſic ad incarnationē eēt miſſus) ſed, quòd ſacerdos talis eſſet, nondum mundo certiſſimo ſigno monſtratum erat. Sicut & de Aaron, ſacerdotij Chriſti figura, præceſſerat. Aaron enim erat iam (ut patuit in Exodo, & Leuitico,) à Deo ſacerdos electus, iam & pro populo ſacrificia ſæpius (quod ſacerdotis eſt munus) obtulerat: Et tamen nondum patentiſſimo ſigno, quòd Aaronis ſacerdotiū à Deo ſpecialiter inſtitutum eſſet, monſtratum erat. Iam ſacerdotium Aaroni improperabant quidam, quòd ipſe illud ſibi præſumpſiſſet (ut cap. 16. patuit), non quòd à Deo illud accepiſſet. Hoc declaratum eſt nunc per floritionem fructificationemque inſolitam uirgæ Aaronis, qui ſanè effectus, cùm ſupra naturam fuerit, non potuit eſſe niſi à Deo; Et cùm in proteſtationem hanc (quòd. ſ. ſacerdotium Aaronis fuerit à Deo) factum ſit, Non potuit nō manifeſtatum iri omnibus, quòd uerè erat à Deo ſacerdotium Aaronicum. Ita & Aaron figuratus. ſ. Chriſtus erat iam ſacerdos, iam ſacrificium pro ſacerdotis munere offerre incæperat; ſed ſacerdotem ipſum eſſe, & quidem à Deo, nullus ferè agnouerat. Prius ergo nobis beneficiū ſui ſāctiſſimi ſacrificij contulit, quam nos id excogitaremus, nè dicam præſtolaremur. Priùs pro nobis pati, quàm naſceretur, Elegit. Ecce, quātò amore flagrabat patiendi pro nobis, qui natiuitatem per nouem menſes tantùm diſtantem, ad tunc incipiendum paſſionem ſuam, præ amoris erga nos magnitudine non expectauit. Quomodo manifeſtatum mundo eſt, quòd Chriſtus eſſet à Deo ſacerdos electus? Per uirgam, dùm flores, fructuſque, ſupra naturam produxit. Quæ fuit uirga? Crux. De ligno nāque utraque facta eſt, & erecta manet, ac ad ſuſtentandum ſibi adhærentes, flagellādūque ſuos hoſtes, bona inuenitur. Crux iſta quomodo tunc citò floruit? Quando poſita eſt coram domino in tabernaculo teſtimonij: ſcilicet quando Dominus Chriſtus crucem coram ſe poſitam conſcendit ad confirmandas teſtificationes patribus antiquis factas. Tunc floruit crux ſupra naturam, quando Chriſtus maximam patientiam monſtrauit, Chriſtus maximam charitatem ad crucifixores declarauit; quorum oppoſitum generare ſolita fuerat antè. Tunc floruit crux ſupra naturam, quando Chriſti fortitudinem maiorem in fine, quàm in principio, declarauit, cùm tamen oppoſitum in crucifixis facere ſoleat. Prima igitur floritio ſ. charitatis maximæ tunc fuit, quando pro crucifixoribus dixit; Pater ignoſce illis, quia neſciunt &c. Secunda uerò. ſ. fortitudinis maioris in fine, quàm in principio, tunc fuit, quando clamās uoce magna expirauit. De hoc S. Tho. optimè in quol. 1. ar. 3. Vis nunc videre à uirga hac figuratam. ſ. à cruce Chriſti factam fructuum productionem? Audi. Quando diſcipulum matri pro filio deſtinauit, loco fructus uentris ſui uirginei. Quando fructum hunc. ſ. contritionem aſtantibus tantam intulit: Vt percutientes pectora ſua reuerterentur. Quando fructuū omnium fructum ſaluberrimum Latroni contulit dicēs: Hodiè mecum eris in paradiſo. Quando fructum hunc tantoperè ab initio expectatū. ſ. humani generis ſalutē produxiſſe ſe taſſus eſt, dicens: Conſummatum eſt. Quid eſt conſummatum eſt: niſi id, ad quod ueni implēdum, iam ad amuſſim impletum eſt? Et quid erat illud? Salus humani generis. Vndè ipſe ad hoc ſe ueniſſe proteſtatur alibi dicens; Ego ueni, vt uitam habeant, & abundantius habeant. ſ. Ego ueni, vt humanum genus ſaluem à morte, & ei uitam donem æternam, Tunc quoque per crucem Chriſti manifeſtatum eſt toti mūdo, quod ipſe erat ſacerdos à Deo electus. Quando? Quando

do

da voluit coram totius mundi frequentia ſeipſum in cruce ſacrificari propter delicta populorum. Ideò enim pati voluit in Paſchate; quia tunc totus mundus ad Hieruſalem confluebat. Si enim in feſto Penthecoſtes ſequenti, vt Actuum cap. 2. legis, aderãt homines ex omni natione q̃ ſub cœlo eſt, multò magis in Paſchate id fatendũ eſt. Nã à concurſu in Hieruſalẽ nullus diſpẽſabant in Paſchate, a quo tñ in caſu diſpẽſabant aliquis in Pẽthecoſte. An iſto aũt effectu ſacerdotis proprio, qui eſt offerre ſacrificia Deo pro populis, Chriſtum eſſe uerum ſacerdotem uniuerſi, tunc cognoſcere potuerunt. Per totam ſanè uitam officium hoc ſacerdotis (ut diximus) exercuit, & conſequenter ſacerdos fuit ſemper: ſed tamen mentaliter, quantum ſcilicet ad hanc ſui crucifixionem, tantùm ſacerdotis effectũ habuit. Hinc eſt, quòd per illud exercitium ſacerdotalis officij non cognitus eſt apertè ſacerdos. At cùm officium idem ad extra in propatulo exercuit: quòd eſſet uerus ſacerdos, latere neminem potuit.

¶ Quòd etiam a Deo eſſet ſacerdotium ſuum, manifeſtatum fuit, quando per tot miracula, quæ non niſi à Deo fieri poſſunt, ſacrificium illud approbatum fuit. Quæ fuerunt illa miracula? Ruptio petrarum iam ſubita, apertio monumentorum, ſuſcitatio mortuorum, terræmotus inſolitus, veli templi totalis ſciſſio, luminaris maioris obſcuratio pluſquã miranda. Quomodo fuerunt in ſignum approbationis ſacrificij facta? Quia ad declarandam innocentiam & gloriam crucifixi facta fuere. Hinc dicitur in Euangelio, quòd aſtantes videntes ea, quæ fiebant (hæc fuerunt miracula prænarrata), terrebantur; Et percutientes pectora ſua crucifixum eſſe uerũ filium Dei, hominemque iuſtum confitebantur. Cum igitur miracula illa ad hoc dua erint uidentes patet, quòd ſacerdotium Chriſti, tunc exercitum à Deo eſſe approbatum declararunt; & conſequenter, quòd Chriſtus eſſet a Deo ſacerdos electus, demonſtrauerunt. Ecce, ſacerdotium Chriſti à Deo manifeſtatum omnibus hominibus per uirgam figuratam flores fructusque producentem. Tunc ergo uerificatum fuit id, quòd Chriſtus Iudæis dixit. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, ſcilicet & ſacerdos uerus, & a Deo electus.

DE CRVCE, EXAMEN II.

QVid eſt; quòd uirga ſolius Aaron in oculis omnium apparet & florida, & fructuoſa? Eſt (ultra ea quæ tempore paſſionis facta diximus) hoc; quòd tota Chriſti Eccleſia per mundum floritura erat & fructus germinatura, ut iam apparuit, ac apparet. Eccleſia Chriſti vnde originẽ traxit? A paſſione Chriſti in cruce pendentis. Ab ipſius enim iam mortui latere transfixo per militem proceſſit Eccleſia, & cõſequẽter floritio fructificatioq́; Eccleſiæ cruci tribuẽda eſt. Vt, dicamus. Eccleſia flores, fructuſq; germinat: ergo crux Chriſti flores, fructuſq; pducit. Vis uidere hãc Eccleſiã? Erat ſicut uirga Aaron. In principio uirga Aaron erat arida ſine folijs, ſine fructibus, & ſimilis reliquis uirgis. Sic in principio Eccleſia Chriſti uidebatur arida, ſine flore, ſine fructu, imò omnibus nunquã flores, nunq̃ fructus, progenitura. Tempore crucis Chriſti, cũ fides Chriſti in ſolius Beatiſſimæ Dei genitricis pectore ſeruaretur; & diſcipuli Chriſti ab ipſo non tantum abeſſe, ſed etiam fugere, liquidò conſpicerentur: quid tunc, niſi ariditatem in uirga Aaronica, cernebas? Poſt Chriſti mortem uſque ad Penthecoſten, quando diſcipulos præ timore Iudæorũ clauſos uidebas, quando ipſos noſtros proceres, Eccleſiæque doctores, ita meticuloſos aſpiciebas, quid ſecundum hominem dicebas? Virga Aaron iſta (inquiebas) multum arida eſt, & pluſquam credi poſſit. Quando flores unquam, ac fructus, producere poterit iſta uirga? At ubi in tabernaculo teſtimonij coram domino poſita fuit iſta uirga Aaron, mox in flores ac fructus, pullulauit. Sic & de Eccleſia Chriſti factum eſt. Non tam primùm in tabernaculo teſtimonij coram domino poſita eſt per manum Moyſis, quòd florida fructuoſaque apparuit. Tunc uirga iſta. i. Sancta Eccleſia poſita eſt a Moyſe in tabernaculo teſtimonij coram domino: quando ſpiritum ſanctũ in die Penthecoſtes acceperunt Apoſtoli; qui ſancta Eccleſia tunc erãt, ipſamque pro tempore uẽturo repræſentabant. Tunc poſiti ſunt in tabernaculo teſtimonij coram Domino; quia cõfirmati ſunt in gratia; ut nunquã amplius peccarent mortaliter; & conſequenter, ut ſtarẽt ſemper coram Domino, protecti ab ipſo tãquam a tabernaculo. A Moyſe facta fuit poſitio illa uirgæ, ut dicit textus: & à Chriſto per Moyſen figurato factum eſt, ut ſuper Apoſtolos deſcẽderet Spiritusſanctus; & conſequenter quòd Eccleſia ſancta. i. fideles prędicti ponerẽtur in tabernaculo teſtimonij coràm domino. Nam tunc, cum Spiritum ſanctum acceperunt, in tabernaculo teſtimonij coram domino poſiti fuerunt. Quid erat tabernaculum teſtimonij? Locus ſecurus ad ſaluandum à timore inimicorum, ſeu offendere uolẽtium. Ob hoc legis in capitulo præmiſſo, quòd orta ſeditione fugit Moyſes in tabernaculum fœderis. Quid etiam erat tabernaculum teſtimonij? Locus aptiſſimus ad orãdum. Vnde multoties legis, q̃ Moyſes oraturus hunc locum petebat. Quid erat demum tabernaculum teſtimonij? Locus in quo Deus manifeſtè per ſigna, & loquelam, apparebat, ac de regimine bono tenendo circa populum (ſiue ipſum flagellãdo, ſiue ipſum inſtruẽdo, ſiue ipſum ad pœnitentiam reuocando, ſiue ipſum in bono confirmando, ſiue, &c.) conſilia dabat. Hinc legitis ſæpius, & q̃ gloria domini ſuper tabernaculum apparebat, uel ad deterrendum Iſraelitas a malo incepto, uel ad arguendum malos, uel ad conſolandum bonos, uel ad conſiliandum uniuerſos; & quòd inde loquebatur ad Moyſen de regimine Iudæorum moderando. Ad rem modò noſtram. Tunc Apoſtolos, tanquam uirgam, poſitos fuiſſe dicimus in tabernaculo teſtimonij, cùm Spiritum ſanctum receperunt.

DE CRVCE EXAMEN III.

VIs hoc, quod nunc diximus breuiter, apertius diſtinctiusque uidere? Per illa de antiquo tabernaculo dicta diſcurre, & quod uolueris, tibi citius occurret. In tabernaculo locum ſecuriſſimum ab inimicis conſideras. Quid ſecurius ſecuritate Apoſtolorum in die Penthecoſtes deſuper accepta? Induti ſunt uirtute ex alto non tantum, ut non timerent (ut antea) inimicos, ſed etiam ut eos in timorem immitterent, atque confuſionem. Quando tunc Spiritumſanctum acceperunt, nonnè mox illos exiſſe domo, reſeraſſe feneſtras, prodijſſe in publicum, alta uoce magnalia Dei locutos, linguis omnium gentium ad increpandos illorum errores concionatos, ex ipſorum locutionibus ardentiſſimis populos uarios legis fuiſſe confuſos? Quid erat hoc? Quòd uirga per Moyſen in tabernaculum teſtimonij repoſita fuerat. Nam effectus iſte tabernaculo illi competens, ſcilicet eſſe ſecurum, oſtendit manifeſtè cauſam ſuam, ſ. repoſitũ eſſe in tabernaculo fœderis. In tabernaculo poſtmodũ, q̃ locus ſit orationis, attendis. Quæ orationes unquã ferventiores, quæ preces unquã frequentiores, q̃ flãmigera magis orationũ uaſcula. i. corda, fuerãt: q̃ tunc Apoſtolorũ fuiſſe cognouimus? Nã (ut dimittamus orationes in cœnaculo factas) ille cõtinua magnaliũ diuinorũ locutiò nil aliud erat, niſi aſſidua Apoſtolorum ad Deum oratio, & ignis ille exterius apparens corda flammantia, in quibus oratio reponitur deſignabat. In tabernaculo tandẽ, q̃ ibi Deus apparens ſenſibiliter loquat, aduertis; atq; p̃ uaria populi gubernatione conſilia prębet. Nonnè Deum manifeſtè ad ſenſum apparuiſſe ſuper Apoſtolos uides, quando non tantùm ad eos uenit, ſed etiam ſuper eorum ſingulos ſedit Spiritusſanctus? Nõnè ad eos de regimine omnimodo non populi unius, ſed omnium populorum locutum Deum aſſeuerabis; quando Spiritumſanctum aduenientem docuiſſe Apoſtolos omnem (ut Chriſtus promiſerat) ueritatem in tali die conſpicies? Non tam itaque in tabernaculum domini tunc Apoſtoli, tãquam Aaronica uirga poſiti fuerunt, quàm ipſi met tabernaculum fœderis Domini effecti ſunt. In ipſis itaque Apoſtolis, ſicut olim in tabernaculo, apparuit ſenſibiliter dominus; loquebatur omnia populis fidelibus neceſſaria dominus; ipſos cæterorum populorum ſecuritatis portum, ac orationis normam tunc fecit dominus. Quemadmodum igitur uirga moyſi in tabernaculo illo poſita flores ac fructus producere incæpit, ita & ſancta iſta Eccleſia. Vide. In populo ſine rubore imò cũ maxima gloria atque conſtantia, crucifixum prædicare mox inceperunt Apoſtoli; crucem domini ſubinde auditoribus ſuis ardentibus uerbis inculcauerunt, ac non prius ab illa miranda floritione uerborum deſtiterunt, quàm in fructus mirabiliores erumperent. In quos fructus? In populorum ad fidẽ crucifixi conuerſionem multam. Quam multam? Vna die trium millium hominum altera die quinque milliũ, altera, & altera tot & tantorũ milliũ, ut in tempore breui diffuſa ſit conuerſio iſta ubique terrarum. O quam mirandi flores, quam mirandi fructus? Verè fructus honoris, & honeſtatis. Amigdala namque & honorabilis eſt, & honeſta: & fructus iſti (narrante ſcriptura) amigdalæ fuerunt. Amigdalæ honorem,

ſtam, ac honeſtatem, non perſpicis, quando ſine corruptione aut aliqua apertione, nucleum ad intra concipit? Eccleſiam igitur Chriſti uirginem caſtam eſſe futuram deſignarūt Apoſtoli, quando ſuppiorum fructus amigdalæ dicti fuerunt. Amigdalam hanc figuratam tunc ſignauit Apoſtolus, tanquam fructum ſuum, quando poſtquam in tabernaculo fœderis domini poſitus fuerat. i. in tertium cœlū raptus dixit Eccleſiæ: Deſpondi uos uni uiro uirginem caſtam exhibere Chriſto. Amigdala quoque ieiunantibus, abſtinentibus, accommoda eſt; magnum nutrimentum inter fructus præſtat; infirmātibus quoque, ac morituris, confectionibus circumornata datur. Quid eſt igitur quòd fructus Apoſtolorum amigdalæ nūcupantur? Ad deſignandum; quòd abſtinentiam, ieiuniū, prædicabant, quòd licet ad pœnitentialia iſta opera hortarentur, non tamen ad corporis deſtructionem monebant; quòd eorū doctrina maximè infirmantibus aptiſſima eſt, quòd illorum documenta homo (licet alias ſemper) in mortis tempore præſertim, recolere debet, ad faciendum ea.

¶ Quid eſt, quòd littera prius fructus uirgæ ac flores, narratura utitur his duobus uocabulis. ſ. ly Dilatatis folijs & ly Germinaſſe? Vt Eccleſiā crucifixi dilatatam, atque ideò catholicam eſſe, ex ly Dilatatis folijs agnoſcas, & ipſam non tantùm creuiſſe, ſed ēt miraculosè creuiſſe, ex ly Germinaſſe conſiteri cogaris. Nunquid non tibi miraculoſum uidetur augmentū Eccleſiæ illud, quando in tam paruo temporis ſpacio, uiuentibus, ſcilicet adhuc Apoſtolis, ubique ſeges pullulauit Chriſtianorum; quando à diſcalciatis piſcatoribus tanta in mundo, contra mundi uoluntatem, ſuccreuit fidelium turba; quando pro uno martyre occiſo tot millia perſequentiū, ad martyris ſpectaculum, in numerum fidelium conuolabant? Verè non hæc augmentatio ſolùm, ſed germinatio fuit; & à domino, non ab homine, hoc factum eſt, ut uirga ſic floreret, ac fructus emitteret; ut ſic (non obſtantibus, ſcilicet tot, ac tantis mundi ſceleribus) floreat adhuc, ac fructus emittat; ut uſque incluſiuè ad finem mundi floritura ſit ac fructus emiſſura. Tempore nanque Antichriſti non tantum Eccleſia crucifixi non ceſſabit; ſed etiam ad illam de nouo aliqui conuertentur fidem catholicam deuotè ſuſcipiendo, (ut ait D. Thomas in opuſculo 9. q. 36.) Vt quid, putas, uirgam Aaronis ſeruandam mandauit in tempus futurum? Hoc fit (ultra rationem adductā in textu) ut ſignificetur: Eccleſiā crucifixi quolibet tempore ſeruandam floridam (ratione alicuius prædicationis) ac fructiferā (ratione alicuius de nouo conuerſionis) O uerè maxima, & inuictiſſima potentia crucis. Vt autem monſtretur; quòd huiuſmodi continuata floritio, ac fructificatio uirtute diuina, non humana, fiet, uirga Aaronis in tabernaculum teſtimonij reportatur ibidem conſeruanda. Quando floruit primo ac fructificauit, erat in tabernaculo teſtimonij, quando in floritione, ac fructificatione conſeruatur, eſt in tabernaculo teſtimonij. Quid eſt hoc? Quòd Eccleſiæ floridus ortus, ac fructuoſus, item quòd Eccleſiæ florum, & fructuum conſeruatio, ab uno, & eodē eſt. A quo? A tabernaculo teſtimonij, id eſt à Chriſto crucifixo, de quo in Apocalypſi dictū fuit; ecce tabernaculū Dei cū hominibus; id eſt Ecce filius Dei humanatus. Tabernaculum autem teſtimonij, ſeu fœderis, appellatur, quia omnia, quæ promiſit Deus nobis, per Chriſtū crucifixū nobis exhibuit; exhibet; ac exhibebit. Non tm̄ aūt tabernaculū Dei (ratione, qua diuinitatē in ſe continebat ille homo; inquantū humanitas unita erat hypoſtaticè diuinitati) Chriſtus dicitur, nec tantum teſtimonij (ratione, qua omnia promiſſa in ſapientia fecit pater, facit, & faciet;) ſed etiam coram domino uocatur (ratione, qua ſemper comprehenſor, atque ideò ſemper corā ipſo domino, exiſtens erat.) Hæc igitur floritio fructificatioque a crucis Chriſti uirtute, profecta ſemper eſt, proficiſcitur, ac proficiſcetur in æuum.

DE CRVCE EXAMEN IIII.

QVID eſt, quòd per hanc uirgam oſtenſam cohibentur murmuratores contra Aaron; confunduntur rebelles contra ſummum ſacerdotium; ac omnes ſacerdotium Aaronis inuidentes, ſibique illud uſorpare uolentes, apertiſſimè coram omnibus mendaces oſtenduntur? Hoc illud eſt, quòd omnes Chriſto rebelles, omnes de Chriſto blacteratores, omnes ſibiipſis nouum ſacerdotium, atque ideò nouam legem (nam lex, & ſacerdotium ſe inuicem comitantur, ſecundum Apoſtolum ad hebreos) fingentes; omnes inquam huiuſmodi confundentur tandē, ac in propatulo totius mundi oſtendentur fuiſſe mendaces. Per quid? Per uirgam, id eſt per crucem. Nunquid non in iudicio ſignum Crucis Chriſti apparebit, & omnes Chriſto ſacerdotium, honoremque, inuidentes confundet ad liquidum? Aliud audi. Ad inuitionem uirgæ Aaronis ueritatem, de qua diſceptabant, cognouerunt apertè. Dic mihi. Ad uirgam, ut uirgam, attenderunt, quando ueritatem manifeſtam inuenerunt: an ad aliquid aliud in uirga contentum? Non ad uirgam, ut uirgam; ſed ad ipſam, ut floridam cum fructu aſpexerunt. Nam ſi propter uirgę, ut uirga tantum erat, aſpectum ueritatem quæſtionis agnouiſſent, iam ueritatem per uirgam, antequam floreret, inueniſſent. Eam namque, antequam in tabernaculo floritura reponeretur, uiderunt. Non ad crucem igitur Chriſti, ut crux tantum eſt, inſpiciant homines; ſi ueritatem de ſacerdotio magno, cuinam ſit attribuendum, cognoſcere uolunt; ſed ad crucem Chriſti, ut flores producens eſt; cum fructibus. Alioquin ſi crucē ſolummodo attendant non tm̄ pro primo ſacerdote non honorabunt crucifixum; ſed etiam pro magno peccatore, magnoque ſtulto ipſum inhonorabunt. Vis hoc audire? Apoſtolum legē dicentem. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; nobis autem uocatis iudæis, atque græcis Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam. Crucifixus eſt (inquit) ſcandalum iudæis; & gentibus ſtultitia: Ipſis uerò ex utriſque uocatis, & uirtus (contra ſcandalum,) & ſapientia (cōtra ſtultitiam) Vnde oritur iſta differentia ſententiarum de crucifixo? Ab hoc, quòd aliqui crucem, ut crucem tantùm, ſeu crucifixum ut crucifixum tantùm, conſiderant, aliqui autem crucem, ut floridam fructiferamque, ſeu crucifixum, ut floridum, atque fructiferum attendūt. Primi inſpiciunt uirgam ut uirgā, ſecundi uirgam, ut flores fructusque emittentem. Hinc eſt, quòd ſacerdotij ueritatem, ubi nam exiſtat, primi non agnoſcunt: ſecundi uerò ipſam ueritatem citò percipiunt. Primi ſunt iudæi, atque gentiles: ſecundi ſunt ex utriſque uocati Chriſtiani. Primi ſunt infideles oēs, ſecūdi fideles uniuerſi. Quare primi infideles? Quia ueritatem prædictam non attingunt. Infidelitas enim dicitur, quia non agnoſcit ueritatē primam; illam, ſcilicet ueritatē, in qua conſiſtit noſtra ſalus. Et quæ eſt iſta ueritas pro nunc, niſi cognoſcere, quò nam ſit recurrendum pro ſuffragio ad obtinendam remiſſionem peccatorum? Hoc enim ſacerdotium eſt uerum, cùm ſacerdotium ad rogandum pro remiſſione peccatorum ordinetur. Quare ſecundi fideles uocantur? Quia ueritatem præmiſſā cognoſcunt. Primi ergo virgam Aaronis figuratam, ut fructuoſam contemplentur: & tunc cum ſecundis ad cognoſcēdum ueritatem quæſtionis ueniēt ſine dubio. Crucifixū, ut tot miraculis coruſcantem in toto mundo, conſpiciāt: & tūc, quod quærūt, faciliter inuenient. Crucifixum, ut orbi toti ſanctitatem acquirentem, conſiderent, & ipſum, cum ſecundis, Dei uirtutem eſſe fateri cogentur. Crucifixum, ut totum uniuerſum lumine doctrinaru ſanctarū per piſcatorē illuminātem, uideant; & tunc ipſum, cum ſecundis, Dei ſapientiam eſſe aſſeuerabunt. Crucifixum, ut omnes peccatores patri reconciliantem, cernant, & tunc ipſum, cum ſecundis, ſacerdotem uerum agnoſcent. Hæc, atque ſimilia, ſi in crucifixo perſpiciant iam non uirgam Aaronis, ut uirgam, ſed virgam, ut floridam fructuoſam que conſpicient.

¶ Non mirum igitur: Si ſacerdotium crucifixo non tribuūt, ſed Antichriſto, iudæi, & mahumeto pagani; vel alicui alteri infideles alij; nec mirum ſi in ſua infidelitate firmantur: quoniam non crucem, ut fructuoſam, ſed ipſam, ut crucem tantùm, conſiderant. Quod quia faciunt, ideo non tantùm in crucifixum non credunt; ſed etiam nos, quòd in ipſum credamus, cōuitiantur. Vnde fit, ut quod nobis laudi dare deberent, hoc ipſum nobis uitio dent. Et non tantùm uerbis id nobis ob ſuam prædictam inconſiderationem uitio dant, ſed etiam acerrimis factis. Quot audiſti tyrannos Eccleſiam Dei perſequentes? Quot uides nūc infideles Chriſti Eccleſiā impetentes? Cur hæc omnia faciunt? Quia non nouerunt crucem Chriſti, ut fructuoſam; ſed tantùm, ut crucē lignum aridum exiſtentem. Vis id cernere? Iudæi reſurrectionem crucifixi ſemper, etiam à principio, obtegere feſtinarunt; gentiles tyranni ſibi de crucifixi reſurrectione uerba fieri ſemper recuſarunt; Athenienſes (hi locum omnium infidelium in tali facto tenent) auditam Chriſti reſurrectionē ab Apoſtolo prædicatam ſubſannarunt. Vide talpas claudentes oculos ſuos, & aſpides ſurdas obturantes aures ſuas, nè uideant, & audiant; unde ſalutem ueritatis conſequantur. Virgam, ut tantum uir- Act. 17.

gam

gam, uidere nolunt, & indè ueritatem, quam inquirũt, excul pere. At hoc impoſſibile fore monſtrauit hic altiſſimus: dum non uirgam præciſè, ſed uirgam quatenus floridã cum fru-ctu decreuit eſſe ueritatis inueniendæ promptiſſimam nor-mam. Hanc Dei ordinationem pro ueritate ſtabiliſſima aſ-ſequenda uidens Apoſtolus, eam in ſenſu figurato exponere intendens, aiebat, ſi Chriſtus non reſurrexit, ergo inanis eſt fides noſtra. Hoc eſt ſi Chriſti reſurrectionem poſt paſſionẽ Crucis non aduertas, fidem iam habitam diu tenere nõ po-teris; & a fortiori ad habendam fidem pertingere de nouo non ualebis; ſed totus labor tuus erit inanis. Huic & ſubſcri pſit ipſe Chriſtus in Pſalmo loquens ad patrem. Quæ (in-quit) utilitas in ſanguine meo, dùm deſcendo in corruptio-nem? Quaſi dicat. Nulla: niſi reſurrectionem poſt corruptio nem ipſam ſubſequi mandaueris.

¶ Dic mihi. Quæ utilitas fuiſſet iudæis iſtis de ſacerdotio conquerentibus, ipſumq; Aaroni non iuſtè cuenire dicen-tibus: ſi virgam Aaron tantummodò uidiſſent? Vtique & ſuas oſtendiſſent dicendo, ſi de uirga agitur, & nos utique ſacer-dotium meritò poſſidebimus; quoniã & nos habemus illas. Non igitur utilitas aliqua ex uirgæ Aaronis oſtenſione illis obueniſſet, ſed magis tumultuandi occaſio, niſi florida, fru-ctuoſaque appatuiſſet. Quorſum hæc igitur Pſalmi auctori-tas? Iſtorum profectò, quod nullam utilitatẽ ex cruce Chri-ſti uiſa intelligas ſecutam fuiſſe in hominum credulitate ue-ra, niſi crucem ipſam florere fructificareque uidiſſent. Quo-modo floruit? Reſurrectionem, tanquam præmium ſuum, ha bendo poſtea. Quomodo fructificauit? In gentibus Crucifixi fidem plantando. Priùs floritio fuit, pòſt talis fructificatio. Niſi enim caro Chriſti per reſurrectionem effloruiſſet, Eccle ſia Chriſti per fidem collecta non fuiſſet. Nonnè Apoſtolos quoq; ipſos Eccleſiæ duces a fide diſperſos vidiſti, qn Chriſti corruptionẽ i. paſſionẽ uiderũt? Quæ ergo utilitas in illa cor ruptione fuiſſet, niſi poſtmodum floritio ſecuta fuiſſet? Quan do autem Apoſtoli floritionem uirgæ uiderunt, tunc credide runt ſermoni, quem dixerat Ieſus; tunc ipſum Crucifixum eſ-ſe Chriſtum uerum confeſſi ſunt; tunc, quòd ſuus dominus, ac Deus eſſet, cum Thoma conclamauerunt.

¶ Ratione igitur maximi myſterij factum agnoſcamus, quod hic uirga non præciſè, ſed florida, pro Aaronico ſacerdotio approbando, & rebelles uniuerſos deprimendo, adducitur. Quemadmodum itaque ſi uirga illa non floruiſſet, nunquã Aaronicum ſacerdotium iſtis iudæis comprobaſſet, nec vn-quam iſtos de murmuratione irrationabili confudiſſet: ita ſi crux Chriſti non floruiſſet .i. ſi Chriſtus crucifixus non ſur-rexiſſet, nunquam ipſum eſſe uerum ſacerdotem a Deo ele-ctum mundus agnouiſſet, nec unquam de peccato infidelita-tis mundus redargutus efficaciter fuiſſet. Vndè, quando Chri ſtus Apoſtolos ad mundum de iudicio, de iuſtitia, de pecca-to, arguendum ſe miſſurum dicit, ibi ſuam reſurrectionem, cum tunc de Spirituſancto mittendo ſermonem faciat, præſupponit.

DE CRVCE, EXAMEN V.

QVID eſt, quòd uirga Aaronis refertur in tabernaculũ Domini, ut ſeruetur? Quòd ob nullas tribulationes ten-tationes, aduerſitates, cellabit unquam gloria crucis Chriſti, quoniã a Deo ſemper ubique conſeruabitur. Dicat ergo pagani, dicãt gentiles, dicant iudæi ad hæc. Quomodo a tot annis floritio crucis in fide populorum conſeruata fuit? Quomodo per tot, & tyrannorum, & totius mundi multas [illegible] quæſtiones ſemper in ſuo flore nitido perman-ſit? Quomodo inter tot peccata credentium populorum, ma-ximè cum peccata (teſte Apoſtolo) ad corruptionẽ fidei [illegible], in ſuo candidiſſimo flore perdurat? Quo inter tot hominum capita, tot hominum in cæteris ſniãs uarias, una hæc in ſua unitate floret cum multiplici fructu? A fructibus cogno-ſcitur arbor. Fructus iſte non a mundo, qui contrarius mul-tiformiter (ut nunc oñdebamus) huic eſt, non a diabolo, qui hunc fructum ſpe terra rapere uoluit, non a carne, quæ ad hunc guſtandum non attingit, ideoque ipſum parui, ſeu nihili, exi-ſtimat. Ergo a Deo fructus iſte exiſtit. Si a Deo fructus, ergo à Deo arbor. Arbor igitur i. crux, flos, & fructus a Deo ſunt: quo niam in tabernaculo domini iccircò, ut cõſeruarentur, om-nia, repoſita fuerunt.

¶ Clamet itaque mundus contra iſtam arborem, perſtre-pat diabolus, obmurmuret caro: nunquam, quin florida per-ſeueret obtinebunt. Si maiores Deo non fuerint, ad hanc ef-florandam non attentent aliqui; quoniam à Domino, in cu-ius tabernaculo collocata eſt, flos eius, nè uel tantillum, uel pauliſper decidat, conſeruatur. Capillus de capite arboris hu-ius nõ peribit; quoniam in protectione Dei uirga iſta Aaron & commoratur, & ſemper commorabitur. Gloria crucis Chri ſti à nullo unquam etiã à nullis ſimul acceptis diminuetur: quoniam altiſſimum virga Aaronis, dùm refertur in taberna culum, poſuit refugium ſuum. Qui non eſt igitur altiſſimus, qui non eſt Deus cœli, qui non eſt Dominus uniuerſi, ad præ miſſa facienda non aſpiret; quoniam uirga hæc altiſſimum pro refugio, Deum cœli pro protectore, Dominum uniuerſi pro cuſtoditore, habet. Ad hæc enim ſignanda in tabernacu-lo teſtimonij reponitur ad conſeruandum.

¶ Sed quare (inquis) teſtimonij appellatur tabernaculum, in quo uirga iſta reponitur? Quia ly Teſtimonij æquiualet ad ly Teſtamenti. Quid ergo per hoc additum ſignare uoluit Spirituſſanctus? Quod crux Chriſti, floritio eius, fructificatio eius, conſeruatio eius, a teſtamento domini annunciata fuit. A quo teſtamento domini? A ueteri, & a nouo, ſed a ueteri an nunciata in futurum, a nouo nunciata in præteritum, præſens & futurum. Dum floret igitur crux Chriſti, dùm fructificat crux Chriſti, teſtamentum utrumque Domini adimpletur. Nam floritio ipſa crucis, atq; fructificatio, teſtamenti utriuſ-que adimpletio eſt: & quia ſic eſt, ideò tabernaculum, ubi re-ponitur, teſtimonij tabernaculum nuncupatur. Quoniam igi tur ſcripturas diuinas non adimpleri, etiam quoad iota unũ, impoſſibile eſt, iccircò hinc ex ly .ſ. teſtimonij trahimus; im-poſſibile fore, crucem Chriſti non ſemper floridam, nõ ſem per fructificaturam, non ſemper in ſuo flore, atq; fructu per-manſuram iuxta ſcripturarum teſtimonia. Cuſtodit enim do minus omnia tùm florum, tùm fructuum eius, unumq; ideò ex his folium, flos fiue fructus non commouebitur, nõ cadet, non conteretur. Quinimo uidebunt rebelles hoc lignum ſibi datum, & confundentur, & querimoniæ illorum quieſcent contra Dominum, & murmurationes illorum contra catho-licos (tanquam contra Aaron, & Moyſen) prolatas cohibe-buntur, & hoc uel ad ſalutem, uel ad perniciem ſuipſorum.

APPENDIX.

HINC habes modum, quo infideles ad Chriſti fidẽ con uertere poſſis. Quis eſt ille modus? Crucem ipſis, non ut crucem præciſè, ſed ut floridam fructiferamque (ut expoſui-mus) oſtendendo. Facito uerſus infideles, ſicut fecit Moyſes contra iſtos rebelles. Accepit Moyſes uirgam Aaron, accipias & tu crucem Chriſti dimicaturus in hoſtes. Ipſam floridam protulit, ac fructuoſam, & tu Chriſti crucem proferas floridã cum fructibus. Hoc modo feciſſe omnes Apoſtolos, ac mar-tyres legis, dum eos contra tyrannos, atq. alios, crucem Chri ſti improperantes, gloriam crucis attuliſſe coſpicis, atque ip-ſos confuiſſe. Exemplum ad hoc pro omnibus recoliro Bea-tum Andream Apoſtolum coram Egæa, & B. Catherinam martyrem coram quinquaginta doctoribus, ut in uitis eorũ. 1

¶ Secundò habes conſequenter, quod reſurrectio Chriſti, cha-ritas ad nos Chriſti, aſcenſio Chriſti, miracula Chriſti, uirtuo ſa uita Chriſti, dominium uniuerſale Chriſti, & ſimilia glo-riam Chriſti etiam quantum ad hominem ſonantia, magnã uim habent ad conuertendos peccatores. His ergo ſtude, in his eſto, & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. Hinc eſt, quod Spirituſſanctus uolens ſuauiter attrahere mundum ad fidem crucifixi, gloriam ipſius tempore Apoſtolorum, quo ipſius ignominia adhuc recentior erat apud huius mundi ho mines, manifeſtare incœpit, tum ſanitates corporis, tùm ſalu tem animæ, tùm mirabilia per Chriſti nomẽn patrando. Hæc ratio eſt, quare Apoſtolis, ut baptizarent in nomine Ieſu, præ ter ordinariam formam inſpirauit. Hæc ratio eſt quare non in nomine Dei uocaliter, ſed in nomine Ieſu, miracula facie-bant. Hæc ratio eſt, quare Apoſtoli dicuntur teſtimoniũ red-didiſſe reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, etiam quod & crucis paſſionem prædicarent. Vt enim nomen Ieſu ſalutife-rum (en flores, ac fructus, virgæ oſtenſi) monſtraretur in ba-ptiſmate; ut Crucifixi poteſtas monſtraretur in miraculorum patratione; vt Chriſti gloriam uiderent homines maximè in infidelium conuerſione: ideò & in nomine Ieſu baptiza-bant, & in nomine Ieſu miracula faciebant, & reſurrectio-nis Ieſu Apoſtoli teſtimonium reddebant. 2

¶ Tertio habes, Auguſtinum tunc ad uirgæ floritionem, fructificationemque reſpexiſſe, quando dicit in Epiſto. con. Manich. c. 4. ſe ad continuatam ſedis Apoſtolicæ ſucceſſionẽ 3

obtutum

obtutum contuliſſe, ac inde conuerſionem ad Chriſti uerũ ſacerdotium accepiſſe. Nouit Auguſtinus in iſto facto flores, nouit fructus, nouit conſeruationem hanc, nõ niſi à Deo poſſe eſſe, ideò, ubi eſſet uerum Chriſti ſacerdotium, ptotinus cointellexit. Virgam Aaronis figuratã ꝑ tot annos in infidelitate manens aſpexerat, & nunquã conuerſus eſt. Scis quare? Quia uirgæ tantùm aſpectus veritatem ſacerdotij rebellibus non oſtendit. Ad virgę poſtmodum floritionem fructificationemque cõſpexit, & ipſam miraculoſam cognouit. Si enim à Deo (inquiebat) hoc non eſſet; utique, ſicut & aliæ, iſta Romana ſedes defeciſſet; maximè cùm præ alijs impulſa ſit, ut caderet. Ideò igitur inter tantos armatos ipſa inermis, & euaſit, & armatos fugauit, & armatorum ſedem (Romam ſcilicet) mirabiliter obtinuit, quia domini manus erat cum illa; quia dominus, nè caderet, ſuppoſuit manum ſuam; quia dominus, ut floreret, atque alijs, areſcentibus fructificaret, hortum iſtum plantationum rigauit. Agricolam fuiſſe Deum patrem huius uineæ intulit Auguſtinus: quando illius flores, atque fructus ſecum conſiderauit. In tabernaculo domini ipſam ſolam, alijs omnibus indè ablatis, relatam pro tempore ſempiterno cognouit: quando ipſam ſolam in ſuo primæuo flore ac fructu adhuc durare conſpexit. Si uirgam tantùm uidiſſet, conuerſus non fuiſſet: at quia ſuſpexit ad flores fructuoſos uirgæ (Romanæ. ſ. ſedis per crucẽ fundatæ) huic ſanctiſſimę ſedi, fructus eius guſtaturus uelociter currens illicò ſe ſuppoſuit.

¶ Hunc modum uideant hæretici, uideas & tu, qui hæreticos ad bonam frugem adducere contendis: & facilius cum D. Auguſtino a ſuis erroribus exuentur, & ſacerdotium uerũ nõ apud alium quempiam, ſed apud ſolum Aaron. ſ. ſummũ Pontificem chriſtianorum, eſſe cognoſcent. Non ad uirgam tãtum (ut facere ſolent). i. ad illam tantum ſedem aſpiciant; ſed ad uirgę. i. ſedis illius fructuoſam floritionem continuatam oculos attollant, & quod inquirunt, ſi ueritatem tamen veri ſacerdotij inquirunt, citius apprehendent. Scis quid faciunt iſti? Mala, ſi quæ ſunt & norunt, Romanorum Pontificum, abuſus, ſi qui ſunt & eorum recordantur, collegij Cardinalium; vitioſa quæque, ſi aliqua ſunt & recolunt, in illa ſanctiſſima ſede pro quouis tempore ſedentium; vniuerſa, inquam, hæc ſolummodo attendunt: & alijs attendenda proponunt. Et quomodo unquam ſic ad ueritatis cognitionem attingent, aut alios ad iſtam attingere facient? Aliud dicam. Quomodo, ſic agendo, non in erroribus nutrientur antiquis: &, ut cæteri in talibus educentur, efficient?

Argumẽtum hæreticorũ.

¶ Eya, Eya, infelices viam cum Auguſtino iam olim ueſtro aliam arripite: ſi ſacerdotij ueritatem, ubi nam ſit, & cognoſcere & alijs cognitam facere vultis. Iſta umbra, quæ uos reſpexiſti hactenus, & adhuc reſpicitis, uirga ſũt Aaronis cæteris ſolum ſimilis, non virgæ fructuoſa floritio. Vos facitis, ac ſi iſti iudæi, ueſtrum omniũ figura expreſſa cõtra ſummum ſacerdotem rebelles, ad ſolius uirgæ inſpectionem conqueuiſſent, ſeu (vt aiunt) quietati fuiſſent, & non uideris, quòd floritionis fructuoſę uiſio ipſis neceſſaria fuit, ut à murmurationibus ſuis, quibus contra Aaronẽm agitabantur, cõpeſcerentur. Ad hanc igitur uiam arripiendam uos cum Auguſtino & iudæis his cõuertatis: & hoc ſignum omnibus erit, quòd ueritatem quæſtionis inquiritis, & ipſam citius inuenietis. Alioquin ſi uiam ueſtram ſolitam, quæ iam dicta eſt, tenere volueritis: nos non ueritatem, ſed veritatis obnubilationem, quærere conuincimini.

Ad hæreticos pro cõuerſione.

¶ Videte. Si rebelles iſti iudæi ad uirgæ floritionem fructuoſam oculos clauſiſſent, & ad uirgam ſolum aſpicere uoluiſſent: Quis non dixiſſet, eos nõ tantùm ueritatem quæſtionis nolle uidere, ſed etiam occaſionem quæſtionandi inueſtigare? Etenim uirga in eo, ꝙ uirga, alijs ſimilis erat; atque ideò ueritatem aperire non poterat: ſed virga in eo, quòd florida cum fructibus, alijs diſſimilis erat; atque ideò ueritatem aperiebat. Ea, quæ adduxiſtis uos de malis, de abuſibus, de rebus uitioſis (ſi quæ ſunt, quę & aliquando cõfingitis uos) Romanorum Pontificum, Cardinalium, & ſimiliũ; Ea inquam, omnia, & alia huiuſmodi, fructus hominum, nõ uirgæ, ſunt. Quaſi quòd fructus omnis ad aſtruendam hãc veritatem bonus ſit. Videte hic figuram: quòd non fructus portantium uirgam, ſed fructus uirgæ, ueritatis declaratores apertè dicũtur. Quid ſignat hoc tam ſignanter in textu exiſtens, tam uigilanter ibi annotatum? Quod vos & alij quicunque flores, fructuſque, ſedis Apoſtolicæ, non flores aut fructus illic reſidentium, debetis attendere: ſi uultis ad ueritatem ſacerdotij cognoſcendam peruenire. Aut ſaltem ſi fructus reſidentium attendere vultis: illos fructus nunꝗ labefactare ſacratiſſimã ſedẽ illã potuiſſe aduertatis; quia ꝑ tot annorũ cẽturias in cõtinuè pulcherrimo flore, etiã inter tot aduerſorum diſcrimina, perſeueraret. Sic enim fiet, ut (inſtar B. Auguſtini ſupra citati) ab iſtis, quos adducitis uos hominum fructibus, etiã fructus ſedis uidere poſſitis. At in fructibus hominum ſiſtere tantummodo, ad fructuſque ſedis nolle conſcendere, neque oculos adaperire, malignitatis, ac ignorantiæ eſt, non bonitatis, & ſapientiæ. Tunc, tunc, abuſus illi à uobis de Romanis quibuſdam pontificibus, uitia illa à uobis de Romanis quibuſdam Cardinalibus adducta, facient, quaſi tamen per accidens, ad huius ſacroſanctæ ſedis floritionem maiorem, & conſequenter contra propoſitum ueſtrum: tantum abeſt, ut flores ſedis obfuſcare queant, & pro ueſtro propoſito faciant. Sedis itaque floritio tanta eſt; tantamque illam eſſe, tunc cognoſcetis: ut etiam ab his, quæ foris ſunt, firmitatis in floritione fructificationeque teſtimonium habeat. Quæ ſunt illa, quæ foris ſunt? Vitia, abuſus, mala colloquia, mala facta. Hæc enim non tantum foris eſſe dicuntur, quia nullã vtilitatem de natura ſua ſedi huic apportant: ſed etiam quia, quantum eſt de ſe, floritionem fructuoſam ſedis impediunt; atque corrumpunt.

Ad eoſdem pro eadẽ ſoluendo argumẽtũ ſupradictum.

¶ Cum igitur uideritis tanta mala ſedis floritionem continuatam corrumpere non potuiſſe, ac fidem crucifixi extinguere in ſede non ualuiſſe: ſcitote, ꝙ digitus Dei eſt hic; & non opus hominum. Si opus hominum foret, ex ſe nullo impellente (teſte Gamaliele in actibus Apoſtolorum cap. 5.) corrueret: nunc autem nec multi, etiam ſedis familiaribus (ut uos dicitis) impellentibus nõ dicam corruere, ſed nec dimoueri quidẽ potuit. Vnde huic ſedi tanta uis? Vnde virgæ huic tantus uigor in flore, tantus uiror in fructibus? A tabernaculo teſtimonij domini. Niſi enim eſſet in tabernaculo teſtimonij domini locata, impoſſibile fuiſſet: ut inter tot uentos ſufflantes, tot procellas omni ex parte ſuſcitatas, tot hoſtes undique ipſius hortum fructiferum circumuallantes, & viua & florida & fructifera, & id continuè, permanſiſſet. O, quàm bene factum, quòd Moyſes iubente Domino hanc Aaronis uirgam in tabernaculum teſtimonij retulit. Diuinam enim protectionem continuatam facere opus hoc ſignificauit; ſcilicet conſeruare ſic, & tandiu, & uſque ad conſumationem ſeculi omnibus diebus, florem cum fructu in ſede ſanctiſſimę Romanæ Eccleſiæ. Per id ergo ſuum factum denotauit, quòd uirga iſta Aaronis multos, pro efflorãda illa, & fructibus expolianda, paſſura erat incurſus, id quod uidimus nos, uidemus adhuc, & auribus noſtris audiuimus. At nihil timendũ, quoniam in tabernaculo Domini, tanquam de ipſa Dominus ſpeciali cura ſit ſemper prouiſurus, repoſita eſt. Et nè hãc repoſitionem hominibus tribueres, & conſequenter fallacẽ fore iſtam Eccleſiæ fiduciam de Domino aliquãdo putares; Dominus ipſemet ore ſuo hanc repoſitionẽ fieri Moyſi mandauit. Aut ergo quieſcãt ſedis huius aduerſarij, atq; rebelles, aut morientur. Audiſti. n. quid poſt repoſitionẽ illã uirgæ in tabernaculũ dixerit Dñs: Hoc (inquit) erit in ſignũ rebelliũ,
& quieſcãt querelæ eorum a me, nè moriãtur. Quartò igitur 4
conſeqnẽter habes, quòd iſta floritio ſedis, quam Diuus Auguſtinus animaduertit pro ſui cõuerſione ad illam, eſt a Deo facta non tantùm ad conſolationem fidelium ſed etiam ad confuſionem infidelium. In ſignum (inquit) rebellium filiorum Iſrael. In ſignum, quale? Quòd quieſcendi occaſionem habent. Ergo quieſcant (inquit dominus). In ſignum, quale? Quòd niſi quieuerint, morientur. Ergo quieſcant (inquit dominus) nè moriantur. Vide diſparitatem locutionis domini. Et quieſcant (inquit) querelæ eorum à me: Nè moriantur. Quod ſonat in bonũ rebellium, optatiuè dicit; quieſcant, inquit; quod aũt malum rebellium importat, tanꝗ refugiendo, narrat; nè moriantur, inquit. Quam bonus dominus etiam his, qui rebelles ſunt corde, ut conuertantur? Nota quoq; ꝙ nõ dicitur, vt quieſcant querelæ eorum à uobis, ſed a me, ut oſtendatur; quòd hæreticorum, aliorumque infidelium, contra Romanam ſedem inſultationes ſunt inſultationes contra Deum.

Aureum magnũ, maximè ponderandum.

¶ Ad hoc autem melius percipiendum ſupradicta legas, hiſque nunc dictis applices. Quid in ſupradictis à domino habes? Germinabit (inquit) uirga eius, quem ex his elegero & cohibebo à me quærimonias filiorum Iſrael, quibus contra uos murmurant. Ecce, Germinatio uirgæ eſt ſignum expreſſum electionis diuinæ. Item. Quærimonię rebellium contra catholicos, ſunt quærimoniæ contra dominum.

Sic enim dicitur, cohibebo à me querimonias filiorum Iſrael, quibus contra uos murmurant. Quare cohibebo illas à me? Quia ſunt contra me. Quare illis murmurant cõtra uos? Quia illis murmurant contra me. Quare illis murmurant contra me. Quia ego per ſignũ tatu elegi uos, & illi murmurant contra uos. Vt igitur magis appareat, quòd murmurationes illæ ſunt contra me; & nullam poſſint de hoc prætendere ignorantiam, aliud ſignum manifeſtius electionis dabo illis pro uobis. Quod ſignum dabo illis in uestræ electionis proteſtationem? Floritionem uirgæ ac fructificationem. Cum itaque germinauerit uirga: iam murmurationes rebellium non contra uos eſſe, ſed contra me tantummodo, dicam. Vnde poſt uirgæ præmiſſam germinationem dicitur: Et quieſcant querelæ eorum à me, nè moriantur.

¶ Tàm euidens prædictum uirgæ ſignum eſt, ut querelæ non amplius contra Moyſen, atque Aaronem prolatæ dicantur, ſed contra dominum; & ut morte puniendæ dignæ habeantur. Priùs, ante ſignum hoc tam expreſſum datum, querelas rebellium contra ſe, & cõtra ſuos, dicebat dominus; nec illas querelas morte caſtigandas, menunerat: Nunc autem poſt ſignum huiuſmodi datum, & querelas rebellium contra ſe eſſe tantummodo narrat, & ipſas morte affrīēdas comminatur. Argumentum profectò magnum hoc eſt, quòd quantò maiora ſigna circa ſedem Romanam uiderint hæretici, tantò maiora, ſi non ſummo huic ſacerdoti acquieuerint ſupplicia perſoluent. Videant ergo ſibi, nè moriantur ſignis illis abutentes, uel per exorſionem uel per incõſiderationé: quę ſigna data ſunt illis ad hoc, ut quieſcant, conuertantur & uiuant. Nec enim ſignum hoc circa uirgam Aaronis factum fuit ad hoc; ut morerentur iſti iudæi, ſed ut ueritatem agnoſcentes in ueritate ipſa uiuerent. Ideò, poſt datum ſignũ fit illis admonitio à Deo; nè moriantur: ut uideãt; ſignum hoc in ſui fauorem etiam eſſe factum, ſi eo rectè ad ſui correctionem uti uoluerint.

¶ Sed (ut uerum adhuc aliud fatear) monitio hęc facta eſt, ut poſt ſignum illud datum non defuturos deuotaretur aliquos, qui ad illius ſigni oſtenſionem nõ conquieſcerent; & conſequenter propter ſuam inſipientiam morerentur. Sicut etiam hac eadem monitione præfiguratum fuit, non defuturos aliquos, qui uiſo ſtim ſigno a rebellione ceſſarent; & conſequenter uitam poſtea in ueritate per ſignum cognita tranquillam uiuerent. Nonne figurata horum duorum ſignificatorum per monitionem illam ſecuta ſunt? Vnque. & ſecuta ſunt, ſed nondum finis... Ex ſigno uiſo rebellionem dimiſit Auguſtinus, & uitam angelicam duxit. Sub umbra huius uirgulæ ſedit, & dixit. Fructus eius dulcis gutturi meo. Ex ſigno eodem uel cõtempto, uel extorto, uel uiſo, vel nõ conſiderato, quam multi hæretici a rebellione ſua non quieuerunt, nec quieſcunt, nec quieſcẽt: donec per manum domini moriantur, & ad nihilum redigantur omnino? Pronoſtica ſunt forſan de hoc extremo eorum futuro ſupplicio iidem rebelles, quando ad Moyſen ſubintulerunt. Ecce conſumpti ſumus; omnes perimus. Item dixerunt. Num uſque ad internitionem omnes delendi ſumus? Quaſi dicant: ita. Et uerè concluſum fuiſſet: ſi ipſi in ſua rebellione perſeueraſſent.

¶ Quicunque igitur uiſo prædicto uirgæ figuratæ, (ideſt ſedis Apoſtolicæ) ſigno adhuc in ſua rebellione perſiſtit, uſque ad internitionem, procuidubio conſumendus eſt. Non omnes autem ſic tandem perituri ſunt, ſed plures. Aliquos. n. ad iuſta: Auguſtini ſecuturos non dubitandum, qui ad floritionis uirgæ huius aſpectum a rebellione deſiſtent, & à uentura morte fugientes ad uitam florentem atque fructuoſam (quam ſedes illa, ut ſedes talis, cõtinet) tranſibunt. Nonnè & hic multos ob ſignum hoc oſtenſum retius a ceruicoſa ſe quiuiſſe iubentes temiſſos, ſacerdotem ſummum, quẽ Deus in ſigno approbat ac acceptaſſe? Hi profectò conuertendorũ aliquorum infidelium propter uiſionem prædictam figura fuerunt quorum figuratorum Beatus fuit Auguſtinus, & alij, ceteriq;.

NOTATIO I.

VAlidiſſimum medium ad conuertendos infideles eſt illud, quod de uirga figurata (ſede ſcilicet Romana) dictum eſt. In ſignum huius, præſens ad præcedens conferas capitulum: & quæ nunc annotamus, melius uidebis In præmiſſo capitulo, quid legitur? Quòd Deus multa ſigna oſtendit in fauorem Moyſis, & in rebellium Iſraelitarum repræſſionem, puta incendium ſubitaneum, & terræ nunquam auditam apertionem ad deglutiendos ſeditioſos. Quid hoc ſignu tam manifeſto uiſo fecerunt Iſraelitæ ſuperſtites? Contra Moyſe denuo, & die quidam ſequenti, inſurrexerunt. Quid autem in hoc capitulo legitur? Quòd Deus in fauorẽ Moyſis, ac repræſſionem rebellium fecit, uirgam Aaronicam florere fructificando. Quid poſt hoc ſignum legis? Quòd ſuperſtites Iſraelitæ, quaſi de ſua præmiſſa rebellione pœnitentes, Moyſen pro aduocato interpellauerunt in his uerbis: Num uſque ad internitionem cuncti delendi ſumus? Quaſi dixiſſent. Tu Moyſes ora pro reſiduo populi, nè cuncti deleamur. Ideò iſti antè prædicta uerba dixerant Moyſi. Ecce conſumpti ſumus, omnes perimus. Ac ſi ex ipſa verborum ſerie dicere uoluiſſent ad Moyſen. Moueatis ò Moyſes ad noſtri populi compaſſionem uidens, quòd omnes ferè conſumpti ſumus, & ora ex compaſſione iſta pro nobis, nè cuncti deleamur ad unum. Compara modò (audito utroque ſigno) utrunque ad inuicem, & unde, quod nam illorum maiorem uim ad conuertendum rebelles habeat. Certè ſi uel mediocriter ad utrunque aſpexeris: præſentis capituli ſignum ſatis in huiuſmodi præualere præcedenti ſigno, ſadiudicabis. Quis enim id non uideat? Si namque poſt ſignum illud cap. 16. imò poſt ſigna illa, ad uomitum mox ſuperſtites, reuerſos narratur, poſt ſignum uerò iſtud cap. 17. ſuperſtites ad cor ſuum reuerſos intimatur: Vtique ſignum iſtud unum prioribus illis ſignis præeminet in conuertendo ceruicoſos, atq; rebelles. Nè mireris, ergo ſi Auguſtinus tũ tribuit uirium ſedis Apoſtolicæ floritioni ad conuertendos mentes infidelium, quorum ipſe unus, & quidem acerrimus, erat.

¶ Plus ergo ualet ueritas oſtenſa homini ad ipſum ducendum in uiam bonam; quàm ualeant minæ, atque flagella. Hinc in adagio dicitur: quòd boues funibus, homines uerò rationibus, ligantur. Certè uidiſti, q̃ flagella in præcedẽti capitulo magna adhibita fuerunt ad conuertendos homines in obedientiam ipſius Moyſis, & Aaron; & uidiſti quoque, quam paruus illic ſequutus ſit cõuerſionis fructus. Sequẽti (inquit) die murmurauerunt iterum. Ex alia parte nunc uidiſti, q̃ oſtenſio ueritatis adhibita eſt ad conuerſionem rebellium in prædictam obedientiam; & uidiſti, quam magnus ſecutus ſit conuerſionis fructus. Ecce (inquiunt) conſumpti, &c. Num uſque ad internitionem &c? Expone, ut nunc ſupra. Veritas igitur fortior eſt, & præualet. Veritas enim naturaliter eſt intellectus noſtri obiectum adeò; vt, agnita veritate, ab illa non ligari non poſſit; quamuis aliquando voluntas, ſequi veritatem agnitam obſtinatè renuat: flagella verò nõ ſunt intellectus obiectũ. Veritas ergo per ſe ordinatur ad faciendum intellectum docilem, flagella verò pro accidens, inquãtũ per flagella conſtringitur quis ad hoc, vt velit obiectum ſuum. i. veritatem conſiderare. Quò fit, vt veritas immediatius ad intellectus informationem ordinetur, & vigoroſiùs, quam flagella quantumcunque magna. Quæ in hac vita maiora eſſe, quàm in capitulo præmiſſo, potuerũt?

¶ Hinc fit ut ueritas uiſa attrahat intellectum ſuapte natura. Quot ſunt, qui ſine ratione ſufficienti habita adhærent ueritati, tanquam ab ipſa ueritate coacti? Talis fuit Pharao Geneſ. 41. in adhærendo interpretationi Ioſeph, & in reſpuendo interpretationes aliorum, de bobus ac ſpicis a ſe per ſomnũ uiſis. Falſum namq; ſuapte natura tanquam à falſo repulſus; & uerũ ſuapte natura, tanquam à vero allectus, ſecutus eſt tũc Pharaonis intellectus: ac ſi ignis abſque diſcurſu aliquo propria natura actus moueatur in locum ſuũ, ibi quieſcat, & oppoſitum locum fugiat. *Exempl.*

¶ Modus ergo ad docendum per ſe facillimus, ac fructuoſiſſimus eſt claro modo manifeſtare ueritatem diſcipulo; & magis, q̃ flagellare ipſum, profiteri turpe: quia natura intellectus diſcipuli ſatis adiuuetur. Flagella tamẽ pro loco, & tpe, adhibita modum præmiſſum docendi, multum iuuant per accidens, inquantum compellunt intellectum diſcipuli ad abſtrahendum ſe a diuertentibus ipſum a proprio officio, id eſt ſtudio veritatis; & fœlici neceſſitate aſtringunt ad inquirendum veritatem, ſiue per diſciplinam, i. per auditum ab alijs, ſiue per propriam inuentionem. De vtroque modo docendi, ſ. per ſe, & per accidens, nunc prænarratam habes in textu capitulorum 16. 17. exempla data à Deo magiſtrorum optimo.

NOTATIO II.

NOn omnes eſſe ſacerdotes probatur ad ſcuticam, ex quo probationes ad literam, ſiue ad reuelationem diuinam

nam per Moyſen populo toties factas, Iudæi non crediderũt. Quicunque (inquiunt ſceleſti Iudæi ad ſuamcam inſtructi) accedit ad tabernaculum domini, moritur. Et qui moritur? Cur Aaron toties acceſſit, & mortuus nõ eſt, immo pro mortificãdis aliis (ut ſupra legimus) obtinuit? Cur Eleazarus, & ſimiles à Deo ordinati accelerant, & mortui non ſunt? Non ergo ex acceſſu ad Tabernaculum, ſed ex aliqua alia cauſa moritur quicunque hic dictus accedit ad Tabernaculum. Quæ eſt illa alia cauſa? Quòd illi accedentes non erant electi à Deo (ut in præmiſſo capitulo patet,) ſed ex præſumptione officium ſibi non conueniens uſurpabant. Figuraliter ergo de hæreticis dictum eſt, quicũque ad tabernaculum accedit, moritur. Nam ipſorum multi dogmatizant omnes eſſe ſacerdotes, & laicos clericorum officia exequi poſſe; & ideo tùm ſeipſos tùm alios ſic dicendo ad mortem adiudicant. Si enim quicunq; non a Deo ordinatus ad tabernaculũ accedit, moritur; multò magis quicũq; pertinaciter id ſuadet, mori meret. Et ſi quicunq; ad tabernaculum figurale accedit abſque diuina electione, moritur: multò magis quicunque ad tabernaculum figuratum (hoc ſunt Altaria noſtra, miſſæ noſtræ, ſacramenta noſtra, cæremoniæ ſacræ ſacerdotum, atque ſimilia) acceſſerit, morietur. Non enim minoris, immo admodum maioris dignitatis eſt nouum tabernaculum antiquo. Quocirca non miniſtros eiuſdem tantũ dignitatis, ac bonitatis, quales erãt antiqui, requiret Deus ſed maioris admodum. Vide quantũ errent illi hæretici. Miniſtros tabernaculi noſtri digniores ſe querere deberent, quam antiqui, & tamen nec æquè dignos il his acceptare uolunt. En ergo quantum tabernaculo nouæ legis moleſti ſunt. Ideò quantas pœnas morteſque, cum ſuis diſcipulis, mereantur; hinc tu perpende. Videant hi uel ſcripturarum ſacrarum nudos apices: & ſe in errore maximo, mortibusque propinquo, eſſe conſpicient.

NOTATIO III.

ADhuc pro meliori inſpectione ueritatis, adducatur in medium floritio ſedis apoſtolicæ, atque fructificatio continuata. Vt autem hoc conſiderare pro tuis, aliorumque ſalute facilius ualeas, ego parum tibi uiam ad cõtemplationem hanc aperiam. Non enim intentionis meę eſt ad longum de hac floritione fructuoſa continuataque diſcurrere (nimium nanque temporis circa id ſumerẽ): ſed tantum uiam aliquatenus pro conſideratione tali adaperire. Quomodo igitur circa hanc conſiderationem te habebis? Primo Auguſtinum lege, quomodo ſe circa hoc habuerit, & tu eundem modum teneto. Nec credas, tantum uirum tantoque tempore in ſuis erroribus obſtinatum ad contrariam ſententiam deueniſſe, niſi magna conſideratione circa hanc floritionem ſe occupaſſet, & iſtam ſedem pluſquam floridam eſſe aduertiſſet. Secundò ſi tibi uidere Auguſtinũ non tam bene occurrit, per te ſuper ſedem hanc diſcurre, & dic. A tot annis durat: quomodo? Semper fuit anxiata ab exteris; & a ſubdolis fidelibus, quomodo durare potuit? Petrus primus Papa fuit crucifixus, Linus, Cletus, Clemens, & ferè omnes primitiui Pontifices Ro. fuerunt occiſi, quomodo durauit tempore continuo? Contra iſtam ſedem Romani Imperatores toto ſpiritu debacchabantur in omnibus partibus mundi: dũm chriſtianos occiderent, quomodo durare ualuit? Et non tantum durare, ſed durationem ſuam in Romanorum Imperatorum alma ciuitate plantare, ipſos Romanos Imperatores à Roma ſine armis profligando? Quomodo Romanum Imperium quotidié ad ſui defectionem profectum eſt, & Romana pontificia ſedes ad ſui profectionem quotidie delata eſt? Vbi tot ſciſmata in ſedib. fuerunt, ſicut in ſede Romana; & tamen illæ ſine tot ſciſmatib. defecerunt, iſta cum ſciſmatibus ſemper in altum profecit? A quantis hæreſibus à quot hæreſiarchis, a quantis infidelibus, impetita eſt iſta ſanctiſſima ſedes? Roma ipſa quoties a bellis tum internis tùm externis uaſtata eſt? Romani ipſi quoties in ſummos Pontifices inſurrexerunt, & eos, aut fugere, aut alibi multo tempore manere uelut hoſpites coegerunt? Quot Roma. Pontifices ueneno ſublati ſunt à curialibus ipſis? Quæ arma, quę tela, quę aduerſa, quas opiniones, quæ facinora; quantas procellas, quanta conuicia, quantos impetus, quantas furias, quos reges, quos duces, quos principes, quos gygãteos homines (bonos ſemper excludo); quas reginas, quas ducíſſas, quas ſectas; quos hiſtriones, quos mimos, quos infideles; quæ uitia, quos abuſus, quas uias, quos modos, non ſuſcitauit, non animauit, non inuenit, non machinatus eſt, non armauit, non furoribus adimpleuit, non crudelitate veſtiuit, non quibuſuis malitioſis mentibus ditauit, ipſe diabolus, ut iſtam ſanctam ſedem aut deijceret, aut a ſuo curſu florido impediret? Nunquid diabolus ipſe profecit? Minimè. Nonne defecit? Et quidem: defecerunt enim ſcrutantes ſcrutinio obſtructum eſt os loquentium iniqua, & omnis iniquitas oppilauit os ſuum. Quomodo a toto inferno, a toto mundo, a tota carne ſedes Romana tàm fortiter impulſa nõ decidit? Immo, quomodo tunc ſtetit? Quomodo ſi uiuos in dies, externa firmitate nudata, facta eſt? Tantas (crede mihi) tribulationes tam intus quam foris contra Romanam ſedem promiſit altiſſimus, ut ſedis huius floritionem a Deo ſeruari, eſſe, & cõſeruari; non autem ab hominibus. Quomodo homines uniuerſi, etiã ſimul ſumpti, ſedem ipſam inter tot tãtaque, diſcrimina ſaluare potuiſſet? Et tamen ſaluata, cõtinuata, & aucta eſt ſedis huius fœlix floritio. Dominus ergo, & nõ alius, regit eam, ideoque nihil illi unquam defuit, nunquam deeſt, nunquam deerit.

¶ Ecce uiam tibi ad conſiderationem ſaluiferam pro imitando Auguſtino aperui: tu modo ſequere. Virgam ipſam Aaron, uelut Moyſes, ubi floridam protuliſ mum eſt modo aperire oculos cum filijs Iſrael, & ipſam attentius conſiderare. Sic ſic, facilius fiet, ut & tu cum filijs Iſrael ueritatem ſummi ſacerdotij agnoſcas, & agnoſcendo conquieſcas, & conquieſcendo alios ſaluos facere ſatagas, & hoc aſſequaris.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

PRISTA Concl. 1. cap. 17. ex abundanti eminentia deſtruit hæreſim Baſilidis dicentis; quòd Chriſtus non fuit crucifixus, ſed Simon Cyreneus pro eo, qui angariatus ſuſtulit crucem. Damnatur quoque, & per conſequens concluſio præſens declaratur atq; confirmatur, à Concilio Epheſino primo cap. 10. Pontificem & Apoſtolũ cõfeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum, diuina ſcriptura cõmemorat. Obtulit enim ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis Deo & patri. Si quis ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrum dicit factum, non ipſum Dei uerbum (quando caro factum eſt, & homo iuxta nos homines) ſed uelut alterũ pter ipſum ſpecialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, ꝙ pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potius pro nobis ſolis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino neſciuit), Anathema ſit. Hæc ibi. Item a Concilio quinto Conſtantinopolitano cap. 10. Si quis non confitetur, crucifixũ carne Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe uerum & dominum gloriæ, & unum de Sancta Trinitate; Anathema ſit. Hæc ibi. Item à Concilio Epheſino prædicto cap. 12. Si quis non confitetur, Dei uerbum paſſum carne, & crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe, Anathema ſit. Hæc ibi. Et in ca. 13. hoc idem Ephe. Concilium proliſè declarat, unomodo Chriſtus ſecundum quòd homo, non ſecundum ꝙ Deus, ſit crucifixus, & mortuus, ubi ſemper (ut patentiſſimum eſt) prę ſupponit, ut firmiter fide tenendum, ꝙ Chriſtus filius Dei ueraciter crucifixus eſt, ac mortuus; & non alius pro eo. Vide Numer. 8. conc. 3. Bullam Pauli quarti, de hoc. Piget quidem multa adducere cõtra hanc inſaniſſimam demẽtiam Baſilidis; ſed tamen breuiſſime pro eius ignorantia manifeſtè uidenda tangam & ſacras ſcripturas. En teſtamentum uetus ſub ænigmatibus & figuris paſſionem Chriſti millies in Leuit. Exod. prænũciat: ita ut Apoſtolus omnia illa in figura dicat contigiſſe illis; in figura, inquam eius, de quo ipſe idem quandoque dixit; Finis legis Chriſtus eſt. Inſpice epiſtolam ad Hæbr. & ibi practicaliter hanc nunc dictã de figuris ueritatem ab eodem Apoſtolo addiſces. Item Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19. concorditer Chriſtum, & etiam multis ſcripturarum atque circumſtantiarum teſtimonijs circumallatam, apertiſſimè commonſtrant. Item 1. Corin. 1. 2. Apoſtolus prędicare ſe affirmat Chriſtum crucifixum, & nil aliud iudicare ſe ſcire, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum. Item Actu. 2. Princeps Apoſtolorum plenus Spiritu ſancto inquit, Ieſum Nazarenum, uirum à Deo approbatum miraculis, fuiſſe crucifixum.

ET uniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes virgæ. Tau.

Concl. 2. *Super crucem Chriſti ſcribendus erat titulus nomen eius continens*. Ex eo.

IN ſummitate uirgæ Aaronis, quæ ſacerdotij ſui ſignum erat expreſſum, ſcriptus eſt de mandato domini per manum Moſaycam titulus continens nomen Aaronis. Figurauit hoc, quòd ſuper crucem Chriſti, in qua profectò eius ſummum reſulſit ſacerdotium. 3. q 22. ar. 2. ponendus erat titulus continens nomen Chriſti. Et ſic factum eſt. Nam Pilatus poſuit titulum ſuper crucem domini ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum. Ecce titulus ſuperſcriptus uirgæ figuratæ. Ecce nomen contentum ibi: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Ieſus eſt nomen perſonæ illius; Nazarenus eſt nomen patriæ eius; Rex Iudęorum eſt nomen dignitatis eius. Nil ergo aliud continet titulus, niſi nomen eius, cuius eſt uirga: ut figuratũ figuræ correſpondeat.

EXAMEN I.
DE TITVLO.

VIS modò uidere, quòd iſte titulus fuit ſic inſcriptus de mandato domini, ut hic præfigurabatur? Audi. Inſurrexerunt Iudæi Chriſto ſacerdotium inuidentes, & Pilato ſuaſerunt, ut titulum non ſic inſcriptum relinqueret. Reſpondit Pilatus, ſe nolle aliud ſcribere, quàm quod iam ſcripſerat. Cur Pilatũ tàm meticuloſum, & in fauorem iudæorum iam iam ad mortem Chriſtum iudicantem, nunc tàm in ſententia ſua firmum conſpicis? An forſan condemnare Chriſtum ad mortem minus fuerat in gratiam iudæorum, quàm titulum Chriſti ferè mortui ad iudæorum eorundem inſtantiam permutare? An magis de titulo curam gerebat Pilatus, quam de morte Chriſti iniuſtiſſima? An iudæorum furor in titulo aliter ſcribendo magis ſatiabatur, quam in Chriſtum iam in cruce poſitum uidendo? Minimè omnium. At facta ſunt hæc omnia: Vt de mandato domini fuiſſe titulum ſic inſcriptum agnoſceres. Nomen (inquit hic Deus) ſuperſcribes uirgæ. Nunquid ait aliquid nomini contrarium, aut nomini ſimile, ſcribes: Aut poſtquam illud nomen ſcripſeris, delebis? Non: imò in tabernaculum uirgam in futurum conſeruandam reponi mandauit. Cuius uirgam? Aaronis. Quis hanc eſſe talem, ſcilicet Aaronis, in poſterum agnouiſſet, niſi & titulum ſuperſcriptum uirgæ huic cõſeruari mandaſſet? Tituli ergo conſeruatio neceſſaria erat, ut omnes nati natorum, & qui naſcituri erant ab illis, certò cognoſcerent, quòd hæc uirga erat Aaronis: & quòd ſummũ ſacerdotium Aaronis, non autem alterius, à Deo comprobatum fuerat. Niſi enim hoc pro certo agnouiſſent, ſeditio iterum probabiliter naſcitura erat de ſacerdotio inter poſteros iudæos; & ita ſufficienter ſchiſmati de poſſibili in ſynagoga futuro (id quod intendebat Deus per conſeruationem uirgę) prouiſum non fuiſſet. Vt ergo inconueniens hoc a Deo, à ſynagogaque tollatur, dicendum eſt; quòd quando de uirga conſeruanda ad finem præmiſſum præcepit Deus, etiam ſub hoc pręcepto intellexit cõſeruandum eſſe titulum uirgæ. Hæc eſt ratio, quare Pilatus ad iudęorum ſuaſionem titulum uaſtare noluit: cùm tamen ad ipſorum inſtantiam Chriſtum necari conſenſerit. Nec id fecit Pilatus, ut Spirituiſancto ſic uolenti obediret: ſed Spiritusſanctus, qui tituli conſeruationem in figura nunc prædicit, figurati conſeruationem in Pilato mandauit. Dixit ergo Spiritusſanctus; tanquam per os aſinæ Balaam iudæos alloquens; Quod ſcripſi, ſcripſi. Hoc eſt. Non poteſt ſolui ſcriptura uetus, ſed adimpleri neceſſum eſt. Cùm igitur in ſcriptura ueſtra ueteri (ſcilicet Num. 17.) habeatis in figura; quòd titulus uirgæ ſummi ſacerdotis antiqui conſeruari debebat, & non deleri; ideò ſcripturam hanc adimpleri per Pilatum, neceſſum eſt. Quod ergo ſcripſi, ſcripſi. Antiquitus titulum cõſeruandum huius figuram præſcripſi: & nunc, tanquã figuratum reddens figuræ, mutationem tituli nolo.

¶ Vide, quòd ſicut iſti iudæi Aaroni ſacerdotium ſummum inuidebant, & ideò, ſi qui illorum remanſerant obſtinati, noluiſſent Aaronis uirgam, nec nomen ei ſuperſcriptum conſeruari: ita iſtorum iudæorum filij nouiſſimi ſacerdotiũ ſummum Chriſto inuidebant; & ideò ad tituli Chriſti deletionẽ (iuxta iſtorum ſuorum patrum antiquatam obſtinationem ambulantes) toti ui ſua aſpirabant. At non eſt ſapiẽtia, nõ eſt conſilium, contra dominum. In uoluntate itaque hac Pilati non tam ipſius conſtantiam, quàm Spiritus ſancti immutabilem efficaciam mirare. Si enim humanitus tantum res iſta agereretur, facilius erat Pilatum ad tituli Chriſti deletionem voluere; quàm ad Chriſti occiſionem: Et tamen ad occiſionem, uoluntatem Pilati compulerunt Pontifices iudęorum; quam ad tituli mutationem nullo modo uertere potuerunt. Agnoſce ergo diuinam operatam hic fuiſſe uirtutem quæ ſuarum figurarum pro adimpletione ſemper zelatrix exiſtit. Vide B. Auguſtinum qui allegatur, uerbatimque recitatur infra, pro Eccleſia &c. ſuper Pſalm. 56. ipſius Pſalmi titulum exponentem; pulcherrimaq; de titulo Chriſti dicentem.

EXAMEN II.
DE TITVLO.

IVDAEI contendentes à Pilato delendum iri nomen eius cuius erat uirga, id eſt Chriſti ad hoc tendebãt, ut nomen Chriſti deleretur a cruce, & poſt raderetur de terra. Timebant nanq;: quòd ſi remanſiſſet in cruce, remaneret etiam in terra. Alioquin ſi de terrarum populis tollendum ipſum ſperaſſent, etiam quòd in cruce, remanſiſſet, non admodum curaſſent. Huius autem ſignum, quòd ſcilicet ad tollendum nomen de terra principaliter intenderent, eſt: quòd non antea hoc narrat Euãgeliſta a iudæis quęſitum, niſi poſtquã dixerat immediatè; quòd titulus erat triplici lingua cõſcriptus. Quid eſt; quòd poſt conſcriptioné triplicem præuariatam iudæorum quæſtionem de tituli mutatione interſerit Euangeliſta Iohannes? Vt oſtendat originem, unde moti ſunt iudæi ad id quærendum. Quaſi tali ordine dixiſſet. Ideò iudæi ad tituli mutationem aſpirarunt, quia nomen Chriſti in triplici lingua ſcriptum uidentes, hinc faciliter argumentati ſunt, quòd nomen ipſum per totum mundum, cuius partes omnes illæ linguę prætendebant, diffunderetur. Quia igitur hoc timebãt & abhorrebant, ideo titulum mutari geſtiebant. Quod ſi in ſua lingua, puta hæbrica, ſolummodo nomen crucifixi ſcriptum uidiſſent, forſan nihil de hac quæſtione mouiſſent, uel ſaltem non tanto deſiderio ad hanc obtinendam anhælaſſẽt. Magis enim iudæis ipſis ſuppetebat animus delere nomen Chriſti de ſuorum contribulium cordibus, ſi in ea ea tituli lectione tranſiſſet inſcriptum, quàm de cordibus omnium populorum nomen ipſum, iam in ea ex lectione huiuſmodi tractum obliterare. Correſpondemt igitur iudæorum Pontifices illi figuræ, quatenus ſuperponendus erat titulus uirgæ, ſed nõ quatenus titulus ille cõtenturus erat nomen regium uirgam poſſidentis. Non enim totalem tituli ablationem, ſed ſolam mutationem quærebant.

Quid hoc ergo annotabis iterum? Quòd nomen hoc figurale inſcriptum uirgæ ſignificabat non quodcunque nomen inſcribendum Cruci; ſed principaliter nomen dignitatis. Et meritò ſané. Nam de ſacerdotio ſummo, quod maxima eſt dignitas, quæſtio fiebat: & iccircò, nomen dignitatis inſcribendum cruci nouiſſimo tempore per nomen Aaronis uirgæ appoſitum, aptiſſimè figurabatur. Quòd eſt nomen dignitatis, & ſummæ quidem? Rex iudæorum. Hoc enim nomen Meſſiam importat, ſecundum quòd regi Herodi loquentes Magi cum ſcribis oſtenderunt. Quid magi (Matthæi 2.) Herodi dixerunt? Vbi eſt (inquiunt) Rex iudæorum? Quid ſcribæ Herodi, de hoc ſciſcitati ab eis, reſponderunt? Quòd Chriſtus in Bethleem iudæ (per ſcripturam teſtem) naſciturus erat. Interpretati ergo ſunt ſcribæ iudæorum, interpretatus eſt & hærodes, quòd ly Rex iudæorum importaret nomen illius Meſſiæ, qui græcè interpretatur Chriſtus, & latinè unctus, iuxta Pſal. 44. unxit te Deus tuus oleo lętitiæ præ conſortibus tuis. Meſſias ergo, ſiue (alio uocabulo) Rex iudæorum, eſt nomẽ dignitatis, & ſummæ dignitatis. Ideo prædiximus, quòd in hoc facto monſtrarunt iudæi, ſe inuidere crucifixo ſummum ſacerdotium. Tolle (inquiunt hi) Rex iudæorum, & pro nomine iſto apponas, quòd ipſe dixit, ſe regem iudæorum. Hoc totum, ſcilicet ipſe dixit, ſe regem iudæorũ, eſt né unum nomen? Minimè. E contrario autem (ut tetigimus) Rex iudæorum, eſt unum nomen, id eſt Meſſias. In titulo igitur figurato ſcribendum nõ erat ly Ipſe dixit, rex ſum iudæorum: quoniam ibi tantùm nomen ſuperſcribi debebat. Et uniuſcuiuſque nomen (inquit capitulum hoc) ſuperſcribes uirgæ ſuæ. Nil ergo aliud; quam nomen in titulo poni debuerat. Non igitur ly Dixit, ſe regem iudæorum, ſuperſcribendum uoluit per hanc figuram ſpiritus ſanctus; ſed ly Rex iudæorum. Reſiſtebant ergo tunc iudæi in illa quæſtione Spirituiſancto, & ab ipſo Spirituſancto per os pilati repulſi ſunt.

¶ Applica ad ly (Euangelium) ſcripſit autem pilatus titulum, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum Ieſus Nazare-

zarenus Rex iudæorum; & erat ſcriptum hæbraicè, græcè, latinè. De his n. omnibus quomodo per figuram præſentem loquaris habuiſti.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆC Concluſio 2. cap. 17. confirmatur egregiè, & ſimul declaratur, ex titulo Pſalmi 56. una cum expoſitione B. Auguſtini ſumpto. En ipſe titulus. Iofinem nè corrumpas ipſi Dauid in tituli inſcriptione; cum fugeret à facie Saul in Speluncam. En ipſius Auguſtini expoſitio. Referentes nos quidem ad ſanctam ſcripturam inuenimus, ſanctum Dauid illum regem Iſrael perſecutorem paſſum fuiſſe Saulem regem illius populi. Inuenimus ergo illo tempore, quādo Saul rex iam reprobatus perſequebatur Dauid regem futurum, & prædeſtinatum; quòd ipſe Dauid fugeret à facie Saul in ſpeluncam. Quid ergo hoc ad Chriſtum? Si omnia, quæ tunc agebantur, figuræ erat futurorum; inuenimus ibi Chriſtum, & multo maximè. Nam illud. Nè corrumpas tituli inſcriptionem, non uideo; quomodo pertineat ad illum Dauid. Non enim aliquis titulus inſcriptus erat ipſi Dauid, quem corrumperet Saul. Videmus autem in paſſione domini ſcriptum fuiſſe titulum, Rex iudæorum, ut ille titulus exprobraret frontem ipſorum, quòd à rege ſuo manus non abſtinuerunt. In illis enim Saul erat, in Chriſto Dauid erat. Chriſtus enim eſt ex ſemine Dauid ſecūdum carnem; quia de Tribu Dauid natus eſt, unde eſt uirgo Maria, quæ peperit Chriſtum. Inſcriptus itaque titulus ille eſt, Rex iudæorū. Saul (ut diximus) populus Iudæorum erat, Dauid Chriſtus erat. Indignati ſunt iudæi, quia inſcriptus erat titulus, Rex iudæorum; puduit illos habere regem, quē crucifigere potuerunt. Non enim uiderunt; ꝙ ipſa crux, in qua eum fixerunt, futura erat in frontibus regum. Cum ergo indignarentur ex illo titulo, adierunt pilatum iudicem; cui obtulerant occidendum Chriſtum; & dixerunt ad eum. Noli ſcribere ſic, Rex iudæorum; ſed ſcribe, quia ipſe dixit, ſe eſſe regem iudæorum, & quia iam cantatum erat per Spiritum ſanctum, in finem nè corrumpas in tituli inſcriptione, reſpondit eis Pilatus, quod ſcripſi, ſcripſi. Quid mihi ſuggeritis falſitatem? Ego non corrumpo ueritatem. Audiuimus ergo quid ubi uelit, ne corrumpas tituli inſcriptionem. Quid ergo eſt, cùm fugeret à facie Saul in ſpeluncam? Quod quidē & Dauid ille fecit. Nā in hoc inueuimus fugam in ſpeluncā. Figurabat n. aliquid illa ſpelunca; qua ſe texit Dauid. Quare autem ſe texit? Vt occultaretur, & non inueniretur. Quid eſt contegi ſpelunca? Contegi terra. Portabat autem terram ſe ſua carne, quam acceperat de terra; & in ea ſe occultabat, nè a iudæis inueniretur Deus. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Quare ergo dominum gloriæ non inuenerunt? Quia ſpelunca ſe texerat, id eſt carnis infirmitatem oculis obijciebat, maieſtatem autem diuinitatis in corporis tegmine, tanquam terræ abdito contegebat. Illi ergo non cognoſcentes Deum crucifixerunt hominem. Nec mori potuit niſi in homine, nec crucifigi potuit; niſi in homine, quia nec teneri potuit, niſi in homine. Oppoſuit malè quærentibus terram: ſeruauit benè quærentibus uitam. Fugit ergo ſecundum carnem, in ſpeluncam à facie Saul. Quòd ſi uelis, & hoc accipe; ita dominum fugiſſe in ſpelunca à facie Saul: quia paſſus eſt uſque adeò, ut moreretur; & ſe occultaret iudæis. Inſultantes pendenti in ligno, & caput agitantes, iudæi: Si filius Dei es, deſcende de cruce; Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluare non poteſt. Quid magnum erat de cruce deſcendere, cui facile fuit de ſepulchro reſurgere? Sed quare deſcendere noluit? Quia uſque ad mortem uoluit ſe pati; ut fugeret à facie Saul in ſpeluncam. Etenim ſpeluncæ inferior pars terræ poteſt accipi. Et certè corpus eius in monumento poſitum eſt; quod erat exciſum in petra. Hoc ergo monumentum ſpelunca erat, illuc fugit à facie Saul. Tandiu enim perſecuti ſunt illū Iudæi, quoadusque poneretur in ſpelunca. Nam etiam mortuum in cruce pendentem lancea uulnerauerunt. At ubi inuolutus, cura ſepulturæ, poſitus eſt in ſpelunca; iam nihil habuerunt, quod carni facerent. Hæc uſque Auguſtinus. Pulcherrima notabit ſapiens hic concl. etiam. 1. & 3. huius capituli; multaque alia indè elicere poterit (ut experientia diligenti comprobabitur) ideò ad litteram longius adduxi Auguſtinum.

REfer uirgam Aaron in &c. Vt ſeruetur. *Text.*

Concl. 3. *Crux Chriſti floritura fructificaturaque continue eſt in mundo.* [Ex eo.]

INTER cruces ad hoc ſolummodo contuendū eſt, quæ ſit illa, quæ a uirga Aaronis figurata eſt. Cùm enim hoc habueris, rationem concluſionis iam habebis. Ad contuendū autem, quæ nam illarum a uirga Aaron figurabatur, ad ſequentia attende. Quis erat Aaron? Erat is, propter cuius reſpectum rumores iſti in populo iudæorum orti fuerunt. Hoc ex littera patet. Cur uirga Aaronis adduci iuſſa eſt? Ad ſedandum populum à tumultu. Niſi enim uirgam Aaronis Deus determinaſſet dandam, ſeu nomine Aaronis inter alias uirgas annotandā; nūquam populus a rumore incepto quieuiſſet. Nam tunc ipſam pro ligno floridam cum fructu non uidiſſet: ſi ipſa pro Aarone determinata non fuiſſet. Ad ſedandum igitur populum factum eſt; ut virga Aaronis determinaretur. Aliæ quidem virgæ adductæ ſunt: ſed ideò adductæ non ſunt, ut ſedaretur populus. Ad quid ergo adductæ ſunt? Vt in harum comparatione pulchritudo uirgæ Aaroniticæ magis appareret, & ſic melius per uirgam Aaronicam ſedaretur populus. Siſte modò pedem, & ad propoſitum teuertere. *Ratio.* Quis erat Ieſus crucifixus? Erat is, propter cuius reſpectum, ex uitio iudæorum ſolum, tot tantique tumores in populo iudæorum orti fuerunt: ut ob hoc a quodam propheta dictus ſit filius ſeditionis, contradictionis, ſeu miſeriarum. Cur ipſum Ieſum cruci affigi iuſſum eſt à Pilato? Vt furor populi iudæorum ceſſaret. Iam ergo habes Aaronem, iam habes uirgam Aaronis. Quis Aaron? Ieſus. Ab effectu id ſupra habes comprobatum: ſcilicet ab hoc, quòd propter utrumque tumultuabat populus. Quæ uirga Aaronis? Crux Ieſu. Id quoque ab effectu probatum habes. ſ. ab eo, quòd utraque ad ſedandum populum Iſraeliticum inuenta fuit. Quid ergo? Inde igitur habes concluſionis rationem. Nam ſi crux Saluatoris eſt figuratum uirgæ Aaronis: Vtique conditiones in figura repertæ nobilitatem ſonantes debent reperiri, & quidem ſatis dignius, in figurato ſuo. Conditiones figuræ floritio fuerunt fructificatio, & continua conſeruatio. Hæ igitur omnes tres in figurato debent exiſtere. Floritura itaque eſt fructificatura, & in his nobilibus conditionibus ſemper duratura eſt Crux Chriſti (ut dicit concluſio)

APPENDIX DE CRVCE.

HINC habes ab oppoſitis, quòd nulla alia crux, ſiue nulla alia lex, uſque ad finem mundi duratura eſt, niſi 1
crux, & lex crucifixi. Secundò habes ab oppoſitis, ꝙ in nulla 2
alia lege ſunt flores, atque fructus: niſi in lege crucifixi. Nunquid alia uirga floruit, aut fructus emiſit, præter uirgam Aaronis? Minimè. In nullo igitur alio ſalus, niſi in crucifixo. In nullo alio uera dulcedo, uera ſatietas; uera dignitas, uera nobilitas, uera pulchritudo, niſi in crucifixo. Hic fructus; ergo hic dulcedo, atque ſatietas. Hic flores: ergo dignitas, nobilitas, pulchritudo, gloria, honor. Hic continuatio in flore & fructu: ergo hic non tantùm uera, ſed ſempiterna etiā ſunt omnia: quæ nunc diximus. Tertiò habes: quòd non mi 3
rum: ſi de lege crucifixi loquens propheta ipſam vocauit iudicia domini iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum, & dulciora ſuper mel & fauum; & quòd in illis cuſtodiendis retributio multa. Hæc, tanquam prærogatiuas quaſdam, legi crucifixi attribuit olim. Quare? Quia crucem in ſpiritu uiderat figuratam à uirga Aaronis: & conſequenter crucē floridiſſimam, fructuoſiſſimam, in utroque habentem perſeuerantiam maximam. *Pſal. 18.*

¶ Vis cernere; quòd propheta crucem tunc præfiguratam uidit, & ſignificauit, à uirga Aaronis? Ecce. Quomodo vocat eam? Iudicia domini uera iuſtificata in ſemetipſa. Vide: quā aptè crucem ſignificauit eſſe uirgam Aaronis ab effectu præſenti. Quis fuit præſens effectus? Quòd per uirgam hanc manifeſtata ſunt iudicia domini uera. Nā ad hoc floruit: ut iudicia domini uera, cui nam. ſ. ſacerdotium ſummum daret, oſtēderentur. Et ideò uirga illa potuit appellari, tanquam per effectum iudicia domini uera: ſicut ab effectu Scipio nominatus eſt Africanus. Quòd ſi figura ſic nominari potuit: ergo &

figuratum. Crucem itaque Chriſti rectè uocat Dauid Iudicia domini uera. Sed quid eſt, quod ſequitur; ſcilicet iuſtificata in ſemetipſa? Eſt hoc ad denotandum: quomodo iudicia domini monſtrauit. Hæc enim uera domini iudicia monſtrauit: dum floruit, atque fructificauit. Vbi floruit? Vbi fructificauit? In ſemetipſa. Monſtrauit ergo in ſemetipſa: quòd iudicia domini, puta de ſacerdotio Aaroni dato, erant uera: & non à Moyſe, Aaroneque, conficta. Et hinc eſt, quòd ipſa iudicia domini monſtrauit iuſtificata. i. ab ipſo domino. i. approbata. Per quid? Per floritionem (ut diximus) in ſemetipſa. Floituram ergo fructificaturamque ſignificauit crucem Chriſti in ſemetipſa. i. in uirtute propria. Nec mirum. In ſemetipſa. n. Chriſtum ipſum continebat: cuius uirtute omnia fieri poſſunt, cùm in ſeipſo ſit omnipotens. Quando ergo per uirtutem Chriſti floret crux atque fructificat: tunc procul dubio floret in ſemetipſa atque fructificat. Crux quoque floritura dicta eſt ac fructificatura in ſemetipſa: quia in ſemetipſa (etiam ſi nulla alia inde floritio daretur, ac fructificatio) florem uerum, atque fructum, continere debebat. Verus flos quis eſt?
Cant. 4. Chriſtus, qui dixit, Ego flos cãpi, qui ideò dicitur uerus, quia eſſentialiter flos, id eſt pulchritudo eſt. Verus fructus quis eſt? Chriſtus, de quo dictum eſt B. Virgini, Benedictus fructus uẽtris tui: qui ideò dicitur uerus, quia ab omnibus antiquis huiuſmodi fructibus eſt præfiguratus. Hac floritione, hoc fructu, monſtrauit crux iudicia domini eſſe uera & iuſtificata. Quomodo?

¶ Dixerat dominus antiquis, quòd ſi quis ſi uellet Deo ſatisfacere (hoc habetur ſæpius in Exodo, ſeu Leuitico); debebat reddere ablatum ei, a quo abſtulerat. Hoc erat iudicium domini. Hoc iudicium tunc iuſtificatum eſſe apparuit; quando, non niſi per redditionem ablatæ rei, dominus nullis placari uolebat: & per redditionem placabatur. Tunc enim, iudicium illud eſſe uerum, ratumque; probabatur. Iudicium ergo Domini per crucem iuſtificatum eſſe oſtenſum eſt tunc: quando in cruce appoſitus eſt floridiſſimus fructus iam olim per furtũ ab Adamo à cruce. i. ab arbore ſublatus. Tunc enim Deus reſtitutus eſt fructus in arbore & incomparabiliter melior, quam materialis fructus ab Adã ex arbore furtum deceptus. Hoc autem iudicium uocatur iudicia in plurali: quoniam iudicium illud contra omnes, ſingulosque, homines procedebat. Vnde & fructus reſtitutus arbori, ſeu cruci, fructus uniuerſalis, flos uniuerſalis, Saluator uniuerſalis, dicitur. Floruit, ergo fructificauitque crux in ſemetipſa, quia ſuſtinuit in ſe ipſa Chriſtum, & hinc monſtrauit, iudicia domini eſſe iuſtificata.

¶ Cæterum quid eſt, quòd iſta iudicia domini uocantur deſiderabilia ſuper aurum? Quod crux Chriſti flores deſiderabiles germinatura erat. Vocata eſt igitur deſiderabilis propter flores producendos. Nonne deſiderabilis eſt doctrina Chriſti a Sanctis prædicata? Vtique: & in ſignũ huius ab Eſaia hanc pro omnibus deſiderante modo deſiderij expreſſiuo dictum eſt. Quam pulchri pedes Euangelizantium bona? Pulchritudo floribus ut plurimum tribuitur: ideòque in præmiſſa auctoritate Eſaiam de floritione crucis locutum diximus. Prædicatio autem Euangelij a uirtute crucis, tanquam ſuus flos, proceſſit: iuxta illud, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham (.ſ. per prædicationem inde naſcituram) ad meipſum.

¶ Quid eſt poſtmodum, quòd Dauid illa iudicia uocat dulciora ſuper mel: Quòd crux Chriſti fructus erat productura. Sicut enim pulchritudo floribus, ſic dulcedo fructibus, ſolet attribui. Sicut ergo per ly Deſiderabilia ſuper aurũ, deſignauit crucem flores parituram; ſic per ly Dulciora ſuper mel, ſignauit Crucem fructus progenituram. Ideò autem flores crucis antepoſuit deſiderio circa aurum, & fructus dulcedini circa mel: Vt ſe non de floribus aut fructibus materialibus, ſed
Vide. de ſpiritualibus, loqui inſinuaret. In materialibus nanque de lectabilibus aurum ſupereminet flori; & in materialibus dulcibus mel præeminet fructui: At in ſpiritualibus aliter eſt. Nam cùm ſpiritualia ſine comparatione naturalibus quibuslibet præſtent: flores ſpirituales ſunt ſuper aurũ naturale deſiderabiliores; & fructus ſpirituales ſuper mel materiale dulciores.

¶ Scis modò, quid ſibi uelit ly In cuſtodiendis illis retributio multa? Idem eſt, ac ſi dixiſſet pſalmiſta, quod in cuſtodienda cruce Chriſti retributio multa. Quare retributio multa? Quia retributio æterna. Retributio autem æterna: quia uirga in æternũ conſeruanda refertur in tabernaculum teſtimonij. Retributio igitur æterna: quia in æternum flores fructusque conſeruabuntur in uirga. Si enim floreret, & fructificaret, ſed in flore fructuque in æternum nõ perſeueraret: retributio quidem deſiderabilis eſſet atque dulcis, ſed non retributio multa, id eſt æterna.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) mihi abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Ergo crux iſta gloriam continet. Quam? Iam dictum eſt ſub figura. Flores continet, ac fructus, & hos æternò. Gloria hæc eſt: quoniam a ſtipite ſic ſicco iſta gigni non glorioſum modò, ſed miraculoſum, eſt. Vel ad ly (Euangelium) Tunc uidebunt ſignum filij hominis. Vel ad ly (Apocalypſis) ſignum Dei uiui. Signum uocatur crux filij hominis: quia ſignum expreſſum fuit ſacerdotij eius æterni, atque ſummi Sacerdotij quidem ſummi; quia per ſummam potentiam, quæ diuina eſt, floruit eum fructus æterni uerò, quia iſta floritio per potentiam æternam, quæ diuina eſt, conſeruatur æternò. Vel ad quæcunque gloriam crucis importantia.

Accipe ab eis uirgas, &c. Text.

Concl. 4. *Chriſtus in cruce ponendus erat aſſociandus latronibus crucifixis.* [Ex eo.]

Virgam Aaronis diximus ſignificare crucem Chriſti. Ratio.
Quid ergo uirgæ aliorum? Cruces latronũ. Alij enim iſti iudæi erant latrones, quia uolebant per tumultus ſuos concitatos ſurripere honorem ipſi Aaroni; hoc eſt ſummi ſacerdotij officium. Et uirgæ illorum igitur figurabant cruces aliorum cum Chriſto, & ipſi figurabant, quòd cruces aliorum erant latronum cruces. Quid ergo? Virga Aaronis dùm floret eſt cum alijs virgis: quia crux Chriſti floritura, locanda in tabernaculo teſtimonij, erat inter cruces latronum. Et ſicut uirgæ aliorum non floruerunt, licèt eſſent cum uirga Aaron: ita cruces aliæ non floruerunt fructuoſè, licèt eſſent cum cruce Chriſti. Sicut etiam ex aſſociatione cum alijs uirgis non ſtetit, quin virga Aaronis floreret: ita ex comitiua aliarum crucum, non ſtetit, quin crux Chriſti floreret.

APPENDIX.

Hinc habes, quòd figuratum uirgarum cum uirga Aaronis in tabernaculo teſtimonij poſitarum tunc impletum fuit, quando in monte caluario cum Chriſto crucifixi ſunt latrones. Mons enim Caluariæ gerebat locum tabernaculi teſtimonij: quoniam in ipſo (ut dixit Ieſus per ly Conſummatum eſt) omnia teſtificata à prophetis de Chriſto crucifixo adimpleta fuerunt. Secundò habes, quòd ex hoc facto iudæorum crucifigentium intentio fruſtrãda erat. 1
Intentio enim illorum peſſima ſic agentium hic figuratur: & nihilominus fruſtranda ſignificatur. Quæ erat intentio illorum: dum cruces aliorum cruci Chriſti aſſociarunt? Vide, quæ nam eſſet intentio illorum uirgas ſuas cum virga Aaronica ponentium; & illam, quam quæris, intentionem uidebis. Nam figura figuratum, tanquam a notioribus nobis, exprimit. Iudæi iſti antiqui cum uirga Aaronis poſuerunt ſuas, ut ex ſuis flos naſceretur, & fructus: ne Aaronis excellentia ſingularis præ alijs appareret. Nunquid ex hoc factum eſt, quod iſti uoluerunt? Non. Quare? Quia ex aſſociatione crucum aliarum cum cruce Chriſti nullus flos cũ fructu in alijs crucibus oriturus erat. Nec enim alijs crucibus facienda erat ſalus totius mundi: ſed a ſola cruce Chriſti. Torcular (inquit) calcaui ſolus. Quare? Quia licèt latrones cum ipſo crucifixi fuerint: tamen hunc floridum fructum, ſcilicet totius mundi ſalutem non portauerunt neque comportauerunt. Vide igitur quoad hoc fruſtratam fuiſſe intentionem iudæorum. Voluiſſent, & aliud iudæi ex crucifixione latronum; quod ſicut illorum paſſioni non tribuebatur ſalus fructifera orbis, ita nec tribueretur paſſioni Chriſti, & ita denigrare crucem Chriſti intendebant ex crucifixione latronum cum ipſo. Aut (loquebantur) omnibus crucibus aſcribetur, id eſt aſcribenda, ſalus: aut nulli; & ſic ex omni parte Ieſum crucifixum ex aſſociatione aliarum crucum denigrabimus quoad famam. Fecerunt iſti nouiſſimè ſicut probabile eſt feciſſe iudæos antiquos. Probabiliter. n. credimus: hos rebelles in aſſociando ſuas uirgas uirgæ Aaronis intendiſſe unum è duobus hoc; aut uidelicet deſideraſſe, nullam virgam florere, aut etiam ſuas unà cum uirga Aaronis. At neutrum eorum intentum factum eſt: quoniam neutrum eorum intentum in crucifigendo latrones cũ Chriſto ad effectum ducendum erat. Nam ſalus crucifixo uni, ſcilicet Chriſto, tribuenda erat non alijs. Et ne de hoc ambigeres

geretes futuro. Vide latronem unum ſalutem à Chriſto petere, & obtinere; alterum ſalutem ſibiipſi non poſſe dare confiteri. Cur omnia utrinſque hæc latronum verba ab Euangeliſtis narrata fuerunt: niſi ut ea ore latronum cognoſcant iudæi, intentum ſuum utrunque iam dictum fuiſſe caſſum. Verba enim latronis dextri crucem Chriſti florere fructificareque innuunt: Siniſtri uerò cruces latronum florere aut fructificare negant. Niſi enim dexter latro crucem Chriſti fructificare ſperaret; crucifixo Chriſto, vt in paradiſum, qui fructuũ locus eſt, reciperetur, non ſupplicaret: & niſi ſiniſter crucem propriam à fructibus vacuam conſpiceret, de ſalute non deſperaret. Vides quàm citò, quàm de propinquo, quam fortiſſimo argumento, probatum eſt; quod iudæorum utrunque intentum in cõcrucifigendis latronibus fruſtratum eſt.

¶ Quemadmodum etiam uirgas aliorum aſſociatas diximus uirgæ Aaronicæ, ut in comparatione earum glorioſior appareret uirga Aaronis, & effectus huius miraculoſior cunctis oſtenderetur: ſic cruces latronum cruci Chriſti aſſociatas voluit eſſe Deus, vt indè glorioſior appareret cunctis, & miraculoſior, fructus crucis Chriſti. Et ita factum eſt. Quo modo enim glorioſior apparere potuit: quam ea conceſſione, comparationeque, latronum? Intentum igitur Dei ea ipſarum crucum aſſociatione noſtrum adimpletum eſt: ſicut iudæorum caſſatum. Ea propter dicitur in litera iſta: quòd Deus mandauit etiam de uirgis aliorum, quod ponerentur in conſortium uirgæ Aaronicæ. Mandatum Dei hoc, ſi quando includat culpam, tunc ea illa parte mandatum dicit ſolum permiſſionem; ideſt mandare exponitur pro permittere. Si illud mandauit: ergo per mandatum aliquid intendit. Si aliquid per hanc aſſociationem intendit: ergo bonum erat illud aliquid. Si bonũ: ergo contra iudæorum intentum. Si contra: ergo cum iudæorum fuerit aduerſus gloriam Chriſti, Dei fuit pro gloria Chriſti. Si iudęorum caſſatum eſt, & Dei adimpletum: ergo gloria Chriſti ea aſſociatione illa augmentata eſt, non diminuta. Si augmentata, non diminuta, indè: ergo iudæi dupliciter contra ſemetipſos, ignari tamen, machinati ſunt, dùm aſſociationem illam procurauerunt. Si gloria Chriſti indè augmentata eſt, non diminuta: ergo iudæi, ſi hoc cognouiſſet (vt ait Apoſtolus,) nunquam dominum gloriæ cum latronibus crucifixiſſent. Acuerunt ergo iudæi contra ſe manus. Nec mirum. Nam inuidia, qua contra Aaronem ſacerdotem ſummum laborabant, tenebat oculos eorum, nè uerum indè ſecuturũ viderent: & appetiebat oculos eorum, vt falſum non ſecuturum indè ſecuturum æſtimarent.

¶ Applica ad ly (Euangelium) & cum eo crucifixerunt alios duos. Declara intentionem illorum iudæorum in tali facto ex intentione aſſociantium virgas cum virga Aaronis; & caſſam dupliciter (vt ſupra) illam oſtende. Declara ſimul & intentionem Dei in tali negocio: atque ipſam (vt ſupra) ad ſummum impletam demonſtrat. Figuram facias entrere cũ figurato: & vnũ ea alio (vt ſemper facere, alibi etiam, debes) manifeſtare ſatagito.

Text. **INuenit germinaſſe virgã Aaron, &c.**
Concl. 5. *Tribulationes non nobis proſunt, niſi quæ pro Chriſto perferuntur.* [Ex eo.]

Ratio. VIDE. Duodecim ſunt uirgæ: nulla illarũ, niſi ſolius Aaron, germinat in flores fructuoſos. Quare? Quia non niſi tribulationes Chriſti, pro Chriſto ſcilicet portatę, fructum faciũt vtilem nobis. Flores quidẽ facient forſan apud hoẽs illum tribulatum de patientia, uel de huiuſmodi, laudantes: at fructum ipſis tribulatis utilem non afferent unquam, niſi pro Chriſti amore cruces illę ſuſtineantur. Flores quoque illi tunc erunt ab hominibus conficti, non ueri; quoniam charitate, quæ floribus germinandis humorem miniſtrat, tales tribulati non pro Chriſto, priuantur. Non ergo flores veros producit crux pro aliquo alio reſpectu (vt aiunt) portata: quàm pro Chriſto.

EXAMEN DE TRIBVLATIONE.

AARONIS virgam in miranda pullulaſſe conſpicis. Primò namque germinauit; Secundò folia produxit; Tertiò folia dilatauit; Quartò flores emiſit; Quintò fructus attulit; Sextò in omnibus his perſeuerauit (ob hoc repoſitam illam in tabernaculo memorare); Septimò in Dei tabernaculo hæc omnia fecit. Quid hic undique aduertis ad concluſionis propoſitum? Quod multæ ſunt tribulationum utilitates nobis allatæ, ſi propter Chriſtum, qui p Aaronẽ figuratur, ſuſtineamus illas. Nam ſi non ſuſtines propter Chriſtum; tribulatio tua eſt uirga, ſed non uirga Aaronis. Quid affert tribulatio pro Chriſto portata? Primò germinat. Quid germinat? Patientiã, humilitatem, ad alios compaſſionem, ſui ipſius de propria utilitate cognitionem, & alia ſimilia. Si germinat: ergo virtutem prius germinandi à Deo recepit. Quæ eſt illa germinandi virtus? Humor radicalis. i. Charitas a Deo infuſa. Secundò folia producit in te tribulatio pro Chriſto. Quid ſunt folia? Scientiam, ut alios de talibus tribulatos conſolari ſcias. Sicut enim qui non tentatur, ferè nihil ſcit pro efficaciter conſolandis afflictis, ita qui tentatur, contra tentationes uiriliter pugnãdo, multa ſcit, ad conſolandum efficaciter afflictos. Vndè eſt: quandoq; ꝙ aliquos uidebis conceptibus, uerbisque, abundare ad afflictorum conſolandos animos; aliquos autem penè elingues in tali negocio? Quia iſti tribulationes experti non ſunt, aut parũ ſunt, illi uero econtrario ſe habuerunt. Iſti ergo ſpeculatiuè loquũtur, ſi loquuntur, illi practicè. Et quid in primo metaphiſicæ legis? Quod expertus in ſanãdo ægrotos magis proficit, quam ſpeculatiuus. Ad tertiũ igitur ſupradictorũ te attigiſſe uides, ad dilationẽ. ſ. foliorum. Nam uerba ſancta ad conſolandum ſunt folia a Deo ipſi iam tribulato donata, & iſta dilatantur; quando in proximorum afflictorum ſalutem multiplicantur abundè, ac ea animo cum quadã cordis dilatatione à conſolante proferuntur. Quartũ poſtea ſequitur, florum ſ. emiſſio. Quid eſt flos? eſt odorẽ ſpargens. Quid odor? Fama apud alios. Talis ergo tribulatus ex bonis, quæ & in ſeipſo per uirtutum germinationem, & in proximo per foliorum dilatatam productionem, fecit; famam bonam in populis acquirit. De qua fama dicit Apoſtolus, Bonus odor Chriſti ſumus. Et ita per famam incipit eſſe fructuoſus in proximis, qui magis mouentur exemplis quam uerbis. Vis uidere hoc? Tribulatus hic per folia produxit flores; & per flores producit fructus. Nonnè pluris ſunt fructus, quam flores? Modò folia erant verba: & flores facta, ea quibus fama ſurrexit. Vel aliter. Folia ſequuntur flores: quia ad conſolatoria verba iam tribulati hominis ſequitur in nunc tribulato, quem conſolatur, quædam circa tribulationes dilectionis ſupportatio; adeò ut iam tribulationes, quæ prius huic ſpinæ videbantur nociuæ, nunc ob verba audita flores per odorem ſuum confortantes appareant. Hinc ſequuntur poſtea fructus in illo: quoniam de tribulationibus acceptis incipit laudare Deum, & in bonum proficere magis de die in diem, quouſq; ad maturitatem fructuum ſuorum perueniat, ideſt ad bonorum operum finalem conſummationem. Vides ergo: quod talis primus pro Deo tribulatus ex tertio peruenit ad quartum, & quintum, & ſextum. Nam ea foliorum dilatatione ad florum emiſſionem, & hinc ad fructuum productionem, & hinc ad in fructibus perſeuerantiam uenit, vt ex ſupradictis lector prudens & intelligens cognoſcere poteſt. Septimò tandem, ſe à Deo vniuerſa hæc dona habuiſſe cognoſcit. Vnde fit: nè in illis iam dictis, ſed in Domino ſolum glorietur, & Dominum ſolum ſuæ mentis arbitrum, non alium quem libet, conſtituat; & Dominum ſolum, nullumq; alium in his donis cognoſcat. Nam tribulatus, ceu virga, cum intra tabernaculum exiſtat; non mirum eſt, ꝙ alia extra Deũ faciliter non cognoſcat: cum tabernaculum (ut patet) viſum prohibeat, nè extra tabernaculum poſita faciliter videat ille, qui intra tabernaculum conſiſtit.

¶ Ecce quanta bona facit tribulatio pro Chriſto portata: & ad quantam perfectionem ducit tribulatum illum, tum in ſeipſo, tum in proximo, tum in Deo. In ſeipſo per germinationem uirtutum, & productionem florum pro tribulatis utilium; ideſt per productionem conceptuum monſtrãtiũ, quomodo in tribulatione ſe debet quis habere. Et ſic dùm tribulatur ſcientiam iſtam altiſſimam addiſcit; & virtutes prædictas germinat. Quid ergo? Dum tribulatur: & quo ad intellectum, & quoad voluntatem proficitur. In proximo per foliorum dilatationem, & fructuum productionem. In Deo; per ipſius ſolius cognitionem, & conſequenter ipſius ſolius amorem. Viuens igitur, pro Chriſti amore tribulatus in corpore, iam incipit eſſe in patria cœleſti: quoniam in cœlo ſolus Deus cognitio cuiuſque & amor eſt; & iſte tribulatus perfectionem hanc, etiam in terra conſiſtens, guſtare aliquomodo incipit. Quàm pulchra igitur, quam delectabilis, quàm mirabilis, quam fructuoſa, quàm florida, quàm fron-

doſa quanta bonitate ſpectabilis, eſt iſta virga Aaron? Omnibus bonis autem prædictis carent aliæ virgæ: & omnibus malis oppoſitis repletæ ſunt. Sonte tribulatus non pro Chriſto, ibi nec germinationem virtutum, nec emiſſionem florum, nec iſtorum dilatationem, nec fructuum generationem, nec utrorumque conſeruationem, nec ſolius Dei cognitionem affectiuam, comperies. Imò Quid? Vitiorum in profundum radicationem (Huius contrarium erat germinatio: cùm fiat in ſuperius) malorum cogitatuum conceptionem, ipſorum cogitatuum ſcandaloſam eructuationem, fructuũ malorum in proximis ſcandalizatis propagationem, in malis obſtinationem, Dei omnimodam obliuionem: vt de ipſo tandem dictum à pſalmiſta fuiſſe intelligas, Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hoc eſt. Virgam Aaronis figurati inter omnes virgas eligat: atque teneat. Si tolleret crucem acciperet quidem virgam: ſed ſi non ſequeretur me (ideſt amore mei illam non tolleret atque portaret) virgam Aaronis non haberet; ſed vnam ex aliis. Per illa ergo verba Chriſtus ad multiplicem præmiſſam vtilitatem virgæ inuitat: & virgam à nobis ſumptam vult modis pluribus ornare. Cogita quomodo illi rubore perfuſi remanſerunt; quando ſuas uirgas ſine honore receperunt. Et tu hæc cogitans, ruborem tibi ex virga tua aduenturum maiorem ne ambigas: ſi hanc tollens nõ ſequaris Ieſum. Sperarunt iſti, quòd ſua floreret, germinaret &c. & deluſi ſunt. Quare decepti ſunt? Quia uirga ſua non erat uirga Aaron, quæ ſola germinat, &c. ſperant & multi, quòd tribulationes ſuæ ſibi hic germinent vitalia multa, & in futuro vitam æternam conſeruent: & decipientur. Quare? Quia illorum tribulationes non ſunt Aaronis virga, ideſt non pro Chriſto perferuntur. Vel ad ly &c.

Text. QVas cùm poſuiſſet coram Domino in tabernaculo teſtimonij, ſequẽti die inuenit germinaſſe virgã &c.

Concl. 6. *Si homo uult in ſpiritualibus proficere, debet ſeipſum ab omnibus exterioribus ſeiungere; & quantum poteſt, Deo coniungi, ideſt Deum præ oculis ſemper habere.* [Ex eo.]

Ratio. QVID eſt; quod uirga Aaron, quæ floritura ab æterno ordinata eſt, non germinat in flores, niſi coram Domino in tabernaculo teſtimonij reponatur? Et ultrà hoc in floritione ſua durare non poteſt; niſi in ipſo tabernaculo permaneat? Ad hoc enim ibidenuò refertur: quaſi quòd extra illud tabernaculum in tali ornatu perſiſtere non poſſet. Hæc duo quid ſibi volunt? Docere volunt id: quod nunc in documento per concluſionẽ ſumimus. Quomodo? Audi. Homo arbor appellatur, quamuis inuerſa. Vnde dicebat quidam cœcus a Chriſto illuminatus: Video homines, quaſi arbores, ambulantes. Hinc in ſcriptura legis de homine: quòd uirga Ieſſe floruit. Virga enim de qua materia fit? De arbore. Dicens ergo, virgam Ieſſè floruiſſe, hominem ſignificauit ex homine procreatũ floruiſſe. Eſt igitur homo & arbor, & uirga: præſertim cùm homines omnes, Chriſto dempto, fiant ex hominibus. Si vult igitur homo germinare in flores, ac alia bona ſpiritus: quid ſibi faciendum eſt? Si vult, in bonis ſpiritus habitis perſeurare uſque in finem: quid ſibi agendum eſt? Figuram lege: & figuratum hominem, quomodo ad hæc facienda procedere debeat intueberis. Ecce figura: virga Aaron germinat flores, &c. ſed prius in tabernaculo teſtimonij locatur. Virga iſta in illa ſua germinatione perdurat: ſed nõ niſi in tabernaculo repoſita. Ad figuratum applica. Homo in tabernaculo illo reponatur, germinabit: in tabernaculo illo perſeueret, in germine conſeruabitur. A contrariò ergo ſenſu: ponatur extra tabernaculum: nec ibi germinabit, nec in germine conſeruabitur. Non enim ſine cauſa fiunt omnia in tabernaculo, & floritio ſcilicet & Conſeruatio. Quid eſt tabernaculum teſtimonij? Eſt tabernaculum: Et eſt teſtimonij. Quatenus tabernaculum, dicit ſocioſecorum exclusionem, & quietam ſuimet in tabernaculo habitantis incluſionem. Quatenus teſtimonij, dicit Dei locutionem, Dei legem, Dei inſtructionem, Dei commemorationem: quæ omnia in teſtamento diuino ad Iſraelitas includuntur. Non tantum autem & tabernaculum eſt, & teſtimonij eſt, ſed etiam coram Domino eſt. Quatenus ergo coram Domino, dicit præſentiam diuinam, apparentiam diuinam, timorem diuinum.

APPLICATIO AVREA.

SIT igitur homo in tabernaculo teſtimonij coram Domino: & tunc mirabilia circa fructificationem faciet. Sit extra illud: & tunc non tantum non illa faciet; ſed etiam, ſi illa habuerit, perdet. In tabernaculo autem tunc reponetur homo: quando ab exterioribus claudetur, quando in interioribus claudetur; quando exteriora dimittet, quando interna accipiet; quando extra ſe exiſtens nihil curabit; quando intra ſe exiſtens quodcunque magno ſtudio conſiderabit; quando prudentiam, quæ in extrinſecis à mundo haberi ſolet, ad intrinſeca curanda tota ſua uirtute pertrahet; quando exteriora in odium ſanctum, quando interiora in guſtum diuinum, permutabit. Tunc incipiet eſſe hic homo in via germinandi. At non id faciliter, ſcilicet germinare, aſſequetur: niſi ly Teſtimonium, tabernaculo iungat. In tabernaculo ſic, vt diximus, faciendo poſitus eſt: ſed nondum in teſtimonij tabernaculo. Attende: ut & in teſtimonij collocetur. Tunc ergo in teſtimonium (ex ſupradictis) ponitur; cùm Deo per orationes ſecretas loquitur; cùm Dei legem meditatur; cùm a Deo inſtitui uehementi deſiderio concupiſcit; cùm diuinorum omnium beneficiorum medullitus recordationem facit; cùm diuinorum mandatorum memoriam renouat; cùm præmiorum promiſſionem a Deo factam illa ſeruantibus recolit; cùm pœnarum contra non ſeruantes illa comminatarum reminiſcitur. Tunc homo magis ad ornatum virgę ſuæ per germinationem prædictam ſecundum appropinquat. Sed, ut ad plenum omnem illam germinationem & faciat, & conſeruet: ly coram Domino iungat tabernaculo teſtimonij. Coram Domino ergo (ex ſupradictis) erit tunc: quando Deum ſibi præſentem ſemper ſtatuet; quando Deum continuè ſua ipſius hominis conſiderantem ſine ulla exceptione videbit; quando Deum omnia ſua, tùm bona, tùm mala diſtrictè appenſurum conſiderabit ex intimis; quando Deum ſibi mortem incertiſſimam præcipiſſe cernet; quando tempus ſibi à Deo indultum eſſe pluſquam breuiſſimum conſpiciet; quando Deum iudicem ſuum ſemper ſua quæque numerantẽ intelliget; quã do tẽpus mortis ſibi ſemper imminens timebit; Et alia huiuſmodi Dei potentiam, præſentiã, timorem, amorẽque, importantia, ob oculos mentales nunquam non ſibi ipſi figere ſummo conatu ſtudebit. Tunc, tunc, iſte homo & in tabernaculo & teſtimonij, & coram Domino, iam poſitus eſt: conſequenter dubium nulli quin germinans germinet, ac in ſua viuaciſſima germinatione (quandiu in illo tabernaculo ſic ſteterit) conſeruabitur. De oppoſitis ſupradictorum ſingillatim dic, & ex his infer, oppoſita.

NOTATIO.

PRædictam ob rationem ſanctarum ſcripturarum ſabindè monitiones audimus; quæ nos ad ſolitarium eſſe hortantur; & ab exterioribus occupationibus auocant. Ob id ſolitarios homines magnoperè laudant omnes ſancti, ſiuè in voce, ſiuè in ſcriptis: & uagos homines, ad exterioraque profuſos uituperare nõ ceſſant. Quid in his omnibus cernis? niſi quòd virgam reponi uellent in tabernaculo teſtimonij, coram Domino; & conſequenter flores fructuſque cum perſeuerantia finali germinare? Maximè verò prædictæ exhortationes intelligẽdæ ſunt de monachis, clericis, & puellis. Vnde concilium Maguntiacum cano. 20. Monaſterium ita debet, conſtitui, ut omnia neceſſaria intra monaſteriũ exerceantur: vt non ſit neceſſitas monachis, vel clericis, vel puellis, vagandi foras; quia OMNINO NON EXPEDIT ANIMABVS EORVM. Hæc ibi. Quod & cano. 22. clericos vagos dicit eſſe hipocentauris ſimiles, qui nec equi ſunt, nec homines. Sed & Concilium Nicęnum & Papa Eugenius dicunt; quod monachus extra cellam eſt, ſicut piſcis extra aquam. Hoc recitatur in Decreto. 16. q. 1. c. placuit 1. de Concilio Nic. & cap. placuit 2. de Eugenio. De uita contemplatiua uide. S. Tho. 2. 2. q. 180. 182. ar. &c. De ſolitaria uide eund. ibid. 188. ar. 8.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Optimam partem elegit ſibi Maria. Quare? Quia elegit in intimis commorari, & in exterioribus non occupari. Vel ad ly (Euangelium) Non poterat uidere Ieſum Zachęus prę turba. Vides hic: Virgam non poſſe germinare cognitionem Chriſti. Quare? Quia eſt in turba. O utinam eſſet in tabernaculo teſtimonij coram domino. Eſ-

ſe

ſe igitur in turba (in propoſito) eſt eſſe extra tabernaculum teſtimonij. Vel ad ly (Euangelium) Videns Ieſus turbas aſcendit in montem. Præbet hic exemplum: ut nos remoueamus noſmetipſos ab eſſe extra tabernaculum (quamuis ipſe non propter ſe faciat: cùm ſemper eſſet comprehenſor, ubilibet inueniretur): & ad tabernaculum, pro intelligenda diuina lege ingrediamur. De eſſe intra tabernaculum, & extra; uide ſupra, notation. aut. Vel applica ad ſimilia: quæcunque ſolitudinem ſonant.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XVIII.

Text. DIxitque dominus ad Aaron. Tu & filij tui & domus patris tui portabitis iniquitatem ſanctuarij, &c. peccata ſacerdotij veſtri.

Concl. 1. *Onus maximum annectitur honori maximo.* [Ex eo.]

Ratio. NON ſine cauſa mox poſt publicam approbationem vocationis diuinæ ad ſacerdotium, qua Aaron ad ſummum ſacerdotij gradum electus eſt, narratur: quòd dominus Aaroni mõſtrauit quanta pro populo portaturus eſſet peccata; quantas vigilias circa diuina facturus; quãta pericula mortis & ſui & aliorum, niſi caueret ſolicitè, incurſurus. Hoc enim fecit dominus, vt oſtendat nullum honorem ſine onere in hac vita reperiri; imò honorem omnem oneri proportionaliter pariſicari. Habet igitur Aaron per præcedentia honorem ſuper populum totum: habet per præſentia onus præ populo toto, & pro populo toto. Cui igitur populo præfertur in dignitate; ei ſubijcitur in ſeruitute, & quem ſibi inferiorem uidet honoribus, eum ſe leuiorem cernit oneribus. Populi nanque peccata ſuſtinere, excubias ſuſtinere, mortis pericula ferè toties adire, non populo huic, ſed ipſi Aaroni incumbit.

APPENDIX.

1 HInc habes, quòd Deus noſtro ex capite ambitionem per antedicta fugare uoluit. Idcircò enim nobis onus maximum annecti honori maximo demonſtrauit, ut ex uiſo onere illo mitigaretur in nobis ſitis ad honorem iſtum. Et quia per hæc (a ſimili) oſtendere uoluit, onus ad honorem

2 quemlibet ſubſequi: idcircò animum noſtrum ad omnem honorem per hoc ſatagebat reddi frigidum. Secundò habes quòd Deus ſuperbiã a prælatis tollere per iſta uerba uoluit. Quomodo enim (inquiebat intra ſe) ſuperbient (niſi protſus deſipiant): qui ſe in tantorum periculorum medio conſtitutos eſſe conſpicient? Et uerè ſic eſt. Quemadmodum enim ex onere uiſo (ſi diligenter, vt ad ſe annexos, uideatur) refrigeſcit

3 in hominibus ambitio: ita ex periculis pariformiter uiſis temittitur ſuperbiæ tumor. Tertiò habes, quòd Deus in hoc deſignauit ſe diligere: quòd humilitas ſemper ſit coniuncta ipſi prælato. Ad hunc enim finem pericula prælato monſtrat; vt ſuam inde humilitatem adipiſcatur: Et ſic alios per præla

4 tionem ſolicitam ſaluet; quod ſumet, per cognitionem humillimam ſui, non obliuiſcatur. Quartò habes; quòd Deus per prælatum ſalutem duobus dare quantum eſt de ſe, intendit: vnam populo toti, aliã ipſi prælationem habenti. Primam per poteſtatem naneiſci prælatum, cupit: Secundam per

5 propriam humilitatem. Quintò habes, quòd prelatum vult Deus eſſe miſericordem, atque compaſſiuum ſibi ſubditis. Ex periculis enim proprijs, & miſerijs, compaſſione ceteris habere diſcimus; atque ad illam faciliter, ſuauiterque diſponimur. Hoc Apoſtolus docuit, dum de Chriſto miſericordiſſimo dixit: quòd multas paſſiones ſubijt, ut miſericors fieret.

6 Alioquin ſi ſola prælatis occurrat poteſtas habita: erga infirmantes compaſſione ulla uix mouebuntur. Sextò habes; quòd Deus voluit per hoc; quòd ſubditi orarent pro prælatis ſuis, & illis compaterentur. Nam in periculo aliquo poſitus naturaliter ſolemus compati; eoſque, quantum poſſumus, iuuare; & ſi aliter non poſſumus, ad orationes pro ipſis conuerti, ut à Deo iuuentur. Tantò autem magis uult Deus id a ſubditis erga prælatos totum fieri: quanto magis prælatis obligantur per hoc, quòd ab ipſis per poteſtatem reguntur. Vnde, ſi periret bonus prælatus, iactura ueniret ſubditis. Quia igitur ſubditi & ſunt homines naturaliter compaſſiui, & ſunt prælatis multipliciter obligati, & damnum proprium in ſuorum per prælati carentiam timere debent: ideò ſubditos pro prælatis ore ad orationes Deus inſtigare intendit; dũ

7 prælatorum pericula narrat. Septimò habes: quòd Deus uult, quòd prælatus ſemper mandata ſua cuſtodiat. Quia enim in periculis, & his maximis, eum eſſe monſtrauit: ideò illi Deum eſſe multò neceſſarium per hoc intimauit. Quia uerò amicis magis ſubuenturum Deum quiſque naturaliter nouit, quàm inimicis: ideò per hoc prælato notificauit, quòd Deo amicus eſſe ſatagere debet. Amicitia verò non niſi per mandatorum cuſtodiam cum Deo ſeruatur: ea conſequenti per hoc mandatorum cuſtodiam prælato multùm præ alijs eſſe neceſſariam indicauit. Quando ergo pericula maxima prælato imminẽtia declarat, tunc prælatum ad ſuorum præceptorum cuſtodiam inuitat,

8 & quaſi neceſſitat. Octauò habes, quòd cum prælatura debet eſſe annexa ſanctitas. Cum maiori ergo prælatura maior; cum maxima maxima. Hinc uocamus Papam ſanctum, dicendo, veſtra ſanctitas: quia Papa eſt maximus omniũ Prælatorum. Vnde ſanctitatem illi pro titulo aſcribentes, non tantùm officium ſanctiſſimum illi datum diuinitùs denotamus, & honoramus: ſed etiam ſanctitatem maximam illi, utpote prælato maximo, ineſſe debere ſignificamus. Non hinc trahimus tamẽ, quòd alijs prælatis nõ debeat ſanctitas ineſſe: ſed hoc relinquendo clarum ex primi analogati denominatione, anthonomatica locutione, ſic eum uocandum, vtimur.

NOTATIO.

OMNIA illa bona hinc elicita ex textu (ut audiuimus) fundãtur in hoc: quòd pericula voluit Deus eſſe nota hominum in dignitate conſtitutum. Aduerte igitur, hinc ſequi hoc, quòd ſi homo huiuſmodi periculorum ſit conſiderator uerus, ut Deus intendebat; tunc ambitione, ſuperbia, crudelitate, iniquitate, faciliter carebit. Sin autem huiuſmodi periculorum non ſit talis contemplator, in ambitionem, ſuperbiam, in crudelitatem, iniquitatem, faciliter corruet. Conſideratio itaque periculorum illorum bona multa affert, multaque mala impedit: cuius cõtraria inconſideratio illorum cauſat. Fœlix igitur conſideratio periculorum. Ideò ea pericula ſæpius inculcat Deus utpote ſupra in Exodo, & hic: quò illa præ mente habere ſtudeant prælati. Quidni fœlicem eam cõſiderationem dixerim? Quandoquidem ſic conſiderando & pericula ipſa uitant; & inſuper ſtatum multorum bonorum adipiſcũtur. Infœlix igitur periculorum iſtorum inconſideratio: quandoquidem iſta eſt uia cadendi in pericula, & multorum bonorum impedimentum, multorumque malorum apertio.

EXAMEN I.

VIDE quantitatem periculorum ex textu. Tu (inquit) & filij tui, & domus patris tui portabitis iniquitatẽ ſanctuarij; & tu & filij tui ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotij veſtri. Ex additione filiorum & domus patris, augeri periculum: quis non uideat? Minus enim periculi eſſet ſi vnus tantùm periclitaretur, quàm tota domus ſimul. Rurſum. Filij quia ita putantur quaſi pater, & domus familiaris quaſi habitator; ideò periculũ hoc totũ uerti in caput ſummi ſacerdotis, his uerbis fuiſſe ſignificatũ, conſpice. Quaſi dictũ ſit. Tu ſumme ſacerdos portabis onera, et grauaberis nõ tñ ex hoc, quòd tibi periculũ imminet: ſed ẽt ex hoc, quòd filijs tuis, domuiq; patris tui. Ad deſignandum ergo grauamen magnum ſummi ſacerdotis iuncti ſunt filij, & patris domus, ut quod per unum ſacerdotem exprimi non poterat, per multos ſacerdoti annexos expreſſum intelligatur. Onus igitur magnum hoc eſſe, plusq̃ ab uno portari poſſit, in uerbis illis declaratum fuit. Aliud hic aduerte, quòd per illa uerba intimatum eſt; quod peccatum ſacerdotis, ſiue imprudentia circa officium ſuum, in ſibi propinquos etiam extendetur. Sacerdotem ergo malum totius familiæ ſuæ ruinam exiſtere ſignificatum eſt hic. Ergo

ab

(ab oppoſitis) ſacerdotem bonum familiæ ſuæ totius exiſtere ſalutem. Non ergo familiares deberent ſacerdoti ſuadere, ut Eccleſiam diſſiparet per facultatum illius ditationem in propinquos: ſed deberent ſacerdotem ipſum ſemper animare, ut ſuam Eccleſiam modo conuenienti pertractaret. Hinc enim eſt (ut trahitur ex ly Tu, & filij tui, & domus patris tui): quòd multi domeſtici Eccleſiaſticorum ſæpè poſt illorum mortem in miſeriam decidunt. Quare? Quia Aaronis culpa transfundenda hic ſignificatur in propinquos per pœnam. Et meritò. Nam (ultra rationem in principio dictam) propinqui aliquomodo dignitatem ſui ſummi ſacerdotis, gaudium ſcilicet ſpeciale participant: & ideo, quia onus ſequitur ad quemlibet honorem, iure optimo onus ſui ſacerdotis communi quaſi hæreditate cum illo habent. Omnia ergo ſic correſpondent ad inuicem.

EXAMEN II.

IN littera ex hoc, quod dicitur iniquitas ſanctuarii, & peccata ſacerdotij ueſtri, nè credideris: quòd ſanctuarium habeat iniquitates, aut ſacerdotium peccata. Quomodo enim ſanctuarium perſeuerabit, quoad eſſe ſanctuarium, & ſacerdotiũ, quoad eſſe ſacerdotium: ſi ſanctuarium iniquitates, & ſacerdotium peccata habeat? Sed dicitur ſanctuarium habere iniquitates; quia hoſtiæ pro iniquitatibus offeruntur in ſanctuario. Similiter ſacerdotium habere peccata dicitur peccata dicitur, quia per ſacerdotes offeruntur hoſtiæ pro peccato. Quoties audiſti ſupra: quòd ſacerdos orabit pro peccato populi, uel pro peccatore; & illi peccatori dimittetur peccatum? Sacerdos ergo portat peccatum, inquantũ, pro peccatore facit Deo oblationem, & dimittitur peccatum. Portat ergo dupliciter peccatum alterius: & inquantum portat illud ante Deum, & inquantum illud a peccatore tollit uirtute illius portationis ante Deum. Quoniam autem ſacerdos, & ſacerdotium ad inuicem ſymboleitatem habent: ideò ſicut peccata populi attribuuntur ſacerdoti modo prædicto, ita quoq; modo illo attribui poſſunt ſacerdotio. Non igitur ex hoc inferendum eſt, aliquid mali eſſe in ſacerdotio; ſicut neque ex hoc inferimus, quòd aliquid peccati ſit in ſacerdote: imò ex hoc inferendum rectè eſt, quòd in utroque ſit aliquid eminentis boni. Bonum enim eminens, non tantum bonum eſt in ſeipſo: ſed etiam bonitatem in alia transfundit, ſaltem per hoc, ꝙ aliorum peccata auferre aliquo modo poteſt. Quod autem dico de ſacerdotio, & ſacerdote, idem intelligas dictum de ſanctuario. Non itaque minus ſanctum dicitur ſanctuarium ex hoc, ꝙ iniquitates illi hoc modo aſcribuntur: imò magis ex hoc ſanctum redditur. Nam illud, quod non tantum in ſeipſo maculam ſanctitati contrariam non includit; ſed etiam maculas aliorũ tales abſtergit, magis ſanctũ eſt: quam illud, quod in ſeipſo tantùm ſanctitatem ſuo modo dicit. Eſt igitur hoc ſimile ei, quod de Chriſto ſummo ſacerdote dictum legimus: quòd ſcilicet pater poſuit ſuper eum iniquitates omnium noſtrũ. Nunquid ex hoc infers: ꝙ pater fecit, ſuũ filium peccatorẽ eſſe? Abſit. Sed infers: ꝙ pater voluit, filium ſuum portare pœnas omnium peccatorum noſtrorum. Igitur ex hoc infers: ꝙ pater uoluit, Chriſtum filium ſuum eſſe cauſam noſtræ perfectionis, & ablationis noſtræ miſeriæ. Nam ex eo, quòd tulit penas pro noſtris peccatis, factũ eſt: Vt noſtra à nobis auferret crimina (quæ maxima miſeria ſunt), & nobis conferret gratiá (quæ maxima fœlicitas eſt). Hoc ergo de Chriſto futurum præfiguratum eſt tunc, qñ dictũ eſt de antiquo ſacerdote; ꝙ orabit pro alterius delicto, & dimittetur ei. Gratiã igit illi obtinebat ſacerdos figuralis (licèt nõ præcisè uirtute ſua) & peccata ab eo tollebat: aũt Chriſtus, qa figuratum plus ſupra figurã hẽt, gſam peccatoribus uerè ꝓmeruit offerẽdo ſeipsũ ꝓ nobis, & peccata ꝯñ à nobis virtute ſua tulit. Igit ſicut ꝑ illa, q̃ diximus, ſanctuario aſcribebantur iniquitates; & ſacerdotio peccata: ita Chriſto & iniquitates aſcriptas

Pſal. 21. fuiſſe legis, & peccata. Peccata enim ſua dicit Chriſtus in pſalmo (lõgè a ſalute mea verba delictorum meorum) quoniam peccata noſtra, penam illorum ſuſtinendo, à nobisque illa tollendo, nobisque pro peccatorum deletione, gratiam promerendo, portauit. Hoc eſt: quod in præſenti loco, quando ad Aaron fit ſermo de peccatis dicitur: Vos portabitis iniquitates, & ſuſtinebitis peccata. Portare, & ſuſtinere ſunt verba fatigationem ſonantia; non delectationem. Conſequenter ergo pœnas important peccatis, iniquitatibusque debitas: non ipſa formaliter peccata, & iniquitates. Nã de rõne peccati eſt, quod ſit ſm ſenſualẽ appetitũ delectabile: de ratione aũt pœnę eſt, quod ſit laborioſa. Tantò autẽ magis firmat expoſitio ſupradicta de peccatis ſanctuarij & ſacerdotij: quantò nec ſacerdotium nec ſanctuariũ ſunt culpæ ſuſceptibilia. Vnde ſi littera loqueretur de peccatis, vt culpam dicunt; tunc diceret iniquitates miniſtrorum ſanctuarij, aut ſacerdotij. Nunc ergo cùm illas iniquitates attribuat ſanctuario, ac ſacerdotio, patet: quod de ipſis iniquitatibus ut culpam ſonant non intelligit; ſed de ipſis, ut prædictum eſt. Ex hoc quoque, quòd nullas iniquitates excipit, quas non portandas dicat ab Aaron, elicias, quod Aaron erat uniuerſalis, pro populo tamẽ Iſraelitico ſolo, figuralis propitiator pro iniquitatibus. Ergo Chriſtum vniuerſalem abſolutè pro omnibus populis propitiatorem figurauit in his uerbis littera. Sed adiungit filios Aaron ad portandum iniquitates illas, quia figura eſt minus figurato: cum Chriſto nullus hominum ad portandas iniquitates adiunctus fuerit.

¶ Vltra expoſitiones quoque prædictas aduerte: quod iniquitates ſacerdotij, & ſanctuarij, dici poſſunt illa errata, quæ circa ſacerdotium adminiſtrandum occurrere poſſunt. Et quia de erratis circa adminiſtrationem ſanctuarij, ac ſacerdotij factis tùm Aaron tùm alij miniſtri tenebantur: Ideircò delicta non ſolum populi, ſed etiam ſacerdotij ac ſanctuarii dicuntur portare debere. Maximum onus ergo in dignitate poſitorum eſt: quoniam non multitudinis omnis (ut dicebamus) ſolum, ſed etiam officiorum ſuorum commiſſa peccata, ſuſtinere ſunt obligati.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus, ideſt magnum onus deſiderat. Quam enim bonum ideſt magnum, onus epiſcopatui annectatur. Ex hoc capitulo vidimus. Ideò dixiſſe uoluit ad hunc ſenſum Apoſtolus. Sicut ergo ille, cui portare magnum onus, tale quid faciẽdo, incumbit; ſibi antequam tale quid agendũ ſuſcipiat multum cauet de ijs rebus, quæ poſſunt ſibi accidere: ita qui epiſcopatus deſiderio tangitur, antequam huic deſiderio conſentiat, multum de onere magno ſubeundo cogitare, & prudenter ſibi cauere debet. Ad onus reſpiciat magnum, & paruum honoris habebit deſiderium: Et tantò magis deſiderium in eum eo ceſſabit honoris, quantò magis magnitudinem penetrabit annexi operis, i. oneris. Vel ad ly (Euangelium) Qui maior eſt ueſtrum, erit miniſter ueſter, Et veſter ſeruus. Hoc quam uerum ſit, & quomodo uerificetur; ſuperius ad littera habuimus. Et adeò uerificatur: ut non tantùm is maior, ſed etiam omnes ſui domeſtici (ſecundũ textum), ſint ſubditorum ſerui. Vel ad ly &c.

NOTATIO TEXTVALIS.

ADuertè hic in littera iſta id; quod alibi ſæpe annotauimus. Vide Leuitas non poſſe, et ſi in cæteris inferioribus officijs miniſtrent ſanctuario, tangere uaſa ſancta nec ad altare accedere. Non tantum non poſſunt ſuper altare ſacrificare, ideſt officium ſacerdotis explere: ſed nec ad altare accedere. Mira res: Grande negocium. Sunt de ſtirpe Leui ad ſacerdotium electa, ſunt in ſanctuario ſacerdoti miniſtrantes: Et tamen non poſſunt uaſa ſacra contingere, ſeu ad altare accedere. Alioquin & ipſi accedentes morientur; & hoc permittentes pariter mortis adiudicantur. A fortiori igitur alij, qui non erant de ſtirpe Leui facere iſta non poterant: imò nec ad ſeruiendum tabernaculo, quod tamẽ iſtis Leuitis concedebatur, accedere ualebant. His enim ſub comminatione mortis (alienigena, inquit, non miſcebitur uobis. Item: ſiquis externus acceſſerit, occidetur) prohibebatur, ne miſcerentur Leuitis inferioribus, ideſt ne ipſorum officia exequi auderent. Non ergo omnes Iſraelitæ ſacerdotes erant; ſed nec omnes clerici. Vide: in clericatu dari diſparitatem. Quantò magis in laicatu? Si clericis miniſtrantibus non licet, non dico, ſacrificare, ſed nec ad locum ſacrificiorum accedere: Quis non uideat, hoc minus licere Iſraelitis alijs qui clerici, Leuitæ non erant? Vide. Contra hæretic. Luther.

Multi

Multi ergo ordines in Eccleſia ſunt; Et laici non ſunt ſacerdotes: quorum utrunque olim in figura fuit. Si igitur illi præſumptuoſi ſiue clerici ſiue laici ſacerdotis aliquod ſiui officium, uel paruum, aſcribentes moriebantur omninò: quid de noſtris temporibus ſentiendum? Si permittentes, quod clerici ad officium, uel paruulum, ſacerdotis accederent (paruum officium eſt ſacerdotis tangere uaſa ſanctuarij, accedere ad altare), mortis adiudicabantur: Vtique multò magis id perſuadentes inferioribus clericis, & adhuc magis id perſuadentes laicis, mortem promerentur. Taceant ergo Lutherani, chriſtianos omnes facientes pares in altaris miniſterio; & omnes clericos ad æqualia officia ſtatuentes. Hinc nouerint illi, quòd non tantum ex hoc ſibipſis mortem procurant æternam, ſed etiam ſibi credentibus. Ecce enim; quòd alijs etiam comminatur mortem Deus in litera, non tantùm Aaroni. Videant igitur ſibipſis populi, nè Luthero, ſiue alij cuicunque, credant in hoc: quoniam mors Lutheri, ſiue aliorum ſimilium, non eos eripiet à morte.

Text. EXcubate in cuſtodia &c. in omnibus ceremonijs. Excubabuntq; Leuitæ ad opera cuncta tabernaculi &c. ſint autem tecum, & excubent in cuſtodijs ſanctuarij. Tu autem, & filij tui miniſtrabitis in tabernaculo &c. Tu & filij tui cuſtodite, &c. omnia quæ ad officiũ altaris pertinent, &c. Nè oriatur indignatio mea ſuper filios Iſrael.

Concl. 2. *Deus multùm curat, ſeu zelat, de his, quæ circa altaris miniſteria fiunt, de ceremonijs eius, ac de ſimilibus ad templum attinentibus.* [Ex eo.]

Ratio. EX duobus capitibus, imo ex tribus, hic habemus concluſionis declarationem. Videas primò: quoties Dominus replicat cuſtodiri tabernaculũ, Excubari circa ſanctuarium, adminiſtrari quæ ad altare pertinent. Quid ſibi vult tanta repetitio, Excubate, Excubate, Excubet, in miniſterio altaris, in cuſtodijs, in officio altaris, & huiuſmodi? Certè hoc ſignũ euidens eſt: quòd Deus magnopere curat, & ſolicitudinem habet, de his, quæ circa altaris miniſterium fieri debent. Si namque parum de his curaret, uel præ alijs ſpecialem de his ſolicitudinem non haberet: ſemel uel bis, de his admonuiſſe ipſum Aaron ſibi ſatis uiſum fuiſſet. Nunc autem nõ ſemel aut bis, ſed ſæpius eadem inculcat, & quidem in eodem contextu uerborum. Solicitudinem grandem ſanè illius oſtenderet repetitio illarum rerum interrupta uarijs in locis: at grandiorem admodum demonſtrat ipſa repetitio ſine interruptione in contextu uno facta. Quis enim ignoret, quòd quando aliquid ualdè curas, ſæpius hoc præcipis: & quantò maioris curæ tibi eſt, tantò pluribus repetitionibus præceptum idẽ uallas? Maximi igitur momenti eſt apud Deum officium altaris: & illa, quę ad hoc pertinent.

¶ Videas ſecundò, quòd Deus comminatur, indignationẽ ſuam orituram, niſi diligenter circa huiuſmodi altaris miniſterium ſe habuerint. Certè ex tranſgreſſionibus omnium

Vide. mandatorum Dei, & ex omnibus noſtris huiuſmodi negligẽtijs indignatio Dei contra nos oritur: Et tamen, hac ſuam indignationem orituram, non ita paſſim meminit, ſicut quando de negligentijs circa diuinum altare, aut ſacerdotale officium, aut clericorum miniſterium, ſermonem facit. Quid ſignificat hoc? Vtique quòd de negligentijs circa diuinum cultum factis magis curat Deus, quã de alijs: Et conſequenter quòd illas maioribus ſupplicijs caſtigabit, quam alias. Et nota: quòd indignatio maius quid importat, quam inferre pœnam abſolutè. Nam indignatio non paſſionem citò tranſeuntem, ut ira, ſonat; ſed aliquid permanentius, atque noſtro cordi inhærens tenaciùs. Idcircò, cùm Deo tribuitur indignatio, maior pęna importatur: quam cũ ipſi ira uel furor (ratione ſcilicet tranſitus uelocioris) contra aliquem aſcribitur. Dicẽdo igitur hic, quòd contra negligentes in altaris officio oritur indignatio diuina, monſtrat textus; quòd non tantùm punientur hi ad modum aliorum cęterа mandata tranſgredientium, ſed maiori pœna afficientur. Et meritò. Nam ſicut in officio maiori defecerunt: ita iuſtum eſt, ut maiori pœnæ ſuccumbant.

¶ Videas tertiò, quòd ex negligẽtia miniſtrorum horum non tantum orituram dicit ſuam indignationem contra ipſos, ſed abſolutè contra filios Iſrael. Nè (inquit) oriatur indignatio mea ſuper filios Iſrael. Et hoc dupliciter intelligitur. Quocunque autem modo intellectum, zelum Dei magnum circa miniſterium altaris declarat: quia quocunque modo intelligatur, magnam à Deo pœnam ferè incredibilem infligendam pro negligentia illa deſignat. Vno itaque modo intelligitur: quòd propter negligentiam clericorum puniendi ſunt filij Iſrael omnes in propria perſona. Secundò modo autem, quòd non in propria perſona, ſed in perſonis ſacerdotum puniendi ſunt. Siue autem primo modo accipiatur, ſiue ſecundo (ut diximus) zeli diuini magnitudinem oſtendit: cum non ad clericos tantùm negligentes, ſed ad alios etiam non clericos pœna extendatur. Huiuſmodi enim extenſio zelum Dei monſtrat ſecundum illud: Ego dominus zelotes qui uiſito iniquitatem patrum in filios in tertiã, & quartam generationem. Ac ſi patenter dicat. Extenſio pœnarum, quando ſcilicet propter unum de primoribus peccantem punio etiam alios, eſt ſignum zeli mei: id eſt quod mihi vehementiſſimè diſplicet illud peccatum.

APPENDIX.

HInc habes: quòd peccatum clericorum circa diuina magis diſplicet Deo; quam peccatum laicorum contra alia mãdata Nam ex peccato clericorum omnes, ꝙ etiam alij caſtigantur, non autem ex quolibet peccato laici particularis, id eſt qui non ſit primas partes tenens; puta pater, aut Rex, aut gubernator aut, &c. Non dico dico tamen, ꝙ quælibet Clericorum negligentia circa diuina ſit mortalis, uel præponderans cuilibet laicorum peccato: ſed dico, ꝙ omnis negligentia circa diuina eſt multum periculoſa; & ſemper, cęteris paribus, intelligitur locutio facta. Periculoſa autem magis tantò negligentia talis eſt: quantò plus aſſidui ſunt clerici in talibus miniſterijs, & quãtò plus talia miniſteria digniora ſunt. Aſſiduitatem uerò talem periculoſam intelligas eſſe, (Vide.) non quia bonum non ſit circa diuina aſſiduum eſſe (ſic enim uiue, inquit Auguſtinus: ut quotidie Euchariſtiam poſſis, ac merearis accipere; & ſic de alijs huiuſmodi): ſed quia talis negligentia minus percipitur plerunque, quantò magis per aſſiduitatem quodammodo naturalis ſiue (ut rectius loquar) familiaris effecta eſt. A negligentia itaque, maximè clericis aſſiduis circa diuina, cauendum eſt: alioquin (Vide.) negligentia ipſa aut non uidebitur ipſis negligentia, aut non tanta. Vnde fiet, niſi ſatis caueant; Vt quandoque ſit illa negligentia mortalis; & tantùm uenialis, uel fortè nulla ipſis appareat. Hinc faciliter poſtmodum oritur cæcitas mentis: & diuina indignatio contra iſtos. Vis uidere indignationem Dei contra iſtos? Quãque longo tempore nonnulli illorum in diuinis ſemper uerſantur cum negligentia mortali: & de periculo ſuo non aduertunt. Videant igitur; nè aſſiduitas ſuam, quam parere ſolet incautis, aggeneret prolem. Quæ eſt ipſius, niſi cautio magna iungatur, proles? Quod negligentia ſemper apparet parua: & plerunque nimia familiaritas parit contemptum. Perſeuerantia enim in peccato duo mala operatur: & quòd peccatum ſecundum ueritatem aggrauat, & quòd peccatum ſic aggrauatum ſecundum apparentiam alleuiat. Hinc eſt: ꝙ perſeuerãtia longa in peccato ipſum peccatorem quaſi inhabilem ad pęnitentiam reddit. Cum enim ad ueram pœnitentiam exigatur uera grauitatis peccati cognitio; & perſeuerantia in peccato, quantò (Vide, & tunc.) longior fuerit, tantò cognitionem grauitatis prædictæ impediat: relinquitur clarum, quòd perſeuerantia in peccato ad impœnitentiam diſponit; & conſequenter quòd (a fortiori) hominem quaſi inhabilem ad pœnitentiam reddit. Hinc eſt; quòd omnis negligentia in vſum iam tracta multùm periculoſa eſt: quoniam omnis talis ad mortale peccatum tantò magis diſponit, quantò magis inueterata fuerit; & ultra hoc ad omnium illorum peccatorum impęnitentiam. Non (Origo & notum.) mirum igitur; ſi contra negligẽtias clericorum tantas minas

fulmi-

3 fulminat dominus. Secundò habes: quòd ſignum magnum ruinæ populi eſt; quando clerici circa ſua officia; præſertim altaris, nimia negligentia utuntur. Vides enim hic: quòd propter clericorum inſolentiam Deus comminatur indignationem ſuam orituram contra populum totum. Ratio poteſt eſſe multiplex huius: tum uerò maximè quia ad negligentiã clericorũ ſequitur in laicis negligẽtia, &(quod peius eſt) negligentiæ continuatæ excuſatio. Dicunt enim ſi clerici circa officium ſuum non bene ſe habent, ac mala faciunt: Quid magnum eſt, ſi nos circa officia noſtra non benè nos habeamus, ac mala operemur? Quæ ſanè excuſatio utrum bona ſit, audiuimus ea littera, ubi dicit Deus; quod ob negligentiam clericorum in excubijs circa miniſterium altaris orietur indignatio ſua ſuper filios Iſrael. Si ob negligentiam Clericorum, ipſos populos caſtigabit: Quantò magis propter negligentiam populorum ad inſtar negligentiæ clericorum, ipſos populos caſtigabit? Alia ratio, quare propter defectum cleri uelit punire populum, eſt: quia ſæpè cauſa eſt occaſionalis defectuum clericorum ipſe populus. Verbi gratia. Si conueniat populus ad audiendam miſſam; Aut ante oculos ſacerdotis ponitur, &(quod peius eſt) ibi indeuotus permanet: atque iſto modo ſacerdotis officium attentum impedit, uel ſaltem impeditionis occaſionem maximam donat: Aut per templum deambulat; aut ad inuicem loquitur; aut alias ſtrepitum facit; aut canes, uel pueros, uel &c. quæ ſtrepitum aliquem faciunt, ad eccleſiam conducit: & ſic idem in clericis ea parte populi ſequitur, quod prius. Quòd autem dico de miſſa, intelligendum eſt de concionibus, ſacris lectionibus, alijs diuinis officijs & ſimilibus actionibus. Nunquid non conſentiunt etiam quãdoque ſeculares; ut clerici in proprijs rebus grauentur iniuſtè, uel ad paupertatem ueniant, uel &c. Iccircò, quia propter hæc occaſionaliter ſaltem clerici quandoque aliqui a ſuis officijs tepeſcunt, Deus ob cleri defectum ſeculares quoque punit.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Zelus domus tuæ comedit me. Vel ad ly (Ezechiel) a Sanctuario meo incipite. Quaſi ergo dicatur. Caſtigate populum ciuitatis propter negligentiam clericorum. Vide ſupra hic: quomodo id intelligatur. Vel ad ly. &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA Concluſio.2. cap.18. deſtruit errores peſtilentiſſimos ſectariorum dicentium: cæremonias nullas debere eſſe in Eccleſia. Et Adiaphoriſtarum dicentiũ: cæremonias Eccleſiæ res eſſe indifferentes, quas ſinè obſerues, uiolès mutes uè, te nihil peccare. Et aliorum quorundam de templis, ueſtibus ſacris, uaſis, & de cultu externo Eccleſiarum, &c. perperam ſentientium: de quibus, cum ſuis condemnationibus, uide ſupra Genes.35.cõ.1. & Leuit.26.con.1. & cap.27.con.5. Item Exo.39 con.1. & Nu. 4.con.1. & cap.7.con.1.2 Semper memineris reperire loca ubi citata; ſicut & ubique, cum aliqua ſcitu digna narrentur alicubi, quæ non ſunt alibi. De erroribus contra uaſa ſacra uide Leuit.27.con.5. & num.4.con.1. & Elucid. Addi.ar.nu.133. De contra ueſtes, Exod.28.con.3. & Leuit.27.con.5. & Elucid. Addi nu.169. de contra cultum, Exo.39.con.1. & Num.10.cõ. 2. & Elucid. Addi.Nu.310. De &c. id eſt alijs quibuſdam Deo dicatis, Exo.30.con.4. & Num.4.con.1. & Elucid. Addi.nu.128. Item Exo.40.con.1. & Num.10.con.2. Item Num.4.con.1. & Elucid.per par.ar.Num.358. De erroribus autem in principio circa ceremonias dictis patet hic, quòd damnantur ex concluſione præſenti: ut per te, ſi profundè ipſam perſpicias, uidere facilè potes. Nam a figuris ad figurata ualidum eſſe procedere, te docent concilium Hiſpalenſe.2. & B.Cryſoſtomus; ſupra Num.9.con.6. & Damnantur & à Concilio Tri.ſeſſ.7. de ſacramentis cano.13. ſi quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari, poſſe: Anathema ſit. Et ſeſſ. 23.cano.5. Si quis dixerit, ſacram unctionem qua Eccleſia in ſancta ordinatione utitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam & pernicioſam eſſe; ſimiliter & alias ordinis ceremonias: Anathema ſit. Et ſeſſ.22.cano.7. Si quis dixerit, ceremonias, ueſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam officia pietatis: Anathema ſit. Hæc ibi. De utilitate, dignitate, ualore, ac pietate, ceremoniarum Eccleſiaſticarum, præcipuè in Miſſa, uide miranda, uiſſima, & ſcitu digniſſima in noſtro libello, qui inſcribitur, Sacerdos in æternum, & Dechiaratione della ſacra Meſſa. De his enim ibi ex ſcripturis &c. ſpecialibus docebeſis. Damnantur (ut conſideranti patet) & a B. Hieronymo ad Heliodorum.3.par.epiſt. 64. de ceremonijs Eccleſiæ ritè peractis a quodam. Erat (inquit) ſolicitus: ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa, ſi ianitor ſemper in porta, ſi uela ſemper in oſtijs, ſi ſacrarium mundum, ſi uaſa lucentia; & in omnes cæremonias pia ſolicitudo diſpoſita, non minus, non maius negligebat officium. Vbicunque eum quæreres; in Eccleſia inuenires. Hæc ibi. Vide cõpend. Albert.l.5.cap.58. ſcholas 6. & li.6.cap.18. cum ſchol.

CVius redemptio erit poſt unum menſem, &c. Text.

Concl. 3. *Primogenitum in templo offerendum ſumitur pro primo egrediente de utero materno; non autem pro illo, poſt quem alij ſequuntur.*

HOC (ſicut & multa alia) iã diximus in Exodo: Vbi & annotauimus cõtra Heluidiũ huiuſmodi litteram. Sed quia inutile non eſt quandoque repetere idem; præſertim cum paſſus magni ponderis occurrit: ideò hoc replicandum hic duximus, ibi iam dictis præſentia iungendo. Hoc & in alijs replicis, ſi quæ reperiuntur, faciendum eſt. Dicit ergo Deus ad Aaron: quòd primogenita omnia hominis, &c. faciat redimi poſt unum menſem. Præfigit igitur tempus: quo talis offerens poſſit neceſſitari ad redimendũ uel hominem uel aliud primogenitum in littera poſitum. Siſte pedem. Si primogenitum non eſſet hic illud, quod primò erumpit de uentre; ſed illud, poſt quod alia naſcuntur de eodem uentre: utique ad unum menſem expletum non arctaretur offerens ad redemptionem primogenitorum. Dicere enim poſſet ſacerdoti offerens. Redimere uolo primogenitum, ſed expectare cogor multum temporis ad uidendum, an iſtud oblatum ſit primogenitum. Oportet namque uidere, utrum alia naſcantur poſt. Si enim naſcentur, hoc oblatum erit primogenitum: unde ego id redimam. Si autẽ nil ampliùs indè naſcetur, hoc non erit primogenitum: unde non teneor redimere. Sic ergo fruſtra præfixus eſſet hic unus menſis pro redemptione primogeniti hominis: cùm nouem menſes expectare oporteat ad uidendum, an altera proles naſcatur. Ratio.

NOTATIO I.

NON tantùm autem inconueniens præmiſſum ſequeretur ad poſitionem, quòd primogenitum ſumatur ut dicit relationem ad poſteros indè naſcituros: ſed etiam multa alia. Primum eſt: quòd non potuiſſet offerri ad templum puer, antequam ſecundus fuiſſet ſecutus. Et ſic non in 40, uel in 80. die, (ut dicitur in Exodo) ad templum adduci debuiſſent primogenita hominum: cùm tunc nondum uiſum eſſet, utrum altera orietur ſoboles, uel non. Secundum eſt: quòd non de omnibus potuiſſet fieri oblatio; cùm tamen, 2
quòd fiat de omnibus naſcentibus, precipiatur. Plurimas nãque matres in teſtamento ueteri fuiſſe, quis neſciat: quæ unicam tantum prolem habuerunt? De iſtis ergo natis, poſt quos nullus oriebatur, oblatio fieri non debuerat; nec conſequenter redemptio. Cur ergo Deus id non excepit? Non quidem id non fecit, quia tales caſus futuros non aduerterit: ſed quia primogenitum aliquid eſſe non ſic, quemadmodum Heluidius, accipi uoluit. Tertium (& ſequitur ex præmiſis) eſt: quòd multæ oblationes defeciſſent ſacerdotibus; & ita in miſeria multa oraſſent hi, quos Deus abundanter prouideri uoluit. Defeciſſent enim illis oblationes omnes unigenitorum, ſeu redemptiones: quæ utique maximam uictus quantitatem ſacerdotij ademiſſent. Defeciſſent etiam quodammodo oblationes primogenitorum per relationem ad poſteros acceptorum: quoniam antequam illas recepiſſent Clerici, per multos menſes expectare coacti fuiſſent. Ieiunaſſent itaque temporum intermedio, uel miſerrimam uitam duxiſſent: quoniam poſſeſſiones, aut redditus, ſeu ſtipendia aliundè non habebant; niſi quæ a populo offerebantur.

NOTATIO II.

Videſne, Heluidiſi ad inſtar aliorum hæreticorum eſſe, ſub ly Primogenitum, uaffrè perſecutum clericos? Hoc ex prima notatione tam claré ſequitur: Vt nihil ſupra. Nec mirum, quòd hęretici omnes ſemper clericatum perſecuti fuerint; aut ipſum in miſeria uiuere noluerint. Quid enim facturi ſunt contra Dei ſpeciales ſeruos: quando contra Dominum ipſum tanta machinantur, & prædicant? Ex hoc autē clerici moueri non debent aut inuidia, aut tepore aliquo deficere, vel huiuſmodi: quoniā ſi de mundo fuiſſent, vtique mundus, quod ſuum erat, diligeret. Hæ igitur perſecutiones ſignum ſunt: ꝙ clerici ipſi in ſortem domini, tanq̄ pars peculiaris, vocati ſunt; & quòd elegit eos Deus de mundo. Videant igitur ipſi clerici, nè dent occaſionem inimico detrectandi de ſe: & poſtmodum de illo non curantes, Deo patrono ſuo ſpeciali tota ſe fiducia committant.

¶ Applica ad ly (Euangelium) peperit filium ſuum primogenitum. Nominauit enim hunc filium non unigenitum, licèt in in veritate ſit unigenitus, ſed primogenitum, ut ſe, in nominando, veteri teſtamento conformaret, quod huiuſmodi non unigenitos ſed primogenitos (vt hic patet) vocat. Si philoſophus dixit, ꝙ nominibus vtendum eſt, vt plures: cur non magis nominibus ſacrarum litterarum vtendum eſt, vt ſacræ litteræ? Hoc autem maximè in propoſitum euangeliſtæ venit: quoniam ipſe uolebat tunc legem primogenitorū antiquam in memoriam nobis reducere, & conſequenter talem nouiter ortum puerum templo offerendum eſſe nobis inſinuare. Per illud ergo uocabulum, ſcilicet primogenitum, & veritatem ortus ſeruauit; & legem antiquam in nominando ueneratus eſt, & pueri oblationem ſiendam ſignificauit, & matris uirginitatem ante partum declarauit, & illā quæ poſt partum fuit a fortiori firmiſſimè tenendam edocuit. Vide Gen. 8. con. 2. Vel ad ly &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆc Concluſio 3. cap. 18. deſtruit fundamentum Heluidij hæretici, quo exponebat ly Primogenitum, quod de Chriſto B. Mariæ filio dicitur Matth. 1. & Luc. 2. pro illo; poſt quem ſequuntur alij. Conſequenter igitur deſtruit etiam illius peſſimam hæreſim; de qua, cum damnationibus ſuis, uide ſupra Num. 8. concl. 3. vbi ſuper omnia notabis Apoſtolicam Bullā Pauli 4. De hoc vide etiam Gen. 8. con. 2.

Text. PRo miniſterio &c. vt non accedāt ultrà filij Iſrael ad altare, & cōmittant peccatum mortiferum.

Concl. 4. *Ideò à domino electi ſunt aliqui pro ſacerdotio fungendo: nè omnes paſſim ſeu alij, accedant ad officium ſacerdotale, ſeu clericale, exequendum.* [Ex eo.]

Ratio. HIC legis rationem, quare Deus aliquos ſpecialiter ad clericatum elegerit. Ratio eſt (inquit textus): vt non accedant filij Iſrael ad tabernaculum, & committant peccatum mortiferum. Ecce quòd peccatum mortale eſt alijs non electis accedere ad tabernaculum. Quantum ergo peccatum erit illis, miniſtrare in tabernaculo, ſecundum quòd ſacerdoti conuenit?

Coroll. ¶ Ergo peccatum mortale eſt dicere: quòd omnes

Contra hæreticos. nunc ſint ſacerdotes pro miniſterio altaris. Antiqua enim ſacerdotum illa à non ſacerdotibus diſcretio fuit figura diſcretionis noſtrorum ſacerdotum a laicis: ſicut, & omnia alia in figura contingebant illis. Et quare peccatum mortale eſt dicere illud? Quia eſt contra ſacram ſcripturam, vt hic clariſſimè apparet. Ergo dicere illud non tantum eſt peccatū mortale: ſed etiam eſt hæreſis manifeſta.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 4. cap. 18. inferendo monſtrat cōſona eſſe ea, quæ de clericis (licèt non tantum de vna tribu nunc ſint) non admittēdis paſſim ad ſacra officia ſine litteris fuere ſtatuta a pluribus concilijs a tempore Apoſtolorum, & citrà. Propter hanc enim rationem, quam ex præſenti concluſione habemus, nè ſcilicet ad officia clericalia ſe ingerant non clerici, de ipſis teſtificatorijs epiſtolis decretū eſt. Ecce igitur: quòd talis mos laudabilis, eſſe fundamentarium ſuæ laudabilitatis habet in lege veteri. Statutum de tali prudentiſſima conſuetudine habes in canonibus Apoſtolorum à ſexta ſynodo pro talibus receptis Diſtin. 6. cap. Placuit huic ſanctę. Ibi nanque cano. 34. dicitur. Nullus Epiſcoporū peregrinorum, aut præsbiterorum, aut diaconorum, ſine commendatitijs ſuſcipiatur epiſtolis. Et cùm ſcripta detulerint, diſcutiantur attentius, & ita ſuſcipiantur ſi prædicatores pietatis extiterint. Sin minus, ubi neceſſaria ipſis ſuppeditauerint, ad communionem, & vlteriorem ipſos conſuetudinem non admittite. Multa enim per ſubreptionem proueniunt. Hæc ibi. Item in concilio Anthiocheno ca. 7. Nullus peregrinorum ſine pacificis, id eſt commendatitijs ſuſcipiatur epiſtolis. Hæc ibi: quæ recitantur diſtin. 71. ſub his uerbis. Nullum abſque formata, quam græci epiſtolam dicunt, peregrinorum clericorum ſuſcipi oportet. Hæc ibi. Item concil. Calcedon. ca. 12. Extraneo clerico, & lectori, extra ſua ciuitatem ſine cōmendatitijs litteris proprij Epiſcopi nuſquam penitus liceat miniſtrare. Hæc ibi: & recitantur diſtin. 71. c. extraneo. Item à Concilio Trid. ſeſſ. 22. decret. de obſeruan. & euitan. in celeb. miſſ. Vt irreuerentia uitetur, ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui uago ſacerdoti, & ignoto Miſſas celebrare liceat. Hæc ibi, & ſeſſ. 23. ca. 16. de refor. Nullus clericus peregrinus ſine commendatitijs ſui ordinarij litteris ab ullo Epiſcopo ad diuina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda admittatur.

SOlis filijs leui mihi in tab. ſeruientibus &c. Text.

Concl. 5. *Nihil deperit toto populo, etiam, quòd ſoli ſacerdotes miniſtrent altari.* [Ex eo.] Ratio.

SI quippiam deperiturum populo uidiſſet Deus ex hoc quòd ſoli clerici miniſtrant altari: utique non ſolos filios Leui, ſed omnes de populo, uel ſaltem plures ad tale miniſterium elegiſſet. Quis enim tàm amat populi ſalutem: quam Deus? Qui tamen Deus non omnes: ſed aliquos pro omnibus, uoluit eſſe clericos. Quos, & portaturos peccata populi dixit, ad oſtendendum: quòd in illis paucis alij de populo miniſtrant, & quòd hoc ſufficit illis alijs ad ſalutem.

¶ Non ergo miniſtret populus in ſeipſo altari: ſed in ſacerdotibus miniſtrare contētetur. Coroll. Ergo concilijs, & huiuſmodi clericale officium concernentibus, non curet adeſſe populus in ſeipſo: ſed in clericis adeſſe huiuſmodi officijs contētetur. Ergo ſuum abeſſe in propria perſona illis officijs ſibi aliquomodo non reputet populus noxium: quoniam Deus, qui ſic ordinauit (ut hic patet), magis populi ſalutem diligit Cont. quàm Lutherus. Imò quid inferendum? Ergo Lutherus, & ſi Luth. miles, multùm populi damnationem amant; & inquirunt. Nam qui contra diuinam ordinationem loquitur circa illa, quæ ad populum attinent: is contra ſalutem populi loquatur, neceſſum eſt. Alioquin Deus, talé ordinationem circa populum faciendo, utilitatem populi aut nō conſideraſſet, aut noluiſſet: quæ ambo ſunt blaſphemiæ maximæ. Quid ſignificauit (rogo) Deus, cùm ſemel populos omnes ſub Iſraelis perſona alloquens per Iſaiam aiebat: Ego dominus docens te utilia? Quòd omnia quæcunque uel mandat, uel prohibet, uel conſulit nobis, uel alias circa nos omnes ac ſingulos ordinat ipſe Deus: totum ad utilitatem noſtram facit. Contra utilitatem ergo noſtram faciunt, quicunque aliter ordinare circa nos tentant.

FIlijs Leui dedi omnes decimas pro miniſterio: quo ſeruiūt mihi &c. Text.

Concl. 6. *Clerici non exequentes miniſterium ſuum priuari debent fructibus, ſeu ſtipendijs.* [Ex eo.]

Ratio. CAVSA, quare clericis dederit Deus hoc ius, ut decimis oblatis a populo veſcantur, eſt, quia ſeruiunt ipſi Deo in tabernaculo fœderis. Si ergo remoueatur iſta cauſa; remouebitur & iſte effectus. Et ſic ceſſantibus illis a miniſterio, ceſſabit ab illis & hoc ius. Priuandi ergo iure ſunt prouentibus, ac huiuſmodi. Et dato, quòd non priuarentur à poteſtate ſuperioris externi: in conſcientia tamē illos fructus percipere, pro tempore ceſſationis ſuæ à miniſterio, aut perceptos retinere, non poſſunt.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd clerici negligentes officium ſuum oblationibuſque populi veſcentes, ſunt velut fures. Tollunt enim quod ſuum pro tunc non eſt. Conſequenter
2 ſecundò habes, quòd tales tenētur ad reſtitutionem fructuū, ſeu decimarum. Cui? Eccleſiæ, intuitu cuius datæ ſunt a populo. Defraudauit ſiquidem talis clericus Eccleſiam, quam ſic, vel ſic, debuit officiare: & non officiauit. Defraudauit autem dupliciter, quò ad honorem. ſ. diuinum, & quo ad proximi bonum, tùm quantum ad remotionem culpæ, tùm quantum ad augmentum gratiæ ſeu, ipſius collationem. In textu enim duo de clerico dicuntur: vnum pertinens ad diuinum honorem, alterum ad illud proximi duplex bonum. Vbi eſt diuinus honor? Ibi, pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi. Vbi eſt bonum proximi? Ibi; portantibus peccata populi. Quomodo portare illos clericos intelligit peccata populi? Quando pro ipſo populo, ut illi dimittantur peccata. Cū igitur dimiſſio peccatorum fiat, per hoc; q̄ & gratia confertur, & macula tollitur, patet, quòd duplex bonū eſt in dimiſſione culpę, quod clericus per negligentiam ſuam (quantum in ſe eſt)
3 tollit à populo. Tertiò igitur habes, q̄ talis clericus & maximè offendit Deum, & maximè proximum. Quid enim charius Deo, quàm honor ſuus, quo fraudatur per negligentiam clerici? Quid vtilius populo, quàm dimiſſio culparum, qua fraudatur per clericum negligentem? Quartò igitur habes: quòd clericus, etſi non, perciperet fructus quando non miniſtrat, tamen adhùc peccat; quoniam honorem, quem Deo debet, non reddit.

NOTATIO MAGNA.

HVC aduertant Clerici omnes: Vt ſciant, quo iure cibaria ſibi miniſtrentur; & qua conſcientia poſſint illis veſci. Nouerint autem hæc eſſe de iure diuino, quæ hic dicūtur, & hinc circa clericos extraximus. Nam dare victum clericis atque veſtitum eſt morale præceptum: non tantùm ceremoniale. Ideò etiam nunc, quatenus. ſ. morale eſt, durat. Vnde ſicut ad dandum illa populus naturali iure obligatur clericis, ita ad reddendum illa in ſpiritualibus tenentur clerici populo.

¶Applica ad lr (Apoſtolus) Non alligabis os boui triturantı. Ergo alligabis os boui non trituranti. Quomodo non alligatur illi os? Dando clericis victualia. Quomodo alligatur? Non dando eis illa. Hoc tamen non dare non conuenit populo contra Io. Voiclef, Huſſ, & ſimiles, aduerſus quos alias diſputauimus efficaciter: ſed id conuenit clericorum ſuperiori puta Ro. Pontifici &c. ſiue corā conſcientiæ (ut dictū eſt).

PRO ECCLESIA

SANCTA DEI.

CONCLVSIO hæc. 6. cap. 18. confirmatur atque declaratur ea Bonifacij. VIII. decreto, in ſexto de cleric. non reſidentibus. Nam ibi poſtquam improbauit conſuetudinem; qua beneficiati, etiam non præſentes diuinis horis, percipiebāt quotidianas diſtributiones; inquit, Statuimus: ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcunque rebus conſiſtant, canonicis ac alijs beneficiatis & clericis Eccleſiarum ipſarum: (ſ. Cathedralium, & aliarum collegiatarum), qui eiſdem officijs in ipſis Eccleſijs aſſuerint, tribuantur: iuxta Eccleſiæ cuiuſlibet ordinationem rationabilem iā factam, ſeu etiam faciendam. Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas, excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat; nec faciat eas ſuas; imò ad omnium reſtitutionem, quę contra huiuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro defunctorum anniuerſarijs largiendis, idem decernimus obſeruandum. Hæc ibi. Itē ex Concilio Lateran ſub Leon. X. can. 9. Ordinamus: ut quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex mēſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat pro rata omiſſionis officij & temporis: ſed eos, tanquam iniuſte perceptos, in fabricas huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum Eleemoſynas, erogare teneatur. Hęc ibi. Quæ quidem fructuum pro rata amiſſio, & in prædictas pias cauſas erogatio ſi ſuo munere, etiam aliter, defuerint videtur non poſſe tolli ſeu remitti nec in totum nec pro parte, per quamcumque conuentionem, vel compoſitionem; ea Cōcil. Tri. Seſſ. 23. cap. 1. de refor. Vide ibi tu: ulteriuſque, pro abūdantiori doctrina, ſecuritate conſcientiarum, & concluſiones huius ampliori declaratione ac firmitate, videas ipſius Seſſ. 25. cap. 8. de refor. Adeſt & circa hoc Bulla Papæ Pij IIII. ſuper reſidentia. Prælatorum, Parochialium, & aliorum &c. quæ, quoniam neceſſaria ſcitu ad conſeruandam tutam conſcientiā circa fructuum receptionē vel omiſſionē dici: ideò eam videas: quam poſt Concilium Tridentinum colligatam ſoleor apponere. Summi pontifices multa iam olim etiam ante concilia præmiſſa circa materiam fructuum beneficiorum ſtatuerant: quæ ſi vis, conſule extra de cleric. non reſidentib. capitulis multis, maximè penultimo & ultimo.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XIX.

VAs, quod non habuerit operculum, aut ligaturā, deſuper immundū erit. Textus.

Concl. 1. *Homo, qui non ſtat ſuper cuſtodiam ſuam, citò corruet: & maculabitur.* [Ex eo.]

HOMINES multoties ſignificantur per vaſa in ſacris literis. Habere operculum eſt habere cuſtodiam ſui. Habere ligaturam deſuper eſt ligare per mortificationē ſenſus ſuos: qui ſunt deſuper, ideſt in exteriori homine. Vult ergo & in interiori nos habere cuſtodiam & in exteriori: quoniam unū ſine alio non ſufficit ad præſeruandum ſe a peccatorum immunditia. Talis itaque homo, qui duplicem cuſtodiam præmiſſam ſuper ſe non habuerit, immundus erit; ideſt citò ad immunditias peccatorū declinabit. Ab oppoſitio ergo, qui cuſtodiam duplicem illam ſuper ſe habuerit: talis immūdus non erit; ideſt à peccatis pro tempore illo præſeruabitur. Ratio.

APPENDIX.

HINC habes cauſam, vnde in nobis oriuntur peccata. Cauſa enim hæc eſt non cuſtodire cor noſtrum duplici illa cuſtodia. Siue enim ſenſus ſolutos dimittas, 1
ſiue interiora pro ſuo libito vagari permittas; citò in peccata ruere te, neceſſum erit. Secundò conſequenter habes, quòd noſipſi ſumus noſtræ ruinæ cauſa. Cuſtodire 2
enim ſenſus noſtros ſiue interiores, ſiue exteriores, ad nos pertinet: unde ſi non cuſtodimus, à nobis cauſa malorum noſtrorum venit. Poſſumus autem cuſtodiam hāc exercere à nobis, licèt nō ex nobis, vnde nobis ad culpam imputatur, ſi hanc nō exercuerimus. Adiutorium enim Dei ſemper præſtò eſt, ſi id quæramus, unde culpa noſtra eſt, ſi illud non accipimus. Hoc autem de culpa noſtra tantò verius eſt, quantò certius eſt dictū B. Thomæ 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1m Quod (inquit) auxilium gratiæ quibuſcunque datur diuinitus, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit in li. de correct. & gratia. Hæc ibi. Ex his ergo apertiſſimè

mè uides, ꝙ ſemper nos ſumus in culpa, quandocunque nobis non daretur auxilium ſiuè ad quærendum aliquod in oratione à Deo, ſiuè ad exequendum aliquid boni, &c.

EXAMEN.

QVEMADMODVM in uaſe nō operto faciliter cadunt muſcæ, puluis, &c. ita in cor hominis non cuſtodito faciliter intrant dæmonum ſuggeſtiones. Ideò dicebat B. Hieronymus uni diſcipulo: Semper te diabolus inueniat occupatum. Quid enim eſt eſſe in bonis occupatum; niſi eſſe deſuper, id eſt à bonis negocijs, opertum? Omnia nanque bona ſunt deſuper, quoniam deſurſum à patre luminum deſcendunt. Et iccircò ligaturam, i. occupationem habere non ſufficit ad hoc, ꝙ non ſimus immundi, ſed ligaturam deſuper, i. occupationem in bonis actionibus. Huiuſmodi autem occupatio, quæ maximè ligat, eſt occupatio per intellectum; quoniam ad intellectus operationem ſequitur occupatio omniū ſenſuum; ſi intellectus ſeriòſe, non quaſi perfunctoriè, occupatur. Ob hoc dicitur, ꝙ ſtudium uult totum hominem; quia ſcilicet occupationi intellectus, quæ fit per ſtudium, deſeruiunt omnes hominis potentiæ, quæ & ideò tunc ligantur, nè quò uoluerint, pro ſuo libito uadant. Hinc eſt, ꝙ ſtudium decet maximè religioſos, perſonaſque ſpirituales. Nam perſonas has à uitijs maximè præſeruat. Et tantò magis hoc uerum eſt, quanto magis ſtudium aſſiduum ſui amorem generat. Vnde fit, ut ſtudium non tantum à peccatis conſeruet hominem; ſed & delectabiliter, & perſeueranter, ipſum præſeruet. Delectat enim ſtudium, & (ut diximus) conſequenter ad perſeuerandum in ſe accendit. Vnde & ratione occupationis & ratione delectationis retrahit ſuauiſſimo modo à peccatis. Quæ enim maior delectatio, quàm intellectus circa propriū obiectum? Hoc autem obiectum ſtudēdo inuenit, unde ſaginatur, impinguatur, in ſe dilatatur: Et conſequenter alias omnes extra ſe delectationes aut non ſentit, aut, ſi per auditū tentationis (id quod raro euenit) ſentit, illas nihil pedit. Quare? Quia inuenta una precioſa margarita abit, & uendit oīa, quæ habet, ut emat eam. Hoc eſt. Quia intellectus tunc delectationem ſibi propriam, quę omnes procul dubio ſuperat, inuenire incępit; & ideò abit, i. extra ſe præ gaudio rapitur, ac ab exterioribus amore elongatur: Vendit omnia ſua, id eſt quæque allicientia animum, ac aliò trahentia, calcat, atque ſpernit; Vt emat eam precioſam margaritam, i. ut liberius in ſtudio ſibi proprio dilatari queat, ac abſorberi. Hoc operculum deſuper eſt, & ideò uas habens hoc non erit immundum quouſque iſtud operculum ſuper ſe tenuerit; pro quanto facillimum ſibi erit uitare peccata, difficillimumque (ut ita dicam) illa ſequi. Conſequenter igitur ſtudium quaſi extinguit ipſum fomitem. Quid facit fomes? Dum; ad malum inclinat, & ad bonum difficultat. Quid facit ſtudium? Ad bonum hominem illum facilitat, ad malum difficultat. Eſt ergo ſtudium & operculum uaſis (ut hic dicitur), & ligatura ſimul; operculum ſcilicet reſpectu mali arcendi, ligatura reſpectu boni continendi.

Corol. ¶Ergo ordo fratrum prædicatorum maximè mundi tiam requiſiuit, dùm ſe per conſtitutiones ſuas ad ſtudium ordinauit. Ergo cogitationes ſuadentes ſtudium ſunt bonæ; maximè iſtius ordinis fratrib. Ergo diſſuadentes ſtudiū ſunt malæ; maximè iſtis fratribus. Ergo illę protinus abigendæ: iſtę mox omni feruore proſequendę. Ergo non mirum, ſi recenſetur inter hęreſes illa opinio, quę (hoc patet in opuſculo D. Thomę, contra impugnantes religionem) ſtudium religioſis nō cōuenire dicit. Quid enim uult hęc falſiſſima opinio? Operculum, ligaturamque deſuper à vaſe tollere? Quid tūc aſtabit? Quod uas (ut habet littera) immundum citò erit. Ob hoc tamen non damnantur religiones non exercētes ſtudium, quoniam aliquas occupationes ſanctas loco ſtudij habent: ſed exercentes modo conuenienti ſtudium, cęteris paribus, anteferuntur.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Videte uoſmetipſos. Hoc eſt, voſmetipſos cuſtodite. Vigilate. Quid enim eſt uigilare; niſi ſeipſum cuſtodire? Quid eſt autē ſe cuſtodire; niſi operculum, & ligaturam deſuper uaſi imponere? Vel ad ly (Prouer.) Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum. Hoc eſt, & interius, & exterius cuſtodi. Hoc maximè ſimul, ſ. eodem tempore fit per ſtudium (ut uiſum eſt). Vel ad &c.

TIngens digitum in ſanguine eius aſperget contra fores tabernaculi ſeptem uicibus. Text.

Concl. 2. *Ex ſanguine Chriſti effuſo cauſata ſunt omnia Eccleſiæ ſacramenta, & Spiritus ſancti dona nobis acquiſita: & conſequenter uita æterna.* [Ex eo.]

Ratio ISTA immolatio uaccæ nondum iugum expertæ ſignificauit immolationem Chriſti nūquam iugo peccati ſubiecti. Ex ſanguine huius aſpergitur ſeptem uicibus contra fores tabernaculi, quia ex uirtute ſanguinis Chriſti effuſi cauſanda erant ſeptem ſacramenta in tabernaculo, i. in Eccleſia Dei; & ſeptem dona Spiritusſancti promerenda nobis à Chriſto paſſo.

Not. ¶Hoc documentū concluſionis eſt ferè idem cum B. Auguſtino dicente, ꝙ de latere Chriſti dormientis in cruce formata eſt Eccleſia. Per quid enim formatur Eccleſia, i. ſuum eſſe, ſiuè ſuam formam recipit? Per ſacramēta, & per Spiritum ſanctum. Per baptiſmum enim naſcitur ſpiritualiter, per confirmationem creſcit ſeu roboratur, per Euchariſtiam paſcitur, per pœnitentiam à culpæ morbo, ſi ceciderit, ſanatur; per extremam unctionem à reliquijs morbi purgatur, per matrimonium corporaliter in ſuppoſitis multiplicatur, per ordinem verò ſpiritualiter. Hinc eſt, quòd Eccleſia dicitur ſancta. Vnde iuxta articulum de ſancta Eccleſia ponitur articulus de remiſſione peccatorum, quæ fit per ſacramenta; & articulus de Spiritusſancto.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 2. cap. 19. deſtruit hęreſim Iacobi præpoſiti dicentis, ſacramenta (excepto baptiſmo, pœnitentia, Euchariſtia; quę expreſſe ſunt in ſacra ſcriptura à Chriſto inſtituta) eſſe humanitus per Eccleſiam tradita. Patet ex concluſione præſenti, quòd non tantùm tria illa, ſed etiam alia iſta quatuor ſunt à Chriſto Domino inſtituta. Nec obſtat, quòd ſic expreſsè non traduntur in ſacra ſcriptura; quoniam ſufficit, quòd Eccleſia habuerit illa ex familiari Apoſtolorum traditione, tanquam ab ipſo Chriſto inſtituta iuxta illud Apoſtoli. 1. Cor. 11. Cætera cū uenero, diſponam. Tanquam (dixi) à Chriſto inſtituta; tùm quia Apoſtoli non potuerunt inſtituere ſacramenta aliqua; tùm quia traditiones ab Apoſtolis datæ Eccleſiæ ſunt ab eis diuinitus acceptę, ſecundū Concilium Trid. ſeſſ. 4. Decret. de canonic. ſcriptur. De hac re in eadem ſeſſ. unde ſupra. Num. 2. eō. 10. De illa autē re, quòd Apoſtoli non potuerint inſtituere aliqua ſacramenta uide egregiū Sanctę Eccleſiæ Doctorem D. Tho. 3. q. 64. ar. 2. ubi inter alia ſic ad tertium inquit. Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, ſunt vicarij Dei, quantum ad regimen Eccleſiæ conſtitutę per fidem, & fidei ſacramenta. Vndè ſicut non licet eis, conſtituere aliam Eccleſiam, ita non licet eis, tradere aliam fidem, neque inſtituere alia ſacramenta: ſed per ſacramenta, quæ de latere Chriſti pendentis in cruce fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Eccleſia Chriſti. Hæc ibi. De hac eadem re uide eundem in Addition. q. 6. ar. 6., & Elucidation. ibi: unde & multorum errores profligabis. Damnatur quoque hæreſis illa, & per conſequens concluſio præſens firmatur, à Concilio Trid. ſeſſ. 7. de ſacramentis. cano. 1. Si quis dixerit, ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, uel pauciora, quam ſeptem, uidelicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiā, Extremam unctionē, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum non eſſe uerè, & propriè ſacramentum: Anathema ſit. Hæc ibi. Item à Papa Lucio extrà de hæretic. cap. ad abolendam. Contra eandem hæreſim facit, ſuper illud Rom. 5. In ſimilitudinem prę uaricationis Adæ, &c. quędam gloſa 55. dicens, Ex latere Chriſti dormientis in cruce fluxerunt ſacramenta, per quæ ſaluata eſt Eccleſia. Vtitur autem nomine, dormientis, licet uerè fuerit tūc mortuus tùm quia mors ſanctorum, undecūque ueniat, appellatur ſomnus; tùm quia maximè in propoſito uult gloſa hæc correſpondere figuræ, qua ex latere Adæ in paradiſo dormientis formata eſt Eua; Gen. 2. quæ typum geſſit Eccleſiæ. Sacramenta uerò omnia ex latere Chriſti fluxiſſe

xiſſe dicuntur & quia inde fluxit ſanguis & aqua, quorum unum ad baptiſmũ aliud ad Euchariſtiam pertinet, in quibus tanquam potiſſimis ſacramentis intelliguntur etiam reliqua: & quia ſacramenta omnia Eccleſiæ habent ſpecialiter uirtutem ex paſſione Chriſti. Eius nãque uirtus quodammodo nobis computatur per ſuſceptionem ſacramentorum. Sic itaque ſigitur conclu ſio. De hoc autem, quòd ſacramenta trahant uirtutem a paſſione Chriſti, & per conſequens de ampliori ſenſu concluſionis, uide 3.q.62.ar.5.

Text. QVi tetigerit, &c. immundus erit.

Concl. 3. *Tutũ nõ eſt habitare cũ peccatorib.* [Ex eo.]

Ratio. VIOS hic Qui tangit morticinum hominis; qui tangit etiam rei mortuæ cineres: eoam quòd lauet ueſtimenta ſua, semanet pro aliquo tempore immundus. Qui ingreditur tentorium hominis mortui, aut tangit uaſa ibi exiſtentia; immundus eſt ſeptem diebus. De his & ſimilibus per totum capitulum habes. Hæc autem cæremonialia aliquid ſignificabant noſtro tempore duratura: unde tempore perpetuo ſeruanda dicuntur. Quid ergo per morticinum hominis, & per illa prohibita tangi, ſignificabatur? Homo peccator: Malum exemplum: ſcandalum. Talis ergo homo euitari debet: a locis, ubi ſunt mala exempla, fugiendum eſt: perſonæ ſcandaloſæ relinquendæ ſunt. Alioquin facilè immunditiam contrahemus: quia ex illorum conſortio uel ad malum trahemur, uel in bono tepeſcemus, uel ſaltem minus bonum nomen, aut ſpeciem mali nominis, indè aſportabimus. Nota autem; quòd immunditia contracta etiam poſt ueſtimentorum lotionem durat, & quandoque ſeptem diebus: quoniam mala, quæ propter aliorum ſcandalum facimus, ſæpè remotis illis ſcandalis retinemus (ut patet) plùs, uel minus. Lauantur quidem ueſtimenta: dum perſonas, quæ nos ſcandalizabant, deſerimus. At quandoque ex malis iam cõmiſſis exemplo illorum relinquitur in nobis malus habitus: quo in peccata, remotis etiam ſcandaloſis illis, ruimus. Vide: quantum officit ſcandalum. Quando enim præſens eſt officit: quando abſens eſt, officit.

APPENDIX.

3 HINC eſt: quòd toto ſtudio perſonas minus utiles, ſiuè in loquendo, ſiue in operando, ſiuè quocunque modo ſe habendo, debemus quantum poſſumus uitare. Nam ſi illarũ exempla ſemel imbiberimus; et remotis illis perſonaliter in nobis remanebunt per ſuos malos effectus. Hac de cauſa toties in Capitulo illo, & alijs ſimilibus, repetitur, & repetitum eſt: nè ad talia, & talia, accedamus; & nè uaſa quidem eorum tangamus. Cur hæc tam ſignanter facta ſunt, ſeu dicta? Vt denotetur hinc magnitudo ruinarum a ſcandalo dima-
2 nantium. Secundò habes: quàm optimum ſit ingredi religionem. Tunc enim occaſiones infinitas peccandi euitamus:
3 & infinitas occaſiones benefaciendi inuenimus. Tertiò conſequenter habes: quod bonum ualdè eſt, de conuentu relaxato in eadem religione tranſitum cum obedientia facere ad conuentum obſeruantialem. Et hoc eadem ratione: qua prius. Quartò conſequenter habes quòd valdè imprudenter agunt,
4 qui non multum curant ſcandalizare alios, uel inter ſcandaloſos uiuere; ſiue exponere ſe periculo ſcandalizandi alios, uel ſcandalizandi ab illis. Nam huiuſmodi ſic agentes oſtendunt, ſe neſcire: quantam uim ad proficiendum in malum habeant ſcandalum. Conſiderent bene capitulum hoc, & hic a nobis dicta; & meliùs forſan cauebunt ſibi, quam prius: ſcandalaque ſiue data alijs a ſe, ſiue ab alijs danda ſibi, magis ponderabunt, quam faciant.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Veh mundo a ſcandalis. Hic enim uoluit dicere Chriſtus; quæ in capitulo iſto figurantur. Videlicet quòd ſcandaloſa loca toto uiribus fugere debemus: & quòd ſcandala maximam uim habent ad præcipitandum nos, & alios. Vel ad ly. &c.

Text. QVia ſanctuarium meũ polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus.

Concl. 4. *In peccato importantur duo, ſcilicet inhonoratio Dei, & macula animæ noſtræ.*

Ratio. IMMVNDVS duo incurrebat. Primò ſanctuarium polluebat: Secundò maculam contrahebat. Ratione primi dicitur in textu, quia ſanctuarium meum polluit: ratione autẽ ſecundi dicitur, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus. Aſpergebatur namq; ut a macula contracta expurgaretur. Vndè niſi maculam contraxiſſet: aſperſione aquæ non fuiſſet opus. Ex fine igitur, propter quem aſperſio iſta fiebat, maculæ contractio appatet.

EXAMEN.

INHONORARE Deum poteſt homo, quantum eſt de ſe, non quantum eſt de Deo. Hoc eſt. Honor Dei in Deo nõ minuitur ex hoc, quòd homo peccat; aut ex eo, quòd parùm cognoſcitur Deus ab hominibus: quoniam honorem noſtrorũ non indiget Deus nec ad honorem ſuum in ſeipſo faciendũ, nec ad illum in ſeipſo conſeruandum. Vnde ſi totus mundus in peccatis eſſet, & nullam de Deo cognitionem haberet: adhuc Deus eſſet eiuſdem omninò honorabilitatis, cuius fuit ab æterno, & in eadem prorſus conſeruaretur. Dicitur autem homo polluere honorem Dei, ſeu Dei ſanctuarium, quantum eſt in ipſo homine. Nam tunc homo non honorat Deum, quantum debet, nec ſanctuario Dei reuerentiam illam deferet, quam tenetur. Ideò per hoc monſtrat, ſe minùs de cognitione magnitudinis honoris (id eſt excellentiæ) Dei habere. Et hinc dicitur polluere ſanctuarium, ſeu honorem, Dei. Quod enim pollutum eſt, ſiue per cadentiam in lutum, ſiue in aquam turbidam; ſiue per appoſitionem ignobilioris rei deſuper, tunc illud legi facilitèr non poteſt. Is ergo polluit ſanctuaria Dei: qui non legit, quantæ reuerentiæ dignum ſit ſanctuariõ eius. Hinc enim poſtmodum uenit: quòd honorem, timorẽ, pauorem, reuerentiã debitã ſanctuario illi non deferat; quia cognitio principiũ oĩs affectionis in uoluntate eſt. Vnde cognoſcens, aliquid dignum eſſe honore, ipſum honorat faciliſſimè: non cognoſcens uerò, minimè; & ſi forſam ipſum honorauerit, hoc erit pro accidens uel materialiter tantum. Materialiter, inquam, tantum: cùm homo habitu exteriori corporis reuerentiam exhibet, ſed quid faciat non cõſiderat; ita quòd cognitio illum habitum exteriorẽ nõ cauſat, ſed aliquid aliud. Per accidens, dixi: quando homo a caſu ſeu; fortuitò honorem ſe deferre alicui monſtrat. Quemadmodum enim neſciẽs foueam, quòd ipſam caueat, per accidens id eſt a fortuna eſt: ita neſciens aliquem honore dignum, quòd ipſum reuereatur, per accidens, id eſt à fortuna eſt. Qui ergo non polluit ſanctuarium Dei ille eſt: qui & quòd ſanctuarium ſit honore tali dignum agnoſcit, & ipſum tali honore cognitioni illi correſpondente reueretur. Is autem (ab oppoſitis) polluit ſanctuarium Dei, qui uel non honorat, ſanctuarium ipſum; uel ſi honorat à caſu (ut ſupra) hoc facit. Siue autem hoc modo, ſiuè illo non honoret ſanctuarium, peccat: & dicitur polluere ſanctuarium Dei. Verum quidem eſt; quòd plus peccat nullo modo honorans illud, quam à caſu honorans. Notandum inſuper: quòd honor ſiue à cognitione actuali, ſiue habituali procedat, non dicitur à caſu: licet procedens ab habituali minus dicat de honore, quam ab actuali. Hinc eſt: quòd quilibet mundus honorat ſanctuarium Dei honore à cognitione actuali, uel ſaltem habituali (cum habeat gratiam) procedente. Nec tamen ex hoc inferas; quod omnis honoratio, quam peccatores exhibent ſanctuario, ſit peccatum: ſed inferas; quòd omnis talis honoratio, ut à peccato procedit, eſt peccatum. Immũdus itaq; polluit ſanctuarium, uel quia ipſum non honorat, uel quia ſi honorat; ipſa honoratio procedit à peccato. Verbi gratia. Accedit quis peccator ad altare, talis peccat: quia non honorat altare. Quamuis autem forſan honoret illud per genuflexiones ac ſimilia (quod eſt benefactum eique proficuum) non tamen iſte exterior honos tunc dicitur propriè, & principaliter honos, quia ab interiori honore non procedit. Non enim à mundicia interiori, quæ propriè, & principaliter honorẽ Dei importat, uenit. Quis enim ſi aliquis comedat illam ueram commeſtionem dicat: ſi comedens non habeat animam? Nullus. Hoc patet de Angelis comedentibus in corpore aſſumpto. Quare illa non eſt uera comeſtio? Quia a principio intrinſeco, quod eſt anima, non procedit; licet ibi ſit contritio ciborum per dentes, & traiectio illorum per gulam. Sic in propoſito. Licèt honor extrinſecus per ceremonias adſit: non tñ is dicitur propriè, & principaliter uerus honor, niſi ab interiori mũdicia procedat. Peccat uerò talis accedens ad altare, non quia cæremo

nis honoret Deum (abſit) ſed quia immunditiam interiorẽ altari contrariam habet; & multò magis, ſi eam tunc uolũtariè actualiter retineat. Is etiam honor exterior eſſet peccatum; ſi fieret ad finem alicuius rei, quæ eſſet peccatum; quoniam tunc à peccato procederet. Verbi gratia. Honorem aliquis exteriorem templo exhibet, ut ſeruet legem Mahumeti: orat quis ut cæremoniales ritus teſtamenti antiqui obſeruet, ut captet beneuolentiam talis hominis, ad facilius furandũ, ſic de ſimilibus. Sũmatim denique ex præmiſſis habes, quòd immundus polluit ſanctuariũ tripliciter, uel quia immundiciã interius habet, uel quia exteriorem cultum non exhibet, uel quia ad finẽ malum illã reuerentiam apportat.

APPENDIX.

1 Hinc habes, quòd locus & locatum debent proportionari; ſi non uult quis polluere ſanctuarium. Secun-
2 dò habes, quòd omne peccatum dici poteſt inhonoratio Dei, ſiue pollutio hominis. Hinc ad peccatores dicebat Chriſtus in Euangelio: Vos inhonoraſtis me. A contrario ergo ſenſu; omnis uirtus poteſt dici honoratio Dei. Hinc Chriſtus in Euangelio uolens ad noſtram inſtructionem oſtendere ſe plenum uirtutibus in omni opere ſuo, dicebat:
3 Ego honorifico patrem meum. Tertiò habes quòd polluere altare eſt peccatum mortale. Nam meretur mortem. Ecce enim; quid peribit (inquit littera) talis de medio Eccleſię ea
4 eo, ꝙ polluit ſanctuarium Dei. Quartò habes, ꝙ nomen hoc, ſcilicet Eccleſia Dei, antiquitus etiam dictũ eſt de ſynagoga.

¶ Applica ad ly (Euangeliũ) Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum lõge eſt à me. Vidiſti enim ſupra, quot modis ſine corde, ideſt ſine cordis mũditia honoratur Deus. Vel ad ly (1. Regum) Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Hoc eſt, qui inhonorant (ut patet per contextum oppoſitum, ſcilicet ly Qui honorant me, honorabo eos) me erunt, &c. Quid ignobilius, quàm perire de medio Eccleſiæ? Iſta eſt illa excommunicatio, quam ſanxerunt Doctores fieri per quodlibet peccatum mortale. Nam ſicut excommunicatio lata ab ipſo ſuperiore, quæ dr̃ maior, priuat hoiem omni participatione ſacramentorum, atque conuerſatione fidelium; & ſic facit perire quoad illa duo excommunicatum de medio Eccleſiæ: ita hæc, quæ eſt mortale peccatum, priuat hominem omni meritò fidelium de condigno (facit.n. hominem eſſe extra charitatem, quæ membra in merendo connectit ad inuicem); & ſic facit perire quoad meritorum illorum communionem (hic eſt unus articulus fidei) illum peccatorem de medio Eccleſiæ. Licèt enim peccator huiuſmodi talem credat articulum; non tamen ſenſum illius, qui eſt merita aliorum participare, practicè habet: & hoc eſt illud perire de medio Eccleſiæ; uel ad &c. Vide infra cap. 2. conclu. 1. in ly Pro Eccleſia &c.

Text. Peribit de medio Eccleſiæ: quia ſacramentum polluit, & nõ eſt aqua luſt. aſperſus.

Concl. 5. *Non citò pœnitere de peccato aggrauat peccatum, & pœnam magis meretur.* [Ex eo.]

Ratio. Pœnam minatur propter duo tùm quia ſanctuarium polluit, tũ qa talis peccator nõ eſt aſperſus aqua. Quaſi apertius dicat: Si poſt immunditiam fuiſſet aſperſus aqua luſtrationis, aliquali miſericordia uteret erga illum, mitigando ſcilicet pœnam, uel totaliter relaxando: nunc autẽ, quia poſt immunditiam contractam non eſt aqua illa aſperſus, miſericordia tali uti nolo. Peribit ergo de medio Eccleſiæ. Ecce quòd nullam limitationem ad dictam pœnam apponit; ſed tanquam reſolutiſſimus eam pronunciat. Illis uerò, qui immundi fuerunt, & aqua luſtrationis aſperſi ſunt; dedit nè talem pœnam Deus? Non. Quare? Quia poſt peccatum pœnitentiam non tardauerunt. Et nota, quod ideo erat præfixus terminus ad ſpargendum aqua luſtrationis immundum; ut & pœnitentiam uideas à Deo amari poſt peccatum, & citam pœnitentiam.

APPENDIX.

1 Hinc habes, ab oppoſitis, ꝙ Deo diſplicet, & non pœnitere poſt peccatum, & ſerò pœnitere non ratione pœ-
2 nitentiæ; ſed ratione tarditatis. Secundò habes; quòd illorum, qui ſerò pœnitentiam agunt, pauci remiſſionem inueniunt; quia multoties pœnitentia illa nõ eſt, ut debet eſſe, uera. Quid hic intelligis ſupplendum? Non eſt aſperſus aqua, ſcilicet tali ritu, ut ſupra: ſuppleatur ergo ly Tali ritu, ut ſupra. Quem ritum poſuit ſupra? Vt die tertio, & ſeptimo mũdus luſtret immundum aqua, & die ſeptimo homo expiatus lauet & ſe, & ueſtimenta ſua. Ecce: quod ritus ad aquam luſtrationis additus ſunt præfixi dies. Cum igitur ſubinfert mox; quòd ſiquis tali ritu non fuerit expiatus, peribit &c. quid tibi inſinuat? Quòd homo poſt peccatum ſi pœnitentiã tardat, periculosè agit, quia peribit utpluſimum. Ita quod ſicut ad non agere pœnitentiam poſt peccatum ſequitur perditio; ſic ad agere pœnitentiam ſerotinam ſequitur ordinariè perditio. Vnde ſic gloſatur textus. Si tali ritu non fuerit aliquomodo expiatus, talis peribit &c. ſin autem fuerit expiatus non ſeruando tempus taxatum, ideſt ſi fuiſſet tantum aſperſus aqua, expiatus nè ueraciter iudicatus fuiſſet? Neſcitur ex littera apertè, & hoc neſcius apertè ex littera, eſt oſtendere, quòd agere pœnitentiam ſeram, quod eſt extra tempus taxatum aſpergi aqua, eſt ualdè periculoſum de ſalute.

¶ Tertiò conſequenter habes, quam optimè concordiret 3
huic capitulo dixit Beatus Hieronymus, quando ait; quòd decem millium uſque ad mortem pœnitentiam differentium uix unus ſaluatur.

¶ Quartò habes conſequenter, quòd inter priuilegia com 4
putandum eſt, quando aliquis ex ſerò pœnitentibus damnationem euadit. Priuilegium enim quomodo interpretatur? Lex priuata; ideſt lex non omnibus, ſed paucis donata. Non eſt igitur trahendum in conuenientiam exemplum latronis, aut ſimilium: alioquin decipiemur. Quare? Quia huiuſmodi ſunt priuilegia, non leges uniuerſales. Tenendum igitur (iuxta Beatum Auguſtinum) eſt certum; & relinquendum incertum. Quid eſt certum? Quòd ſi expiamur taxato tempore, ideſt citò, facile perditionem fugiemus: ſi autem poſt tempus taxatum, ideſt tardè, uix perditionem euademus.

Quintò habes, quod Deus iraſcitur plùs quandoque contra 5
differentem pœnitentiam de peccato admiſſo, quàm contra aliquem actu peccantem. In peccando namque excuſationem aliquam maiorem puta fragilitatis quandque habere poteſt homo, quam in pœnitentiam prorogando. Vnde ad hoc inſinuandum dixit Pſal. Recordatus eſt, quia caro ſunt. Hoc eſt. Vidit Deus, multas eſſe fragilitates humanas ad peccandum: & peccatoribus taliter ſubitaneis facilè miſertus eſt. Hinc Auguſtinus in regula quaſi exponens pſalmum dixit; Melius eſt qui, quamuis ira ſæpè tentetur, tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui feciſſe agnoſcit iniuriam; quã qui tardius iraſcitur, & ad petendam ueniam tardiùs inclinatur. Nota mirabilia. Ille ueniam petiturus, præſupponitur ab homine: & dicitur, ꝙ peius facit tardãdo petere ueniam poſt minorem culpam; quam accelerando humiliationem illã poſt maiorem culpam. Magna certè uirtus humiliationis, & citæ humiliationis. Cita humiliatio maiorem culpam facit magis remiſſibilem, quam minorem culpam tarda humiliatio. Quid ergo de illis dicendum ex Auguſtino reſtabit, qui & grandiores patrarunt culpas, & tardas protraxerunt pœnitentias? Hi certè duplici de capite difficiliorem ueniam inuenient, tum ſcilicet rõne ſcelerum, quia magna ſunt, tum ratione humiliationum, quia ſeræ ſunt. Videant hi, nè de ſeipſis dictum illud uerificetur: Serò medicina paratur. Quid ſerò, ibi? Ideſt ſine fructu. Magis, ergo, ſecundum Auguſtinum prædictum, maiora delicta remittit Deus citò pœnitentibus, quàm minora tardè pœnitentibus. Hoc modo intellige & Iſaiam ibi: Quærite dominum, dũm inueniri poteſt; inuocate eũ, dũm propè eſt. Quaſi dicatur in propoſito. Dominus eſt propè; ergo inueniri poteſt faciliter: Dominus eſt longè; ergo inueniri poteſt difficulter. Quando eſt prope, & quando eſt longè? Cũ tu citò poſt peccatum pœnitentiam agis, dominus eſt propè te: Cùm uerò ſerã pœnitentiam, dominus à te longè eſt. Conſequenter ergo dominus tibi citò pœnitenti faciliter dabit ueniam; tardè uerò pœnitenti difficulter dabit illam. Ad hæc quid ſequitur? Quòd nos ſumus, & cauſa peccatorum, & cauſa difficultatis ueniæ peccatorum; cum & peccata faciamus, & pœnitentia, differamus. Hæc quoque omnia ex præſentis capituli litteræ, ubi de negligentia expiationis tantopere ſtomachatur Deus, abſque difficultate trahere uales; ſi profundius litteram hanc conſiderare uelis. Sed ad Beatum Auguſtinum reuertamur. Melius eſt (inquit) qui quamuis &c. Quare dicitur melius? Quia minus malum. Minus enim malum eſt offendere, & ueniam non petere. Minus, ergo malum eſt, ſæpius

offendere, & cito ueniam petere? quam rarius offendere, & tardius ueniã petere. Vides ne, quòd Auguſtinus habet quaſi pro non pœnitentia ipſam tardam pœnitentiam? Siſte quæſo. Minus malum eſt (inquiebat) offendere, & poſt ueniam petere, quàm offendere, & poſt ueniam non petere. Quid inde ſequitur? Minus malum eſt (inquit), ſepiùs offendere, & citò ueniam petere, quàm rarius offendere, & tardiùs ueniã petere. Cõpara (lector) offenſam ad offenſam, ueniam ad nõ ueniam, & offenſam ad crebriorem offenſam, & ueniam tardam ad rariorem offenſam, & uidebis, quæ diximus, quòd ſcilicet habet quaſi pœnitentiam tardam pro non pœnitentia. Ecce offendit iſte, ueniam petit, conſequitur ueniam: offendit ille, ueniam non petit, non meretur ueniam. Rurſum. Offendit ille crebrò, petit citò ueniã; meretur, (loquendo large de merito) ueniam: offendit ille rarò, petit ſerò ueniam, meretur difficiliùs ueniam. Vide: offenſa ſine pœnitentia non habet ueniam, per primum exemplum: offenſa rara cum pœnitentia ſera habet difficilem ueniam, per ſecundum exemplum. Si ergo ſit offenſa parua, & non pœniteas, non meretur ueniam: ſi ſit offenſa magna, & pœni-
1 teas tardè, difficulter habet ueniam: ſi ſit offenſa maior, & citò peniteas, minus difficiliter habet ueniam. Ex una igitur parte ponas offenſam grandiorem cum cita pœnitentia; ex alia parte offenſam minus grandem cum tarda pœnitentia; ex alia parte offenſam paruiſſimam ſine aliqua pœnitentia. Modò interroga Beatum Auguſtinum; & dic: Offenſa grandior cum cita pœnitentia meretur ne ueniam? Sic (inquit), & minus difficilem, quia eſt pœnitentia; minus difficilem, quia cita. Offenſa minus grandis meretur ne cum ſera pœnitentia ueniam? Sic (inquit) at magis difficilē: ſic, quia eſt pœnitentia; magis difficile, quia ſera. Offenſa paruiſſima ſine aliqua pœnitentia meretur ne ueniam? Minimè (inquit) quia nulla eſt pœnitentia. Hæc dicta ſunt ad oſtendendum, quàm grata ſit Deo cita pœnitentia, & tarda ingrata; atque ideo ratione tarditatis pericu-
7 loſa; non autem quia peccatum grauius non ſit ſecundum ſe deteſtabilius, Deoque horribile magis, p̃ uſque nobis nociuum, quam minus graue: & conſequenter magis fugiendum. Nè etiã in prædictis intelligendis fiat error, aut ex illis falſum inferatur, memento documenti verè aurei Concilij Cabilonenſis 2. cap. 36. dicentis. Quidam ex induſtria peccantes propter eleemoſynarum largitionem quandam ſibi promittunt impunitatem. Eleemoſyna extinguit peccata (iuxta illud: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna extinguit peccatum); ſed ea, quæ aut neceſſitate, aut caſu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea uerò, quæ ex induſtria, aut cuiuſlibet libidinis explendæ cauſa idcircò fiunt, ut eleemoſinis redimantur, nequaquã eis redimi poſſunt: quia qui hoc perpetrant, ordentur Deum mercede cõducere, ut eis impunè peccare liceat. NON ERGO QVIS IDCIRCÒ PECCARE DEBET, VT ELEEMOSINAM FACIAT: SED IDEÒ ELEEMOSINAM FACERE DEBET, QVIA PECCAVIT. Hæc ibi.

6 ¶ Sextò habes, quòd Deus de honore ſui magis curat, quã de ſalute noſtra ſpirituali; & conſequenter quòd idem nobis faciendum eſt. Vnde trahitur hoc? Ex eo, quòd prius facit mentionem de pollutione ſanctuarij, quam de non expiatione peccatoris. Peribit (inquit) quia ſanctuarium domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis expiatus. Hic duas rationes, cur ille periturus ſit aſſignat; inhonorationem. ſ. Dei (ecce; polluit ſanctuarium), & maculam peccatoris (ecce; Non eſt aqua luſtrationis expiatus): At pollutionem ſanctuarij antepoſuit maculæ animæ peccatoris. Quaſi ex iſta ordinata poſitione dicat. Cauſa principalis, quare peccatorem perire decerno, eſt inhonoratio ſanctuarij mei: cauſa verò ſecundaria ad hoc eſt macula perſeuerãs in anima peccatoris. Quid eſt maculam eſſe in anima? Eſt denigratio animæ; & conſequenter iactura propriæ pulchritudinis, ac damnum propriæ ſalutis. Quid eſt expiari à macula illa? Eſt pulchritudinem ſpiritualem, atque ſalutem, adipiſci. Vides igitur clarũ, quòd honor Dei anteſertur à Deo noſtræ ſpirituali ſaluti; quoniam polluere ſanctuarium magis penſat, quam non expiari peccatorem aqua illa.

7 ¶ Septimò habes, quòd meritò in oratione dominica præponitur de ſanctificatione nominis Dei petitioni remiſſionis debitorum noſtrorum, & quomodo hoc intelligatur. Intelligitur enim ſic; inquantum .ſ. in dimiſſione debitorum no-
8 ſtrorum conſideratur ſalus creaturæ ſpiritualis. ¶ Vlteriùs igitur a fortiori habes, quòd honor Dei præponendus eſt ſaluti corporali creaturæ cuiuſlibet, & q̃ conſequenter propter ſaluandum honorem Dei ſiue in nobis, ſiue in proximis, debemus ſubire quaſcunque pœnas. Pœnas autem ſpirituales, ideſt peccata, propter honorem Dei ſaluandum ſubire quamuis ſtultiſſimum ſit, pœnas nihilominus corporales propter illum ſaluandum ſubire ſapientiſſimum eſt. Hoc denotauit Chriſtus ibi; Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Nam ſerpens totum corpus exponit percuſſionibus propter ſaluandum caput. Vbi, in propoſito, eſt noſtrum caput? Honor Dei. Vbi corpus? Noſtra omnia. Exponere ergo omnia ſua cuilibet ſupplicio, peccato dempto, eſt exponere corpus percuſſionibus: Et ſaluare caput eſt ſaluare honorem Dei. Stultiſſimum è ueſtigio dixi, ſubire pœnas ſpirituales. i. peccatum propter honorem Dei ſaluandum: quia honor Dei non ſtat nobiſcum cũ ſubiectione noſtri ad peccatũ. Hoc dixiſſe uoluit Apoſtolus ibi: Non ſunt facienda mala (.ſ. culpæ), vt ueniãt bona. Vnde eſt huiuſmodi differentia præmiſſa. Hinc quòd in pœna honor Dei iuſtitia uidelicet ſua, relucet; in culpa uerò inhonor
9 Dei, ideſt ipſius offenſa, cõſideratur. Hinc nonò conſequenter habere potes, quòd ſi culpa admitti poſſet abſque inhonoratione Dei, tunc etiam culpam admittere, ſeu (quod idẽ eſt) pœnas ſpirituales ſubire quaſcunque, deberemus, propter ſaluandum honorem Dei. Tunc enim non ſaluaretur illud dictum; quòd ſcilicet non ſunt facienda mala, ut ueniant bona: immò nunc clamaret Apoſtolus; Faciamus mala, ut ueniant bona. Sed hoc eſt impoſſibile omnino: vt. ſ. in peccato mortali quocunque ſit illud, ut peccatum eſt, ſit honor Dei ſalua-
10 tus. Decimò conſequenter habes, quòd auerſio à Deo principalius oditur à Deo in peccato mortali; quoniam auerſio inhonoratio Dei eſt. Vnde ſi poſſet dari cõuerſio ad mutabile bonũ abſq; aliquali auerſione a Deo incõmutabili bono: iã peccatum non eſſet peccatum formaliter. Nam formalitas eius in auerſione à Deo conſiſtit.

QVi tetigerit aquas expiationis immundus erit. Text.

Concl. 6. *Antiqua ſanctificantia non ſanctificabant hominem immundum ex ſua ipſorum uirtute.* [Ex eo.]

NOTATO ſingula. Aquę expiationis ſanctificabant (ideò Ratio. enim expiationis vocabantur); & tamen qui illas tangebat, immundus ex tactũ reddebatur. Mirandum certè hoc eſt; ut unum, & idem mundum redderet & immundũ ex tactu ſui; & immundum redderet. Sed deficit admiratio, ſi conſideremus, quòd munditiã ipſam non cauſabant aquę illę ex uirtute propria, ſed tantùm ex operé operantis. Vnde oportebat, quòd operans ritum à Deo taxatum, ſi mundari uoluiſſet, obſeruaret. Ad hoc etiam ſignificandum expreſſius dictum fuit, quòd alias tãgens aquas immunditiam contrahebat. Si enim uirtute propria cauſaſſent aquæ munditiam; quomodo nũc immunditiam cauſarent? Oſtenſum igitur per hoc eſt, & a fortiori ſanè, quòd munditiam non afferebant virtute propria. A fortiori, inquam; quia remota uirtute operantis, quæ in ritu illo à textu oſtenſo conſiſtebat externus, & interius in fide Chriſti uenturi, immunditiam tangenti ſeipſas conferebant; tantùm abeſt, ut munditiam contuliſſent uirtute propria. A ſimili ergo habes, quòd omnia antiqua ſanctificantia hominem non ſanctificabant ex opere operato, i. ex propria virtute, ſiue eſſent ſacrificia, ſiue ſacra, ſiue ſacramenta, ſiue oblationes.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) Neminem ad perfectum adduxit lex. Vel ad ly Impoſſibile eſt, ſanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata. Supra enim uidiſti, hoc eſſe tãm impoſſibile ab ipſis uirtute propria fieri, ut etiam cauſent immunditiam, ſi ritu non ſeruato tanguntur. Vel ad &c.

COmburetque eam cunctis uidentibus. Text.

Concl. 7. *Chriſtus paſſurus erat corã tota populi frequentia, & conſequenter tempore Paſchatis.* [Ex eo.]

VACCA iſta igni ſigurauit Chriſtum, tùm quia erat ruffa, Ratio. tum quia per manum ſacerdotis occidebatur, tùm quia non portauerat iugum, tùm quia erat ætatis integræ tempore eiuſ uiſ ad occiſionem, tùm quia in ea non erat aliqua macula. Effectuſ rufum enim ſignificabat eſſe charitate plenum, cum charitas igneo colori aſſimiletur. Per manum ſacerdotis, quia Chriſtus immolatus eſt ad petitionem ſacerdotum ex-

ta portam Chriſtum crucifigi; Non portaſſe iugum, eſt nunquam ulli peccato, cùm peccatum teneat ſub ſeruitute, ſubiacuiſſe; Eſſe ætatis integræ tempore traditionis ad occiſionem, eſt eſſe triginta trium annorum tempore traditionis ad mortem; Nullam maculam in ea eſſe, eſt eſſe undique perfectum. Quis modò fuit adeò charus, ſicut Chriſtus? Vnde Pſalm. de ipſo cantat. Ignitum eloquium tuum uehementer, (ò pater æterne). Nonnè à ſacerdotibus in unum coniuratis occiſus eſt Chriſtus? Et quidem. Nam ideò per Danielē dictum fuit; quòd a ſenioribus iudicibus egreſſa eſt iniquitas, qui uidebantur regere populum. Quis potuit Chriſtum arguere de peccato unquam: ut Euangelium dicit? ergo nunquam iugum peccati portauit. Quando ad mortem traditus eſt Chriſtus, nonne triginta trium annorum circumcirca erat; ut innuitur ex Euangelio? Ætatis ergo integræ erat. Quis perfectior, aut æquè perfectus, ut Chriſtus? Nullus omninò. Is enim eſt: in quo complacuit habitare plenitudo diuinitatis corporaliter. Quemadmodum igitur illa uacca non tantum comburi, uel immolari mandabatur, ſed coram omnibus (ut littera habet): ita etiam Chriſtus coram omnibus immolari debuerat. Quoniam uerò figuratum erat Chriſtus, uacca autem figura: ideò coram pluribus debuit immolari Chriſtus, quam uacca. Et uerè ſic adimpletum eſt, quemadmodum figura uolebat. Nam etſi figura coram toto Iſrael ſolummodo immolata ſit; figuratum tamen coram non tantum Iſrael, ſed & populis nationum immolatum fuit.

NOTATIO.

POTERANT quidem iudæi mortis Chriſti tempore diſcere. Non in die feſto; denotantes, quod non coram tanto populo uolebant occidere Chriſtum propter timorem tumultus: ſed non id conſequi ualebant. Impoſſibile enim eſt non adimpleri figuras antiquas: maximè de Chriſto. Cùm ergo figuratum fuiſſet hic, Chriſtum occidendum cunctis uidentibus; oportuit, ipſum occidi cunctis uidentibus. Ergo & in die feſto, & in die feſto tali, quo cuncti preſentes eſſent. Ergo in feſto paſchatis. Ergo & in meridie crucifigi debuit. Ergo & in monte in altum eleuari. Ergo ad hoc tubis conuocari populum: & ſimilia. Ratio omnium iſtorum eſt: quia ad hoc huiuſmodi fiebant, ut cuncti populi uiderent: & in conſpectu omnium immolatio iſta celebraretur. Hoc enim tam prædictum erat.

EXAMEN I.

1 VIDE, ſi non omnia hæc circa uaccam iſtam obſeruata Chriſtum paſſum ſignificant. Primò namque hi, qui occidunt illam, immundi ex hoc dicuntur. Secundò non tan-
2 tum qui occidūt, ſed etiam qui cooperantur aliquomodo occiſioni: id quod denotatur per ponētem lignū cedrinum hyſopum coccūque bis tinctum in flammam, quæ uaccam uorat. Tertiò cineres uaccæ in loco mundiſſimo apportantur ab
3 homine mundo: qui ideò redditur immundus uſque ad ueſperum. Quartò ipſi cineres ſunt in cuſtodiam populi, in
4 aquam aſperſionis, & in ſalutem; quoniam pro peccato combuſta eſt uacca. Quid clarius potuit dici in primo, & ſecundo: ad figurandum; quòd & ſacerdotes, & omnes cooperatores mortis Chriſti, peccauerunt occidendo Chriſtum? Nonne tertio loco dictam figurat apertiſſimè quòd cineres Chriſti mortui, id eſt Corpus mortuum uerè, debuerat ſepeliri in loco mundiſſimo? Et quis locus mundior ad hoc: quàm monumentum nobilis Decurionis exciſum in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat? Et quis locus mundior ad reponendum corpus: quam inuoluere illud in ſyndone munda? Et quid ad ſepeliendum mundius: quàm condire corpus centū ferè libris mirrhæ, & aloes? Licet autem corpus Chriſti non fuerit incineratum: tamen hic, ad denotandum ſolùm ueritatem mortis eius, cineres appellatum eſt. Quaſi dicatur. Sicut negari nequit, quòd cineres alicuius non ſint mortui: ita negari nullo modo poteſt, quòd corpus Chriſti nō fuerit mortuū. A uiro autem mundo portantur iſti cineres; qui poſtmodum ex delatione illorum cinerum redditur immundus. Nonne Ioſeph ab Arimathia, qui Chriſtum ad monumentum portauit, erat mundus? Vtique: tum quia non conſenſerat conſilio, & actibus phariſæorum contra Chriſtum; tùm quia diſcipulus Chriſti erat occultus. His namque rationibus fit, ut mundus eſſet a ſanguine huius, ſcilicet Chriſti. Nunquid nō ex delatione illa redditus eſt immundus? Et quidem; apud totam ſynagogam. Hunc enim Ioſephum, quem prius tollerauerant uelut mundum, poſtea uelut immundum a terra iudæa exulem fecerunt (ut habent hyſtoriæ eccleſiaſticæ) in odium ſepulturę Chriſti. Et nota, quod talis cinerum ſeportator immundus erat uſque ad veſperum. Hoc figurabat duo. Primum eſt; quòd ipſe Ioſeph caſtigari debuerat a iudæis pro iſto facto tandiu, quandiu iudæorum ueſper adueniſſet. Hic autem eorum ueſper fuit quadrageſimo anno a paſſione Chriſti: quando, quaſi finito die in aui uiis eorum in terra promiſſionis, capta Hieruſalem de terra Paleſtina à Romanis expulſi fuerunt. Vſque ad hunc ueſperum ipſe Ioſeph velut immundus caſtigatus eſt à iudæis. Nam (ut hyſtoriæ ferunt Eccleſiaſticæ) tempore excidij Hieroſolimitani inuentus eſt a Romanis incluſus in pariete quodam ad mortē à iudæis ipſis, & liberatus eſt. Licèt enim (ut ſupra diximus) exulauerit prius: tamen fuit ab Angelo deductus iterum in Hieruſalem. Et tunc iſti ſceleſtiſſimi iudæi, non tantum ad inuitam ipſius Ioſeph cōuerſi ſunt ad Chriſtum: ſed nec ipſum minori pœna, quam prius, affecerunt. Nam ipſum Ioſeph ceperunt, & (ad initar fratrum antiquiſſimi Ioſeph proiicientium eum in ciſternam ueterem, ubi non erat aqua) in muro quodam recluſerunt; in quo non dabatur ei nec aqua ad bibendum, nec panis ad edendum. Nam cum ſic ibi mortem obire uolebant iudæi, Ab Angelo autem Dei cibatus ibi fuit. Ad ueſperum uſque igitur modo dicto uir iſte ob cineres ipſos delatos immundus habitus fuit. Secundum autem, quod per ly Vſque ad ueſperum figurabatur, eſt finis mundi. Tunc enim ad ueſperam (teſte pſalmo) conuertentur iudæi ad Chriſtum: Et conſequenter ipſe Ioſeph non amplius ex ſepeliendo Chriſtum ab eis reputabitur immundus. Et opinione igitur, & opere punitiuo reputatus eſt immundus Ioſeph uſque ad excidium Hieroſolimorum, ubi iudæorū dies in ueſperum declinauit, id eſt eorum temporalis conſolatio quoad habitationem in illa terra finita eſt: At opinione tantum reputabitur immundus ipſe Ioſeph uſque ad mundi totius ueſperum.

¶ Nunquid non quarto loco ſuperius dictum in principio effectum ſalutiferum deſignat paſſionis Chriſti? Vtique. Nā paſſio Chriſti ſicut & cineres illi, fuit, & eſt in cuſtodiam populi, in populi ſalutem, in aquam aſperſionis. Per paſſionem enim Chriſti ſaluatus eſt totus mundus, & cuſtoditur ſemper ab omnibus inimicis, iuxta illud Chriſti: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum; tùm ſcilicet ſaluando illa, tùm ſemper à cūctis hoſtibus cuſtodiendo. Fuit quoque, & erit, & eſt, Chriſti paſſi per cineres figurati ſepulchrū eius ſacratiſſimum in cuſtodiam populi; quoniam in reuerentia habetur a populis chriſtianis, habitum etiam, & habebitur ſuper. Nunquid non ſepulchrum huiuſmodi poteſt per antonomaſiam dici eſſe, in cuſtodiam: ex quo inter aduerſarios Chriſti a tot annis illæſum permanet; imo honoratum? Mirum ualde. Turba tam acerrimè fidem Chriſti oppugnat: & tamen ſepulchrum a tot annis illæſum cuſtodit: *Vide.*
Quis non ſtupeſcat? Ea, quæ ſunt Chriſti, longè etiam poſita diſſipare in dies contendit: Et tamen Chriſti ſepulchrum ſibi propius, ut nihil ſupra, per tot annorum curricula conſeruat. *Vide.*
Non tantum igitur populis chriſtianis eſt in cuſtodiam Chriſti ſepulchrum: ſed etiam paganis. Fuit & paſſio Chriſti, tanquam figurati cineres, in aſperſionem aquæ: ſi quidem ab ipſa paſſione ſumpſerunt originem omnia Eccleſiæ ſacramenta; quorum primum, ac neceſſariſſimum, eſt baptiſmus conſiſtens in aqua.

EXAMEN II.

TAM vacca iſta, quàm animalia quæque oblata ſimiliter, quæ ſ. pro peccato offerri dicebantur, erant irrationalia. Conſequenter igitur nec peccauerant, nec peccare potuerant, nec poterant tunc, nec in futurum. Hoc factum eſt à Deo, ut, qū dixit talia offerri pro peccato, intelligeres certiſſimè; ꝙ nō offerebant pro ſuo proprio nec in actu, nec in potētia, nec in habitu, nec in uirtute, nec actualiter, nec originaliter habito, habēdo, uel poſſibili haberi. Quid indè? Quòd a figura in figurati cognitionem certiſſimā uenires circa id, ꝙ. ſ. nunquam habuit, nec habere potuit, uel minimum peccatū. Conſequenter ergo, ut cognoſceres certiſſime, ꝙ quando dicitur Chriſtus pro peccato occiſus, pro populi delicto non pro ſuo occiſum intelligas. Alioquin figuram fac, poſſe peccare, & tunc Chriſtus figuratum, ſi illi conformandus eſt, pec-

care poterit. Similiter faciſ figurā occidi pro peccato proprio, & tunc Chriſtus figuratum, ut ei in hoc conformandus eſt, pro peccato proprio occidi intelligeretur. Nunc autem, figura non potente peccare, qua fronte figuratum potuiſſe peccare dicemus? Nunc autem, figura pro aliorum tantùm peccato oblata, quo prætextu figuratum fuiſſe pro aliorum tantùm peccato immolatum negabimus? Certè non deerant figuræ nobiliores in eſſe, puta rationales, Deo ad figurandum Chriſtum ſuū ſi per ipſas hunc figurare maluiſſet. At per irrationales figurare ſuum filium ſapientia inuincibili ad conuincendos omnes Chriſti hoſtes eligere uoluit: ut Chriſtum mortuum uidentes ipſum & innocentem & pro aliorum tantùm peccato mortuum fateri cogerentur. Hinc obſtruatur os tyrannorum omnium antiquorum loquentium de Chriſto iniqua, dùm Chriſti mortem uitio dabant Chriſtianis martyribus. Hinc pagani, & alij, ſi qui ſunt, qui Chriſti morti detrahunt (dicentes. ſ. Chriſtum mortuum pro peccatis proprijs, uel pro aliorum cum proprijs), erubeſcant, & confundantur & pereant: & à figuris cognoſcant, quoniam rectus ſemper Chriſtus Deus noſter & non eſt ulla iniquitas in eo.

Text. QVi tetigerit aquas expiationis, immundus erit.

Concl. 8. *Nemo ſemetipſū baptizare poteſt.* [Ex eo.]

Ratio. IMMVNDVS aquis expiationis mundatur, ſi ab alio aſpergatur, ſi autem ſeipſum ex his aſpergat, non fit mundus. Baptizari poteſt ergo (à figura ad figuratum arguendo) peccator ab aliquo alio, & emundabitur, ſi autem peccator quiſpiam ſemetipſum baptizauerit, non emundabitur. Conſequenter igitur baptiſmi ſacramentum quis non ſuſcipit, ſi à ſemetipſo baptizetur, & ſuſcipit illud, ſi ab alio baptizetur.

Not a. ¶Immunditia peccati in mundū introiuit alio ſuggerente: Et ideò, ut antidotum dolori correſpondeat, uoluit Deus, ut per alterius miniſterium ſacramenta ſalutis nobis conferrentur. Voluit, inquam, quòd ſicut ſubijci alteri in peccando elegimus: ita in ſalutem acquirendo alteri ſubijciamur. Et ſic quemadmodum humilitatis falſa ſpecies (hæc eſt ſequi conſilium alterius in malefaciendo) nos decepit: ita uera humilitatis ſpecies (Hæc eſt ſequi conſilium alterius in benefaciendo; uel ſubijci actioni alterius bonæ) nos in ſalutem trahat. Sic enim ars deluditur arte: dum humilitas ficta humilitate uera retunditur; & dum qui per humilitatem uanam uincebat, per humilitatē ueram uincitur? Vis cernere modò, quòd ad alterius ſuaſionem peccatum intrauit in mundum? Diabolum relinquo: loquor tantum de hominibus. Sic enim uidetetur diabolus baptizaturus per rationem adductam: ſicut diximus, quòd homo baptizaturus eſt. Nonne reſponſionem ad hoc quæſitum audiſti in Geneſi? Sed eſto. Vis, eam tangam: ut recolas. Ecce In paradiſo terreſtri poſito homini primo (teſte Geneſis capitulo tertio) Eua ipſa & uerbis & factis peccatum gulæ ſuaſit, ac perſuaſit. Dedit (ait ſcriptura) pomum uiro ſuo. Ecce; quod factis comeſtionem inhibitam ſuaſit. Credis forſan, Euam afferendo pomum ipſi uiro nolēti prius comedere, nihil dixiſſe? Nè id tibi in mentem ueniat. Et uerbis ergo comeſtionem ſuaſit. Non tantum itaque ſi ab aliorum miniſterio mendicanda unicuique ſalus eſt: quando unuſquiſq; noſtrum (Quādoquidem in uiro primo oēs peccauimus) per miniſterium alterius uenenū peccati hauſimus.

EXAMEN I.

Not. 9. PRo iſta octaua concluſione aduerte: quòd adeò uera eſt concluſio, ut littera talē hoīem condēnet. Non enim tantum dicit; quòd tangens per ſeipſum aquas expiationis non mundabitur (id quod ad noſtrum propoſitum ſufficere uidebatur): ſed ait, quòd tangens illas per ſeipſum immundus redderetur. Quis non uideat, maius quid nunc dici: quam ſi tantum diceretur, quòd nō mundabitur? Minus enim eſt nihil boni per aliquam actionem fieri; quam & nihil boni, & quippiam mali. Baptizans ergo ſeipſum non tantum non ſaluatur; ſed damnationem indè promeretur tanquam agens contra intentionem Eccleſiæ. Quòd autem diximus de baptiſmi ſacramento: tu de omnibus alijs ſacramentis dicito. Nemo ſiquidem ſeipſum a peccatis ſacramentaliter abſoluere poteſt; nemo ſeipſum oleo extremæ unctionis ſacramēti perungere; nemo ſeipſum ordinis ſacramēto initiare; nemo ſeipſum ſacramento confirmationis donare. Quòd uerò quis, puta ſacerdos, poſſit ſeipſum communicare, propoſito huic non officit. Hoc. n. eſt, non inquantū communicare ſacramentum præciſe dicit (ſic namque ratione eadem alia ſacramenta poſſet ſacerdos ſibimetipſi conferre); ſed inquantum per modum cibi communio illa datur. Quomodo? Audi. Cibus præſupponit cibandum eſſe uiuum; & conſequenter potentem ſe cibare, niſi aliud obſtet. Quia igitur per modum cibi datur Euchariſtia: hinc eſt quòd ſacerdos, iuncta illa ratione conſequenti, poterit ſibimet Euchariſtiam miniſtrare. Quia uerò alia ſacramenta non per modum cibi dantur; ideò non ſupponunt, quempiam ſibimetipſi poſſe miniſtrare illa. Ligatus enim ut ligatus (quod dicit extrema unctio & penitentia ſacramentalis) dicit ligatum non poſſe ſeipſum ſoluere: tantum abeſt, ut dicat potentem ſemet abſoluere. Similiter perficiendus ut ſic (quod dicit & ordo, & confirmatio) dicit expectationem perfectionis ab alio. Non enim aliquis ſemetipſum perficit: ſed ab alio perficitur. Vel aliter etiam dici poteſt: & ſic. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in conſecratione materiæ. Et ideò materiam ipſam conſecratam aliquem, puta ſacerdotem, ſibimet applicare non inconuenit. Non enim ſemetipſum tunc ſacerdos conſecrat: ſed iam conſecratum ſacramentum recipit. Vnde ſemetipſum communicare eſt ſacramentum iam factum aſſumere: non autem ſacramentum ſuper ſeipſum facere. Hinc ergo ad alia ſacramenta euidens oritur diſcrimen. Alia enim ſacramenta præmiſſa ſtant tantum in uſu materiæ: non in conſecratione. Hoc eſt. Baptiſmus non fit ſacramentum, niſi aliquis baptizetur: id eſt aqua baptiſterij non dicitur ſacramentum, niſi dum ea ad aliquem baptizandum utimur. Idem dico de oleo extremæ unctionis, de ſacramento penitentiæ, de Criſmate confirmationis. Tunc enim ſolummodo fit ſacramentum extremæ unctionis, quando actu applicatur homini materia cum uerbis, & ſacramentum penitentiæ cùm actu uerba ſuper materia applicantur; & ſacramentum confirmationis ſimiliter. Vis hæc expreſſius intelligere: quomodo ſcilicet Euchariſtia cōſiſtat in cōſecratione materię, cętera uerò ſacramenta ſolummodo in uſu? Attende. Eſt hic hoſtia: Eſt hic aqua, oleum, Criſma, peccata. Si uerba conſecrationis dicat ſacerdos ſuper hoſtiam, etiam quòd nullum communicet aut communicare intendat, intendens illam conſecrare: nonnè illa hoſtia protinus & ſic ſacramentum, & remanet ſacramentum contemporaliter ad durationem ſpecierum panis? Vtique. Dic modò mihi. Si uerba baptiſmi dicat ſacerdos ſuper aquam baptiſterij, nullum actualiter baptizando; aut ſuper oleum ſanctum, nullum actualiter inungendo; aut ſuper Criſma ſanctum, nullum actualiter confirmando; aut ſuper peccata, nullum actualiter abſoluendo; aut ſuper Euangelij librum, aut ſuper materias alias ordinis, nullum hominem actualiter ordinando; ſi (inquam) ſic faciat, nunquid aqua baptiſterij fiet ſacramentum; aut materiæ cæterorum? Non. Quare non? Quia uerbum non accedit tunc ad elementum: quo ſolùm accedente elementum fit ſacramentum. Et quomodo non accedit; Cum uerba à ſacerdote ſuper materiam proferantur? Quia non eo ſenſu, quo iacent, proferuntur. Et ideò, acſi non proferrentur, eſt: ex quo uerborum ſenſus prolatus non ſaluatur. Proferuntur ergo materialiter tantum: non autem formaliter. Et ideò tunc non ſunt forma ſacramenti. Quocirca nihil per ſolam ſuppoſitam materiā fit. Nam ſacramentum quodlibet materiā & formā requirit ad ſui eſſentiam. Hoc denotauit B. Auguſtinus dum inquit; accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentum. Sed cùm uerbum uoluit eſſe elementi formam. B. Auguſtinus; intendebat, quòd uerbum formaliter, & non tantum materialiter (ut in caſu prædicto fieret) proferretur. Verbum tunc materialiter profertur, quando quoad ſonum tantum litterarum dicitur: profertur autem etiam formaliter, quando iuxta ſenſum illarū litterarum ſeruatur. Verbi gratia. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Ecce ſonus litterarum. Senſus litterarum quis eſt? Quòd aliquis homo ſit præſens, qui baptizetur. Hoc enim notatur in ly te. Si ergo ſacerdos proferat iſta uerba ſuper materiā tantū baptiſmi, & nullū actualiter baptizet: nunquid proferre dicendus eſt uerbum ſuper elementum eo modo, quo ſupra intellexit Auguſtinus? Abſit. Sic igitur nullum tunc circa aquam fiet ſacramentum. Hoc modo & uerba aliorum præmiſſorum ſacramentorum conſideres; cùm in omnibus illis ponatur ly te: Et tunc uidebis, quòd nullum fit ſacramentorum abſente homine actualiter illud ſuſcipiente; & conſequenter apertè conſpicies, quòd

huiuſmo-

huiuſmodi ſacramenta conſiſtunt tantum in uſu materiæ: Et conſequenter, quod non eſt ſimile in propoſito capituli huius de Euchariſtia, & alijs prædictis ſacramentis.

¶ Viſú eſt hactenus quod Euchariſtia in cõſecratione materię, & alia tantū in uſu. Quorſum? Ad hunc finē iſta uidimus: ut ſciamus, aliquem poſſe ſemetipſum communicare, non autē baptizare uel &c. Ex ſuperioribus enim notum eſt: quòd in alijs ſacramentis cadit ly te, in uerborum prolatione. Conſiderationem modò unam paruulam adiunge, & dic. Ly te, cuius perſonæ? Cum ergo uideris ly te eſſe perſonæ ſecundę & baptizantem ſeipſum non eſſe perſonæ ſecundæ reſpectu ſuimet: Videbis quoque, quòd nullus poteſt baptizare ſemetipſum, uel ſimilibus ſacramentis imbuere, utpotè concernentibus ly te. Non enim tunc forma ſacramenti ſaluaretur, ut forma: & conſequenter nihil efficeretur. Cùm autem in ſacramento Euchariſtiæ nihil ſecundæ perſonæ interueniat: hinc eſt, quòd in conſecratione materiæ ſacramentum tale conſiſtit; & conſequenter quòd aliquis ſeipſum communicare poteſt. A forma igitur, uerbis ſcilicet ſacramentorum, uenimus in cognitionem, quod nam ſacramentum conſiſtat in conſecratione, uel in uſu tantum: & ab hoc in cognitionem; quo nam ſacramento poſſit quis ſeipſum ſanctificare, & quo non: ac per conſequens à uerbis ſacramentorum totam differentiæ deciſionem mendicauimus.

Nota.

E X A M E N II.

HÆc ſupradicta intelligas iuxta regulas nobis à Chriſto in ſacris litteris præſcriptas: & non ultra menſurā, quā menſus eſt nobis Deus. Hoc eſt. Per ſupradicta, quamuis uerisſima ſecundum doctrinam catholicam ſint, nè intelligas; quod uelimus ligare manus Dei: qui ſacramentorum omnium auctor eſt. Scimus namque Catholici nos omnes; quòd Deus poteſt effectum conferre ſacramentorum ſine ſacramentis: & conſequenter à fortiori, quòd ob ſpecialem ſibi placitam rationem poteſt mutare formam ſacramētorum, ut dicamus pro ly te ly me. Auctoritate igitur diuina ſpeciali poterit quis & baptizare ſeipſum, & confirmare, & inungere &c. ſicut dicitur factum de quodam iudæo. Hic enim ſemetipſum ex inſtinctu ſpiritusſancti baptizauit: & ſic à Romano Pontifice talem baptiſmum fuiſſe ei ad ſalutem comprobatum eſt. Sed quis ſcit ſenſum domini: niſi ipſe de altiſſimis oſtenderit? Sicut igitur per regulas à ſacris libris nobis datas non debemus derogare uirtuti ſpiritus ſancti, ut eum aliter abſolute poſſe facere negemus: ita ex eo, quod aliter abſolutè facere poteſt, non debemus aſſerere contrarium eius, quod nobis ſacrę paginę indicant. Quid ergo faciēdum eſt? Determinanda eſt ueritas ſecundum quòd nobis uoluntas Dei per ſcripturas innoteſcit: dimittēdúque Deo, an aliter uelit facere. Alioquin ſemper in ancipiti eſſemus; & ſemper in alto, nunquā in portu nauigaremus. Tenenda ſunt itaque uerisſima illa, quæ in primo examine diximus; & his contraria repellenda quoniam ſic dicendo non extendimus nos ſupra regulam, quam poſuit nobis Deus, nec etiam, Dei potētiam aliter abſolutè facere non ualere, dicimus. Vide, quam rectè philoſophia hiſcè ſuſcripſerit. Quid ait? Quòd iudicium de rebus quibuſuis dari debet ſecundum ea, quæ ſunt per ſe: nō ſecundum ea, quæ ſunt per accidēs. In propoſito autem, quę ſunt per ſe? Voluntas Dei, quatenus nobis in ſacra ſcriptura reuelata. Quæ ſunt per accidens, reſpectu ſcilicet noſtri? Voluntas Dei, quatenus abſolutè ſupra reuelationem ſcripturarum ſacrarum, conſiderata. Rariùs enim admodùm aliter facit, quàm in canonicis libris continetur: ideò uoluntas ſic conſiderata uoluntas per accidens (.ſ. reſpectiuè ad ipſam ut in ſcripturis) dici poteſt. Vel melius. Illa per accidēs dicūtur, quæ nobis ignota ſunt (hac ſiquidē ratione dicunt relinquenda eſſe ab arte): & uoluntas Dei, ut ſupra reuelationē in ſcripturis factā uult facere, nobis ignota eſt. Quid concludis ex hoc? Quòd uoluntas Dei talis dicitur aptè reſpectu noſtri uoluntas per accidens. Quid ultra cōcludis? Quòd is inſipienter iudicat de aliqua re agenda, uel non fienda, qui ſecundum uoluntatem Dei, potentiæ abſolutè ſupra reuelationem huiuſmodi innixam, iudicium determinat. Quid ſi non determinet? Etiam inſipienter agit: ſi propter talem uoluntatē abſolutam dubiosè, uel minus ſolidè, ueritatem pronunciat de aliqua re ſecundum uoluntatem in ſcripturis expreſſam. Debet enim ſapiens, tenere certum (ut monet B. Augu.), & dimittere incertum: & conſequenter non debet propter incertū in dubio aliquali ponere certum. Exempla ad hæc habemus à ſacroſancta ſynodo Tridentina in principio ſuo, ubi de ſacramento baptiſmi determinat. Ibi enim puerum abſque actuali baptiſmo mortuum certo certius damnatum pronūciat: etiam quod ſciat, Deum non alligatū ſuis regulis in ſcriptura reuelatis exiſtere. Suo etiam loco determinat: baptiſmū non, niſi ſub forma reuelata in ſcripturis datum, eſſe proficuum: etiā quod idem, quod prius agnoſcat. Ex hoc ſacri Cōcilij facto prudentiſſimo quid habes? Regulam hanc, quam ſupra diximus: quod .ſ. in iudicando debemus firmiſſimè procedere ſecundum uoluntatem Dei in ſcripturis, non Dei abſolutè in ſeipſa: & quòd propter Dei abſolutam potentiam non debemus, uel lato ungue, a firmiſſima ſententia ſecundum Dei uoluntatem in ſcripturis reuelatam recedere. Hæc bene notato; memoriæque ſtylo ferreo inſcribere curato: ut ſcias quorundam ſcribentium nouas opiniones circa ſacramēta, uel forſan alia, diiudicare, ut ſcias (inquam) reprobare ſemper malum, & eligere bonum.

¶ De matrimonij ſacramento ſimile iudicium facito, quale de cæteris, ab Euchariſtia, feciſti. Id quod facilè fiendum tibi innoteſcit: ſi formam, uerba ſcilicet, matrimonij cōtempleris. Hinc nanque (ut uidiſti) pendebat principaliter, quod nemo cætera ſibiipſi ſacramenta conferre poterat. Si igitur huius ſacramenti formam alijs ſimilem in eo, quod factum prohibebat, repereris: certiſſimè teneas, nec hoc ſacramentū propter eandem rationem poſſe, quempiam ſibiipſi cōferre; & conſequenter aliud etiam circa cętera dictum tenebis, quod .ſ. matrimonij ſacramentum non in conſecratione materiæ conſiſtit. Vbi igitur forma matrimonij? Ego uolo te pro coniuge, uel ego conſentio in te, ut ſis mihi conſors: uel huiuſmodi. Nonnè in hac forma uides id, quod in cęteris uidebas ſuperius? Quid eſt id? Quòd exprimitur in ſecunda perſona per ly Te. Sicut ergo propter ly te, nemo poteſt ſeipſum ſacramento baptiſmi afficere: ita nec ſacramento matrimonij. Et ſicut propter ly Te, baptiſmus non conſiſtebat in conſecratione materiæ, ſed in uſu eius, cum forma (modo dicto): ita etiam ſacramentū matrimonij propter eandem rationem non conſiſtit in conſecratione materiæ ſed in uſu eius, cum forma (modo conſimili). Nō intelligo autem per uſum matrimonij hunc ipſam copulam carnalem: ſed formam dictam ſuper matrimonij materiam in actu exercito ad perſonam coniungendam. Nam & per baptiſmi uſum non quemlibet uſum intelligebas: ſed formam dictam ſuper baptiſmi materiā in actu exercito ad perſonā baptizandam. Quæ modò ſit materia ſacramēti matrimonij; & an ſit perſonę, uel actus perſonarum, uel aliud: non eſt pręſentis conſiderationis hoc decidere; cùm tantum id diſſerendum ſumpſerimus, quod nobis iſtorum capitulorum paſſus enucleare ſuadent. De huius tamen materia te ad Addi. q. 42. ar. 1. &c. cum Elucid. remitto: vbi à Diuo Thoma catholicisſimè (ut ſolet) negocium hoc deciſum inuenies.

LVſtrabit immundum, tertio, & ſeptimo die. Text.

Concl. 9. *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis explicitè debere dari Chriſti baptiſmum, figuratum eſt; & quòd per ipſum baptiſmum gratia Spiritus Sancti erat habenda.* [Ex eo]

Illa, qui aquis expiationis lauari debebat, lauari mandatus ſolummodo tertio, ac ſeptimo die. Putas, id ſine cauſa factum? Abſit. Temporis fuit uaria præfixio figura eorum, quæ in baptiſmo Chriſti fienda erāt. Sicut enim aquæ illæ baptiſmum Chriſti ſignificabāt: ita quid in ipſo baptiſmo fiendum eſſet, conuenienter fuit declarandum ſub ænigmate. Ratio. Ænigma ad hoc fuit tempus. Vide autem: quàm ſufficienter nobis omnia in baptiſmo futura declarat. In baptiſmo ſunt aliqua exterius, quibus baptiſmus nobis ad ſalutem cęlorum illicò prodeſt. Quæ ſunt exterius concurrentia? Materia, & forma. At de materia nouam mentionem facere ſub tēporis ænigmate non oportebat: quia per aquas ipſas expiationis ſufficienter ſignificata erat. Reſtabat ergo: quod forma ſignificaretur. Hæc autem ſecundum ſuum principale eſt uirtus expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet In nomine Patris & Filij, & Spiritusſancti: quæ ſignificatur per ly Tertio die. Dixi ſecundum ſuum principale; quia in forma baptiſmi alia continentur, quæ non figurantur per ly Tertio die. Quid continetur,

tinetur, ultra illud principale? Miniſtri, actus lauandi, & baptizandi, expreſſio vocalis. Ego, exprimit miniſtrum; Baptizo, actum lauandi, ſeu, baptizandi. Vbi figuratur hic forma quoad iſta tria? Perſona luſtrans immundum figurat miniſtrum; aſperſio ipſa aquæ, actum lauandi; perſona immundi, baptizandum. Ecce tota forma igitur præfigurata olim. Quæ ſunt modò interius concurrentia? Gratia Spiritusſancti. Vnde loquens Christus de baptiſmo ſuo dicebat; ni, quis natus fuerit ex aqua (cointelligens ſuum comitem exteriorem; ſcilicet formam), & Spiritu Sancto &c. Ac ſi apertè dixiſſet: quod baptiſmus ſuus confert interius gratiam Spiritusſancti. Gratiam verò Spiritusſancti eſſe ſeptiformem (unde & ipſe Spiritusſanctus propter hoc ſeptiformis dicitur) norunt omnes. Hæc igitur gratia per diem ſeptimum figurata eſt: in quo die immundus aſpergebatur ſecundum legem. Ac ſi dictum ſit. Ideò aſpergetur immundus die ſeptimo, quia in expiatione figurata .i. Christi baptiſmo, dandus eſt ſpiritus ſeptiformis: ſicut & die tertio aſpergetur, quia in expiatione figurata exprimetur forma continens totam Sanctiſſimam Trinitatem.

¶ Homo mundus (inquit) aqua luſtrationis aſperget immundum. Hinc ne arguas, quòd peccator quilibet non poſſit baptizare aliũ: ſed arguas, quod nunquam licitè extra caſum neceſſitatis baptizare poteſt. Sicut nec ex hoc, quòd ſolus immundus dicitur aſpergendus, inferre debes: quòd ſanctificati in utero, utpote ſunt à peccato mundi, baptizari non debeãt. Hanc enim luſtratione cõſiderare debes eſſe legem; & conſequenter, quæ leuè, ac ordinario curſu, fiunt; tantũ hic eſſe expreſſa. Ratione primi, ſ. ly licitè, importati a lege dic: ergo peccator alterum baptizans peccat, niſi excuſetur per caſum a lege exemptũ. Ratione ſecundi, ſcilicet ly Ordinariè, in lege illa importati, dicas: ergo ſanctificati in utero non ſunt ordinariè, qui ueniunt ad baptiſmum. Et ſic Ioannem Baptiſtam baptizari debuiſſe dices cum D. Thoma: & à ſimili, Hieremiam fuiſſe circumcidendum.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Euntes baptizate omnes gẽtes in nomine &c. Vel ad aliquid ſimile.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XX.

Text. Q Via non credidiſtis mihi &c.

Concl. 1. *Subditi ſunt plerumque occaſio ruinæ prælatorum ſuorum & in ſpiritualibus & in temporalibus.* [Ex eo.]

Ratio. ISRAELITÆ adeo ſæpes ſuis murmurationibus cõtra Moyſen inſurrexerunt: ut tandem ipſum in ruinam tum ſpiritualem, tum corporalem impellerent. In ſpiritualem ſanc, quia in fide nunc minoratus ſuit: In temporalem vero, quia in terram deſiderabilem poſt tot labores non intrauit. Hæ autem duplices ruinæ, quòd Moyſi aduenerint originaliter ex defectu ſubditorum, patet per Pſalmum dicente: vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius. Propter quos, eos? Propter Iſraelitas. Cum ergo propter peccatum proprium Moyſes uexatus ſit (ut hic dicitur) patet, quòd peccatum Moiſycum occaſionaliter fuit ab Iſraelitis.

APPENDIX.

1 HINC habes (ab oppoſitis): quòd boni ſubditi ſunt quandoque occaſio ędificationis prælatorum. Sicut enim propter malos ſubditos ſuperiorum ſpiritus exacerbatur: ita ex bonitate ſubditorum ſuperiorum ſpiritus dul-
2 coratur. Secundò habes: quòd exacerbare, ſeu contriſtare, irrationabiliter ſuperiorem ſuum eſt peccatũ. Vtquid enim putas: quod immediatè ſequatur in litera; quod populus Iſraelicus non potuit habere tranſitum per terram Edom, licèt promiſſionibus tot adiunctis? Hoc factum eſt, ut populi peccatum agnoſceres præcedens, quo ſpiritum Moyſis exacerbauerat. Propter peccata enim uenerunt illis tot aduerſa in deſerto: & ordinariè mox poſt peccatum pœnam ſubſecutam legis. Vnde hic ab iſto effectu mox narrato, quod ſcilicet per regnum Edom tranſire prohibiti ſunt, ocniunt in cognitionem: quod Iſraelitæ peccauerant per hoc, quod Moſſycum ſpiritũ exacerbauerant. Tertiò cõſequenter habes unam regulam, 3
quod ſcilicet, quando punitur aliquis non expreſſa cauſa ad hominem, punitur plerunque propter peccatum ſuum. Vide hic. Nulla exprimitur cauſa, nullam rationem adducit rex Edom, quare nolit Iſraeli per ſuas terras tranſire: ſed ſolùm dicit ſeu ait ad nuncios; Non tranſibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Vbi non tantum negationem tranſitus indicit, ſed etiam pœnam, ſi tranſire præſumant. Ecce quanta mox aduerſitas nulla explicita cauſa ab aduerſario. Vnde eſt igitur illa aduerſitas? A peccato Iſraelitarum prædicto. Ad hunc modum quoties uidiſti Turcam inſolentẽ contra chriſtianos: & nulla ex apparente cauſa à ſe expreſſa, armatum contra illos ueniſſe? Quoties dixit chriſtianis paganus ipſe: Armatus occurram tibi, niſi mihi terram talem, uel talem, dederis? Quoties hæreticos in catholicos inſurrexiſſe audiſti, nulla ex parte ipſorum uix apparẽte cauſa expreſſa? Quoties unum quempiam chriſtianorum uides tribulatum, nulla tibi exterius apparente cauſa? In his, & ſimilibus caſibus, plerunque peccatum præcedens fuit cauſa uera ſequentium aduerſitatum; licet alia non appareat cauſa, uel alij tribuantur. Peccatum igitur chriſtianorum uel in communi uel in particulari plerunque facit Turcam armari, & occurrere contra illos, ſicut peccatum iudæorum iſtud fecit regem Edom armari occurrereque contra ipſos. Et quando peccatũ regnat in cauſa non iuuant humiliationes hominibus factæ, bona uerba nõ proſunt, ad mitigandam hoſtem. Hoc quando euenit: ſignum eſt, quod peccatum eſt cauſa aduerſitatis alicuius ab hoſtẽ. Et quis nõ id facillimè hic aduertat? Moyſes uerbis humanis utitur ad regem, amorem ad eum (uocando ſe fratrem eius) pronunciat, precium pro tranſitu offert, & ſecundam legationem ad regem mitigandum adiungit. Quid facit? Nihil. Quod ſignum hoc eſt? Quòd peccatum eſt in cauſa: & urget regem Edom, ipſo neſciente, aduerſum peccatores Iſraelitas. Quando igitur uel Turcam uel alium in ſe inſurgentem uerbis ſeu donis ſeu promiſſis, non poterit mitigare homo: Hoc ſignum eſt; quod peccatum eſt cauſa belli, & illum urget. O quot ſimilia ſigna uidimus nos temporibus noſtris; & audiuimus facta temporibus antiquorum? Et tamen huic, uel illi rei, quæ non eſt cauſa, tribuimus effectus iſte: & ire alia facientes, non remota uera cauſa, nos ipſos decipimus, ac nunquã proficimus; imò conatum maiorem ad hoſtem propulſandum adiungentes ſemper in horas debilimus, atq; cu Iſraele ab hoſte diuertere non ſine magno dedecore cogimur. Quartò habes: quod peccatum prælati, quãdo ex occaſione ſubditorum uenit, contra ſubditos caſtigatur ſæpius etiam temporaliter. Hinc uideant ſubditi: nè ſuos ſuperiores ad peccatum impatientiæ, blaſphemiæ, incredulitatis, tyrannidis, uel huiuſmodi trahant: quoniam tales ſubditi occaſio illorum peccatorum exiſtentes dabunt pœnas etiam temporales. Hinc aduertant ſecretarij principum, ac familiares, ſeu conſiliarij; ne principem ſuis uel conſilijs, uel taciturnitate, uel alia occaſione, ad peccatum tyrannidis uel &c. pertrahant: quoniam de hoc magnas, ſecundũ peccati ſui proportionẽ, luent et temporaliter (ſi opus fuerit) pœnas. Prouerbium eſt Chi uiua in corte, muore al pagaro. Hoc prouerbium uideant illi forſan eſſe uerificatum ex eo, quòd aliqui curiales quandoque ſunt uel directè uel indirectè occaſio peccatorũ dñorũ ſuorũ aut etiã (quod peius eſt) ipſa peccata dominis ſuadent, maximeq; tyrannidẽ aliquã ſub ſpecie boni; uel iſta peccata, ut poſſunt, non impediunt. Quod dicimus de his, etiam tu ad alios extende conſimiles, qui aliorũ peccatis aliquomodo cooperantur; ſaltem non impediendo, cum poſſint. Tales enim a Deo poſtea temporaliter caſtigantur (puta per deperditionem ciuitatum, aut per aduerſitates alias) tempore opportuno. Peccatum Moyſis hoc nonnè a ſubditis originaliter progreſſum fuiſſe diximus? Pro peccato igitur Moyſis caſtigati ſunt quando a rege Edom, & mala verba, & mala facta ſuſceperunt. Quintò habes a fortiori: quòd ſuperiores alij a Moyſe, poſſunt ad peccatum quodammodo impelli a ſubditis. Ideo uidendum eſt a ſuperioribus: ut bonos ſubditos habere ſtudeant potius, quam ſibi fauentes (ut aiunt) ac adhærentes. Quoniam tunc ſibi ueraciter fauebunt ſubditi: quando eos in peccatum non exacerbabunt. Ideò non mirum ſi Deus permittit poſtmodum, ut ſubditi ad peccandum exacerbent ſuperiores: quoniam ſuperiores quandoq;

pro

pro ſuo guſtu humano, & utinam non diſtorto, habere ta-les ſubditos procurant. Vide; Moyſes unquam tale quid cir-ca quærendos hos ſubditos admiſit: & tamen a ſubditis eſt in peccatum præcipitatus, uituperium, & damnum. Sextò habes, quòd debemus ſemper nos committere Deo in qui-buſcunque uoluerit ipſe circa nos, noſtraque facere. Volue-rat Deus multoties extinguere populũ illum, Moyſemque, loco huius, alteri populo præficere (in ſignum; quòd nouiſ-ſimo tempore Chriſtus Moyſe figuratus, relicta ſynagoga ſuper gentilem populũ rex præficiendus erat) multitudinis do-ctiorique. Quid egit Moyſes, hoc ſæpius audiſti? Precatus eſt dominum, ne populum illũ deleret. Relictus eſt populus; & Moyſi occaſio cadendi fuit. Nunquid ergo Moyſes malè fecit rogãdo pro populo? Abſit. Neque id somniamus: ſed dici-mus; quod bonũ fuiſſet Moyſi, ſi populus deletus fuiſſet. Is enim nõ fuiſſet occaſio Moyſi peccandi: cũ non fuiſſet. Ora tio igitur illa pro relinquendo populo bona fuit Moyſi, atque-tiã meritoria fuit: ſed tamẽ ea parte populi relicti fuit dam noſa per accidens quodammodo Moyſi. Quid indè? Me-lius ergo feciſſet Moyſes; ſi pro populo, ut deleretur, oraſ-ſet? Nequaquam: ſed tamen cum hoc melius feciſſet, ſi & pro illo oraſſet & ne ſibi fieret in ruinam, ſi relinqueretur orationi ſuæ adiunxiſſet. Erat itaque melius Moyſi, quantũ ad illam occaſionẽ peccati, ut faceret Deus de populo, quod comminatus fuerat, quàm quòd non illud faceret. De Moy ſe namque, quoad illam ruinæ occaſionem præciſè, uerifica-tum fuit tunc, quòd orabat neſciens, quid peteret. Neſcie-bat enim, quòd, ſi populus relinquebatur, futurus eſſet ſibi in ſcandalum: pro cuius tamen relictione orabat. Hinc ad-diſcimus (ut ſupra tangebamus in illo ſextò habes): quòd de-bemus nos ſemper committere libenter totos Deo in qui-buſcunque rebus ab eo uolitis circa nos, noſtraque facere. Melius enim nobis tandem erit, quod ipſe uult facere; quàm ſi illud ad preces noſtras non faceret. Sed inquies: Ergo non eſt orandus Deus: & nos contra ueniturum iram ſiue contra nos, ſiue contra proximos, non debemus noſtras ora-tiones interponere? Abſit. Sed ex his inferẽdum dico, quòd quando noſtras orationes circa prædicta Deo offerimus, ſemper conditionem apponere ſalutem noſtram concernen-tem debemus. Verbi gratia. Orauit pro populo non delen-do Moyſes, benefecit: ſed tamen, ut ad plenum melius fa-ceret, conditionem de propria ſalute ſpirituali orationi ap-ponere debuiſſet. Quod enim fuit bonum ſimpliciter, ſcili-cet relictio populi, fuit malũ ſecundum quid Moyſi; pro quã-to ſcilicet, ut dictum eſt. Aliud & indè dico inferendum: quòd quando in orationibus noſtris pro poſſe oblatis non exaudi-mur ad litteram, debemus tenere pro certo; quòd id eſt no-bis melius; & non contra Deum murmurare, nec inde plus nimio grauari; ſed ipſum laudare, ac indè conformando uo-luntatem noſtram Deo lætari. In ſumma ergo teneas, quod pro etiam quantumcunque chariſſimo relinquendo nobis non debemus orare; niſi conditione appoſita, quæ dicta fuit. Alioquin uideamus, ne nobis non ſinceripſi nolentes oc-caſionem ruinæ ſpiritualis, atque temporalis, per orationem præparemus.

Text. QVia non credidiſtis mihi &c. non introducetis hos populos in ter-ram, quam dabo eis &c.

Concl. 2. *Deus nulli, quantumcunque familiari ami co, parcit peccanti in hoc, quòd ipſum, etiam acerbè ſecun dum iuſtitiæ requiſitionem, non caſtiget.* (Ex eo.)

Ratio. NVNQVID Moyſes non erat Deo familiariſſimus? nunquid nõ & Aaron Deo ſacerdos erat, ab ipſo tam ſolemni ter præ omnibus electos (ſupra 17.) & ipſi gratiſſimus? Et ta-men nunc ipſis peccantibus ſubitò pœnam condignam infli-git. Minus quidem fuiſſet, ſi illis pœnam inflixiſſet: ſed nũc maius adiunxit, cùm eam mortis determinauit. Mirabaris, quia pœnam tam ſibi chariſſimis inflixerat: ſed nunc mi-rare magis, quòd ipſam mox inflixit. Ad hoc notandum dici tur in præſenti capitulo, quòd Aaron mortuus eſt. Miran-dum & aliud audi; quòd ſcilicet Deus pœnam iſtam ſuis di lectiſſimis comminatam noluit eſſe irretractabilem. Proba-bile namque eſt, quòd Moyſes poſt pœnæ comminationẽ rogauerit Deum, ut ſibi ab ea parceret, uel eam commuta-re dignaretur; nam quia toties orauerat pro alijs in ſimili caſu, tum quia maximè terram promiſſionis (eò præcipuè, quòd Dei filium humanatum inibi conuerſaturum per fidem ſciebat) uidere geſtiens omnem pœnam temporalem liben-tius de ſe acceptaſſet. Et tamen nullo modo retractatam iſtã pœnam, licet maximam, illis a Deo non legimus. Quòd aũt Moyſes nunc & ipſe mortuus non fuerit, non infert aliquo-modo retractatam ipſi pœnam, uel ad intuitum ſui retarda-tam fuiſſe. Hanc enim retardationem fecit Deus propter utilitatem populi, cui præficiebatur Moyſes; ut interim ali-quis loco ipſius relinquendus de ducatu populi inſtruere-tur, & in iſto interim populus circa ducatum, atque facien-da, non pateretur. Vide quàm bonus dominus; ut de po-pulo tam ſibi toties contrario tantam curam habeat. Quid de pœna Moyſis? Audi & aliud. Maior pœna Moyſi, quam ip ſi Aaron, inflicta eſt, pro eo, quòd Moyſi retardata eſt. Moyſen enim maioribus beneficijs donatum uoluit & acriùs punire Deus, quam Aaronem; ut hic uideres, quòd eodem genere peccati plus peccat magis beneficiatus, quàm minus; & conſe-quenter, quòd acriorem pœnam eodè meretur. Quomodo Moyſes ex retardatione mortis grauius punitus eſt? Hoc pa-cto. Futurum erat, ut filij Iſrael terræ promiſſionis ma-gis appropinquarent, & quòd Moyſes de illa terra ad-huc multa bona audiret, ad illamque magis uidendam ex priuatione naturaliter accẽderetur: & conſequẽter ex his om nibus maior admodum talis ſibi pœna fieret, quàm ſi citò cũ Aaron mortuus corporaliter fuiſſet. Vis adhùc etiam uidere magnitudinem pœnæ ſupra pœnam Aaronis inflictæ Moyſi? Deuteronomij ultimum circa mortem Moyſis conſidera ca pitulũ. Quid ibi dicitur? Quòd Deus, antequã Moyſen mori faceret, mõſtrauit illi terrã promiſſionis: & poſtea illi mortẽ intulit. Ad quid monſtrauit illi Deus terram illam; ſi illam intrare non debuerat? Ad magis accendendum animum Mo-ſaycum pro ingredienda illa (ſi tamẽ Deo placuiſſet); & con-ſequenter ad augendam pœnam iſtam, ſcilicet non intrabis terram datam eis. Retardata ergo fuit pœna Moyſi in malũ pœnæ ſibi multiplex. Vide iterum melius bonitatem Dei cir ca ingratiſſimum populum, quòd non tantùm ſeruat Moy-ſen ad populi utilitatem; ſed etiam Moyſen cum tali ſuo modo ſeruat pro ſalute populi.

APPENDIX.

HINC primò habes, quòd Deus omnẽ occaſionẽ partialita- 1 tis ſibi aſcribẽdã amputauit. Adeo.n. teneri à nullo par tialis uoluit, quòd Moyſẽ ſibi chariſſimũ caſtigauit: & quãto ma gis charũ, tanto magis caſtigauit. Secũdò cõſequenter habes, 2 quòd hoc peccatũ, ſcilicet attribuere Deo partialitatẽ, diſplicet magnopere Deo. Ad hoc enim ut diſplicẽtiæ Dei magnitudi nẽ contra huiuſmodi peccatum agnoſceres, fecit Deus tan-ta; quæ diximus. Tertiò habes conſequenter, quòd par- 3 tialitas maximẽ dedecet (quamuis dedeceat omnes) prælatum, id eſt eum, qui aliorum curam gerit. Hoc enim facto ſuo monſtrauit Deus; dum ſe prælatum tantopere iuſtificare à partialitate curauit. Quartò habes conſequenter, quid ſit 4 partialitas. Non enim partialitas eſt (ut quidam aiunt) magis donare bonum, uel malum magis benefacere huic, quam il-li; aut minus flagellare hunc, quam illum. Sed partialitas eſt, caſtigandum; eò quòd amicus meus ſit, non caſtigare; aut magis caſtigandum, eò quod tali motiuo agat, non magis caſtigare. Partialitas igitur præſupponit (ut inquit Diuus Thomas prima parte) debitum ad hoc, ut poſſit quis dici partialis, ſiue acceptor perſonarum. Supponit enim quod aliquis ſic mereatur accipere. Vnde ſi poſteà, ut in dante il-li alicui conſideretur quodammodo quædam obligatio, qua ſuæ iuſtitiæ obligatur ad dandum huic alicui ſic, uel ſic. Non enim (ut in propoſito loquamur) Deus eſt debitor alicui, ſed ſolum ſibi; ut ſcilicet faciat, quæcunque ordinauit. Quoniam autem ordinauit, ut peccans puniatur, & ſecundum modum peccati ſic puniatur (ſicut etiam ordinauit, quod benefaciens remuneretur, & ſecundum modum benefacti ſic remunere-tur): ideò debitor dicitur ad puniendum malos ſecundũ gra-dus mali; ſicut ad præmiandum bonos ſecundum gradus bo ni. Partialitas igitur fuiſſet; ſi Deus delinquentes, alias ſibi chariſſimos, non caſtigaſſet ſecundum delicti modum. Quid eſt igitur (uniuerſaliter loquendo ex iſto paſſu) partialitas? Eſt non caſtigare ſecundum menſuram illum, qui ſic mere-tur caſtigari; eò quòd amicus tuus antea fuerit, uel ſit: aut non præmiare ſecundum menſuram illum, qui ſic meretur præmiari, eò quòd inimicus tuus fuerit, uel ſit. Iſta eſt defini

tio

tio partialitatis uera; ſeu deffinitio acceptionis perſonarum. Vndè clariſſimè uides ex hac. ſcilicet definitione, quod impoſſibile eſt, partialitatem conuenire Deo; & conſequenter quod attribuere illi partialitatem eſt blaſphemia maxima. Blaſphemia quidem eſt, quia non conuenit Deo, quod tunc ſibi tribuitur: maxima verò, quia nec ſibi conuenire poteſt. Quare non poteſt? Quia Deus non poteſt negare ſeipſum. Negaret autem ſeipſum; ſi non faceret quod ordinauit, uel ſi faceret contra id, quod ordinauit. Quid autem ordinauerit, ſuperius dictum eſt; ſcilicet quemlibet delinquentem modo debito caſtigare, & quemlibet iuſtum modo conuenienti
5 præmiare. Quintò conſequenter habes, quòd nemo ſibi ipſi blandiri, uel ſeipſum deludere debet dicendo: Quia ego ſum iuſtus, & tot annis Deo ſeruiui: ideò non caſtigabor, uel minus caſtigabor, ſi delinquam. Heus tu: imò plus caſtigaberis ſi deliqueris, quoniam & Moyſes plus caſtigatus, quã Aaron, fuit. Et quid eſt illud, minùs caſtigabor, ſi deliquero; quia tot annis ſeruiui Deo? Superbia iſta eſt, & ignorantia magna. Non enim Deo utilitatem attuliſti ſeruiendo ſibi: ſed utilitatem tibimet acquiſiſti. Nunquid non audiſti Chriſtum dicentem: Cùm feceritis hæc omnia; dicite, quia ſerui inutiles ſumus? Cui inutiles ſumus? Deo; non nobis. Ex eo igitur, quod tot annis ſeruiuimus illi, non debemus inferre, nos minus caſtigandos, ſi deliquerimus; quia hoc eſt quaſi dicere, quòd Deus ſit obligatus nobis propter utilitatem ex ſeruitio noſtro acceptam, ad portandum nobis (ut amor) aliquem reſpectum. Quinimò (ut uera fatear) ex eo, quod Deo ſeruimus, plus illi nos ligamus, quam alij. Quare? Quia nos uiliſſimos in tantæ ſuæ maieſtatis ſeruitium, nihil a nobis pro nullo unquam tempore ſperans aſciuit; & ſemper cum tanta patientia nos in tali ſeruitio ſuſtinuit; atque utilitatem indicibilem nobis ex illo ſeruitio ſemper donauit, nulla indè ſibi utilitate unquam nec proueniente, nec prouentura. Hinc, hinc pendet ſeruorum Dei maxima ad Deum, ut ipſum non offendant, obligatio: & conſequenter quòd, ſi ipſum offenderint, magis alijs peccant; & conſequenter quòd maiora ſupplicia, quam alij eodem genere peccati delinquentes, merentur. Vnde igitur maiorem pœnam meretur quis, ſi peccauerit; inde minorem tibi pœnam uendicabas. Quæ maior ignorantia? Et ignorantia hæc (ut prædiximus) ex ſuperbia (qua ferè credimus utilitatem Deo ex noſtro ſeruitio attuliſſe; uel obligaſſe ad nobis, ſi peccauerimus, maiorem reſpectum habendum) naſcitur. Deus igitur non reſpicit perſonam hominum; ſed ſecundum ueritatem iudicat omnes, qui delinquerint. Ad hanc ſupradictam aliquorum opinionem tibi arridentem ſubruendã olim clamauit Deus per unum prophetarum dicens: Si auerterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua, & fecerit abhominationes, nunquid uiuet? Quaſi dicat: Vt dicunt, uel credunt aliqui? Audi reſponſionem cum iuramento firmatam, ad totaliter opinionem huiuſcemodi abolendam: & iuramenti appoſitionem reſponſioni diuinæ ſignum eſſe certiſſimum ſcito, quòd talis opinio falſa eſt maximi nocumenti hominibus; & quod erat multum radicitus fixa in phantaſijs hominum. Omnes (inquit reſpondens dominus) iuſtitiæ, quas fecerat, non recordabuntur; & in peccatis ſuis morietur. Æqua igitur eſt uia
6 domini; ac opinio illa plusquam iniqua. Ergò conſequenter habes, quomodo intelligas dictum Euangelicum. Quod? Cui plus donatum eſt, ab eo plus requiritur. Cui enim plus donatum eſt, hoc maximè donum, ſcilicet ſeruire altiſſimo Deo; ab eo plus, ſi deliquerit, requiretur. Hinc dicitur ad ſeruum Dei: Quanto maior es, tantò magis te humilia, ideſt quantò in ſeruitio Dei antiquior es, tantò magis deformiter te caſurum, ſi ceciderıs, agnoſce, & ideò tantò magis ad auxilium poſcendum a Deo, ne unquã cadas, humiliter aſſurge. Propter hoc etiam deſignãdum, dicebat pſaltes Domino: Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Ergo ſeruus Dei ex pluribus partibus cogitur quaſi ad hoc, ut ſit humilis; modò illud Euangelicum, cum ſupradictis, & capituli præſentis paſſum, uelis profundius con-
7 ſiderare. Septimò habes, quòd ex beneficijs Dei debet nemo ſuperbire; ſed magis ex ipſis humilitatis occaſionem ueram aſſumere. Quis enim non humilietur, ſi tenacius contẽplетur illud Auguſtini; quòd quis quantò in gradu ſuperiori, tantò in periculo maiori uerſatur? Cuſtodi ergo me domine, dicat quiſque iuſtus, quoniam ſanctus ſum: uel quoniam ego in innocentia mea (ideſt quæ magna mea eſt utilitas) ingreſſus ſum.

¶ Aaron morte punitur coram populo omne: qui tamen nec ob conflationem uituli, nec ob murmurationem contra Moyſen, ſimul cum alijs punitus fuit. Quid inter hæc aduertis? Id, quod ſupra (capitulo duodecimo) annotatum fuit. Ibi enim dictum eſt, quòd ſuperior de facili puniri non debet coram ſubditis, dùm remanet ſuperior: ſed, ſi à ſuperioritate abſoluatur, poteſt facilius publicè puniri. Et rationem huius ibi audiuimus. Vide hic. Aaron pœna publica caſtigandus punitur morte. Quare? Quia ſuperioritatem ſimul tollit mors; dùm pœnam infligit. Non patitur remanere ſuperiorem amplius illum, quem mors occupauerit. Hac ergo eadem ratione poteſt ſine periculo ſuperior circa mortem publicè puniri, quando à ſuperioritate abſolutus contellıgetur. Quòd autem de Aarone dico; idem circa Moyſen intelligas. Cum hoc tamen recolito; ideò relictum interim Moyſen in ſuperioris loco propter utilitatem, quam prædiximus, populi. Et recitò, quia propter utilitatem ſubditorum hoc factum eſt de Moyſe, non eſt trahendum in conſequentia; ut contra ſupradicta in ſuperiori puniendo publicè procedatur.

NOTATIO II.

ADVERTE hic; quòd una, & eadem pœna, grauior, & minùs grauis, pro diuerſitate recipientium fieri poteſt: uel (quod principalius eſt) pro uoluntate Dei. Ecce. Vna eademque pœna data eſt Moyſi, & Aaroni propter peccatum; & tamen Moyſi grauior fuit propter rationem dictam in ratione concluſionis. Hinc proportionaliter argue de igne conflagrationis ultimæ. Hic enim unus, & idem exiſtens diuerſimodè pro meritis uarijs affliget illos, qui tunc temporis uiui reperientur in corpore. Vndè iſta afflictionis diuerſitas; cum ſit unus tantùm? A uoluntate Dei efficaci. Nec obſtat, quòd ad grauandam hanc unam pœnã. ſ. mortem, additum eſt tempus Moyſi, quod non additum eſt ipſi Aaron; quoniam ſi tempus additum potuit hoc, multò magis uoluntas Dei ſufficiens per ſe erit ad ſimile faciendũ. Quod enim voluntas Dei per tempus additum nunc fecit; tunc per ſeipſam faciet. Nihil ſiquidem minus poteſt uoluntas Dei adhibitis cauſis ſecundis, quàm non adhibitis: quoniam ſecundæ cauſæ nil ei ex parte ſui conferunt. Io hoc enim, quòd ad cooperandũ Deo aſſumuntur, attenditur bonum ipſarũ cauſarũ; non autem Dei. Nam ſi bonorum noſtrorum à hominũ non indiget; multò minus bonorum homine inferiorum indigebit. Nil ergo mirum iungitur Deo ex cooperatione ſecundarum cauſarum: & conſequenter, & ſi tempore adhibito potuit eandem pœnam, puta, mortem aggrauare magis uni, ſ. Moyſi, quã alteri. ſ. Aaroni aggrauarı; poterit nulla cauſa ſecunda adhibita per ſeipſum idem efficere. Quod autem circa ignẽ uniuerſalis cõflagrationis dicimus nũc, hoc idem circa ignem purgatorij forſan dici poteſt; quòd. ſ. non tantum diuerſis pęnis iſte grauius, quam alius, puniatur; ſed etiam quòd una eademq; pœna grauius affligat unum, quam aliũ, ad iuſtitiæ Dei uoluntate faciente. An autem de igne infernali id, quod nunc de igne purgatorij probabiliter dicimus, dicendum ſit, quòd. ſ. & diuerſę pœnę ibi diuerſimodè affligant, & eadem quoque pœna ibi diuerſimodè pro merito unumquẽque caſtiget, ambigendum mihi (ſaluo ſemper meliori iudicio) non uidetur. Iuſtitia namque Dei & diuerſis pęnis diuerſimodè, & eadem pœna diuerſimodè, pro cuiuſque merito caſtigare poteſt. Maximè uerò in huius aſſertione (de inferno. ſ. & purgatorio) nullus uidetur ſcrupulus, ſeu ambiguitas; quoniam illa non excludit diuerſitatem pœnarum a diuerſis rebus inflictam diuerſis; ſed cum hoc dicit, eſſe etiam poſſibile, quòd per unam rem afflictiuam diuerſi minus, & magis grauiter ſecundum iuſtitiæ exigentiam affligantur. Diuerſitatem igitur afflictionum ſemper ibi ponit: ſed diuerſitatem huiuſmodi etiam ab uno & eodem afflictiuo (hoc diuina uolũtate faciente) promanare poſſe aſſerit, quemadmodum a diuerſis afflictiuis promanat. Idem tamen afflictiuum poteſt dici multiplex formaliter; ſicut diuerſa hęc afflictiua ſunt multiplicia materialiter, adeò quòd utrauis conſideratione data, ſaluatur ſemper multiplicitas, & diſparitas pœnarum. Nonne in hoc mundo uidemus etiam, quòd una & eadem pœna Deus grauiùs affligit unum quam alium? Nonnè unum eadem phantaſia, opinio, ſcrupulus, vel res obueniens, magis anxium reddet, quàm alterum; & in uno, eodemque tempore? Vnde eſt hoc? A diuina uoluntate pro meritis pœnas infligente. Hinc eſt, quòd iſte magis appręhendit talem rem occurrentem, velut ſibi magis contrariam, quàm alter: & conſequenter indè magis cruciatur, quam alter. Non eſt ergo

murmu-

murmurandum de iuſtitia diuina, quamuis extrinſecè non uideamus, hunc pro meritis affligi magis, quam alterum minus peccatorem: quoniam per unicam rem poteſt Deus unum magis (prout diuinæ iuſtitiæ uidetur) punire, quam alium.

NOTATIO III.

IN facto iſto domini erga Moyſen, & Aaron adhuc unum noto: quòd ſ. Lutheranorum, ſimiliũ q; , errantiſſimum dictum per iſtud apprimè retunditur. Quid eſt illud dictum ſic per ora ſua uentilatum? Quòd prædeſtinatus ſemper, faciat quodcunque uoluerit, ſaluabitur: & reprobatus, faciat quod cunque ſibi placuerit, ſemper damnabitur. Volunt enim hi quod, ſi prædeſtinatus malè faciat finaliter, etiam ſaluetur, & quòd, ſi reprobatus finaliter benè faciat, etiam damnetur. Non audierunt illi Ezechielem in perſona domini loquentem ſic, ſi auerterit ſe iuſtus, & fecerit abhominationes, in peccato ſuo morietur; & ſi conuerſus impius iuſtitiam fecerit, in ſua iuſtitia uiuet. Quid clarius contra iſtos phantaſiam ſuam iactantes? Verè, os impiorum ebullit ſtultitiam, id eſt mille ſtultitias ſimul ore profert. Non tantùm enim hi ſtultitiam in theologia dicunt: ſed etiam in logicalibus principijs ſe ſtultos eſſe loquendo talia demonſtrant. Quid habet logicus in principio? Quòd propoſitio cathegorica ab hypothetica ſecernitur; & ita; Vt de duabus cathegoricis impoſſibilibus una hypothetica non tantum: uera; ſed etiã neceſſaria, fieri poſſit. Verbi gratia Iſta cathegorica, Homo eſt aſinus, impoſſibilis eſt. Iterũ Iſta cathegorica, Homo eſt irrationalis, rudibilis, impoſſibilis eſt. Tñ iſta hypothetica ex his conſiſtens, ſcilicet ſi Homo eſt aſinus, homo eſt rudibilis, iſta hypothetica (inquam) nõ tantùm uera, ſed & neceſſaria eſt. Ad rẽ itaque. Iſta cathegorica, prædeſtinatus damnabitur, eſt impoſſibilis. Itẽ. Iſta cathegorica Reprobatus ſaluabit, eſt impoſſibilis. Rurſus. Iſta cathegorica, pdeſtinatus malè faciet finaliter, eſt impoſſibilis. Itẽ Iſta cathegorica, reprobatus benè faciet finaliter, eſt impoſſibilis. Tamen iſtæ hypotheticæ ex his confectæ (ſcilicet ſi prædeſtinatus finaliter malè mortaliter faciet, damnabitur, & ſi reprobatus finaliter benè faciet, ſaluabitur) ſunt propoſitiones non ſolũ ueræ, ſed & neceſſariæ. Stultitia ergo illorum etiam apud logicum patũ notiſſima eſt. Quid? In theologiæ quoque non tantùm progreſſu ſtultitiam committunt, ſed etiam in principio. In principio enim theologiæ. ſcripturæ ſacræ de Deo loquentis, hoc eſt in leg. ueteri habemus, q̃ huiuſmodi ſtulta eſt opinio. Principium autem legis nouæ eſt lex antiqua, tanquam figura illius. Quomodo autem per legem antiquam ſtulta monſtretur opinio illa, ſupra audiuimus. Vidimus enim quòd charisſimis ſuis Deus non pepercit à pœna etiam omnium grauiſſima pro uita præſenti: quando peccauerunt. Quod ſignum hoc fuit? Rei nunc expreſſum: q̃, ſi prædeſtinatos finaliter deliquerit, damnabitur. Imò (ut uerius fatear) ſignum: q̃, ſi talis prædeſtinatus finaliter peccauerit, plus alijs damnabitur. Hac de cauſa factum legimus; q̃ Moyſes pro eodem peccato acrius caſtigatur, quam Aaron: ratione maiorum beneficiorum. Cùm igitur prædeſtinatus a Deo maximè beneficiatus ſit, patet: q̃, ſi finaliter peccaret etiam eodem prorſus peccati genere cum alio, plus illo damnaretur i. grauiores in inferno ſubiret pœnas. E contra ergo, ſi reprobatus benefaceret finaliter, ſine dubio ſaluaretur. Vides igitur: quòd in pœna Moyſi data depinxit Deus hoc; quod quantumcunque ſibi charus (per hunc intellige prædeſtinatum), ſi finaliter peccauerit, damnabitur; & magis damnabitur. Vide Gene. cap. 4. concl. 7.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Non enim reſpicis perſonam hominum. Hoc eſt. Secundum merita unumquemque punis. Vel ad ly (Euangelium) cui plus donatum eſt; ab eo plus requiretur. Hoc eſt. Si talis peccauerit: plus punietur. Vel ad &c.

Text. **QVia non credidiſtis &c.**

Concl. 3. *Tentatio ſiue occaſio mali, ſi diuturna fuerit, mirabilia facit in malum: quæ ipſa tamen tentatio aliàs non faceret.* [Ex eo.]

Ratio. PINGAS Pſalmi dictum ſuperiùs huic: & dic. Si Moyſes ab occaſionibus ſiue tentationibus malorum fuit præcipitatus, quomodo hoc fuit? Non ſemel fuit impetitus, ut caderet; non bis, non ter, non quater, non uigeſies, non &c. ſed accidit in puncto quod non euenit in anno, imò in quadraginta annis. Quid fuit in cauſa igitur? Non tentatio ſeu mali occaſio ſola: ſed diuturnitas ſeu continuatio tẽtationis.

APPENDIX.

HINC habes primò, q̃ labor improbus omnia uincit. 1
Secundò conſequenter habes: q̃ tu, q decies unã tentatione uiciſti, debes timere tibi ualde in ſucceſſu; niſi occaſionem diuturnitatis ipſius tentationis totaliter fugias. Vides Moyſen tam ſanctum tàm conſtantem tàm ſepe in tentationibus a populo illatis probatum: nunc propter tentationis continuitatem cum dedecore damnoque ſummo deiectum. Si in uiridi hoc factũ eſt: quid in arido fiet? A diuturnitate igitur malæ occaſionis ſemper tibi uigilantiſſimè caue. Magis enim continuatio tentationis: quam tentatio proficit. Maiores ſiquidem admodum tentationes a populo datas Moyſi ſupra uidimus (puta cùm eum multitudo lapidare uoluit; cum ob idolatriam populus, quantum in ſe fuit, ad impatientiam eum prouocauit; cum eum uelut tyrannum multitudinis appellauit, & contra eum in populo ſeditionem chore cum ſuis excitauit): Et tamen ſemper Moyſen in omnibus triumphatorem conſpeximus. Nunc autem propter minorem tentationem ſubuerſus eſt. Nonnè alias uice circa defectum aquæ populus (in Exodo) contra Moyſen inſolenter murmurauit? Nonnè, & propter panis, carniũque, carentiam ipſum contra Moyſen latratus acuiſſe, uidiſti? Certè maior tentatio fuit de aqua, pane, carnibus, murmurare: quàm de aqua tantùm. Et tamen ibi ſtetit Moyſes; hic euerſus eſt. Vnde hoc? Indè unde: q̃ tentationis continuitas maior eſt, quàm tentatio. Tertiò igitur conſequenter habes: quanta diligentia contra diuturnitatem alicuius mali opus eſt. Hoc eſt. Quanto timore timenda ſit continuitudo malorum, continua familiaritas, diſſolutorum diuturna cõfabulatio. Quartò conſequenter habes: quòd non abſque cauſa dictum eſt, q̃ conſuetudo ligat. Hoc timendum eſt maximè, conuerſantibus inter peccatores, & his, qui in peccatis uiuunt, de finali pœnitentia ſperantes. Si enim tentatio nunquam uictrix antea, tantùm finaliter uincta ipſius diuturnitate in Moyſe ualuit: Quid tentationis antea ſemper uictricis diuturnitas finaliter in peccatoribus in malo aſſuefactis, tempore mortis facere ualebit? Quintò habes quomodo a fortiori, de te, tuiſque ſimilibus, ſemper inferas. Dic modo ſimili antedicto. Si (inquias) continuatio tentationis nunquã uictricis, ſemper uictæ cõtra tàm Moyſen robuſtũ uirũ, contra tàm expertũ in ſpirituali pugna, cõtra aliorum optimum ducem, contra totius populi Dei antiquiſſimum paſtorem; ſi (inquias) talis contra talem taliter ualuit: Quid continuatio tentationis uictricis, rarò uel nũquam uictæ, contra me tam fragilem, tam inexpertum, contra tm̃ peccatorem, contra perditiſſimam oniculam, præualebit? Hinc ad auxilium diuinum feruentiùs recurres. Hinc in te tuiſque uiribus, feſtinantiùs humiliaberis. Hinc occaſiones tentationum cautiùs euitabis: & ipſas magis, quam antea, timebis.

3

4

NOTATIO.

HOC in loco agnoſcere potes ex Moyſis exemplo, q̃ nullus uir in fortitudine ſua roboratur. Quid indè? ſuperbiam omnem: atque uanam gloriam, eliminandam cognoſces in totum: atque apertè. Audi. Tentatio iſta, ut tẽtatio præciſè, nonne minor fuit prænarratis multis tentationibus? Vtique, & ſatis minor. Si ergo de robore Moſayco ageretur: utique facilius iſtam tentationem uiciſſet, quam præmiſſas. Si enim prædictas robore ſuo uiciſſet, quæ erant maiores; quomodo non iſtam unam, quæ ſatis minor erat, non uiciſſet? Ratione igitur; qua illæ erant plures, & iſta una, ratione, qua illæ erant maiores, & iſta minor, ratione, qua illæ erant contra non tam expertum, & iſta erat contra plus expertum; ratione, qua illæ fuerunt contra Moyſen in facto miraculi ſolitarium ab Aarone, & iſta fuit contra Moyſen cum Aarone in facto miraculi a Deo coaſſociatum; His omnibus rationibus pẽſatis, iſtam tentationem non tantum uiciſſet, ſed & facilius uiciſſet Moyſes; ſi in robore ſuo priores tentationes ſuperaſſet. Nam id potentiæ, quod poteſt maius; poteſt etiam, & facilius, minus. Non ergo Moyſis potentia fuit, non Moyſis patientia, non Moyſis prudentia, nõ

ſpſius

ipſius uirtus, quæ prius uicit: ſed Deus in Moyſe. Cur ergo Deus nunc in Moyſe non uicit; ſed ipſum cadere permiſit? Nè Moyſen ſupra, quàm Moyſes erat, æſtimaremus. Hac item, & corpus Moyſis noluit (ut in ultimo Deuteronomij legetur) inueniri; nè Iudæi Moyſen ſupra, quam Moyſes eſt, habeant. Hac ratione, & Salomonē (Ambroſio ſanctiſſimo teſte) tam apertiſſimè cadere permiſit; nè Salomon à Iudæis, pluſquam Salomon, haberetur. Hac eadem ratione Antichriſtum faciet publicè per Archangelum occidi; nè Antichriſtus amplius à Iudæis, pluſquam Antichriſtus, teneatur.

COROLLARIVM.

VIDEANT ergo conſequenter hi, qui uolunt, pluſquam ſunt, apparere hominibus, quantum ſibijpſis ex hoc appetitu detrimenti facere poſſunt. Multoties namque cùm uideant multos cadere permiſſos, qui forſan à populo plus debito teneri non cupiebant, timere deberent magis hi, nè multò iuſtius in grauiſſima pericula, errores, ac que facinora ſeipſos cadere permittat Deus in publicum. Hinc in uanam gloriam peccatum multi periculi cognoſcas eſſe, propter quam aliquādo in magna præcipitia cadere ſinat Deus. Ita.n. exortū habes hoc altiſſimus; ut ſuprà q̄ eſt alter te ticat, q; tātorū uirorū caſus permiſerit, & horrēdos. Hinc pōdera, quantùm nobis documenti apportet quandoque bona opinio apud homines. Si id ponderabis, ut decet; magis non notari ab hominibus, quam amari; magis non reputari grādis, quàm reputari, eliget. Hinc fiet, ut uanam gloriam conculces prorſus atq; abijcias; & non tantum eam non optes; ſed etiam eam oblatam cum ſtomacho magno in totū recuſes. Hinc fiet, ut nulli placere appetas, uel diſplicere timeas (id quod maximè liberum, ac ideò beatum te faciet) niſi Deo. Hinc fiet, vt de nulla tui opinione ab hominum quouis habita gaudeas, uel doleas, niſi inquantum purè promoueat apud Deū uel amoueat. Hāc bonā maximè libertatē cupiebat Apoſtolus, maximaq; pericula fugere intendebat ſupradicta, quando dicebat: Parco autem (ſcilicet de me alta loqui) nè quis me exiſtimet ſupra id, quod uidet in me, aut audit aliquid de me. Quaſi dixiſſet: Ego nolo prorſus quòd homines de me maiora ſentiant, quàm ſint; nec q̄ me maiorem, quam ſim, reputent: & ideo malo me laudare etiā de rebus habitis; ſed a laude tali parcere uolo. Intendebat idem pſalmiſta, quando de ſe aiebat; Silui à bonis, ſcilicet de me a me dicendis. Ea propter dicitur, quòd laus in ore proprio ſordeſcit: quia ſcilicet propter laudem dictā homines quandoq; bonam concipiunt opinionem de homine laudato ſupra, quàm ſit; & hinc multa pericula illi homini inſtant. Hinc regnum cœlorū rei abſconditæ aſſimilabatur ſæpius a Chriſto in Matthæo, ad denotandum; quòd abſcondere ſua, nè reputetur ab hominibus, eſt uia perueniendi ſine periculis multis ad regnum; & è contra quòd manifeſtare ſua, eſt uia perueniendi ad multa pericula, & confuſionem. Ecce, quantum timendam reputationem altam ab hominibus, ſanxerunt uiri iuſti. Hęc ſupradicta de abſconſione ſuorum donorum à Deo, ſuorum benefactorum, atque ſimilium, in uitis ſanctorum ſubindè reperies.

NOTATIO II.

HINC aſſumito regulā generalem, quando perſeuerantiam tentandi tam potentem uideris: & ſic dices. Ergo labor improbus omnia uincit. Hoc eſt. Res aliqua non eſt adeò difficilis, ut perſeuerantia laboris non ſuperetur. Hanc regulam applicato ad quod uolueris; ſiue ad ſtudium, ſiue ad ieiunium, ſiue ad religiosè uiuendum, ſiue ad animas conuertendum, ſiue et cætera. Vndè ſicut ex prima notatione accendebaris ad rogādū Deū; nè permitteret te ab hominibus reputari maximè, ſuprà id, quod eras; ita ex iſta ſecunda inflammaberis ad ſpem in omnibus difficilibus acquirendis habēdam. Sicut ergo ex prima libertatem à multis periculis malorum obtinebas: ita ex ſecūda confidentiā ad quæcunque bona adipiſcenda conſequeris. Iuxta hanc ſecundam notationem intellige commune illud dictum, ſcilicet quòd uolenti nihil eſt difficile. Hoc eſt. Volenti, cum perſeuerantia conatus ad quod uult, nihil difficile ita, ut tandem ipſum, difficultate ſuperata, non conſequatur. Quis putaſſet unquam, quòd diabolus nolēs per populū capere Moyſen ipſum, poſt tantas maximè Moyſi reluctationes, deuiciſſet? Nullus. Et tamen perſeuerantia adiuncta conatui ſuo diabolus ipſum uicit. Sola perſeuerantia ergo triumphat.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Hoc eſt: Talis ad conſecutionem ſui uoti perueniet. Hoc ſit uniuerſaliter, in quacunque materia uolueris, dictum. Reminiſcere autem, quòd adiuncta ſuperiori propoſitione, faciliter eſt addendum regulæ ex præſenti capitulo ſiue ex Euangelio deſumptæ. Quæ ſunt propoſitio ſuperior? Volenti nihil difficile. Nonnè, hac ad perſeuerantem iuncta, uides, quòd non tantum conſequetur uotum ſuum talis, ſed etiam cum facilitate (id eſt cum non multa ſui incommoditate; ſiue cum non excedente, ſeu exceſſiue, labore; imò cum quadam delectatione, ac ſuauitate) conſequetur. Si namque ſolummodò talis idipſum conſequeretur, dictum fuiſſet, Volenti nihil impoſſibile: Et non, volenti nihil difficile. Id quod etiam in hoc moſaico caſu annotauimus. Faciliter enim cecidit Moyſes à tentatione iſta impulſus, inquantum ſcilicet tentatio hæc multis præteritis tentationibus fuit minor. Conſequenter ergo in iſto ſenſu tentatio non tantum conſecuta eſt quòd uolebat; ſed quia perſeuerauit, faciliter uotum ſuum conſecuta eſt. Vel ad &c.

QVia non credidiſtis mihi &c. *Tex.*

Concl. 4. *Nullus quantumcunque perfectus debet eſſe ſecurus, uel quaſi ſecurus, ante mortem incluſiuè, de non cadendo.* [Ex eo.]

ECCE. Moyſes tantus in perfectione uir cecidit. Quis audeat, non trepidare de caſu? Iuuenis Moyſes non cecidit: ſed ſenex. Quis in ſenectute de non cadendo confidat? In uirtutibus nondum, ut nunc, perfectus ſtetit: & nunc cecidit. Quis perfectus incipientes, aut proficientes ſpernat; & ſibi ipſi de non cadendo promittat. *Ratio.*

NOTATIO.

DIXI in concluſione ly Quaſi, ut ſecuritatem quandam aliquorum deſcriberem. Sunt enim aliqui ſecundum iudicium ſuum ſpeculatiuū ſecuros ſe non reputantes: ſed in effectu ſecuritatē ſibi hos polliceri uidebis. Quomodo? Qui timent de cadendo, quoſdam effectus faciunt: quos non tantum prædicti non faciunt; ſed & ipſis effectibus oppoſitos effectus operantur. Ex hac conditione timentium ueraciter conſiderata in cognitioné faciliter uenis; quòd aliqui ueraciter non timent de caſu; ſed tantum ſpeculatiuè, ſeu quaſi ueraciter. Quid faciunt hi, qui timent ſibi ueraciter de caſu? Seipſos crebris orationibus muniunt, crebris a caſu præſeruatiuis contemplationibus utuntur, ſeipſos in uirtutum exercitio frequenter ſtimulant, alijs imperfectis compatiuntur, nullum ſpernunt, omnes honorant, in ſeipſis humiliores quotidiè redduntur, in omnibus uijs ſuis cautiores in horas fiunt, oculos ab aliorum uita inſpicienda (quantum charitas patitur) auertunt, ſuper ſui cuſtodiam (quantum poſſunt) uigilant, alijs compatientes ſiunt, ſibi ipſis rigidiores efficiunt in dies; & cùm omnia iſta fecerint, ſeruos ſe inutiles cordetenus ſentiunt, atque in conſpectu Dei omnia opera ſua, cum patientiſſimo Iob, uerentur. Hæ ſunt conditiones alicuius ueraciter timentis de caſu; quas conditiones in uitis ſanctorum patrum facillimè, ſi eas legeris, inuenies. Vniuerſos modò, quos has conditiones non habere uidebis, illos me ſcias, per ly Quaſi in documento prænotaſſe. Hos ergo caſui propinquos, occaſioneque data facilè collapſuros noueris; niſi altiſſimi manus eos ſpecialiter tene, & ferè miraculosè, adiuuerit. Præmiſſas conditiones uide, an ueraciter ſint in te; & ſpecialiter timorem iudicii diuini cum Beatiſſimo Hieronymo; ut ſcias quantum a caſu longinquus, uel proximus exiſtas. Si te caſui propinquum inueneris; ad contrariam partem, cum caſum nimis timente, fuge. Si autem te à caſu elongatum ueraciter aut in totum, aut in partem, reperteris, gratias agito omniū bonorum largitori; & te ad perſeuerandum in talibus exercitijs accingito. Hoc modo dictum ſingulis noſtrum intelligas; Cum timore & tremore ſalutem ueſtrā operamini. Quaſi dictum ſit. Benè operamini; & operando timete uobis de caſu; & timendo ad altiora, ut timens facit, conſcendite: Et ſic uſque ad finem incluſiuè inculatus ueſtri perdurare ſatagite, iuxta id; Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DIcta Concl. 4. cap. 20. deſtruit radicitus hæreſim Begardorum dicentium; quòd homo poteſt in hac uita tantam perfectionis uirtutem acquirere, ut reddatur omnino impotẽs ad peccandum, & ita uolunt, ut in hac uita poſſit homo reddi impeccabilis. Patet enim hic; quòd non. Nam tunc poſſet manere ſecurus de ſua ſalute. Cùm ergo monſtretur hic, quòd nõ debet ſecuritatem de non cadendo ante mortem ſibi promittere: monſtratur ſimul tanquam in radice, quòd non poteſt reddi impeccabilis in uita præſenti. Conſequenter ergo per eandem concluſionem excluditur etiam hæreſis Melanctonicorum dicẽtium: quòd quilibet eſt obligatus ad credendum, ſe eſſe in gratia. Et aliæ huiuſmodi hæreſes; quas nunc damnatas à concilio Trid. uidebis. Igitur ſeſſ. 6. cap. 12. inquit. Nemo, quamdiu in hac mortalitate uiuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeò præſumere debet; ut certò ſtatuat, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi uerum eſſet, quòd iuſtificatus aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam, niſi ex ſpeciali reuelatione, ſciri non poteſt; quos Deus ſibi elegerit. Hæc ibi. Et Can. 16. Si quis magnum illud uſque in finem perſeuerantię donum ſe certò habiturum, abſoluta & infallibili certitudinẽ, dixerit; niſi hoc ſpeciali reuelatione didicerit: Anathema ſit. Et Can. 15. Si quis dixerit hominem renatum & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum: Anathema ſit. Et Can. 23. Si quis, hominẽ ſemel iuſtificatum, dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere: Anathema ſit. Et Can. 17. Si quis, iuſtificationis gratiam non, niſi prædeſtinatis ad uitam, contingere dixerit; reliquos uerò omnes, qui uocantur, uocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpotè diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum: Anathema ſit. Et cap. 13. De perſeuerantiæ munere nemo ſibi aliquid certi abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim (niſi ipſi illius gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans uelle & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, uideant, nè cadant: & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in uigilijs, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiunijs, & caſtitate. Formidare enim debent (ſcientes quòd in ſpem gloriæ & nondum in gloriam renati ſunt) de pugna quæ ſupereſt, cum carne cum mundo cum diabolo &c. Hæc ibi. Vndè condemnantur etiam omnes aliæ Begardorum uanæ præſumptiones, de quibus alibi habes & in Clement. de hæretic. c. ad noſtrũ. Vbi & condemnantur. Ex quo dic; quòd ſimiliter omnium aliorum quocunque nomine uocatorum tales uani cerebri illuſiones, eadem ratione, ibidem reprobantur: & per conſequens concluſio præſens ex omnibus ijs firmatur.

Text. NOn introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.

Concl. 5. *Multi eorum qui perfectionem multo etiam tempore operibus exercuerunt, in fine deficient à uita æterna. Et multi, qui tantæ perfectionis non erant, in illam intrabunt.* [Ex eo.]

Ratio. QVOD Moyſes à terræ ingreſſu deciderit, & quòd alius loco eius ſuffectus in ipſam ingreſſus fuerit, in figura facta ſunt noſtri. Dicamus igitur. Terra ſæpius promiſſa iudæis quid ſignificabat? Vitam æternam ſæpius in ſcripturis (ſpecialiter, Matth. 20. ſub nominatione denarij diurni operantibus ex conuentione promiſſi) fidelibus, qui & ore & opere fidem creditam confitentur, promiſſa eſt. Quid Moyſes deſignat? Viros in ſummo pfectos. Quid Ioſue locò Moyſis ſubrogatus? Viros minus perfectos. Moyſes igitur non ingreditur terram illam, ſed Ioſue; ut in figura oſtendatur quod hic docuimus.

APPENDIX.

HInc habes primò quòd inde clamabat Apoſtolus ad uiros perfectos duo miranda. Quę? Vnum, quod timorem continuum de ſeipſis importabat: aliud, quod erga alios compaſſionem ſonabat. Ecce. Qui ſtat (inquit) ſeu uidetur ſtare, uideat, nè cadat. Quare? Quia ex quo uiderat Apoſtolus, tãtum uirum ſcilicet Moyſen à terræ ingreſſu defeciſſe, non poterat non timere caſum hunc figuratum de quibuſcunque perfectis. Vndè & de ſeipſo timebat hoc idem, quando dixit. Nè fortè, cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Factum ergo iſtud circa Moyſen magnus maximæ humilitatis continuæ ſtimulus eſt omnibus: & de nunquam fidendo in ſe maximum incẽtiuum uniuerſis iuſtis. Ecce aliud Apoſtoli. Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; uos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi (hominem ſcilicet) inſtruite in ſpiritu lenitatis. Quare in ſpiritu manſuetudinis, uult Apoſtolus perfectos uiros arguere peccatores? Conſiderans (inquit), nè & tu tenteris. Ac ſi dixiſſet. Ratio, quæ nos manſuetos reddere erga peccatores debet, eſt ueſtra fragilitas. Quis ſcit: ſi uos tenuemini, uos non eſſe caſuros? (Hoc factum moſaicum demonſtrauit). Caſuros inquam non tantum in peccatum: ſed etiam in infernum locum peccato proportionatum. Secundò habes: quòd hunc caſum multò magis timere debent & incipientes, & proficientes: ergo omnis homo debet de hoc eſſe pauidus. Tertiò habes quomodo intelligas illud Euangelij, & Apocalipſis. Euangelij quidem, multi Publicani præcedent nos in regno Dei: Apocalipſis uerò, tene quod habes, nè alius accipiat coronam tuam. Euangelium enim tunc innuit: quòd multi perfectos ſe arbitrantes deficient à uita æterna: Et Apocalipſis inſinuat, quòd multi in ueritate perfecti (puta propè coronam per gratiam habitam exiſtentes) ab illius ingreſſu defecturi ſunt. Quartò habes conſequenter quòd neſcit homo finem ſuum. Quintò habes: quòd uirgines fatuæ documentum hoc confirmarunt. Nam & uirgines erant & ſponſo per operum bonorum exercitationem obuiam exierant; & tamẽ in fine à nuptijs per negligentiam ſemetipſas excluſerunt.

1 2 3 4 5

¶ Applica ad ly (Euãgelium) erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Vel ad ly (Euangelium) Vnus filiorum dixit; uado; & nõ iuit. Hi, qui dicunt uado, & non eunt, ſunt bene incipientes, ſed à fine deficientes; hoc eſt non perſeuerantes: uel bona exterius facientes, ſed interius (more fatuarũ uirginum) illa bona per uanam gloriam à merito euacuantes. Hi dicunt uado, ſi exteriora attendas: ſed non eunt poſtea, ſi ad interiora conſideranda te conuertas.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

HÆc concluſio 5. cap. 20. ad monitum ſaluberrimum nos incitat & fermè conſtringit obſeruandum quod nobis dedit Concilium Tridentinum. Seſſ. 6. cap. 9. ubi contra inanẽ hæreticorum fiduciam loquens, poſt multa inibi ſapientiſſimè dicta inquit. Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque ſacramentorum uirtute, & efficacia dubitare debet; ſic quilibet, dum ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt: cum nullus ſcire ualeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiã Dei eſſe conſecutũ. Hæc ibi. Item Seſſ. ead. &c. ut ſup. con. 4. Illa. n. oĩa ibi ex Concil. citata faciunt & ad hunc cõcluſionis locũ. Vnde relinquitur dicẽdũ, quod ſemper inter ſpem & timorem ambulandũ ſit eſt uiatoribus: nè ſpes in præſumptionem, aut timor in deſperationem, degeneret. Ad taliter in uia ſalutis ambulandum Sancti Patres, Gregorius, Auguſtinus, Iſidorus, nos commouerunt, dùm contritionem (quæ procul dubio peccatori ad uitam arripiendam neceſſaria eſt) dixerunt, uenire de recordatione peccati cum timore iudicij, ſpe adiuncta; ſeu contritionem ipſam naſci, & exiſtere, inter ſpem & timorem. De horum Patrum dicto uide pulcherrimam declarationem in Eluci. Add. ad. num. 1. circa examen ſecundæ & tertiæ diffin. concl. de contritione datarum. B. Greg. etiam lib. 3. moral. cap. 5. nos timere in timore uoluit dicẽs. Ante terribilis iudicij ſubtile, atque incomprehẽſibile examen non ſolùm mala, quæ commiſimus, ſed ipſa etiam

(ſi qua in nobis ſunt) bene geſta, timeamus: quia ſæpe in iuſto iudicio culpa eſſe depręhēdimus, quod uirtus ante iudiciū putatur, & vnde expectatur pia merces, inde ſuppliciū ſequitur iuſtæ ultionis. Hæc ille. Ad ſpem uocat Deus Ezechiel. 16. In quacunq; hora auerterit ſe impius ab impietate ſua &c.

Text. **A** Vdite rebelles, & increduli &c.

Concl. 6. *Animus perturbatus facile uincitur a malo*. [Ex eo.]

Ratio. Ecce. Moyſis perturbatus erat animus, cuius ſignum uerba illa (ſcilicet audite rebelles, & increduli) fuerunt: ideircòque faciliter in peccatum diffidentiæ cecidit. Tùm enim ex morte ſororis; tùm ex murmure, perturbatus eſt.

APPENDIX.

1 **H** Inc habes, quòd non debemus, niſi animo cōpaſſione affecto, uitia proximorum improperare. Quādoque. n. (ſi aliter agatur) permittit Deus, ut in eadē peccata ruamus, q̄ nos in proximis repręhendebamus. Vide hic. Moyſes hos populus de incredulitate repræhendit, & ipſemet in incredulitatem mox cadere permiſſus eſt. Quid ergo? Num reprēhēdēdi ſunt de ſuis erratis ſubditi? Vtiq; reprębēdendi, ſed animo compaſſiuo, non quaſi deſpectiuo. Vnde B. Gregorius dicebat, quòd iuſti increpationes foris exagerant, ſed intus charitatis dulcedinem ſeruant, & quòd in animo ſibi ſæpè præponunt, quos reprębendunt. Quod facientes utique (ait) & per diſciplinam alios, & per humilitatem cuſtodiunt ſemetipſos. A contrario ergo ſenſu, quandoque per diſciplinam corrigunt alios; ſed per incautelā perdunt ſemetipſos. Quando hoc euenit? Quando humilitatis propriæ conſiderationem dimittunt, dùm alios foris reprębendunt. Quòd ſi id uerum eſt de prælatis, multò magis de his, qui non ſunt prælati, uerificatum iri credendum eſt. Nam prælatus licentiam quandā ampliorem ſuum inferiorem arguendi habet, quàm quilibet alter. Vnde ſi animus minùs benè cōpoſitus culpatur in prælato arguente, ſibique multum officit, magis utique talis animus in non prælato culpabitur, eique nocumentum apportabit. Secundò conſequenter habes, ꝙ ſi non ſunt cauti prælati circa humilitatem propriam cuſtodiendam in arguendo

2 ſubditos, ſemetipſos in ſoueam præcipitabunt ęternum. Hac ratione intelligimus, periculoſum eſſe uehementer, eſſe prælatum. Si enim inferiorum peccata non arguas, malè facis; ſi autem illa arguas, animo tamē (ut diximus) improuido, etiā malè facis. Vide, in quanto periculo ueretur ſuperior; cùm tamen quatenus etiam homo infirmitate circūdatus ſit. Ter-

3 tiò habes, ꝙ uerſus aliquem perturbatum ſic nos debemus habere, ut non addamus afflictionem afflicto. Hoc eſt. Cùm uideris quempiam perturbatum, noli ipſius perturbationem uel uerbis, uel factis, uel mediatè, uel immediatè, adaugere; ſed magis ipſum ad tranquillitatem reducere ſtude. Hoc enim faciens a peccatis futuris illum facilè amouebis, in quæ faciliter animus perturbatus incidere ſolet. Hæc uerò intellige & de ſubdito erga prælatum, & de prælato erga ſubditum, & de quocunque erga proximum ſuum. Memores enim ſemper eſſe debemus, ꝙ animus perturbatione fluctuans leui motu huc atque illùc impellitur.

Text. **M** Ortua eſt ibi Maria &c.

Concl. 7. *Aduerſitates ſeinuicem ſæpè uocant*. [Ex eo.]

Ratio. Vidis; ſi non eſt uerum, quod diximus, quòd ſcilicet quando aduerſa incipiunt ſuper aliquem cadere, ſæpè glomeratim ueniunt. Moyſes ſit illic afflictus. Quid accidit? Vno

1 tempore omnia hæc ſuper eum concidunt aduerſa. Primò dilectiſſima eius ſoror Maria moritur. Huius mors ampliorē dolorem Moyſi attulit, quantò ſibi unica fuiſſe legitur. Nouerat & Moyſes (ut probabiliſſimum eſt) hanc Mariam fuiſſe illam, quæ ſe ex flumine ſublatum enutriri curauit, quando propter Pharaonis mandatum (ut habetur 2. Exodi) fuerat in aquam proiectus. Cum igitur ab iſta Maria uitam modo narrato recepiſſet; magis de illius morte doluit, quam ſi

2 ſimplex ſibi germana fuiſſet. Secundò ad hanc duplicem, quam diximus, afflictionem murmur populi additum, quod Moyſen ſupra, quam credi poſſit, exanimauit. Nō enim murmur tantummodò ſimplex erat, ſed cum præoptione mortis; ſed cum q̄rimonia contra Moyſen, quòd quaſi ex inuidia Ecclesiam domini in ſolitudinem eduxiſſet ad uniuerſalem perditionem; ſed cum magna contentione (id quod denotat ly Quare nos feciſti aſcendere &c.), clamore, ſuperbia, atque ingratitudine. Excruciabat verò Moyſen ſuper omnia frequentata iudæorum conſuetudo in murmurandi uitio: quoniam hæc frequentia peccatum ea malitia magis, quàm ex fragilitate, prouenire inferebat. Tertiò acceſſit peccatum propriū, 3
quod, licèt ex fragilitate ſibiipſi ſurrepſerit, ipſum ſuper omnia prædicta exuiſcerabat. Tantò autem plus de iſto dolebat, quantò Deo ſuo, quem offenderat, familiarior fuerat atque multò tempore charior. Peccatum iſtud tanquam manifeſtū, & conſequenter ſcādaloſum, magis deplorabat Moyſes, quā ſi fuiſſet occultum; ideòque minus in populo ſcandaloſum. Quartò prædictis iuncta eſt tanta ſibi grauis pro peccato pœna. ut. ſ. eo, quod tàm diuturno tempore deſiderauerat, priuaretur. i. terræ promiſſionis ingreſſu. Quintò Regis Edom 4
mala uerba, malaque facta Iſraeli oſtenſa dolores præmiſſos auxerunt. Sextò amantiſſimi fratris ſui Aaronis occubitus, & in ſui quidem præſentia, prædictis afflictionibus adiunctus eſt. 5 6

NOTATIO.

Q Votiens audiſti, populum murmurationes ſuas à deploratione exitus de Ægypto incepiſſe? Vt ſcias, hinc pendere omne malum, cum beneficijs acceptis non bene utimur. Ad hunc enim finem denotandum factum eſt, ne iudæi murmurare uolentes ſemper a deteſtatione tanti beneficij diuini inchoauerint, idque tanquam maleficium in Moyſen obiecerint. Originem ruinæ tantæ huius aduerte tu, qui beneficus à Deo magis donatus es. Scito, quòd inde tibi fient magna in malum, ſi de gratitudine minus ſolicitus fueris: Vnde facta ſunt tibi magna in bonum, quando gratitudinem de his exercebas.

N On introducetis hos populos &c. quia non credidiſtis mihi. Text.

Concl. 8. *Iudæorum populus expectaturus erat uerum Meſſiam uſque ad aduentum eius; at in eius aduentu ad eum per fidem ingreſſurus non erat.* [Ex eo.]

Terra promiſſa Meſſiam uerum in lege multoties promiſſum denotat. Hic. n. Meſſias lacte melleq; manauit; tùm ratione dulciſſimę cōuerſationis, tū ratione totius uitæ ſuæ. Quid Moyſes hic figurat? Iudæos malos: nō quidē ratione, qua bonus; ſed ratione, qua in p̄ſenti facto defectuoſus. His duobus ſtantibus conſidera ſic; & dicito. Quid eſt, ꝙ Moyſes ſemper ſperauit ingredi terram promiſſionis, niſi qū ipſam uidit? Eſt hoc in figura ſynagogæ, quòd. ſ. illa Meſſiam uerū ſemper expectauit, ſemper ad ipſum per fidem ambulauit, in eum per amorem ingrediendi ſemper animū habuit; uſque quo ipſum oculis corporalibus (vt Moyſes terram) conſpexit. Tunc nanque ingrediendi animum retraxit; & ſpem antea in ipſam habitam in diffidentiam conuertit. Ratio.

¶ Et quare in terram hanc, ſ. in Meſſiæ promiſſiones, non introiuit? Quia hoc eis in pœnam prioris incredulitatis ſuæ à iuſtiſſimo Deo datum fuit. Sicut enim Moyſes Dei amicus dilectiſſimus a terræ ingreſſu non qualicunque ex cauſa, ſed ex cauſa incredulitatis (ut patet in litera) arcet: ita ſynagoga ex incredulitatis cauſa nouiſſimis temporibus impedita eſt, nè ad uerum Meſſiā per fidem intraret. Quia enim nō crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati, prius; ideò miſit Deus illis ſpiritum erroris, & mercedem ingratitudini ſuæ debitam. Quando fuit incredulus iudæorum populus ante aduentum Meſſiæ, tunc hac incredulitate figuratum eſt ac poſtea factum, ut in pœnam peccati Meſſiam uerum non reciperet. Dic mihi. Quādo fuit ipſe credulus? Tunc, & toties, quādo & quoties audiſti à Deo de populo iſto dictum; quòd erat populus duræ ceruicis. Et nunc nonnè audis, quòd ſunt rebelles, & increduli; tanquam hoc ſit illorū nomen propriū? Nunquid non illorum duritiem peſſimam in tot murmurationibus, in tot ſeditionibus, in tot de pœnis viſis obdurationibus, in tot tantiſque uſque ad idolatriam peccatis enormibus conſpexiſti? Libros regum legas, & ibi multa iſtorum facta, tùm contra Dei cultum, tùm contra prophetarum oracula, tùm contra ſanctos quoſcunq; uiros inuenies, quæ incredulitatis plena ſunt. Propter hanc illorum incredulitatem prauam, ſi ingreſſu in terram promiſſam priuati ſunt, nè mireris,

teris, quandoquidem, & ingreſſu in terram materialem Moyſes Deo familiarior propter peccatum leuius, iuſſe tamen, in illorum figuram priuatus eſt.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Quinque fatuæ uirgines &c. Dicuntur fatuæ, quia expectauerunt uſque ad ſponſi aduentum, & ſponſo ueniente ipſæ aliò ad quærendum oleũ diuerterunt, & ſic ſponſo ſemetipſas tandiù expectato priuanerũt. Sic & ſynagoga fatua dicitur uirgo. Hæc enim per multum temporis ſponſum Meſſiam uenturum expectauit; ſed ueniente Meſſia (media enim nocte clamor factus eſt ab Angelis. Ecce ſponſus uenit; quando Angeli paſtoribus natiuitatem Chriſti nunciarunt, & gloria in excelſis concinuerunt) ſynagoga aliò diuertit ad quærendum oleum, & ſic ſemetipſam ſponſo reddidit priuatam. Scis, quando aliò diuertit ad quærendum oleum? Quando, a magis, audito rege iudæorum nato, turbata eſt. Tunc enim ideò turbabatur, ut oleum, .i. beneuolentiam, ab Herode conquireret. Tũc & aliò diuertit ad quærendum oleum; quãdo, audito à præcurſore aduẽtu Chriſti iam præſentis, & credere noluit, & præcurſorem ipſum tanquam dæmonium habentem reputauit. Et quid dicam de hac olei conquiſitione tempore; quo ad ſponſi nuptias per fidem intrare debuerant? Iudæi coram facie Pilati tunc oleum & à gẽtium principibus, & à Romanorum Imperatore conquirere intendebant; quando, audito quòd ſponſus uenit (Dixit nanque illis Pilatus; Ecce Rex ueſter), clamauerunt; Non habemus Regem, niſi Cæſarem. Quid ergo miraris; ſi in domum ſponſi uenientis tunc non intrauerunt, quando aliò, quam ſponſus ibat, uoluntariè diuerterunt? Viderũt ſponſum, ut Moyſes uidit terram materialem promiſſam; ſed pro peccato ad ingreſſum in domum ſponſi admiſſi non ſunt. Nonnè magnum peccatum fuit, (etiam ſi nulla alia peccata præmiſſa fuiſſent) talis pœnæ meritorium, tempore, quo comitari debebant nouellum ſponſum, aliò pluſquã uoluntariè diuertere? O fatuitas. Vel ad ly (Matth. 21.) Eo, & non iuit. Hoc eſt, in propoſito: Vado, ideſt expecto Dei legẽ. .i. Meſſiam; & uolo, in eum credere: Et non iuit, ideſt in tempore aduentus ſui, quando terram ipſam. ſ. Chriſtum iam uidebat p infidelitatẽ ſe ingreſſu ad Chriſtum priuauit. Vel ad ly (Euangelium) Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos; & miſit &c. Et nolebant uenire. Ecce; omnia parata erant, hora cœnæ erat. Negatiuam reſponſionem ante horam cœnæ adhuc non dederant; cùm tamen inuitati per multos fuiſſent antiquitus: at quando iam hora cœnæ appropinquabat, imò quando præſens erat, negatiuam dederunt. Semper ſe in Meſſiam credituros promiſerunt; & in terram hãc ſpiritualem promiſſam intraturos ſe, ſpopõderunt: at quando iſti terræ propinqui fuerũt, tunc ãdi to eam ſemetipſos indignos uoluntariè fecerunt. Vel ad ly &c.

NOTATIO.

IN his ac ſimilibus figuris adductis, uel adducendis, memento duorum. Primò, quòd Angelicus Doctor Aquinas dicit ſuper primum capit. Matthæi (ubi ex ea, quę fuit Vrię), quòd homines probi quandoque ſunt figura malorum; ſicut & homines mali quãdoque ſunt figura bonorum. Secundò, quòd figura & figuratum (ut alias diximus) non tenent in omnibus, nec hoc eſt utile uel neceſſarium. In quo igitur teneant, attende, nec amplius quæras in illis. In uno enim tenebunt quandoque ſolum; & in alijs omnibus diſcrepabũt: ſimilia tamen ſunt.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXI.

IN præcedenti capitulo, & in principio huius, uides; quòd Reges contra Moyſis populum conſurgunt, ac uictores exiſtunt. Quid hoc ſignificat? Quod peccata facta mox uocant aduerſitates, & (quod peius eſt) nos illis ſuccumbere faciunt; niſi à ſuperius auxilium nobis miſericorditer adueniat. Iſta eſt ſeruitus dura peccati de qua Chriſtus ait; Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Vide. Quamprimum peccauit Moyſes tot reges in ipſum inſurgunt, ac re de ipſo triumphant; cui tamen Moyſi nullus regum antea occurrentium ſuperior extitit. Sis cum Deo, & omnia tibi finaliter arridebunt. Relinquas Deum; & omnia te finaliter derelinquent. Sine peccato te cuſtodi; & omnes inſurgentes in te uentilabis cornu. Cum peccato exiſtas, & nulli hoſti reſiſtere ualebis. Idem de Salomone, & alijs multis, uidere licet. Aureum

SI tradideris populum iſtum in manu mea, delebo urbes eius: Tradiditque Chananæum &c. Text.

Concl. 1. *Gratam rem faciunt Deo uehementer, qui infideles, infideliumque loca, delent; uel qui delere ipſa ipſoſque proponunt.* [Ex eo.

QVAM gratam rem faciant Deo huiuſmodi fideles, patet, ſi antecedentia conducas in medium. Quid ex antecedentibus habes? Quòd Deus multum iratus erat contra Iſraelem. Vnde hoc habes? Ex hoc, q Deus iam duobus regibus cõtra Iſraelem uictoriam dederat, quod utique punitio, & conſequenter ira Dei, erat. Cum ergo nunc nunc iratum Deum mox placari uideas, utique non niſi per rem ſibi gratiſſimam placari dices. Hoc uerò hinc eleganter confirmatur; ſi ipſum Deum non placari modò, ſed & in oppoſitum effectum deſcendere contemplaris. Placatus quidem fuiſſet ſolùm, ſi Iſraelem, nè uinceretur amplius, adiuuiſſet. Hoc autem non tantum fecit; ſed Iſraeli, ut uictor contra hoſtem prius uictorẽ eſſet, donauit. Magno ſanè dono uictoria data Iſraeli aſcriberetur, ſi contra hoſtem ſimpliciter uiciſſet; ſed nunc maiori utique dono aſcribenda uenit, quando contra hoſtem nunc nunc uictorem præſtatur. Hoſtis enim quantò animoſior, eſt; & coaduerſarius eius quantò debilior, quantò facilior, quãtò puſillanimior, fuerit: tantò uictoria huius cõtra illũ magis admiranda, collandanda, in maximis habẽda, ſingularius beneficium diuinum dicẽda. Sic erat nunc de hoſte Iſraelis Chananæo; & de coaduerſario eius Iſraele. Quocirca uictoria Iſraeli data pro maiori habenda dono eſt; quã ſi ante congreſſum aliquem priorem huic data fuiſſet. Conſequenter igitur rem pluſquam gratiſſimam fuiſſe Deo oblatã dicendum eſt: ob cuius intuitum a tam grandi ira ad tantam ſubitò miſericordiã uenit. Quæ fuit illa tibi res oblata? Quòd fidelis populus delere promiſit, Chananæorum urbes. Quis erat Chananæus? Infidelis. Ecce ergo, quantum placet altiſſimo deſiderium exterminandi infideles. Taceant ergo Lutherani, ac alij ſimiles, qui clementiam Eccleſiæ ſanctæ denigrari autumant, ſi deleat uel delere cupiat, & ſtudeat infideles, hæreticos, aut Turcas, alioſuè Paganos. Hoc enim Deo eſſe gratiſſimum hinc illa didicit. Text.

APPENDIX.

HINC habes, quòd orare pro temporali infidelium deletione, & orare cum uoto ad hoc iuncto, licitum eſt. Nemini ergo, niſi ſacras litteras ignoranti mirum ſit, q orationem particularem contra paganos habet ſancta Eccleſia; & quòd alias orationes pro eorum, ſiuè aliorum infidelium, temporali deletione facit. Temporalem dico, quoniam, ſi de ſpirituali ſalute loquamur, ipſa Eccleſia orat etiã publicè in die Veneris ſancti pro infidelibus.

¶ Secundò conſequenter habes, à fortiori, quòd deſiderare deſtructionem errorum infidelium, ipſamque procurare, eſt res multum grata Deo. Procuratur autem per orationes, per monitiones, per prædicationes, & ſimilia. Quid autem eſt deſtruere errores infidelium, niſi ipſos infideles conuertere; contra ipſorum errores efficaciter diſputare; fidem Catholicam manifeſtius propalare; ea, quæ ſunt doctrinæ Chriſtianæ, uigilantius edocere? Iſta uerò facere quis poteſt uel actu uel uirtute: & utroque modo placitam rem Deo facit. Actu iſta exhibet, quando iam doctus effectus contra errores huiuſmodi efficaciter diſputat, infidelibus conuertendis actua 2

liter inſudat, doctrinam chriſtianam lucidè explanat, fidẽ Catholicam exponit, ac id genus alia facit. Virtute autem iſta tunc exhibet quis, quando ad hæc actualiter facienda per ſtudium diſponitur, uel per aliquem alium modum. Hinc ergo eſt; quòd ſtudium ad hunc finem directum Deo uehementer eſt placitum, & conſequenter multum meritorium. Quòd ſi ſtudium huiuſmodi ſic eſt: ergo & religio tale ſtudium exequens, & ad præmiſſa facienda a ſui ortu inſtituta. Nè mireris ergo, ſi Religio fratrum Prædicatorum tàm grata eſt Deo, tantis fauoribus a Dei genitrice donata fuit, continueque donatur. Si enim iſti iudæi propter ſolum unum uotum, & conditionatum quidem, circa infidelium corporalem deſtructionem tantoperè Deo placuerunt; quantò magis illos Deo placere ſatendum eſt, qui totam uitam ſuam uotis multiplicatis in deſtructionem errorum infidelium abſolutè ordinant? Plus namque uotum abſolutum, quàm conditionatum; plùs tota uita, quàm unicus actus uitæ; plus deſtructio erroris infidelium, quam corporis infidelium apud altiſſimum ualet.

¶ Tertiò habes ab oppoſitis, quòd auctionem infidelium, uel perſeuerantiam, uel etiam temporalem proſperitatem, uel ſimilia deſiderare, ſeu procurare, ſeu pro ſimilibus orare, ſeu de talium proſperitate intus uel extra gaudere, ſeu quouis modo tales adiuuare, eſt multum diſplicens Deo. Orationes ergo infidelium; eleemoſynæ, aut quæcunque alia ad huiuſmodi fines ordinata, ſunt peccata. Ferre opem infidelibus quocũque modò, ut infidelibus, maximè in deletionem fidelium, eſt peccatum. Tales enim non his iudæis, ſed ipſi Balaam (ut infra 22, & 23.) ſiue Balach, aſſimilantur.

¶ Quartò habes, quomodo intelligas illud B. Iohannis in prima Canonica, ſcilicet In hoc apparuit filius Dei, ut diſſoluat opera diaboli. Hoc eſt igitur. In hoc apparuit filius Dei, ut rem Deo gratiſſimam faciat. Sicut iſtis ergo iudæis ex hoc deſiderio contulit Deus tam mirandam (ut annotauimus) uictoriam, ita, & quidem multò magis, filio ſuo mirabiliorem ſe collaturũ uictoriam contra infideles quoſque hic figurauit. Omnes igitur inimici Chriſti ponentur, ſiue ſpontè, ſiue coactè ſcabellum pedum Chriſti, quoniam ex uoto prædicto habito, per hoc uotum figurato, id meruit Chriſtus.

NOTATIO MAGNA.

QVANDO fideles contra infideles dimicare uolunt, deſiderium ſimile de infidelium deletione habere deberẽt. Tunc enim faciliter ipſis (ut hic figuratur) contra infideles diuinitus concederetur uictoria. Quòd ſi aliam animum, quando contra infideles procedunt, habent, non mirum, quòd ipſis infidelibus pugnãdo ſuccumbant. Sunt ergo in cauſa fideles, quòd non uincunt infideles; quia ut plurimum aliqui fidelium aliam ab iſtis iudæis intentionem habẽt. Vide tu, qui pugnas contra infideles, quid dicatur hic de Iſraele circa iſtã uictoriam. Dicitur enim, ꝙ Iſrael uocauit nomen loci illius Horma, idest Anathema. Quomodo autẽ hoc intelligas, habes in Ioſue capitulo ſexto. Ibi namque habes, quòd dixit Ioſue urbem Hiericũ eſſe Anathema, hoc eſt, quod nullus tangeret quicquã eorum, quæ ad urbis Hierico habitatores attineret. Sic ergo & in præſenti loco, quando legis Anathema nomen eſſe dictum, intelligas, quòd nullus Iſraelitarum quicquam ad infideles pertinens tangere deſtinauit. Quare? Nè propter auaritiam, non propter infidelitatis deteſtationẽ, pugnaſſe uideretur Iſrael: & conſequenter non propter honorẽ diuinum; ſed propter appetitũ proprium. Faciant ergo ſic & chriſtiani contra infideles pugnaturi. Non ꝓp auaritiã, aut uanam gloriam, aut aliquid ſimile, pugnent; ſed propter honorem diuinum purè, idest propter deletionem infidelitatis; & tunc mirabilia uidebunt. Deus enim pro zelantibus honorem diuinum ipſe pugnabit; qui dixit gloriam meam alteri non dabo. Sin autem Anathema non uocauerint loca infidelium idest propter res infidelium poſſidendas, & non propter delẽdam infidelitatem ex honore diuino moti principaliter uerè dimicauerint; Se ad bellum non uictores, ſed uincẽdos ire, quantũ in ipſis eſt, teneant. Si namque dominus non pugnauerit pro illis certiſſimè perdent. Quod uerò, præmiſſa intentione fidelium ſtante (quantum eſt ex demerito ipſorum) non pugnaturus ſit pro illis, patet in libro Ioſuè capitulo ſeptimo. Habetur ſiquidem ibi, quòd propter auaritiam unius tantùm (nota uerbum hoc, & a fortiori argue de auaritia multorum bellantium) fideles iam uictores circa principaliorem ciuitatem nouiter effecti ab infirmiori ciuitate uicti fuerunt, quamuis cum auaritia fuerint in milite illo alia peccata, puta inobedientia &c. Quid aliud ibi legis? Mirandum ualde, ſcilicet quòd nunquam amplius auaro milite ſuperſtite diuinum fauorem ſibiipſis affuturum polliceri debebant. Vnde neceſſarium fuit, ſi Deum in bellis propitium habere uoluiſſent, auarum illum militem occidere. Quid indè trahis? Quod nos ſupra diximus circa intentionem Chriſtianorum contra infideles pugnantium Intentionem, inquam, quia magis damnatur huiuſmodi intentio, quàm ſine tali intentione factum. Nonnè Iſraelitas tenuiſſe multas ciuitates, plurimas opes, prædas complures infidelium quandoque legis; etiam ex mandato diuino? Vtique. At nunquam illos uerè fideles ob hunc finem contra infideles principaliter dimicaſſe comperies: ſed propter honorem diuinum, ideſt propter infidelium abolitionem.

¶ Ergo uetus teſtamentum ueluti ſpeculum habeant, quãdo de uictoria, uel aduerſo exitu, coniectare uoluerint fideles.

¶ Applica ad ly (Euãgelium) Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Quare ſic arbitrabãtur? Quia putabãt Apoſtolos eſſe contra Deũ. Ideò licèt in maiori bene ſe haberet, in minori tñ deficiebãt. Quæ erat illorũ minor? Quòd erat obſeqiũ ꝓſtare Deo, interficere homines exiſtentes contra Deum. Quæ erat illorum minor? Quod Apoſtoli eſſent contra Deum. Maiorem illam undè ſumebant? Ex hoc loco, atque ſimilibus. Nam enim ut iſti iudæi (arguebant perſecutores Apoſtolorum) uotum emiſerunt occidendi exiſtentes contra Deum, tanquam obſequium uolentes præſtare Deo, exauditi fuerunt. Qui ſunt propiſſimè exiſtentes contra Deum, niſi infideles; ut qui in nullo, ſcilicet nec in principijs nec in concluſionibus (hoc eſt nec in fide, nec in operibus ex fide procedentibus) cum Deo conueniunt? Ergo obſequium præſtant Deo Reuerendi Inquiſitores, dùm ad hæreticorum deletionem attẽdunt; terreni principes, dùm ad infidelium abolitionem inſudant; Summus Pontifex, Epiſcopi, alijq; poteſtatem habẽtes, dùm extirpationi infidelium per Chananeum hunc figuratorum ſtudent ſiuè manu, ſiuè lingua, ſiuè pecunia, ſiuè orationibus ſiuè &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆC Cõcl. t. ca. 21. deſtruit abundãter hæreſim Lutheri (ut refert in Bulla Leon. X.) dicẽtis, ꝙ aduerſus Turcas ꝓliari eſt repugnare Deo uiſitanti iniquitates noſtras per eos. Si enim Deo placitum eſt (ut eſt ſecundum, ꝙ hic oſtenditur) quòd infidelium loca ſubuertantur, patet à fortiori, ꝙ præliari contra Turcas non eſt repugnare Deo. Damnatur quoque, & per conſequens quoquomodo præſens concluſio firmatur, ab ipſo Leone X. in eadem Bulla contra errores Lutheri. Item ab Exod. 17. con. 2. quem locum uideas tu. Item à Pontificibus maximis, & ſanctitate uitæ præfulgentibus (ut in uitis Romanorum Pontificum patet) infraſcripta damnatur, & dictis, & (quod pluris eſt) factis. Nam Paſchalis ſecundus bello fauit contra Turcas incœpto ſub Vrbano ſecundo. Hic enim Vrbanus circa ann. milleſimum 84. habuerat Concilium apud Clarum montem in quo ad pugnam cõtra Turcas ſuſcipiendã principes Chriſtianos animauerat, in quo negotio mirabiliter etiam profecerat. Secũdus litteris, & nuncijs Balduinum hortatus eſt, ut Turcarum impetum ſuſtinere conaretur tandiu, quoad ſupplementa militum noua in Aſiam mitterentur. Nonnè, & Calixtus ſecundus congregata apud Lateranum ſynodo 900. Patrum, de ipſius aſſenſu ſtatuit, ut quam primùm data eſſet facultas, tacentes militiæ Chriſtianis bellum in Aſia gerẽtibus pro ſubſidio miniſtrarentur? Qua ſpe erectus Balduinus Hieroſolymitanus Rex cõtra Turcarum principes mirandas victorias obtinuit. Eugenius quoq; tertius in Gallias nauigio ſe perſonaliter contulit, ubi Galliarum Regem Ludouicum perſuaſit, ut cruce ſignatus procederet aduerſus Turcas. Nunquid non & Lucius tertius ſynodo habita Veronæ, catholicos principes exhortatus eſt, ut noſtris pro fide laborantibus in Aſia ſuccurreret? Fuit, & Gregorius 8 pro tali negotio uigilantiſſimus, quippè qui, poſtquam ad ſedem Apoſtolicã unanimiter euectus eſt, nuncios mox ac litteras Chriſtianis principibus miſerit, eoſdem cohortando, atque, quo poſſet fieri,

fieri, conatu una ſecum exercitu comparato, Hieraſolymam ab hoſtibus fidei captam recuperarent. Rurſus de Clemente tertio, memoriæ proditum eſt; ꝙ nonnullos principes catholicos ſuis ipſius monitis excitauit, ut contra Turcos arma caperent, de quorum numero præcipui fuere Imperator Reges, duces, ſubſequentibus Epiſcopis multis, & Archiepiſcopis. De Cęleſtino item 3. referunt, ꝙ ei potiſſima cura ſemper adhæſit animo, ut ex infidelium manibus Hieroſolymā eriperet; proptereaque ingentem pecuniarum ſummam Anglorum regi Richardo in ſubſidium tranſmiſit, qui rex tūc ipſam Hieroſolymorum urbem, indè Turcas exturbare molitus, utiliter oppugnabat. Ad hæc, Innocentium tertiū, bello Aſiatico ſic adiecíſſe animum ferūt, ut Germanos propter Henrici mortem in Aſia tumultuantes, & litteris, & nuncijs, & pręmiis, & promiſſionibus, in officio contra impios retinere non grauaretur. Honorius identidem tertius aduerſus infideles ardens Ioānem Columnam Cardinalem ad res Aſiæ cōponēdas legatum cum inſignibus armatorum copiis, quas ad eundem finem Innocentius præcollegerat, miſit, in quo etiam negocio mirifice profeciſſe, narratur. Nunquid non (ut receptui canamus) Gregorium 9. Innocentium 4. Alexandrum 4. Gregorium 8. Ioannem 22. Martinum 4. Nicolaum. 4. Innocentium 6. Vrbanum 5. hiſtorici, & uiros optimos, & Aſiatici belli ſtudioſiſſimos, fuiſſe ſcripſerunt? Videtis ſingula. Damnatur quoque prædictus Lutheri fictitius & erroneus zelus (nè dicam mortiferus in catholicos liuor) ex inconuenientibus plurimis inde ſequentibus, quæ omnes paſſim ratione, uel tenuiter utentes pro rebus abſurdiſſimis certiſſimè habent, Si enim lutheranum dictum illud pro Turcis eſſet uerum tunc nec medicorum ope cōtra morbos & peſtes, nec agricolarum, aut aliorum induſtria aduerſus famem, & cariſtiam, uti licebit. Etenim hæc à Deo noſtras iniquitates uiſitante ſunt. Tunc etiam, nec contra fomitem, qui aduerſus ipſum inſurgit, repugnare licitum erit. Eſt enim fomes, ceu tyrannus quidam, nobis à Deo in uindictam peccati originalis datus. Si ergo Deo repugnare creditur, quiſquis Turcas impugnat, propterea, ꝙ per ipſos Deus uiſitat ſcelera noſtra, & is item Deo repugnare credendus erit, qui famem, peſtem, gladium, ignem, morbos, fomitem, & id genus reliqua effugare conabitur. Quæ tamen omnia falſiſſima ſunt.

Text. # AT Iſrael uoto ſe domino obligās, ait &c.

Concl. 2. *Dominus uinci Iſraelem ab hoſtibus infidelibus faciebat, ut Iſrael magis Domino ipſi per exer-*
Ratio. *citia ſpiritualia, quaſi compulſus, adhereret.* [Ex eo]

QVIO eſt, quòd mox poſt infidelis uictoriam contra Iſraelem, uotum Iſraelis factum dño intulit ſcriptura, niſi, ut oſtendat, quod nūc docuimus? Hoc autem, ut expreſſiùs nobis inſinuaret, per aduerſatiuā cōiunctionē Iſraelis præmiſſā ad dominum obligationem intulit dicens. At Iſrael uoto ſe domino obligans. Quaſi diceret. Ex quo uidit Iſrael ſe uictū, & in hoſtis faucibus poſitum, domino ſe uoto obligauit. Iſta fuit neceſſitas, quæ Iſraelem compulit ad meliora.

APPENDIX.

1 HINC habes, cur Deus fideles ſuos, ultrà, quòd peccarunt, ab infidelibus facit quandoque ſuperari. Similiter, quare tentari aliquem (puta Petrum Apoſtolum) per-
2 mittit, & ſuperári. Secundò habes, quomodo intelligas illud Pſal. 94. ſecundum ꝙ ab Eccleſia in inuitatorio adducitur. Quid eſt illud: Quadraginta annis proximus fui generationi huic: Hoc eſt ergo: Quadraginta annis quæſiui, per tribulationes generationem hanc ad me conducere. Sic ergo etiam interpretes concordare potes, ſuper ſententiam illam, dum illorum vnus dicit quadraginta annis proximus fui, & alter quadraginta annis offenſus fui. Nam ſi reſpicias ad rem in ſe, fuit offenſio, ſeu punitio; ſi ad finem illius rei, eſt proximitas, ſeu amicitia. Puniebat nanque Deus populum, ut ipſum ad amicitiam ſuam traheret. A fine igitur denominationem facit Eccleſia; à re uerò, quæ eſt ad finem denominationem faciunt alij interpretes. Secundò habes, quam uerum ſit, quòd ad hebræos dixit Apoſtolus. Omnis (inquit) diſciplina in præſenti uidetur eſſe meroris: poſtea autem fructum habet pacatiſſimum. Quare? Quia ex diſciplina mouetur homo, uelut iumentum ex ſtimulo, ad hoc, ut Deo ſuo magis inhæreat. Vndè hoc habes? Ex præſenti capitulo, ubi ex belli iactura mouetur Iſrael ad domino ſe uoto obligandum.

NOTATIO TEXTVALIS.

ADVERTE quoque, quòd in hoc loco habes, uotum eſſe rem Deo uehementer placentem. Poſt uoti nanque huius emiſſionem Deum Iſraeli contuliſſe uictoriā mirabilem, narrat ſcriptura. Secundò etiam aduerte, quòd non eſt malum deſiderare aduerſa malis, imò & procurare illis; dummodo zelo inuidiæ hoc non fiat, ſed zelo honoris diuini. Si enim id peccatum eſſet, Deus iſtorum iudæorum deſiderium non exaudiſſet; quoniam neſcit iuſtitia Dei patrocinium dare criminibus. Deſiderium ergo tale fuit bonum, cum dominus ipſum exaudierit.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Compelle intrare. Vel ad aliquid ſimilium.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 2. cap. 21. innuit modum uerum, quo fideles pugnando contra paganos, hæreticos, alioſvè infideles, poſſunt eos effectualiter uincere. Ac ſi apertè ipſa concluſio inferendo dixerit: Tunc fideles aduerſus hoſtes fidei præliātes uictoriā de ipſis reportabunt, qñ per exercitia ſpiritualia Deo plenè adhærebūt. Et uerè ſic eſt, & experientia non ſolum teſtamenti ueteris hyſtoriarum plurium (lib. Iudic. Ioſue. Regum &c.) ſed etiam noſtrorum temporum, probatum eſt. Quando enim, uita auſteritate pœnitentiæ mutata, piiſſimum patrem, qui in cœlis eſt in ſedulis orationibus pulſauerūt, & aditi non ſunt? Innocentius tertius tali ſpe motus mādauit, & ꝙ ſingulis diebus inter miſſarum ſolemnia publicæ omnium proſtrationes cum Pſalmo, Deus uenerunt gentes, fierent, & quod ſingulis menſibus, uiris ſeorſum à fœminis conſtitutis, ſupplicationes ad Deum effunderentur, & quòd ieiunium orationi iungeretur, nec ſua ſpe fruſtratus eſt. Caliſtus quoque Pōtifex fiduciam tantam in orationibus humili corde fundendis poſuit, ut iuſſerit, campanarum ſonitu in meridie ſignū omnibus catholicis dari, quo audito precationibus illos iuuarent, qui aduerſus infideles præliabantur. Vnde factum eſt, ut Caſſanus (ipſomet ad eundem Pontificem teſte) contra Othmani duces prælia mira proſperitate geſſerit, quippè qui uno prælio 30. millia, altero 40. millia Turcarū ceciderit. Lege hyſtorias de Balduino, Boemundo, ſtrenuis ducibus, ſub Papa Vrbano 2. de Gothifredo Rege, ſub Paſchali 2. de Ladislao Rege, ſub Eugenio 4. de Huniade principe ſub Calixto 3. de Marco Antonio Columna pro Eccleſia, de Domino Ioanne Auſtriaco pro catholico Philippo Hiſpaniarum rege, de Sebaſtiano Venerio pro Ser. Venetorū republica, ſub Pio. V. (tres enim hi potentatus ſanctiſſimum fœdus contra Turcas inierant), lege, inquam, illos attentius, & in prædictorū uirorum partis de hoſte fidei ope diuina triūphis modum illū uincendi à concluſione præſenti inſinuatū cōſpicies. Ab oppoſitis uero; ex iis inſpectis inferre licebit, ꝙ nō adhærere, uel minus adhærere, Deo per ſpiritualia exercitia eſt uia ad ſuccūbendū, uel ad minus triumphandū de hoſtibus. Neque. n. abreuiata eſt manus Domini, ut ſaluare, etiam mirabiliter (uelut antea) non poſſit; ſed peccata ueſtra (ut olim clamabat Iſayas) diuiſerūt inter uos, & Deum ueſtrū. Vide, & bene nota in lib. Iudith. cap. 5. ſermonem ipſius Achior; quoniam plurimum facit ad hoc propoſitum, ubi & ſpecialiter memoriæ cōmendabis illud de fidelibus annotatum, NON FVIT, QVI INSVLTARET POPVLO ISTI, NISI QVANDO RECESSIT A CVLTV DOMINI DEI SVI. Pro cuius dicti uera intelligentia ſcito, quòd non tantum infidelitas eſt cauſa amiſſionis gratiæ Dei; ſed etiam quodlibet peccatum mortale, ut ait Concilium Trid. ſeſſ 6. cap. 15. & cano. 27. anathematizando contrarium: & conſequenter

ꝙ cultus Dei non ſolum deſeritur per incredulitatem, ſchiſmata, idolatriam, ſed etiam per malos mores. Sint ergo fideles abſque deſidia in præliando contra infideles, abſque uitijs in congreſſu, abſque ſuperbia in proſpero ſucceſſu, non proprijs uiribus, ſed Deo, gloriam belli defferentes; & nullus aduerſarius præualebit.

Text. **I**Srael uoto ſe Domino obligans ait &c. Et tædere cœpit populum itineris laborisq́; locutusq́; contra dominum &c.

Concl. 3. *Tribulationes externæ ſunt maximæ utilitatis ad uitanda peccata; & conſequenter carentiam huiuſmodi tribulationum eſt uia facilis ad cadendum in peccatum.* [Ex eo.]

Ratio. NVNC nunc ex pſentia tribulationis Regis Adad uoto ſe dño obligauit populus: modò ex deficientia pugnæ talis ad murmur conuertitur ſolitũ. Tribulatio igitur illa faciebat, ut peccatorum, & ſolitorum quidem, obliuiſceretur populus: non tribulatio facit, ut ad committenda huiuſmodi peccata reuerteretur ſubitò. Subitò (inquam), quia non ſine cauſa hoc ſubitò narratur poſt tribulationem illam. Licet enim non ſubitò ſubitò acciderit: tamen ex immediata narratione probabilitas talis inſinuatur.

NOTATIO.

MEMENTO hic exemplorum tùm ſacræ bibliæ, tùm humanarum hiſtoriarum, in quibus, quam experimentaliter uerum ſit præſens concluſionis documentum, didicimus. Reminiſcere, Dauidem ex tribulationibus profeciſſe, ex non tribulationibus defeciſſe. Recordare, Romanos bella ciuilia tunc exercere cœpiſſe, quando bella Carthaginenſia illis defecerũt. Et de huiuſmodi plurima per te diſcurrere potes; iungendo, quæ alibi in conſimilibus locis diximus (id quod & ſemper alibi faciendum relinquo), ut melius & concluſionem, & tribulationum utilitatem (ut decet) intelligas.

Text. **T**Ædere cœpit &c. Locutusq́; contra &c. Deeſt paſſus &c.

Concl. 4. *Omnia exteriora quamuis bona quandoque ſint, uideri mala facit animi tædium; quamuis precioſa, in uilitatem conuertit; quamuis miranda, efficit in animo faſtidientis nulla.* [Ex eo.]

Ratio. NON abſque cauſa præmiſit textus tædium populi, antequam ipſius ſtomachoſam murmurationem narraret. Quaſi diceret ex ordine tali. Ex tędio ipſo animi iudęorum factum eſt, ꝙ ipſis omnia etiam delectabilia uerſa ſunt in nauſeam. Tædium hoc fecit, mannam apparere uiliſſimam, aquas miraculoſas nullius ualoris uideri, beneficia tanta pro nihilo reputari. Quare? Quia per modum recipientis recipiuntur omnia: & qualis unuſquiſque eſt, talia uidentur ei.

APPENDIX.

1 **H**INC habes cauſam, quare accidiam ſancti Patres tantoperè deteſtati ſunt. Nã iſta (ut hic patet) multorũ pec-
2 catorum origo exiſtit. Secundò habes cauſam, quare ſancti Patres recreationes moderatas a ſuis filijs quandoque fieri ſanxerunt. Ratio namque eſt, ne tædium in animos filiorum ſubrepat. Si namque ſubrepſerit, tunc, quæ prius optima alicui uidebantur, huic eidem nunc peſſima apparebunt, & quę prius in delitijs habebat, ea nunc pro maximis abhominatio-
3 nibus iudicabit. Tertiò habes, ꝙ, quando unus non contentatur de re alias bona, ſignum eſt, ꝙ in illius animũ aliquod tædium ſubrepſit. Quare? Quia uniuerſa alia ex animo men-
4 ſurantur, placeant ſcilicet, an diſpliceant. Quartò habes intellectum illius Dauidici: Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in uerbis tuis. Vides enim in præſenti capitulo, ꝙ tędium facit, animam dormitare, & multipliciter infirmari. Totum ergo ſtudium, uel maximum, nobis ponendum eſt ad hoc, ut non accidiemur animo, uel tædium contrahamus, & ſic faciliter de omnibus externis nobis undecunque uenientibus contentabimur; ſanum iudicium de rebus externis habebimus, & multa peccata effugiemus. Legas ſanctorum Patrum uitas, & ipſos ad hoc intentum uidebis, ſcilicet ſuiſſe ſportulas modò, modò hortulum adaquaſſe, herbas modò plantaſſe, nunc ipſos Antonios ſedere, nunc ſtare, nunc pſallere, nunc exterius laborem exercere, nũc ſimul ſanctis uiciſſitudinaliter feciſſe; & nunquam ocioſos eſſe. Et quid credis, Deum uoluiſſe, primum hominem in paradiſo operari? Ad hunc finem id uoluit Deus, ne homini aliquando accidia, ſeu animi tædium, adueniret. Sciebat enim Deus, quanta mala generare ſoleat animi pertæſio, & ꝙ talis pertæſio ſufficiens fuiſſet, de ſe, paradiſum ipſum tam delicioſum in nauſeam Adamo apponere. Ideircò ibi poſt ly Vt operaretur, iunctum eſt ly & cuſtodiret illum, ſcilicet paradiſum. Quaſi ex ordine ipſo dicatur. Si Adams animum pertæduiſſet, præ nauſea è paradiſo egredi uoluiſſet. Cõſidera (quæſo frater) nim tędij, plurimque, tanquam omnium bonorum tuorum acerrimum hoſtem, deuita pro tota uirili. Illinc ex Geneſi hoc ipſum conſidera, & hinc ex præſenti capitulo, quod in Geneſi timebatur, adimpletum conuenire. Quid ibi timebatur? Quòd Adamus præ tędio paradiſum nõ abhorreret. Quid hic conſpicitur? Quòd filij Adami paradiſi eſcam præ tędio abhominati ſunt. Mirares profectò. Ex negatione tędij Adamus paradiſum non ſtomachatur: ex poſitione tędij filij Adam cibum paradiſi deteſtantur. Quia Adamum non tędet, eſcam paradiſi deſiderat; quia populum iſtum tędet, eſcam paradiſi nauſeat.

NOTATIO CONTRA TEDIVM.

ACCIDIAM, ſeu tædium animi fugere ſi uis, eſto occupatus ſemper in re aliqua. Vidiſti naque, quòd ad euitandum hanc indictum eſt Adamo, ut operaretur, & ꝙ ipſe operatione media hanc accidiam, ſeu tædium, faciliter euaſit. Vides & hic, quod quandiu populus iudæorum in operatione pugnandi contra reges præmiſſos, uel plangendi ſuper mortem Aaronis, fuit occupatus, tandiù ipſum non tæduit. Mox autem, opere occupante animum remoto, in eorum animum tædium intrauit.

¶ Quanto igitur magis operatio animi occupationem delectabilem importauerit, tantò magis huiuſmodi operatio ad arcendum tædium ualebit; & cõſequenter ad multa bona proficiet. Hæc autem operatio nonnè ſtudium eſt; ſacrarum literarum præcipuè? Dùm itaque ordo fratrum prædicatorum ad ſtudium ordinatur, ad multa bona capeſſenda, ad multaque mala calcanda, ordinatur, quoniam ſic tædij portam in bijs ſuis apprimè claudit. Cùm itaque ſtudium magis ad tædium amouendum præualeat exteriori occupatione; Religio illa meliùs ordinata erit, quæ ad ſtudium cõtendit, quàm quæ operationibus externis inſiſtit. Nonnè & iſti iudæi operationibus externis inſiſtebant, dùm itineri faciendo, atque labori, incumbebant? Et tamen propter has operationes impeditum non eſt, quin tædium animum ſubintraret. Non ſolum ergo operatio ad tædium procul tenendum requiritur principaliter; ſed operatio cum delectatione. Hanc autem operationem ſtudium maximè, in humanis rebus loquẽdo, uocamus. Gratias igitur maximas Deo agant, qui ad ſtudioſam religionem acciti ſunt. Quemadmodum autem ſtudioſus medio ſtudio multa, tædio excluſo, excludit, ita non ſtudioſus (maximè ſi aliam condecentem operationem non habet) multa mala, admiſſo tædio, admittit.

ANima noſtra nauſeat &c. Quamobrem miſit &c. Text.

Concl. 5. *Diminutio guſtus Euchariſtiæ eſt ſignum appropinquationis ad portas tentationum mortiferarum.* [Ex eo.]

NOTA ly Quamobrem, nec non quòd Manna figurat Euchariſtiam, & concluſionem hanc manifeſtè uidebis. Mox ut iſti dixerunt: Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, miſſiones ſerpentum in illos audimus. Quid eſt hoc? Quòd non multum tempus poſt prædictã guſtus diminutionem intercurrit, quòd tales homines in aliquas diaboli ſerpentis fallacias incidunt. Talis ergo minor guſtus & cauſa eſt, quòd ille homo portis mortis appropinquat; & eſt nõ multum temporis ad hoc faciendum paruus. Hæc dicta duplica Ratio.

poſt

poſtly nauſeat &c. immediatè ſerpentum fit memoria; & introducitur cum ly quamobrem.

NOTATIO.

HVnc ordinem, concluſioniſq; documentum, inſinuare noluit pſalmus, quando ait de Iudæis: Omnem eſcam abhominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt uſque ad portas mortis. Omnem eſcam, quam? Euchariſtia per manna ſignificatam. Nam omnis boni contentiuum Euchariſtia eſt; & nobis per modum eſcæ ſumenda proponitur. Omnem eſcam abhominata eſt anima eorum: Ecce peccatum. Appropinquauerunt uſque ad portas mortis (id eſt à ſerpentibus multi, & ferè omnes, perierunt). Ecce ſupplicium illi peccato condignum. Qui enim uitā aſpernati ſunt, mortem accipere meruerunt: & qui a uitalis cibi guſtu ſe prolongauerunt, ad mortalis cibi pœnam appropinquauerunt. Et quid dicam? Non probauerunt, ſeu non tanti (ut decebat) æſtimauerunt, comedere uitam, & in pœna huius a morte ipſi comeſti ſunt. Nunquid nō a propheta eodem dictum alibi audiſti; Mors depaſcet eos? Loquebatur de illis, qui nolūt paſci a uita. Dignum enim, ac iuſtum eſt, ut mors depaſcat illos (quemadmodum hic uides) qui ſe paſcere uita uel dedignantur, uel parui ducunt, uel aperte fugiunt, uel corpus domini non diiudicant ab aliorum ciborum multitudine.

¶ Aduerte, non ſine cauſa fuiſſe hic dictum ly Ignitos, ad limitandum ly Serpentes. Hoc enim factum eſt ad oſtendendum, propter quam culpam principaliter ſerpentes hi miſſi fuerint. Murmurauerant illi de pane, de aqua, de manna. Vt ergo ſcires ob quam murmurationem è diametro iſta inflicta fuerit pœna, ideò ad ly Serpentes additum eſt ly ignitos: Vide igitur quænam culpa de igneitate magis ſapiebat; & pro qua culpa primariò pœna hæc data ſit, intelliges. Quis maior ignis bonitatis Dei uerſus nos oſtenditur, quam dum nobis Euchariſtia in ſubſtantiis datur, quæ per mannam ſignificata eſt? Cum itaque Euchariſtia in charitatis igneitate ſuperet alia Dei beneficia & per mannam ſignificetur, patet ex ly Ignitos, quòd pœna hæc propter aſpernatione mannæ principaliter miſſa eſt. Vnde quaſi per ly Ignitos, dicitur. Sicut pœnam vides ignitam in malum: ità culpam de ſe bonam ignitam fuiſſe non dubites.

Text. FAc ſerpentem æneum.

Concl. 6. *Chriſtus erat futurus patientia inſuperabilis.* [Ex eo.]

Ratio. HIc ſerpens æneus Chriſtum figurabat, quia ſicut ſerpēs ille formam ſerpentis habebat, non autem uenenum; ita Chriſtus formam humanam habiturus erat, non autem peccatum. Item ſerpens ille non ex commixtione ſeminum natus erat: ita Chriſtus non ex commixtione tali natus fuit. Serpens autem figuratus eſt Chriſtus, quia ſerpens eſt callidior omnibus animantibus. Figurabat ergo Chriſtum eſſe futurum maximæ prudentiæ. Sed de hoc in concluſione ſequenti, iuxta modo noſtram: Serpens ille dictus eſt æneus. Eſſe æneum quid ſignificat? Eſſe durum, & conſequenter non cedere percutienti, ut frangatur. Vnde quando aliquem infrangibilem ſuis negocijs denotare uolumus, dicimus prouerbialiter: ille caput æneum, ſiue egli hà una teſta di bronzo. Quia igitur Chriſtus inſuperabilis patientiæ futurus erat, & in nullo percutienti cedens: ideò ſerpens æneus in figura noſtrum eſt.

NOTATIO I.

DE SIGNO.

NE autem crederes, quòd Chriſtus perſeuerauerit in tanta patientia propter defectum, ſeu paucitatem tribulationum; ideò dicitur hic ſimul, pone ſerpentem æneum pro ſigno. Patientiæ ergo iungitur huic, quod eſt, eſſe pro ſigno. Quid autem hoc pro ſigno ſtare, eſt; niſi illud Simeonis dictum: In ſignum, cui contradicetur? Signum namque omnes

Luc. 2. uident, omnes ipſum attingere geſtiunt, omnes ad ipſum currunt, omnes ipſum ferire gaudent, nec ſignum bonum iudicatur, niſi multiplices a percutiētibus impetatur. Sic & Chriſtus pro ſigno ponendus figuratus fuit, quia omnibus palam in cruce eleuatus (ut ille ſerpens) conſpicabilis erat futurus, ab omnibus tum linguis, tùm calumnijs, tùm factis, tùm ſub ſannationibus (hoc oſtenderunt, qui ſub cruce tranſeundo capita ſua mouebant in Chriſti deriſum; ipſumque mille opprobrijs denigrare geſtiebant), tum uarijs modis, attingendus erat. Nunquid non ad ipſum crucifixum, tanquam ad rē nouam, omnes etiam a longè currebant; ut talis ſpectaculi participes eſſent? Videas apud nos. Quando aliquis uel ſuſpenditur, uel decollatur, uel alter ad mortem ducitur, omnes undique currunt ita, ut pro currendi deſiderio ſua facta dimittant. Et ut frequentius currant: campana, ſignu morti adiudicandorum, pluribus ictibus pulſatur. Sic & hic, quādo Chriſtus pro ſigno ponendus fuerat in cruce, currebant omnes: Et, ut frequentius curreretur, mittebatur hinc inde per montem Caluariæ præco, qui per ſonitum tabulæ aliquē morti adiudicatum ſignificaret. O quot ſua negocia intermittebant, ut ad ſignum hoc uidendum præcurrerent? maximè uerò dimiſſionem hanc negotiorum facere tunc tempus erat, quando iam præ inſtante ſolemnitate paſchatis feriata cogebantur?

¶ Chriſtum hunc pro ſigno poſitum non dices, ſi non tantum omnes illum ferire, ſed & ferire gaudere uidebis? Hoc enim eſt proprietas ſigni, ut patet. Gaudebant ergo ferientes ipſum, & lætabantur: ac ideò certatim contendebant, ut aliter altero plaga maiori Chriſtum afficeret. Niſi enim ſic feciſſet, quomodo Chriſtus pro ſigno uerè fuiſſet? Etenim hoc rei pro ſigno poſitæ (ut ſupradiximus) conuenit, ut ab omnibus certamine quodam impetatur magis, atque gaudenter.

¶ Vis uidere Chriſtū nō ū habere non morū ſigni, ſed etiā ſigni optimi, conditionem? Vndique ad omnem partem, ad omne genus hominum, ad omnem ſui corporis compaginē, ad omnem ſuum ſenſum, conſpicias: & ſi ab omni parte prædicta confligitur; ipſum non tantum ſignum, ſed & ſignū optimum, agnoſcito. Nonne ex parte dextra tormentatur, cùm ait: Conſiderabam ad dexteram, & uidebam; & non erat, qui cognoſceret me? Nonne à ſiniſtra cruciatur, cum à latrones mali ore blaſphematur, & per eius dānationem ſanguinē ſuum effuſum pro eo fruſtrari contemplatur? Quid dicam, ſi ad partem cruci ſuppoſitā, deambulantium Pontificū manus; ſi ad partē a cruce remotā, prætereuntium hominū uoces aſpexero? Vtique ab oībus his cùm uideā cōclamari; Maledictus omnis qui pendet in ligno; Chriſtum hunc non niſi optimum ſignum fateri ualeo. At ſi ad omne genus hominū aduertas oculos, nonnè omnes illos tùm gētiles tùm iudæos hunc aduerſaſſe pro ſigno iſto maliſſimè conſigendo clamabis? Patitur.n. & à gentibus, & à iudæis, tùm maſculis, tùm fœminis (ut ab ancillis accuſantibus Petrū). Patitur à principibus, à miniſtris eorum, & popularibus, ut patet Pſal. 2. Patitur à familiaribus, à notis (ut a Iuda traditore, & Petro negāte). Patitur in ſuis amicis cū deſerentibus. In fama p blaſphemias contra ſe prolatas; in honore & gloria per irriſiones, & contumelias; in rebus per hoc, q etiam ueſtibus ſpoliatus eſt; in anima per triſtitiam, tædium, & timorem; in corpore per flagella, & uulnera. En Chriſtus pro ſigno. Sin autem ad ſui quamque partem corporis aſpicias; ipſam totaliter diſſipatā miro modo uidebis. A capite uſq; ad plantam pedis, etiam ſi oculos linceos habueris, nec tātillum quidem ſanitatis conſpicies. Vide caput ſpinis coronatum, manus, & pedes clauis affixas; in eius facie alapas, in toto corpore flagella. Quid de omni ſuo ſenſu eloquar? Contemplato tu per ſingula ſenſuum, & in omnibus his cruciari uehementer Chriſtum tuū, comperies. Eſt enim ſecundum tactum flagellatus, clauis cōfoſſus: ſecundum guſtum felle, & aceto potatus; ſecundum olphatum, in loco fœtido cadauerum mortuorum, qui dicitur caluariæ crucifixus; ſecundum auditum laceſſitus uocibus blaſphemantium & irridentium; ſecundum uiſum, uidens matrem, & diſcipulum, quem diligebat, flentes. Quòd ſi prædicta uera ſint, vt reuera ſunt, Chriſtum pro ſigno hic figuraliter poſitum ambigere noli; & pro ſigno quidem anthonomaticè dicto.

¶ Cum igitur tantas afflictiones habuerit, dùm ſtaret pro ſigno Chriſtus, non ſine cauſa, cùm in his non defecerit, ſerpens æneus nunc futurus præfiguratus eſt. Ergo conuenienter in ſcriptura Chriſtus uocatur lapis firmus, & ſaxum duriſſimū. Ergo eleganter p unum prophetarū dicit Chriſtus: Poſui faciē meam duriſſimā, & ſimilia. Ergo Chriſtus rectè in ſcriptura de inimicis ſuis contra ſeipſum, loquendo ait: Scio, q non confundar. Quare ſciebat, quòd non præualituri erant hoſtes ſui; & conſequenter quòd ipſe non confundēdus, id eſt ad impatientiam non commouendus? Quia, ſerpentem ſe æneum figuratum eſſe, nouerat.

NOTA-

NOTATIO II.
De ſigno.

POSITVM Chriſtum pro ſigno fuiſſe aduertas hinc; quòd pro ſalute creaturarũ à ſerpente uenenoſo morſarum; nõ pro ſuis, quæ nulla fuerunt, delictis patibulo crucis appenſus fuit. Iccircò legis in textu primò, quòd ſerpens erat mortuus, ſecundò quòd percuſſus aſpiciens eum uiuebat; ſi nanque erat ſerpens æneus, utique erat mortuus; ſi mortuus utique nõ peccauerat, quia ſemper iſte ſerpens mortuus fuerat. Mortuus ergo, in relatione ad peccatum, dictus fuit ſemper Chriſtus, & conſequenter mortuus ſemper in relatione ad impatientiam. Quomodo autem mortuus quis peccare poteſt, aut impatiens fieri? In hoc ergo cognoſcimus, Chriſtum nõ tantum non peccatorem, aut impatientem fuiſſe in ſuis tribulationibus; ſed nec ad peccatum ullo modo, uel ad impatiẽtiam, flecti potuiſſe, etiã ſi centes millies plurificarentur, aut plurificatæ fuiſſent ſuper eum paſſiones. Secundò dictum eſt, quòd percuſſus aſpiciens in ſerpentem illum, uiuebat. Et ecce quòd pro ſalute creaturarũ a ſerpente uenenoſo morſarum cruci affixus eſt Chriſtus. Nouerunt modò uniuerſi capituli tertij Geneſeos gnari, quæ ſint illæ creaturæ à ſerpẽte morſę, ſunt homines nanque; non autem Angeli. Ex hoc igitur loco clare habetur; quòd propter ſalutem malorum Angelorum crucifixus non eſt Chriſtus, ſed tantùm propter homines. Nõ enim propter quoſcunque infirmos eleuatur ſerpens ęneus, ſed propter infirmos à ſerpentibus morſos. Et quoniam inſtare quiſpiã poſſet, quòd propter aliquos minores diabolos ſaluãdos miſſus fuerit Chriſtus ad crucem, eò, quòd Draco (ut Apocalypſis habet) traxit ſecum tertiam partem ſtellarum, ideſt eas uenenoſè momordit; ideò ad hanc inſtantiam excludendam eſt additum ly Ignitos. Non enim adhuc erat ignitus ille Draco ſupremus, nondum fuerat in ſtagnum inferni miſſus; quando ſecum traxit tertiam partem ſtellarũ. Quando uero hominem primum, & in illo ſucceſſores, momordit, tunc & ſerpens erat, & ignitus erat. Reſtat igitur, ex ly Ignitos, quòd propter ſolos homines infirmos, atque morſos, crucifixus eleuatus ſit in ſalutiferum ſignũ. Imò hanc ad litteram habetur, quòd in cruce Chriſtus eleuatus ſit, ut diſſolueret opera diaboli, & conſequenter ipſum mundi tyrannicum principem eijceret foras. Quid enim fiebat, quando illi ſaluabantur? Veneni ſerpentini effectus tollebatur: & conſequenter ſerpens ille quoad effectum ſuum malignum foras ex hominibus morſis eliminabatur. Crux itaque Chriſti non tantùm in ſalutem ſerpentibus futura non erat, ſed in ſummam perniciem

FAc ſerpentem ęneum &c.

Concl. 7. *Chriſtus prælegit uincere diabolum, ideſt ex illius faucibus hominem iam ſauciatum eripere, per prudentiam magis, quàm per potentiam.* [Ex eo.]

PRVDENTIA grandis ubique attribuitur ſerpenti. Quocirca, cùm audis Chriſtum dici in cruce ſerpentem, prudentem illum in bello contra diabolum agnoſce magis, quam potentem. Figura nanque magis prudentiam, quàm potentiã, exprimit. Potentiora nanq; ſerpente animalia multa reperies: at callidior ſerpens tibi ſemper dicetur à Geneſis cap. 3. cunctis animantibus.

APPENDIX.

HINC habes, quòd iure filio Dei potius, quàm alteri perſonæ diuinæ, datum eſt, ut propter nos à morte liberandos crucem aſcenderet. Filio namque Dei attribuitur ſapientia. Cur autem ſapientiam uoluerit magis relucere in liberando hominem, quàm potentiam, noſtrum non eſt hic profundius perſcrutari. Hoc tamen unum reſpõſum ad quæſtionem iſtam accipito; quòd ſic facere uoluit, ut dolori medicina ſuperponeretur, ideſt correſponderet. Peccatum enim hominis fuit, quòd ſapientiam inordinatè quæſiuit (ut enim eſſet ſciens bonum, & malum ad ſuaſionem diabolicam; pomũ Eua comedit), & adeò ſapientiam in hominum liberatione ſummum locum ordinatè tenere decuit. Vt etiam uideas hinc homo, quòd Deus illi non inuidebat ſapientiam (ut diabolus inſinuabat) quando illi pomum interdixit. Et conſequenter diabolum fuiſſe mendacem agnoſceret; & conſequenter ab ipſo, tanquam à fallaci, ſemper fugeret. Quomodo enim inuidiſſet Deus homini ſapientiam creatam, qui illi ſapientiam increatam donauit? Aut quomodo nunc poteſt mulier, uel homo quicunque, id credere, cum Deum ſapientiam in hominum ſalutem uenire, & pro hominum ſalute crucifigi velle, agnoſcat? Propter hæc omnia crucifixus, ſerpens appellatus eſt. Secundò conſequenter habes, quòd mirari non debes plus, quam oportet, in ſequentibus; ſed ſapientiam conuerti ſic procedentem. In quibus? In hoc, quòd uirgo mater Dei futura deſpõſata fuit; quòd Chriſtus natus in præſepio uilibus pannis inuolui uoluit; quòd adhuc puer poteſtatem minantem Herodis fugiendo in Ægyptum declinauit; quòd ſemper in Euangelio Ioſeph ipſum patrem ſuum uocari a B. Virgine ordinauit; quòd ſuam tranſfigurationem, atque magnalia huiuſmodi, ante reſurrectionem manifeſtari prohibuit, quòd in deſerto poſt quadrageſimale ieiunium eſurire elegit, quòd contradictores prædicationibus ſuis, atque doctrinæ, ac uitę ſuæ, habere præordinauit, quòd a Pontificibus reprobari, a regibus aſpernari, a Pilato condemnari, à militibus deludi, a diſcipulis derelinqui a toto denique mundo, in paſſione ſua grauia pati opprobria non recuſauit; imò iſta elegit, prælegit, libentiſſimè acceptauit. Hæc, & ſimilia, non dedecuiſſe illum, tunc agnoſces, quando illum eſſe ſerpentem recoles figuratum. Tunc enim dices, quòd in his, ac ſimilibus, maxima Dei ſapientia admiranda uenit; utpote quæ per huiuſmodi infirmitatum coopertam cęlata uoluerit ſecretum ſuum a ſerpente inuioſo, in cuius territorium conuerſaturus ueneṙat. Nonnè ualdè ſapientem diabolum (unde à ſapientia magna dicitur Demon) & in terris quodammodo fuit euincere deludendo, infinitæ ſapientiæ fuit? Vtique: ſed ne miteris; quoniam infirmorum ſaluator, hic ſerpens uenturus figuratus eſt. Tertiò habes, quòd non eſt aliud nomen ſub 3 cęlo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi nomẽ crucifixi. Hic enim uides, quòd aliud remedium ſalutis datum nõ fuit hoĩbus morti appropinquantibus, niſi ſerpens in cruce.

FAc ſerpentem æneum, & pone eũ pro ſigno. Text.

Concl. 8. *Figuras, ſtatuas, imagines erigere, ipſas apponere fidelibus, ut inde aliquod ſalutis remedium eliciant, licitum eſt, ac à Spirituſancto manans.* [Ex eo.]

DEVS, qui imagines alibi in uniuerſum prohibuerat, nunc ipſas fieri mandat. An fortè mutatus eſt Deus? Abſit. Nunquid non prohibuerat etiam, imagines ſerpentum fieri? Vtique hoc prohibuerat. Nam qui dixit non facies tibi ſculptile, neque exiſtentium ſuper terram, neque ſub terra, neque uolucrum; utique & ſculptile ſerpentum fieri inhibuit. Tranſeo, quòd ad litteram prohibitum hoc de ſerpentibus inuenies. Quid ergo? Si nõ mutatus Deus, ſi nõ mutatum mandatum, cur Deus nunc mandatum de erectione ſculptilis ſerpentis dat Moyſi? Quoniam finem mandati ſculptile prohibentis, & finem mandati ſculptile acceptantis, diuerſa eſſe hinc agnoſci uoluit, undè nec iſtud mandatum illi, nec illud huic contrarium eſſe iudicandum inſinuauit. Si ad finem hunc, ut ſcilicet pro Deo, ſculptile aliquod creati adoras; mãdatũ oĩum ſculptiliũ ꝓhibitiuũ auſculta: ſi ad finẽ hunc, ut. ſ. pro cuiuſq; decentia (hoc in tertia parte D. Thomę de adoratione q. 25. quo intelligatur, inuenies) ſculptile creatum rarò reuereris; mandatũ hoc, ſculptilis ſcilicet faciendi acceptatiuum, audi. Alio modo dico, nõ tamen reprobando priorem. Si ſculptilibus uteris pro ſigno, non contra mandatum Dei facis: ſed ſi ſculptilibus pro rebus ipſis, puta pro marmore, acceptas; iam contra diuinum mandatum peccaſti. Non enim ſine cauſa poſt ly Fac ſerpentem æneum; dictum eſt ly pone eum pro ſigno. Hoc enim dictũ eſt, ut intelligamus, ſculptilia nõ erigi à figurato Moyſe ideſt Romano Pontefice in tẽplis ad hunc finem, ut eis pro rebus utamur; ſed pro ſignis rerum. Vnde Petrũ Apoſtolũ marmoreũ nõ adoramus ut res eſt; ſed ut ſignum eſt, ſiue (quod idẽ dicimus) ut imago ipſius rei eſt. Quis enim adoret lapidem, ut lapis, marmor, ut marmor; coloratam figuram, ut colorata ſic, uel ſic, niſi ſtultus, aut alter idolatra paganus? Homines autem Eccleſiæ ſanctæ Dei, qui ſynagogæ ſpiritualiter ſucceſſerunt, ponunt ſculptilia pro ſigno edocti per Moyſen,

non

non autem pro rebus edocti ab ethnicis. *Sic mandata illa præmiſſa intelligas. Vt ſcias reprobare malum, & eligere bonum.* Quòd autem ipſa ſculptilia, ſi ponantur fidelibus pro ſigno, ipſis proueniant in ſalutem (ut concluſio innuit), patet in textu. Quicunque enim percuſſus ſerpentem pro ſigno poſitum aſpiciebat, uiuebat. Nonnè ergo inde magna utilitas fidelibus? Quid melius uita, & uita tali, puta erui à morte, dùm es in ianuis mortis?

NOTATIO AVREA.

ANVERTE hoc in loco, quòd, miracula fienda ad imagioum ſanctarum adorationes, figuratum in littera fuit. Quemadmodum enim ad aſpectum huius ſigni miraculum fiebat: ita (proportionaliter tamen) ad uiſitationem ſanctarum imaginum miracola fienda inſinuabantur ex hoc. Deus enim, qui ſigno iſto mediante mira operabatur in aſpicientibus ſignum, docebat per hoc, quòd ſignis alijs, ſub ſigno iſto tanquam ſub analogato primo contentis (Huiuſmodi ſunt ſigna, ſeu imagines omnium ſanctorum Dei), mediantibus miraculas & ſanitates corporum & ſalutem animarum in aſpicientibus per ueram deuotionem ſigna illa operaturus erat. Hoc autem quàm uerum ſit, quod hic in figura præmonſtrabatur, quotidiè, in multis etiam locis experientia docet, ut patet de S. Maria Lauretana, &c.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 8. cap. 21. deſtruit hęreſim fęlicianam (ut refert Prateolus, uer. Fęlix alius) dicentem, Imagines mllendas eſſe ab Eccleſia; & quod imagines in templis habere idolatria eſt, ſiue ſint Chriſti, ſiue cuiuſcunque ſancti: & hæreſim Almarici dicentis, quòd thurificare imagines idolatria eſt: & hęreſim quorundam aliorum dicentium, non faciendas eſſe imagines, quę adorētur (ut refert cenſura Georalis in Bibliam) & ſtatuas eſſe ſubuertendas. Patet enim totum contrarium: ut ſapiens quiſque diiudicare poteſt. Damnantur quoque, & conſequenter præſens concluſio firmatur, à concil. Niceno. 2. actio. 7. Fatemur unanimiter, nos eccleſiaſticas traditiones ſiue ſcripto, ſiue cōſuetudine, ualentes retinere uelle, quorum de numero eſt imaginum effiguratio. Sanctorum ergo noſtrorum & diuinorum Patrum doctrinę inſiſtentes, & catholicę Eccleſiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obſeruantes, definimus, ſanctas imagines, maximè autem imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, uenerandorum Angelorum, omniumque ſanctorum, omni diligentia uenerandas; & è coloribus, teſſellis, quauis alia materia (ſicut & Crux) paratas, & dedicatas, & in templis ſacris dedicandas, & habendas tùm in ſacris uaſis ac ueſtibus, tùm in parietibus & tabulis, tum in ædibus priuatis, & in uijs publicis: quò ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad prothotyphorum memoriam ueniant; illiſque honorariam adorationem exibeant. Imaginis enim honour in prothotyphum redundat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum. Sic enim ſanctorum noſtrorum patrum obtinet diſciplina, & traditio Catholicæ Eccleſiæ; quæ a finibus uſque ad fines Euangelium ſuſcepit. Tunc ſancta Synodus exclamauit: Omnes ſic credimus, omnes idem ſapimus, omnes approbantes ſubſcribimus; hæc eſt fides Apoſtolorū, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmauit. Qui ſecùs agunt, Anathemate percelluntur: qui ſic non ſentiunt, ab Eccleſia depelluntur. Quicunque ſententias ſacræ ſcripturæ de idolis contra uenerandas imagines adducunt; Anathema. Qui uenerandas imagines idola appellant, Anathema. Qui dicunt, quòd chriſtiani imagines, ut Deos, adorent; Anathema. Qui ſcienter communicant cum illis, qui contra uenerandas imagines ſentiunt, aut eas dehoneſtant, Anathema. Qui audent, Eccleſiam catholicam, dicere, idola aliquando ſuſcepiſſe; Anathema. Si quis traditiones Eccleſiæ ſiuè ſcripto, ſiuè conſuetudine, ualentes non curauerit; Anathema. Hæc ibi. Ex quibus, & conſequenter ex præſenti concluſione, damnantur quoque hæreticę impietates Iconoclaſtarum dicentium, imaginem Chriſti eſſe idolum; & Albigenum, Alaſchanorum, Carolſtadii, Ioannis de Ziſcha, qui ſacratiſſimam crucifixi imaginē fœdarunt, oppugnarunt, eiecerunt. Damnantur & ù &c. ut habes Genes. 47. con. 5. & Num. 12. con. 7. Itē Gen. 23. con. 2. & Numer. 20. con. 2. De tali re uideas & compēd. Alb. lib. 5. cap. 58. ſchol. & cap. 60. ſchol. Ex eodem Concilio Niceno, pro quanto de traditionibus Eccleſię etiam ſine ſcripto loquitur, reprobantur hæreſes Brentii dicentis, quòd traditiones Patrum ſunt prorſus reiiciendæ. Et quorundam Arrianiſmum præſeferentiū (ut habet Melchior Cano de locis Theolog. l. 3. c. 1.) dicentium, quòd in quæſtione fidei nihil omninò præter diuinas ſcripturas eſt recipiendum: & alterius dicentis, nihil ultra, quàm in ſacris litteris habetur, eſſe definiendum: & Caluini dicentis, inſtitutiones maiorum renùnciare, ſinè ab eis recedere, non modò eſſe integrum, ſed & honeſtum, pium, & ſalutare. Damnantur & ab Exo. 18. con. 1. & Num. 4. con. 3. & cap. 12. con. 9. Item Ab Elucid. Addition. 21. nu. 413. Poſſunt quoque damnari per dicta Gen. 16. con. 5. & Num. 2. con. 10. Reprobantur ualidiſſimè à Concilio Trid. ſeſſ. 4. Decreto primo, ubi traditiones ipſas uel ab ore ſanctiſſimo Chriſti ad Apoſtolos, uel ab Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, deriuatas, tenet; & ſeſſ. 25. in ſal. conduct. dato proteſtantibus. Sacroſanta ſynodus uniuerſis fidem facit &c. Et ſignanter, q̄ cauſæ controuerſiæ ſecundum ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum patrum authoritates, in prædicto Concilio Tridentino tractentur. Hæc ibi. Item à Papa Gregorio, ext. de celebration. Miſſ. cap. cùm Marthæ. ubi inter alia dogmata catholica docemur, quòd ſi quæ ſunt uerba in canone Miſſæ, quibus in conſecratione utimur, quæ nominatim nō ſint in Euangelio, credendum eſt, Apoſtolos à Chriſto, & nos ab ipſis accepiſſe per traditionem. Vbi & docet auctoritatē magnam eſſe traditionum. Regula namque inuiolabilis eſt *Regula* apud catholicos, quòd Eccleſiæ uniuerſalis ritus antiqui (quo *firmiſſi-* rum memoria non extat) & approbati tùm circa ſacramen- *ma.* ta conficienda & miniſtranda, tùm circa miniſtros Eccleſiaſticos & miniſteria, quorum in Euangelio nulla ſit mentio, ſunt traditi Apoſtolis à Chriſto aut uiuæ uocis oraculo, aut per reuelationem Spiritus ſancti, ab Apoſtolis aut ſucceſſoribus ſuis, ut obſeruarentur, indicati, & ſic deinceps quaſi per manus dati ad nos uſque perueniſſe. Vnde huiuſmodi Apoſtolicæ traditiones (de quibus nunc proximè dictum eſt), cùm originaliter ſint à Deo ipſo, non minorem auctoritatē habent, quam ſacra ſcriptura: &, ſi de antiquitate agatur, ſunt ea uetuſtiores. Chriſtus enim Dominus noſter librum nullum ſcripſit; quinimò, (quod legatur) nec in terris exiſtens iuſſit, ut quicquam ſcriberetur, qui tamen uiua uoce multa Apoſtolis pro gubernandis populis ſeruanda tradidit, quæ uſque ad conſummationem ſeculi cum ſancta Eccleſia duratura eſſent. Quæ ergo documenta in ſcriptis poſtmodum redacta ſunt, ſcripturam uocamus; quæ uero non ſunt ſcripta (non enim uiſum eſt Spiritui ſancto neceſſarium), ſed ab Apoſtolis accepta retinet Eccleſia, traditiones appellamus. Vide Melchiorem Cano, de locis Theol. l. 3. c. 4. quibus modis Apoſtolicæ traditiones inueſtigentur & cognoſcantur. Ex prædictis quoque patere conſideranti rectè poteſt, quòd alia eſt ratio de adoratione crucis Chriſti ab adoratione mala ſerpentis ænei, de qua infra con. 12. Videas Compend. Alb. l. 5. cap. 58. ſchol.

FAc ſerpentem ęneum, & pone eum pro ſigno. *Text.*

Concl. 9. *Si homo non peccaſſet, filius Dei crucifixus non fuiſſet.* [Ex eo.]

Ratio. VIDE. De ſerpente æneo in crucē ponendo non prius fit mentio, quàm de percuſſione hominum. Imò nec ob aliā cauſam ſtatuit, q̄ in cruce eleuetur iſte ſaluberrimus ſerpēs, niſi quia iudæi à ſerpentibus percuſſi erant, mortemque præ morſibus illorum pertimeſcebant. Tolle ſerpentum morſus, tolle homines non eſſe morſos, nulla eſt cauſa, q̄ erigatur ſerpens in cruce. Erigitur namque pro ſalute danda populo, aſpectu illorum mediante. Tolle igitur, quòd populus iſte ſalute, uelut ſauciatus, egeat; non fiet unquam eleuationis ſerpentis aliqua mentio.

EXAMEN MIRVM.

VIDE hic multa. Primò ſerpens propter peccatum popu- 1
li erigitur. Secūdò ad Moyſaicam orationem eleuatur. 2

Tertiò

3 Tertiò ad ſalutem populi ipſius eleuatio ordinatur. Quartò pro ſalute conſequenda indè; quòd populus ipſum iam eleuatum aſpiciat, requiritur. Quintò licet ex inſpectione populi, ſanitas in eis multa conſequatur, nõ tamen indè aliqua utilitas ſerpenti æneo comparatur. Nota ſingula. In primo contuere amplitudinem diuinæ miſericordiæ. Merebãtur enim iſti propter peccatum tam abhominandum mortuus prædictis in terram defodi, & à uita ad mortem tranſire: & tunc ex miſericordia Dei aliter factum eſt. Non tantùm, quod merebantur, non acceperunt: ſed etiam bonum, quod non merebantur, adepti fuerunt. Et quidem facillimè. Non enim ad uitam acquirendam, & mortem fugiendam, exigebatur, ut tranſirent montes, maria tranſnatarent, latitudinem terræ perambularent, ſed tantummodò, ut aſpicerent. Et aduerte, quòd nõ ut aſpicerent bis, ſed tantùm ſemel. Et, quò facilior fieret aſpectus, nè hinc indè pro aſpiciendo uagarẽt, eleuatum eſt in altum illud, quod aſpiciendum erat. Attende & aliud hic. In quo ſenſu utendo promptiores ſumus; quis nobis ſenſus in utendo delectabilior? Senſus uiſus. Nos enim, ut aperueris oculos, uides; quod ſic facile in ſenſibus alijs non comperies. Non autem mox uides, ſed etiam à longè, ſed etiam ſine corporali inſinuatione, ſed etiam cũ ſuaui delectatione: quod in cæteris ſenſibus difficulter inuenies. Vt ergo Deus nobis ſalutem & citã, & facilem, & delectabilem, daret; hanc in aſpectu collocauit. Facilitauit medium ad ſalutem admodum, & ut ſuæ miſericordiæ magnitudo nobis innoteſceret; & ut de noſtra pigritia, ſi ſalutem non conſequeremur, inexcuſabiles eſſemus. Quis amplius dicat, uiam ad ſalutem bonam impoſſibilem eſſe? Tota ſuauis eſt animæ uolenti, atq; ſalutem amanti. Quis de miſericordia Dei amplius unquam diffidat, immò quis ei ſemper maximè non confidat; cum Deum uideat, nunc tam turpiter indignis, ſic faciliter donare ſalutem? Nam ita indulſit antiquis, ut etiam indè nobis modernis inſtructiones relinqueret.

De ſecũdo. ¶ In ſecundo principaliter dictorum nota uim orationis Moſaycæ; & conſequenter quòd citò ſurrexit à præcedente culpa, ac in Dei gratiam receptus eſt. Tam enim in Dei gratiam receptus oſtẽditur, ut ad ſuæ orationis intuitum tam mirabilem ſalutem dominus populo peccatori afferret. Hinc ergo addiſce, quòd qui bene habituatus eſt, citò ſurgit in priſtinum ſtatum; etiam quòd ceciderit. Id quod eſſe facile bene habituato, ac ideò iuſto, notauit ſapiens, quando dixit: Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Hoc cadere iuſti uocatum eſt à Pſalmiſta, Non collidi, ibi: Cùm ceciderit iuſtus, non collidetur. Hinc etiam mititatem Moſaycam, præ alijs uicibus, addiſcito, qui pro populo tam ſibi nunc nocumentoſe maximè (quandoquidem uſque ad peccatum, & conſequenter pœnam iam ſibi grauem, exacerbauerant eum) faciliter orat; & ipſi tantum bonum pro tanto malo reddit.

De tertio. ¶ In tertio reminiſcere illius dicti à Chriſto; Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Hinc enim habes, quod uult dicere: Omnia ſaluabo.

De quarto. ¶ At quartum addi oportet; ſi de facto hinc ſalutem uis, ò homo, haurire. Quid eſt, quod quarto loco ſupra dicebat? Quòd homines uiui ad ſerpentem eleuatum aſpiciebant. Si clauſiſſent oculos, nunquid indè ſibi ſalutẽ, etiam quòd ſerpens eleuatus fuiſſet, comparaſſent? Minimè. Cuius cauſa? Non quidem ſerpentis, quoniam eleuatus ideò erat, ut ſalutẽ populo afferret; ſed hominis non aſpicientis; quoniam uolũtariè claudendo oculos, ſalute parata ſe priuaſſet. Aperire igitur oculos oportuit, ac in ſerpentem attollere; ſi ſalus optata acquirenda fuit. Quid eſt aperire oculos, ac in ſerpentem figere? Eſt aperire cor, ac fidem in crucifixum recipere. Sicut ergo ſerpens ſalutem non conferebat, etiam quòd eſſet de facto eleuatus, niſi aſpicienti in ipſum; ita Chriſtus, etiam quòd de facto pro totius populi ſalute crucifixus ſit, ſalutem non confert, niſi fidem habentibus in illum. Quid fit per fidẽ? Vide, quid fiat per uiſionem; & hoc intelliges. Nõ enim ſine cauſa, ad denotandum fidem in Chriſtum, dictum eſt, quòd illi aſpiciebant in crucifixum. Quid fit per uiſionem? Res cæteris ſuauiſſimè coniungitur uidenti, & eſt in ipſo. Per fidem ergo Chriſtus ſuauiſſimè coniungitur nobis, & per fidem (ut aiebat Apoſtolus) habitat in cordibus noſtris. Quid conſequẽter fit per uiſionem? Quod ex re uiſa, & uidente fit unum. Per fidem igitur ita unimur Chriſto, ut unum fiamus cum illo. Hoc eſt igitur, quod Chriſtus uolebat, quando ad patrem dicebat; Oro pater, ut ipſi unũ ſint mecum: oro pater, ut ipſi fidem habeant in me. Sicut autem uiſio non faceret prædicta niſi à principio uiuente .ſ. anima procederet; ita fides uitam ſibi nõ unit perfectè; & conſequenter uiuere nõ facit, niſi cũ principio uiuente .ſ. cum charitate fiat. Fidei ergo formatæ, nõ informi, ſalus noſtra perfectè donatur. Hinc, quoniam nemo uidet (ſicut hi iudæi) niſi uolens, habes, quòd nemo credit, niſi volens. Si ergo ad ſalutem corporalem iſtorum concurrebat ſuum liberum arbitrium; ita ad ſalutem noſtram ſpiritualem, .i. ad iuſtificationẽ, noſtram neceſſariò concurrit liberum arbitrium. Liberum (inquam) arbitrium gratia informatum, cum & illorum prædicta uolitio libera à principio uiuente manaret. Quoniam denique uiſus eſt operatio; per hoc, quòd non niſi uidentes ſaluabantur, denotatur apertè, quòd adultis (cuiuſmodi erant hi Iudęi) nunquam ſalus ęternæ uitæ danda eſt per Chriſtum Crucifixum, niſi bene operentur.

¶ In quinto demum aduerte, ꝙ ex hoc, ꝙ nos ſaluamur, nil utilitatis accreſcit Crucifixo. Noſtrorum enim bonorum (ut ſæpies audiſti) non indiget; neque, ſi benefecerimus, aliquid dabimus ei. Amorem ergo Chriſti ad nos amicitiæ totaliter hic intuere: non amatorio concupiſcentiæ mixtum. Sic & in uiſione rerum à nobis euenit. Non enim res uiſa ex mea uiſione perfectionem aliquam in ſe acquirit; ſed ego uidendo illam perficior. Similiter ex intellectione mea perficior ego: non autem res à me intellecta. Ex fide igitur mea in crucifixum perfectio mihi grandis aduenit; nulla autẽ indè perfectio crucifixo acquiritur. Quam ergo munificentiſſimus Chriſtus, quam largiſſimus, quã amiciſſimus, qui mihi, nihil indè à me ſibi ſperando ſaluus, tantam ſalutem tanto ſuo incommodo contulit? Amicitiæ igitur purus amor Chriſti uerſus nosipſos hic apparuit. De quinto.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Venit filius hominis ſaluũ facere, quod perierat. Tolle ergo quod homo perijſſet ex horum ſerpentum ignitorum morſu, nulla erat cauſa necandi ad crucem Chriſto. Vel ad ly &c.

F Ac ſerpentem æneum; & pone eum pro ſigno. Text.

Concl. 10. *Chriſtus ex iudæis naſciturus erat ſine peccato, & à iudæis crucifigendus.* [Ex eo.]

Ratio. Moysi dictum eſt in figura; quòd ſerpentem ęneũ faceret, & quod ipſum in cruce eleuaret. Serpens æneus Chriſtus; Moyſes iudæus. Fecit ergo ſerpentem æneum iudæus; quando Chriſtus ſine ſemine (uelut ęneus ſerpens) ex progenie iudæorum natus eſt. Ideò factus dicitur, quia non proceſſit modo naturali in hoc, ꝙ ſine ſemine uirili natus fuit. Quod enim modo naturali nõ ꝓcedit (ut archa ab artifice) dicitur fieri, non naſci; licèt Chriſtus, quia modo etiam naturali (inquantum .ſ. à muliere fuit, & in eius utero per nouem menſes) proceſſit, dicatur etiam natus. Ita quod & factus, & natus eſt, reſpectu diuerſorum. Fac (inquit) ſerpentẽ factus à Moyſe erigitur, quia iudæus Chriſtum iam natum & factum eleuaturus erat in cruce.

APPENDIX DE SERP. AENEO.

HINC habes, quod Chriſtus ſerpſit in ſuis omnibus factis; non ambulauit. Ambulare nanque ſerpenti non cõuenit, ſed ſerpere. Quomodo differunt, ambulare, & ſerpere? Sic; quod qui ambulat, manifeſtè uidetur ire; qui verò ſerpit non item: ſed ipſum ad hunc, uel ad illum, locum ſe uelle mouere, uidentes nos latet. Video igitur aliquem ſerpere, & non uideo. Quare uideò, & non uideo? Quia illum ſe mouere cerno; quò autem ſe uelit mouere non facile cognoſco. Nã una ex parte uidebitur mihi, quòd is huc ſe moueat: & de repente, in ictu oculi, me neſciente, nec prævidente, alio ſe proripit ille. Nunquid non in cunctis factis ad ſe pertinentibus hoc modo ſe habuit Saluator noſter Chriſtus? Et quomodo aliter tam facilè (ordine diuino ſtante) diabolum uidentẽ ſua facta latere potuiſſet, ꝙ Ieſus eſſet uerus Deus, & uerus homo? Quin potius aliud dico. Serpens æneus ſerpit nè, an ambulat? Nec ſerpit, nec ambulat. Hoc autem figurabat, quòd Chriſti actiones, quid prætenderent, ita latere debuerat diabolum, diabolicosque uiros; ut totum oppoſitum euentus ex eis æſtimarent. Quis unquam æſtimaſſet hominum uel dæmonum, quòd ſic deluſus, ſic iudicatus, ſic opprobrijs ſaturatus, ſic uiliſſimè crucifixus, ſic ab omnibus derelictus, in terra uniuerſa ſolus regnaturus eſſet; Et, (quod profundius eſt)

dum

dùm per talem uiam iret, ad regnum indeficiens pergeret? Certè (humanitus loquendo) alia uia ad regnum non erat uia ad regnum; illud ire ad regnum non erat ire ad regnum; ſed erat retrogredi a regno, nedum ſtare, ac profiteri ſe neſcire progredi ad regnum. Quare uiam hanc, iter hoc elegit, quæ nec uiæ, nec iter, nec motus aliquis uel tantillus, ad ſinem uolitum erat apud homines, atque diabolum? Quia non tantū ſerpens dictus eſt futurus Chriſtus ſed etiā æneus. Hanc ob rem ſuū ſerpere uiſum fuit non ſerpere. Vnde tantò magis ſerpens, ideſt, ſapiens ipſe fuit; atemque magis arte
2 deluſit. Secundò conſequenter habes cauſam, quare ſit illud attributum Chriſto, & alia huiuſmodi. Quod: Ductus ſum ad immolandum; & non aperui os meum. Item, Cogitauerunt ſuper me conſilia, & neſciui. Quare neſciebat conſilia iudæorum, uel quare neſciebat aperire os ſuum; cū eſſet ſerpens, ideſt ſapiētia patris? Quia cum hoc erat æneus. Nunquid aliquod æneum poteſt ſcire aliquid, aut aperire os ſuum? Minimè. Sic nec Chriſtus. Vis cernere, ꝙ non ſciebat conſilia illorum? Ibat illò, ubi captus fuit. Ergo hoc erat ſignum apud homines, ꝙ neſciebat, quòd conſilium fecaſſent eum capiendi in horto, licèt re uera ipſe iſta ſequentia, & alia ſciret, etiam antequam fierent. Iudæorum principes, atque turbas ſemper teneriſſimè dilexit uſque ad crucem; ſemper benigniſſimè inſtruxit; Iudam in conuiuio cœnæ amicabiliter cōmunicauit, ipſius pedes humillimè lauit, ipſum ad prodendum uenientem, amicum uocauit, & id genus alia erga inimicos ſuos effecit. Nonnè hæc huiuſmodique ſigna apud homines humana ſapientes erant, ꝙ Chriſtus conſilia inimicorum contra ſe neſciebat? Vtique. Quis enim hominum, ſi conſilia inimicorum maximè iam rabidorum cōtra ſe pro certo ſciret, uel etiam coniecturaret, illa ſigna tam intima amicitiæ uerſus illos oſtenderet? Ideò non mirum, ſi pro ſigno iſte ſolus ſerpens ponitur. Quaſi ea hoc dicatur: Erit omnibus admirandum ſignum, omnibus in ſpectaculum poſitum, omnibus diſſimile apparens. Qui enim uidet ſignum, & nō uidet ſignatum, admiratur; ſignum etiam ſpectari ſolemus pro rebus inſolitis. Erat ergo pro ſigno, quia inſolitum erat, ut Chriſtus inſolita apud homines faceret, atque pateretur, necnon loqueretur. Nunquid non Chriſtum pro ſigno eſſe tunc conſpicis; quando de locutionibus eius audis, ꝙ nunquam ſic loquutus eſt homo? Tunc & ipſum pro ſigno eſſe fateri cogeris, quādo de factis eius miraculoſis audis a cæco: A ſæculo non eſt auditum &c. Quid dicam? Pro ſigno Chriſtum eſſe in omnibus actionibus ſuis, nonnè tunc apertè cognoſcis; quando inimicos eius ad mortem audis ſic noſtè de illo dicentes; Hic homo multa ſigna facit? Inſolitū ergo quid cum dicat ſignum, congruenter Chriſtus pro ſigno poſitus dicatur hic. Cum etiam diſſimilia (ad hominē, ſeu ſecundum hominē, loquendo) in mundo Chriſtus ſemper, aut ferè ſemper fecerit, rectiſſimè poſitus pro ſigno in
3 deſerto, figuratur hic. Tertiò cōſequenter habes, ꝙ congruè ter in ſcripturis Chriſtus uocatur uermis, opprobriū hominē, & ſimilia. Quare? Quia eſſe ſignum importat uilitatē, minorem appretiationem, ac huiuſmodi. Quid enim uilius poteſt dici alicui, quàm dicere ei: Tu ſtas tantum pro ſigno in loco illo? Vnde & vulgariter de aliquo non appreciato in munere, quo fungitur, dici ſolet: Lui è uno ſegno di tauerna. Hanc uilitatem, non appreciationem, & huiuſmodi intellige de Chriſto non ſecundum rei ueritatem, cum & in ſe, & in omnibus ſuis actionibus paſſionibus &c. eſſet admirabilis, ſuperlaudabilis, inæſtimabilis; maieſtate, potentia, gratia, ſapientia plenus; ſed intellige illa quo ad hominum, maximè infidelium, opinionem. Legiſtin unquam in ſcripturis: Leuabo ſignum in nationibus, & ſimilia? Omnium tunc ſecretorum ſuperius recordare, & uide ſub uno uocabulo plures ſenſus in ſacris paginis contineri. 1. q. 1. ar. 10.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Salus ex Iudæis eſt. Vel ad ly (Euangelium) Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Hic uide, & quòd iudæi Chriſtum poſuerunt pro ſigno, ideſt crucifixerunt; & quòd Chriſtus uidebatur illis æneus. Non enim Chriſtū iturū ad regnum per hanc uiā credebant, & ideo ex eius occiſione inferebant ly Noſtra erit hæreditas. At Chriſtus ea eo, quòd æneus, non deſinebat eſſe ſerpens, ideſt prudens: quoniam & illac iter agebat ad regiminis uineæ ſuſceptionem; & omnia tùm iudæorum ſtudia contra ſeipſum, tùm Iudæ, tùm aliorum omnium, ſciebat etiam inquantū homo. Verificata igitur fuit prophetia illa de iudæis; quòd ſcilicet erāt uidentes, & non uidentes. Nam uidebant Ieſum, ipſiosque actiones, ac paſſiones: & non uidebant illum, eſſe Chriſtum; imò illinc inuidia ducti nouum oppoſitum prædicabant. Vel ad ly &c.

Fac ſerpentem æneum, & pone eū pro ſigno. Text.

Concl. 11. *Mirabilis Deus eſt in figura ænei ſerpentis de filio ſuo.* [Ex eo.]

Mirabilitas hic apparet tùm ex mortuo dante uitam, tùm ex inſpectione ſola acquirente uitam, tùm ex potentia maiori ſerpentis mortui, quam uiui, tùm ex uilitate figuræ. Quis neſciens effectum futurum ſerpentis, non remanſiſſet ſtupidus, ſi uidiſſet, hebræos ad ſolum intuitum uerſus ſerpentem à tāta plaga immediatè perfecteque ſanari? Remanſiſſet utique; & tantò magis, quanto ſciuiſſet, quòd populus hebraicus inter alios populos erat a Deo ſapientiſſimus effectus. Dixiſſet enim ille: Quæ ſapientia iſtorum iudæorum eſt ut ad ſerpentem æneum aſpiciant? Quæ ſapientia eſt iſtorum, ut a mortuo illo uitam expectent? Nōnè ſerpens antiquus fuit cauſa mortis, ſeu mortis occaſio noſtræ? Cur ergo in ſerpentem pro uita mendicanda conſpiciunt? Ecce mirabilitas reſpectu hominum cōſiderata qui ad ſpectaculum uidiſſent. Verè iſtud pro ſigno factum eſt, ex quo totum mundum in admirationem traxiſſet; & inſipientes haberi ab illo oſtendiſſet, quos ueraciter ſapientes faciebat. Ratio.

¶ Audi & mirabilitatem ex parte facti. Nonnè uiuus quis reputatur fortior quocunque mortuo? Etenim melior, ideſt fortior eſt canis uiuus leone mortuo. Et tamen hic totum contrarium extitit. Quis ergo non dicat, mirabiliſſimum, nedum mirabile; & conſequenter pro ſigno uerè dictum eſſe, iſtud factum? Serpens erat uiuus, imò & ſerpentes; erat ueneno potentiſſimus, quoniam erat ignitus. Dictus eſt ignitus, quia ad inſtar ignis erat in ueneno actiuiſſimus. Ex alia parte erat ſerpens unus contra plures; mortuus contra uiuos; minimè in apparentia actiuus, quia æneus. Sicut enim igni, uelut ſupremo elemento, ſuprema cōuenit actiuitas; ſeu citiſſima actio, ita ipſi terræ, & conſequenter ipſi metallo quo magis, conuenit minima actiuitas. Deus tamen iſta mirabilia fecit. Quæ? Quòd unus uinceret plures; quòd mortuus ſuperaret uiuos; quòd minus apparenter actiuus actiuum maximè in agendo expugnaret. Non autem credas, quòd uictio iſta facta ſit impediendo ſerpentes uiuos facere omne illud, quod poſſent, quoniam non tam mirabilis appareret iſta uictoria. Sed quid? Ad mirabiliorem mirabilitatem aſtruendam factum eſt, ut uiui igniti ſerpentes, quicquid ualuiſſent, liberè totis uiribus efficerent. Hac de cauſa tu uides in littera, ꝙ ſerpentes huiuſmodi ſæuiebant in homines, ipſis uenena ſua inferebant, ipſos plagis deuaſtabant, ipſos mortibus è medio tollebant. Ecce tota poteſtas ſerpentum modo, quo uoluerunt, exercita. Nè uerò crediderís, hoc factum eſſe a caſu, uel Deo nolente, quòd ſcilicet tantam potentiam ſerpentes exercuerint; quoniam littera clamat: Immiſit dominus in eos ſerpentes ignitos. A Deo igitur permiſſum eſt, ut ſerpentes illam, quam legis, poteſtatem in homines illos exercuiſſent. Quare id permiſit Deus? Vt mirabilius appareret factum ænei ſerpentis miraculoſum.

EXAMEN I.

DE CRVCIFIXO.

Hoc in loco multa notanda habes circa Chriſtum crucifixum. Etenim de ipſo ſunt omnia iſta figuraliter præmonſtrata. Primò ergo mirabilitatem in oculis omnium hominum, conformiter ad ſupradicta, conſidera: Secundo mirabilitatem facti huius, ſingillatim ſecundum præmiſſa deſcendendo. Sic omnia uidebis quàm ad ſummum adimpleta ſint, & impleantur; & indè tibi maior naſcetur auiditas contemplationis ſuper figuras ueteris teſtamenti, eaſque (quàmuis in apparentia uiles) in maximo precio habendi. Sic recordaberis illius Apoſtoli; quòd ſcilicet Deus infirma, ignobiliaque, ac ſtulta, & ea, quæ non ſunt, elegit; ad figurandum ſcilicet mirabiliſſima futura. Sic quoque illius alterius dicti fui reminiſceris, quod ſcilicet habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Quem theſaurum iſtum? Chriſtum. In quibus uaſis fictilibus? In figuris uilibus, atque ſecundum hominem nullius ualoris. Sic etiam illud Dionyſij tibi occurret (Hoc in prima parte quæſt. prima articulo an ſacra doctrina

utatur

oriuntur metaphoris), quòd ſcilicet ſimilitudines diuinorum quantò ſunt à rebus uilioribus deſumptæ, tantò magis uerio rem in nobis cognitionem de diuinis aggenerant. Tunc (inquam) uidebis, quòd hoc Dionyſij dictum non modò à cruſificatus de Deo, ut Deus eſt; ſed etiam de Deo, ut incarnatus eſt, ac noſtræ ſalutis myſterium operatus. Cur myſterium redemptionis, myſterium incarnationis, myſterium ſalutis, myſterium crucis & huiuſmodi myſteria nominamus? Certè quia ſecretiſſima continent, profundiſſimaque ad intelligendum arcana. Magis modò profunditas ſacramentorum celatur uilioribus figuris utendo, quam nobilioribus. Sed tandem ad noſtræ litteræ propoſitum ſupradictum. Mirabilitas in Chriſto figuratam reſpectu hominum quæ eſt? Vt ab ipſo Crucifixo uitam expectent fideles. Vt ad ipſum Crucifixum certatim cum deuotione aſpiciant, atque fideliſſimo corde. Vt ab ipſo omnium uulnerum noſtrorum, atque plagarum mortificantium remedium ſolo ſinceriſſimæ charitatis intuitu chriſtiani ſperemus. Ecquis non miretur? Ab eo, qui uiſus eſt hominibus, ſe ipſum curare non poſſe; ab eo, qui mundo uiſus eſt, mortem ſuimet depellere non poſſe; ab eo, quem crediderunt homines, plagas ſibimet inflictas eminùs arcere non potuiſſe; ab eo, qui mundo uiſus eſt, ſalutem ſuimet in cruce Ely clamando deſperaſſe; ab eo, qui hominibus uiſus eſt, uitam pro ſemet uocem magnam in ultimis emittendo tenere non ualuiſſe: Ab iſto (inquam) ſperare curam, ſperare mortis noſtræ fugam, ſperare plagarum inflictarum medicinam, expectare ſalutem æternam, præſtolari uitam ſempiternam; & (quod mirabilius eſt) à nullo alio fateri nos bona prædicta ſperare recipereque poſſe niſi ab iſto. Hoc tantum miraculum eſt in oculis omnium gentium, ut nihil ſupra. Hanc ob rem inſequuti ſunt patres filios, tyranni martyres, cognati affines, mariti uxores, domeſticique domeſticos ſuos: quia non potuerunt æſtimare, quòd uerſus Crucifixum eſſet ſperare, ſed totaliter inſanire. Hanc ob rem Apoſtolos dictos ſtultos, Chriſtianos ubique deluſos, ſapientiſſimos uiros in dementiam deuolutos ſecundum hominum æſtimationem legés paſſim; atque de hac illorum (tanta erat) æſtimatione certiſſima mirabetis.

Exempl. Nec mirum. Non enim oculi noctuarum lumen ſolis intueri ualent unquam, ac in ipſius ſolarem aciem figere. Multò igitur minus ualebant homines humanitùs iſta mirabilia capere tanquàm lucidiſſima, & optima. Imò ſicut oculi noctuarum quantò magis in lumen ſolis conatu quodam intenderentur, tantò magis obtenebreſcerent, ita hominum illorum infidelium quantò magis cor ad conſideranda illa ſtupendiſſima ferebatur, tantò magis indè ſcandalizabantur. Similes illis phariſæis in tali ſuo facto erant, qui audita ſuperhumana doctrina Chriſti, mirabantur miratione ad infidelitatem maiorem ducente; id eſt (ſecundum alium Euangeliſtam) ſcandalizabantur in ea doctrina, ſiue in eo Chriſto talem doctrinam prædicante. In tantum uerò antiquitus mirabilitas præmiſſa circa crucifixum atque Chriſti cultores in mentibus infidelium præualuit, ut Apoſtolus uniuerſaliter de uerbo crucis loquens dicat, ipſum crucis uerbum omnibus pereuntibus eſſe ſtultitiam. Et de Crucifixo uis audire, quid dicat? Iudæis (inquit) eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia. Quemadmodum ſtultitia quædam uidentibus infidelibus uiſa fuiſſet iſta, quòd hi iudæi in ſerpentem cruci appenſum certatim aſpicerent. De hac ſtultitia quàm pleni fuerint idolatræ contra chriſtianos, quot uicibus eam chriſtianis exprobrauerint; ſi legis martyrum uitas, ibi plenas de hoc gentilium iudicio cartas inuenies. Quam bellè igitur ſerpens iſte dictus eſt poſitus eſſe pro ſigno, ut omnia prædicta circa mirabilitatem hominum de Chriſto inſinuarentur.

Ioan. *Ma.* *Exempl.*

EXAMEN II.

DE CRVCIFIXO.

TERTIÒ principaliter de mirabilitate facti huius, conformiter ad figuram iſtam, dicamus. Chriſtus erat unus, erat mortuus, erat apparenter minimè actiuus. Quomodo enim ſecundum apparentiam hominum actiuus eſſet, qui in cruce manibus actionum organis erat ambabus conclauatus; pedibus motuum ad actionem inſtrumentis erat ambobus affixus; lancea militari in corde uitalium omnium actionum fonte erat uulneratus; ſanguine, animæ agentis ſede erat totus exhauſtus? Hæc ſecundum hominum apparentiam non actiuitatem ſolum, ſed etiam actiuitatis potentiam in illo negabant. Et tamen iſte Crucifixus mirabilia fecit, quæ tantò mirabiliora ſunt, quantò ab ipſomet uiuo non ſunt tam mirabilia facta. Quid fecit? Mortuus ſtatim ſpoliauit hoſtes, & in eorum ſedibus quidem, dum mox ad inferna deſcendit; mortuus diabolum magnum cum clauè abyſſi deſcendens alligauit in carcere; mortuus totum infernum confudit. O mira res. Quis potentior diabolo? Mortuus. Quis potentior pluribus? Vnus. Quis tam citò actiuus? Crucifixus. Quòd ſi contra diabolum tam mirabiliter potentem conſpicis figuratum æneum ſerpentem; non minus contra homines iſtum inualuiſſe credas. E ueſtigio enim mortuus hoſtes ſub cruce exiſtentes terremotu agitat, ſolis obſcuratione cæcat, ueli ſciſſione hebetat; petrarum ſciſſione horrida terret, ſepulchrorum ſubita apertione ſtupefacit, & ſanctorum reſurrectione confundit. Quis non facta hęc in ſeipſis miranda mirabiliora dicat, ſi illa à Crucifixo mortuo, uel iam iam moribundo manare uideat? Vicit ergo uiuos mortuus; uicit ſolutos Crucifixus; uicit actiuos, qui uidebatur ęocus. Et unde? Forſan inimicis ligata fuit poteſtas, ne facerent, quod uellent? Imo data, conceſſa, & acceptata, ac in actum exercitum poſita. Quæcunque enim uoluerunt hoſtes, tanquam ſerpentes igniti inueterato morſu, odioque ueneno, in ipſum fecerunt. Omnia igitur, quæ malignitatis animus ſuggerebat, in ipſum congeſſerunt ſupplicia; ut figurati meritò per iſtos ignitos ſerpentes probarentur à cunctis. Hunc Chriſtum linguis maledicis multiformiter momorderunt; hunc plagis uariis toto corpore uaſtauerunt; hunc uenenatis ſibilis à Pilato crucifigendum conclamantes poſtulauerunt. Quid fecit Pilatus? Tradidit Chriſtum uoluntati eorum. Si uoluntati eorum; ergo, ut quæcunque uellent, contra Chriſtum facere poſſent. *Luc. 23.* Adeò autem iſta iudæorum poteſtas contra Chriſtum exercitata eſt, ut à planta pedis uſque ad uerticem capitis, non fuerit alicui in Chriſto relicta ſanitas, nec ullius tranſeuntis per huius mundi tribulantis uiam dolor dolori Chriſti aſſimilari poſſet, ne dicam coæquari. Fecit & omnia Sathanas, quæcunque cupiuit; fecerunt & iudæi, fecerunt & gentium principes, contra Chriſtum iam mortuum quæcunque animis ſuis malignis conceperunt, ne in orbe terrarum; imò nec in angulo paruiſſimo orbis memoria huius mortui haberetur unquam, atque, nè homines in cuius, tanquam in ſalutiferum ſerpentem æneum, aſpicerent. Nunquid profecerunt? Minimè. Et contra mortuum unum crucifixum non profecerunt; & ipſi uiui plures ſoluti defecerunt. Cuius uirtute? Virtute crucifixi. Mirabilia ergo teſtimonia tua domine, clamabat pſaltes ad hoc propoſitum. Teſtimonia domini quæ fuerunt? Iſte ſerpens æneus in figura ueritatis poſitus. Teſtimonia iſta antiquitùs mirabilia fuerunt in oculis iudæorum: ſed ſignificati ſerpentis acta mirabiliora facta ſunt in conſpectu omnium gentium. Nè credideris autem, quòd iſta ſupradictorum ſerpentum ignitorum, tùm Dęmonum, tùm iudæorum, tùm gentilium poteſtas fuerit à caſu ſuper caput Chriſti coadunata; ſcito ipſam datam eſſe deſuper. Immiſit enim dominus ſerpentes in illum, et illoſque populum; & conuertit cor eorum, ut odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Licuit enim. In figura præſentis capituli à domino facta eſt ſerpentium ignitorum immiſſio; in figurato (excepta culpa) omnium illorum ſerpentium immiſſio à Domino facta fuit. Ad quid? Vt uirtus crucifixi mirabilior appareret, dùm contra potentes potentiam ſuam ubilibet quomodolibetque exercentes uictoriam in cruce mortuus ſuper ipſos omnes in perpetuum obtineret. Ecce (ut dicebamus in quadam priori concluſione) Chriſtus pugnare pręelegit per ſapientiam, quàm per ſolam potentiam, & ideo magis dictus eſt in iſto duello ſerpens, quàm Leo.

Apocali.

EXAMEN III.

DE OBEDIENTIA.

ADVERTE hic, circa obedientiam, ſtupenda. Vidiſti ſuperius; quòd iudæi ad intuitum ſerpentis ænei ſanabantur ſubitò à plagis uariis, & à morte propinqua. Certè, ſi uirtutem iſtius figuralis ſerpentis ſolùm attendas; has mirandas ſalutes indè afferri uidebis: quandoquidem in illo æneo figurali ſerpente nullus ſenſus, nulla uita, nulla uirtus ex ſemetipſo erat; ſed purum metallum, inſenſatum purum, & purum inanimatum. At ſi uirtute obedientiæ, qua ſcilicet iudæi Deo ſic iubenti obtemperabant, conſideres, iam mirandas illa facta, tanquam uerißima, uirtuteque plena, ſuſpiciēs reuerereberis. Tu ne iudęos illos in ſerpente in altum ſubinde ferentes oculos non uidebis ampliùs, ſed maximè de facto cō-

men-

mendabis. Tunc factum iſtud non friuolum, inane, aut deriſorium appellas; ſed grauiſſimum, utiliſſimum, reuerendiſſimum uocas. Vnde tibi hæc omnia? Ex obedientia ſancta. Quæ ergo non ſunt, tanquam quæ ſunt, uocat obedientia; infirma fortia, ignobilia nobilia, ſtulta ſapientia, deſpecta honorabilia reddit obedientia ſancta. Hanc igitur amplectere in cunctis, & tunc in omnibus cum iſto Iudæorum populo contra quoſcunque ignitos ſerpentes, & quantumcunque ignitos, uictorioſus facillimè fies. Hoc autem, quod circa iſtam actionem de hebræis hic dixi; tu ad oīa hæbræorum ſacrificia, atque ceremonias applicato. Quemadmodum enim hic non ex opere operato, ſed ex opere operantis, uirtus tota pendet; ita illic. Memineris autem hinc edoctus etiam; quòd quando tibi imponitur obedientia, diſcutere tu ipſe illam non debes; an bene factum ſit, aut uanum, taliter facere; ſed certamine quodam (more iſtorum iudæorum) ipſam adimplere cum omni deuotione ſatagere. Vide, rogo, hebræos iſtos. Si de re exteriori commiſſa diſputaſſent, ad ipſamque ſolam attendiſſent, nonnè parui tale quid agere duxiſſent, uel illud ſuperſtitioſum æſtimaſſent; & conſequenter aut illud non feciſſent, aut ſine deuotione feciſſent, & ſic in ſua infirmitate permanſiſſent, morti que ſemetipſos inobediendo tradidiſſent? Simpliciter ergo obedierunt, & ſic probauerunt illud Apoſtoli, ſcilicet quod illud, quod infirmum eſt hominibus fortius eſt Deo. Hoc eſt. Quod apparet (ut hic) hominibus eſſe infirmum, nulliuſque uirtutis, atque ualoris; id ſi pro Deo ſit, nobis ex Dei uirtute ſalutiferum ſupra, quàm credatur, efficitur.

Regula uniuerſalis.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DICTA Concluſione 11. c. 21. caue, nè abutaris, ut olim ſerpenticolæ, ſimilia poſita tibi indiſcreta conſideratione penſantes, fecerunt. Hi nanque ex mirabilibus oſtenſis per illum ſerpentem æneum; quæ narrantur in textu, arbitrati fuere, quòd in ſerpente ipſo eſſet aliquid numinis, ſeu diuinitatis; & tertiò ſerpentem iſtum æneum adorabant, eique cultum Deo debitum attribuentes ſacrificabant. Durauit hæc idolatriæ impietas uſque ad tempora Ezechiæ regis, quam ipſe rex prohibuit, atque damnauit etiam facto ſuo fideliſſimo, quo ſerpentem prædictum confregit 4. Regum 18. Vnde, & a Papa Stephano laudatur, & tanquã exemplar principibus bonis proponitur, diſtinct. 63. cap. Quia ſancta romana. Damnatus quoque error ille ſerpenticolarum, & idola tria a regulis fidei, & multipliciter, in Elucid. 1. par. ar. nu. 77.

Text. FAc ſerpentem æneum &c.

Concl. 12. *Faciliori uia, qua decuit, Christus homines attrahere uoluit &, uult ad ſemetipſum.*

Ex eo.]

Ratio. VIDERAT Deus, hominem à ſui primordio aſſuefactum quoquo modo credere ſerpenti. Quid fecit, ut ſuauiter homines ſibimetipſi crederent, tùm in dictis, tùm in factis? Serpens fieri uoluit, atque dici. Cum autem factus ſit homo realiter, non ſerpens; poſſet quis inueſtigare, cur dicatur hic, & fiat, ſerpens. Fac (inquit) ſerpentem æneum Eu fit, & dicitur, ſerpens. Non realiter igitur futurus erat ſerpens, ſed methaphoricè Chriſtus. Metaphoricè (inquã) non tm̃ propter proprietatem ſerpentis in ſe, qua ſcilicet prudens dicitur, & ſerpit; ſed etiam propter proprietatẽ ſerpẽtis reſpectu hominis, qua ſcilicet ſerpens libenter loquitur homini, atque ab homine auditur. Niſi enim libenter loqueretur homini; non tam citò locutus fuiſſet homini in paradiſo adhuc poſito. Niſi etiam libenter audiretur ab homine; Eua non tam citò ſerpenti credidiſſet, ad eiuſque ſuaſum animum ſuũ formaſſet. Vt ergo inuitaret hominibus; quòd Chriſtus uult illos libenter alloqui, & deſiderat libenter audiri ab eis, ac exaudiri; ideò ſerpens hoc in loco figuraliter dictus, ac factus eſt. Vt etiam uideant omnes, ꝙ Chriſtus faciliima uia, utpote hominibus ab initio imbibita, ad ſeipſum trahere cupit hominum genus: iccirco ſerpens hic uocatur figuraliter, atque fit. Vt etiam uideant cuncti, quòd homo inexcuſabilis eſt iudicandus oīnò, ſi Chriſto non præſtat fidelem aurem; ideò Chriſtus hodiè in ueteri teſtamento ſerpens fit, & nuncupatur. Quomodo inexcuſabilis hinc apertiſſimè erit homo, ſi Chriſto non credit? Audi.

NOTATIO.

DEMON, ut ab homine fidem mutuaret, induit ſerpentem. Chriſtus ut ab homine fidem mutuaret, induit ſerpentem. Quid ergo contra hominis excuſationem hinc elicitur? Si homo (ut in Eua patuit) demoni, ſub figura ſerpentis apparenti, credidit; quæ excuſatio homini poterit, uel apparentes, eſſe; ſi Chriſto ſub figura ſerpentis apparenti credentiam negauerit? Et tamen Chriſto prædicanti homo tàm multipliciter credere noluit. Quid ergo? Homo igitur a diabolo comparatiuè iudicabitur dicente; Tu mihi ſerpentina ueſte induto fidem præbuiſti; & Chriſto ſerpentina figura prænotato credere noluiſti: Ecce ergo, quòd inimici noſtri ſunt iudices. Quid dices homo, cum tibi talia improperabuntur à Chriſto, a conſcientia, à diabolo? Serpentem uiuum timere poteras, ac illum fugere, quia uiuus erat, hunc autem Chriſtum ſignantem fugere rationabiliter non potes, quia mortuus eſt. Et tamen illum ſecutus es in fide, iſtum uerò fugis in fide. Quæ tibi excuſatio? Illum primum ſerpentem pro nociuo habere poteras, atque debebas (in cuius ſignum iſti ſerpẽtes igniti hominibus nociui ſunt), quia uenenoſus erat: hunc autem figuralem ſerpentem timere non potes, etiam ſi uelles, cum ratione; quia mortuus, & conſequenter ueneno ſus non eſt. Quæ igitur excuſatio tibi, ſi illum ſine timore amplexatus fuiſti, & iſtum cum horrore ſemper ſine ratione fugiſti? Totus manſuetus; totus tractabilis; totus, ſecundum ꝙ deſiderat anima tua, factus eſt tibi Chriſtus; quoniã quod amabas dictus fuit, quod non amabas abiecit. Amabas alloqui ſerpentem, amabas credere ſerpenti, amabas obedire ſerpenti: En tibi propter hoc Chriſtus factus eſt ſerpens. Non amabas uenenum, non amabas morſum, non amabas auſterum: En tibi propter hoc Chriſtus factus eſt æneus. Contra cõſuetudinem igitur tuam, contra ſolitam oīam tuam, contra antiquam uitam tuam, agis homo miſellè; tu ſerpẽtem Ieſum uenientem nõ audis, non illi credis, non illi obedis. Habebas in primo ſerpẽte multa, propter q̃ ab illo auerti debueras; & tamẽ ad eum cõuerſus es: Habes in hoc ultimo ſerpente ſola illa, propter quæ ad iſtum meritò conuertaris; & tamen omni ratione ab illo auerteris.

Deu. 32.

COROLLARIVM AVREVM.

IGITVR in figura iſta uide primò inexcuſabilitatem omnimodam tuam, ſi Chriſto non uerè credis. Secundò ui- 1
de hic iniuriam, quam Chriſto facis, ſi illi diabolicum ſerpen- 2
tem anteponis. Tertiò uide hic bonitatem Chriſti maximam; qua ſecundum antiquum appetitum tuum nominari 3
uoluit. Quartò hic ſuauitatem Chriſti in attrahendo homines conuertere; quandoquidem ſe guſtui humano in figura ad- 4
aptari uoluit. Quintò vide hic iudicium diaboli, quo te infidelem, ſeu inobedientem Chriſto iudicabit. Tu diabolo con- 5
tra Dei ſuaſionem obediſti; & Chriſto contra ſecundam eiuſdem Dei ſuaſionem credere, ſeu obedire, recuſaſti. Minatus eſt mortem Deus, ſi diabolico ſerpenti obedires, & ei obediſti: pollicitus eſt mortis deſtructionem, æternæq; uitæ donationem, ſi Chriſto ſerpenti obtemperares, & non obtemperaſti, imò Chriſtum offendiſti, à Chriſto faciem auertiſti, Chriſtum ex anima tua fugaſti. Quare ex paradiſo tereſtri non fugaſti primum ſerpentem? Quare illum non offendiſti? Quare faciẽ tuã ab illo non auertiſti? Vide igitur ſextò hic magni- 6
tudinem immenſam tuorum delictorum, & quòd in ſenſum reprobum hactenus datus es, dùm quæ facere debuiſti dimiſiſti, & quæ facere non debuiſti faciliter perpetraſti. Conſe- 7
quenter ergo ſeptimò in hac figura cognoſce, quòd ſicut nil debuit erga tuam ſalutem facere Chriſtus, quod non fecerit; ita nil potuiſti tu Chriſti dedecorem facere tu, quod non feceris. Ingratitudo ergo tua ad nauſeam uſq; augmentata ſemper cum Chriſti amore ad immenſum uſque protenſo pugnauit. Supradicta hæc fuerunt in cauſa, quare Chriſtus ſe demoniaco primordiali indumento, idest ſerpenti ſub figura comparauit, ut tex. edocet.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Ecce, quòd Chriſtus ſe tacitè ſerpentem nominat. Dic ergo, ut ſupra. Vel ad &c.

Text. AD Seon regem amorrhæorum &c. occurrit eis Rex Baſan &c.

Concl. 13. *Peccata noſtra debilem inimicum noſtrum reddunt fortiſſimum, maximumque contra noſ ipſos: Et conuerſio noſtra ad Chriſtum maximos, atque fortiſſimos hoſtes noſtros reddit debiliſſimos, atque paruiſſimos.* [Ex eo.]

Ratio. IN Pſalmis Rex Seon vocatur Rex magnus, & Rex Og dicitur Rex fortis. Dicitur enim ibi; qui percuſſit Reges magnos, & occidit Reges fortes; moxque declarando ſubiungitur, Seon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan. Quaſi dicat. Rex magnus erat Rex Seon: & fortis erat Og. Hi Reges (ut patet in littera) & debellantur, & faciliter debellantur ab Iſrael, urbes illorum, ac uiculi, omniſque terra, ab Iſraelitis capitur. Ex alia parte præcedens capitulum recole, & uidebis, Regem Edom iſtis utique Regibus minimè comparandum egreſſum contra Iſraelitas in pluri numero tunc, quàm nunc exiſtētes, & iſtos à ſuis cōfinibus faciliter abegiſſe. Quid in his comparationibus animaduertis? Quod Edom, de quo minus uictoria contra Iſrael ſperabatur, facile uicit: & hi duo reges, de quibus magis admodum contra Iſrael uictoria ſperabatur, uicti totaliter fuerunt. Quare de illo Edom minus, quam de his, uictoria contra Iſraelitas ſperabatur? Quia Edom erat unus, non de fortitudine laudatus, non de magnitudine commendatus: contra plures tamen Iſraelitas exierat, cum infinita multitudine (ut ad litteram habetur) obuius ad bellum proceſſerat, cum manu forti (littera ſonante) armatus uenerat. Hi uero reges fuerūt unuſquiſque de magnitudine, aut fortitudine à Pſalmo laudati; cōtra pauciores Iſraelitas, utpote de quorum numero multo antè à ſerpētibus perierant, pugnam exercebāt. Cur ergo Edō ille uictor extitit; & iſti Reges Seon & Og ſic uniuerſaliter uicti fuerunt? Non humana ſolum uirtute (vt ex nunc dictis apparet); ſed ex ſibi aliūde uiribus collatis. Vnde? A peccatis Iſrael; uel non peccans. Quomodo enim peccauit Iſrael, dedit arma in manus Regis Edom, dedit uires, dedit fortitudinem; quando de peccato ſuo condoluit; à Regibus arma tulit, uires abſtulit, fortitudinem infirmauit. Vis uidere, uera eſſe, quæ dicta ſunt? Non uincit, niſi grandior, ac fortior; non uincitur, niſi paruus magis, ac debilis. Rex ergo Edom, cum uicerit Iſraelem, & grandior & fortior Iſraele erat: Reges alij, cum ab Iſraele uicti ſint, debiliores Iſrael erant. Cur ille Rex Iſraele grandior, & fortior? Quia Iſrael illo paruus magis, & debilior. Cur iſti duo Reges Iſraele debiliores? Quia Iſrael iſtis erat fortior. Vnde illo Rege Edom Iſrael erat paruus magis? Ex peccato. Nam peccatum paruum facit hominem, cùm omnis malitia timida ſit. Quare paruum ac timidum? Quia ſeruum, & miſerrimum ſeruum, facit peccatum ſuum factorem. Ex eo igitur, quòd Iſrael erat magis paruus Rege Edom, ſuperatus eſt ab illo. Cùm autem non niſi propter peccatum eſſet paruus magis (ut ſupra oſtenſum eſt, cùm plures monſtrauerimus Iſraelitas fuiſſe contra Edom, quam contra reges duos), patet, quòd peccatum Iſraelis grandiorem fecit ipſum Regem Edom. Si enim paruum magis illum fecit Iſraelem? Quis non uideat ex hoc Iſraelis peccatū feciſſe grandiorem Edom? Vnde illo Rege debilior Iſrael? Ex peccato. Nam peccatum infirmitas eſt animæ; & conſequenter corporis ab anima moti. Infirmare aūt aliquē, eſt debilem reddere. Infirmauit ergo peccatum Iſraelis Iſraelem præ Edom. Et cōſequenter Iſraelis peccatum fortiorem fecit ipſum regem Edom contra Iſraelem. Vndè è contra magnitudo animi atque fortitudo maior Iſraeli præ regibus illis duobus Seon et Og? maximè cùm tam ſubito immutata fuerit, atque aucta? A peccati dolore; & conſequenter à non peccato. Sicut enim affirmatio peccati in Iſraele fuit cauſa affirmationis paruitatis, ac debilitatis; ita negatio peccati in ipſo eodem eſt cauſa negationis paruitatis, ac debilitatis. Et quoniam ipſa peccati negatio, ideſt abolitio peccati, poteſt inſtantanea eſſe; ideò non mirum, ſi tam cito diuerſus effectus belli apparuit in Iſraele. Ipſa namque mutatio tā ſubita nō niſi à ſubita cauſa uenire potuit; & cōſequēter à uoluntate in bonū contra peccatū mutata. Remotū enim impedimentū fuit peccati per uoluntatis ſubitam mutationem; quo impediebatur natura Iſraelis, ſuas proprias exercere uires. Remoto autem impedimento, natura ipſa, ceu liberata à graui onere, ſuas exercuit uires, & Dei in ſeipſam maiorum uirium augmentatricem potuit recipere gratiam: Vnde & in pſalmis de hoc uirium diuinitus augmento facto mentio fit, & ipſi gratiæ augmentanti uictoria attribuitur cum dicitur: Qui (ſcilicet Deus) percuſſit reges magnos, & occidit reges fortes, Seon regē Amorrhæorū, & Og regē Baſan. Ecce quòd talis percuſſio Deo attribuitur; qui in Iſraele pugnandi uires, cū minùs peccator fuit, augmentabat. Peccatum igitur dupliciter infirmabat Iſraelem, & ratione ſcilicet quia peccatum erat, & ratione, qua influxum à Deo impediebat. Pſ. 134.

DECLARATIO PRÆSVPPOSITI.

SI Clarius uidere affectas, quod Iſrael, quando pugnauit contra eum rex Edom, erat in peccato; quando uerò iſti reges Seon, & Og, reges non item; utrumque capitulum conſtituere. In capitulo præcedenti, antequā Edom contra Iſraelem exiret, Iſrael ipſe murmuris ſui tumultu Moyſen exacerbauit, adeoque, ut peccare eum faceret: nec tamen de illo peccato ibi, antequā ei Edom rex occurrat, pœnitentia Iſraelis legitur. Puniuit ergo ipſe Edom peccatum Iſraelis ſuper Iſraelem, quod peccatum Iſrael ipſe ſuper ſeipſum punire neglexit. Ecce iuſtitia diuina. Quod ſi nos ipſos iudicaremus (teſte Apoſtolo), non utique à domino iudicaremur, ideſt ſi nos ipſos per nos puniremus de peccatis noſtris, non utique à domino puniremur de illis. Quia ergo Iſrael non dignè ſe (quod littera dicat) de peccato illo magno puniuit, ideò à domino per Regē Edom punitus eſt. Signum utique, quòd ſi Chriſtiani nō puniēt ſemetipſos dignè de peccatis proprijs, à domino per Regē Turcarum &c. pro ipſorum chriſtianorum peccatis punientur. Ad capitulum autem præſens ſi bene oculos aduertas, Iſraelem ipſum de peccatis ſuis doluiſſe, & ad Deum conuerſum fuiſſe, uidebis. Audi. Miſit dominus (ſicut miſerat ipſum Edom; & ſicut mittit infideles contra fideles) pro peccato Iſraeli in eorum ſerpentes igneos, ut caſtigaret illos medijs ſerpentibus de peccato ipſorum. Quid actū eſt? Vexatio dedit intellectum. Ad Dominum ſuperſtites Iſraelitæ conuerſi ſunt, interceſſorem ad illum (Ecce quantum ualent interceſſiones ſanctorum, & quòd damus, & quod illis nos peccatores uti debemus. Nonne centies milles per interceſſionem moſaicam indulſit Deus Iſraeli, quòd abſque interceſſione illa non induliſſet?) feſtinanter adhibuerunt; & in gratiam Dei per Moyſen interceſſorem, quamuis peccatores grauiſſimi tunc ex noua etiam murmuratione, recepti ſunt: in cuius ſignum à Deo ſalutis remedium acceperūt, ſerpentem ſcilicet æneum, ut patet in littera. Hoc remedio à medico intellecto, infirmus Iſrael ad ſanitatem ſperandam reuixit, ipſum remedium acceptauit, & ex obedientia medici deuotus impleuit. Quoniam uerò in hoc remedio conuerſionem Iſraelis ad Deū incarnatum, quem in ſigno illo aſpiciebant, intelligimus, & conſequenter à proprijs delictis auerſionem cointelligimus: ideò Iſraelē in facto illo & per contritionem deleuiſſe propria peccata, & per fidem uerum ad Chriſtum ſe conuertiſſe, fatemur. Poſt hanc itaque conuerſionē, atque auerſiones factas ipſum Iſraelē ſine peccatis antecedentibus remanſiſſe, tenemus. Grandis ergo ac fortis dupliciter tunc effectus (tùm ex peccati uires impedientis remotione, tùm ex diuino uires ſubminiſtrante influxu) ad bella contra duos hos rēges proceſſit. Quod ſi non grandis prius modo dicto, ac fortis, effectus fuiſſet; utique ab iſtis magis, quam à rege Edom, uictus fuiſſet.

COROLLARIVM I.

QVIS ergo Turcam, uel alium infidelem, contra nos uocat? Peccatum noſtrum. Quis et uires contra nos adminiſtrat? Peccatum noſtrum. Quis nos contra illum infirmos facit? Peccatum noſtrum. Quis numeroſitatem noſtram facit paruam, & infidelium contra nos facit maximam? Peccatum noſtrum. Quis ergo modus, quo iuuemur? Pœnitentia ſola de peccato noſtro. Si non caſtigauerimus enim nos; Deus medijs infidelibus (uelut ſerpentibus igneis, ideſt contra nos multum iratis) caſtigabit nos de peccatis noſtris. Quomodo faciemus pœnitentiam? Ad modum Iſraelis.
Primò conteramur de peccato dicentes; Peccauimus, quia ſic 1
&c. fecimus. Secundò interceſſores adhibeamus ad Deum 2
dicentes; Sancti Dei orate, ut tollat à nobis ſerpentes iſtos. 3
Tertiò mandatis diuinis, pro remedio ſalutis noſtræ nobis impoſitis, deuotè cum omni feſtinantia obtemperemus.
Quartò totam fiduciam noſtram ex corde in crucifixum iniectemus 4

ctemus. In ipſum per orationes feruidas, per ſuſpiria iaculatoria, per contemplationes attentas, inſpiciamus; & ipſimet incorporari per ueram charitatem affectemus. Ponamus crucifixum pro ſigno ſuper cor noſtrum, ſuper os noſtrum ſuper opus omne noſtrum. Audiamus ipſum crucifixum, & exaudiamus, unicuique noſtrum dicentem; Pone me, ut ſignaculum, ſuper cor tuum. Si ſic exaudierimus ipſum crucifixū nobis loquentem; & crucifixus ipſe nos illi loquentes, tribulationemque omnem noſtram coram ipſo pronunciantes, proculdubio exaudiet. Tunc profectò ſerpentes igniti prædicti abigētur à nobis, & nos uiuemus, quoniā q percuſſus aſpiciebat ſerpentem æneum ſaluabatur. Tunc non tantum contra Turcā, ſed etiam contra grandiores Turcas, fortioreſque, dimicare poterimus, ac ipſos totaliter ſubiugare, quoniā peccata receſſerunt a nobis.

COROLLARIVM II.

MAledicta ergo peccata, quæ nos infirmāt. Maledicta noſtra peccata, q hoſtes noſtros contra nos firmant. Maledicta noſtra peccata, q auxiliū nobis ex alto dimanare uetant. Maledicta noſtra peccata, quæ opem nobis deſuper dandam noſtris contra nos hoſtibus dari procurant. Maledicta noſtra peccata, quæ Deum nobis iratum efficiunt. Maledicta noſtra peccata, quæ uiam hoſtibus contra nos aperiunt. Maledicta noſtra peccata, quæ a nobis uictoriam tollūt. Maledicta noſtra peccata, quæ hoſtibus contra nos uictoriā gignunt. Maledicta ergo noſtra peccata, quæ omnia nobis uentura bona impediunt, & mala uniuerſa contra nos accelerare faciunt. Quid hinc trahis ècontra? Benedicta ergo pœnitentia noſtra; quæ nos contra hoſtes & auget & firmat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ hoſtes noſtros & minuit, & infirmat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ nobis patrocinium diuinitus apportat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ hoſtibus contra nos auxilium à Deo impendi denegat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ Deum nobis prius iratum mitigat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ uiam infidelibus contra nos obturat. Benedicta pœnitentia noſtra; quæ nobis uictorias mirificas apportat. Benedicta pœnitētia noſtra, quæ in hoſtium manibus contra nos arma congelat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ & mala à nobis uniuerſa propulſat, & bona cuncta nobis conciliat.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Ecce quòd peccator facit ſeipſum ſeruū. Et cuius? Peccati. Qualis eſt iſta ſeruitus? Talis, qualem audiſti. Vt. ſ. cōtra peccatorē omnia mala uocet, & ab ipſo omnia bona auocet. Ergo ab oppoſitis qui facit pœnitentiam, ſeruum ſe facit iuſtitiæ. Qualis eſt ſeruitus iuſtitiæ? Talis, qualem audiſti. Vt. ſ. bona quæque ſeruo ſuo procuret, mala omnia ab ipſo deturbet. Quis facit peccatum? Homo. Ergo homo per peccatū hoſtes quoſque contra ſeipſum acuit, armat, uictoria donat. Quis facit pœnitentiam? Homo, diuina gratia iuuante. Ergo homo, per pœnitentiam hoſtibus ſuis formidini intollerabilis efficitur. Vel ad ly (Euangelium) Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Quare? Quia hoſtes ueſtros cōtra uos animabitis, & uos contra illos inanimabitis; & conſequēter perire uos, illos autem uos interimere, neceſſum erit.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 13. cap. 21. multum emolumenti affert concluſionibus primæ, & ſecundæ huius cap. Hinc enim addiſcimus & modum, quo infideles, eorumque loca, ſubuertamus faciliter, qui eſt abſtinere à peccatis; & rationem quare infideles ipſi ſubruant nos, locaque noſtra, quia ſcilicet abundamus peccatis. Hinc conſequenter cognoſcimus, & quod noſtrum adhærere Deo debilitat hoſtes fidei, & quòd noſtrum nō adhærere Deo auget eiſdem hoſtibus uires. Per cōſequens ergo conſolidamur in dictis circa eas, magis intelligendo illa, & apertè uidebimus, q perditio noſtra ex nobis eſt, in Deo autem auxilium noſtrum; quoniam peccatum à nobis ſolis eſt, bonum uerò à Deo ipſo in nobis.

CONCLVSIONES
EX NVMER.

CAPITVLO XXII.

VEni igitur, & maledic populo huic, quia fortior &c. Si quomodo poſſim &c. *Text.*

Concl. 1. *Naturalis ratio dictat, & quòd à Deo benedictus non poteſt non proſperari in prælio, & quòd à Deo maledictus non poteſt non ſuccumbere in bello, loquendo de populo fideli.* [Ex eo] *Ratio.*

BALACH iſte infidelis erat. Vnde ratione ſolum naturali ductus iſta penſabat. Quæ? Quod ſi Iſrael a Deo, p miniſterium ipſius Balaam, malediceretur; proculdubio uincendus, quāuis fortior, erat; & quod ſi benedictus a Deo perſeueraret Iſrael, abſque dubitatione aliqua uictor inimicorum in terris inimicorum futurus erat.

APPENDIX.

HINC, maximè adiuncta capituli huius & ſequentis lectione, habes, quòd bona uita populi fidelis eſt ſcutum inexpugnabile & ad ſui defenſionem & ad quoruncunque hoſtilium conatuum facilem deuictionem. Exemplum hic uides. Conabatur Balach & ratione nunciorū, & ratione munerum, & ratione promiſſionum, & ratione multiformium honorum, prophetæ huic exhibitorum, ad hoc, ut Iſraelem in pugnando euinceret. Nunquid profecit quippiam? Non; licèt plures (ut ſequens capitulum demonſtrat) ad hoc fuerit, etiam in propria perſona conatus. Non tantum autem non profecit; ſed & inimico ſuo nolens utilitatem attulit. Niſi enim Balach conduxiſſet ipſum Balaam ad maledicendum populo, ipſe Balaam populo non benedixiſſet. Occaſionem ergo benedicendi populo Balach oo leos dedit ipſi Balaam, dùm ipſum ad ſublimia loca pro maledicendo Iſraele perduxit. Vnde hęc omnia in fauorē Iſraelis, & in perniciem ſui hoſtis? A bona uita, quæ tunc erat in Iſrael. Iſta pro Iſraele, Iſraele neſciente, pugnabat. Iſta contra Balach, & Balaam triumphum geſtabat. Iſta ipſius Balaam ora ad benedicendum aperiebat, & labia ad maledicendum obſtruebat. Iſta aſinæ buccam ad increpationem ipſius Balaam aperuit. Iſta Angelum ad uiam ipſius impediendam deſtinauit. Iſta ipſi Balaam, nè Iſraeli malediceret, comminata eſt. Eya. Vide, quantam uirtutem contineat in bello, ſecundum Deum uiuere. Secundò conſequenter ab oppoſitis habes, quantum damnum bellatoribus apportet ſuipſorū mala uita. Quot enim, & quāta bona p militibus affert benè uiuere; tot, & tanta mala cōtra milites (ſub nomine militum intellige nūc omnes illos, ad quos pertinet belli negocium) affert malè uiuere. Tertiò conſequenter habes, q nil melius, aut æquè bene patrocinatur in pugna Chriſtianis, quàm ſecundum Deum uiuere. Nil igitur è contra peius, aut æquè malè, detrimentum in pugna dat fidelibus, quam ſine Deo uiuere. Quid ergo miraris; ſi Chriſtiani quotidiè à Turchis percutiuntur, & de terris propriis eijciuntur? Nonnè hoc, etiam ethnicus Balach affirmauit? Nouerat enim (ſe narrante) quòd ſi maledictus fuiſſet Iſrael a propheta, ſine dubio Iſraelem percutere poſſet; & quo uellet, abigere. Nunquid non mala uita magis nocet pro maledictione inferenda, quàm propheta? Vtiq; uigoroſior nanque eſt uita, quàm propheta: Cuius ſignum fuit, quòd uita prophetam, nè ſecundum animum Balach faceret, compeſcuit. Quid ergo murmurant chriſtiani, ſi in dies ab infidelibus percutiuntur? Etenim non de Deo, aut de infidelibus, conqueri debent; ſed de ſeipſis: quoniā peccata propria in cauſa totius damni ſolum exiſtūt. Quòd ſi recurrant ad ſanctos, ad preces, ad uota, nil faciunt, ſi mala uita obſiſtit. Quemadmodum enim bona uita Iſraelis Balaam ad maledicendum Iſraeli paratum impediuit, nè

(ſi qua in nobis ſunt) bene geſta, otimeamus: quia ſæpe in iuſto iudicio culpa eſſe deprehẽditur, quod nitrus ante iudiciũ putatur, & vnde expectatur pia merces, inde ſuppliciũ ſequitur iuſtæ ultionis. Hæc ille. Ad ſpem uocat Deus Ezechiel. 16. In quacunq; hora auerterit ſe impius ab impietate ſua &c.

Text.

AVdite rebelles, & increduli &c.

Concl. 6. *Animus perturbatus facile uincitur a malo*. [Ex eo.]

Ratio. Ecce. Moyſis perturbatus erat animus, cuius ſignum uerba illa (ſcilicet audite rebelles, & increduli) fuerunt: ideoque faciliter in peccatum diffidentiæ cecidit. Tùm enim ex morte ſororis; tùm ex murmure, perturbatus eſt.

APPENDIX.

1 HInc habes, quòd non debemus, niſi animo cõpaſſione affecto, uitia proximorum improperare. Quãdoque.n. (ſi aliter agatur) permittit Deus, ut in eadẽ peccata ruamus, q̃ nos in proximis reprehendebamos. Vide hic. Moyſes hos populos de incredulitate reprehendit, & ipſemet in incredulitatem mox cadere permiſſus eſt. Quid ergo? Num reprehẽdẽdi ſunt de ſuis erratis ſubditi? Vtiq; reprehẽdendi, ſed animo compaſſiuo, non quaſi deſpectiuo. Vnde B. Gregorius dicebat, quòd iuſti increpationes foris exagerant, ſed intus charitatis dulcedinem ſeruant, & quòd in animo ubi ſæpè præponunt, quos reprehendunt. Quod facientes utique (ait) & per diſciplinam alios, & per humilitatem cuſtodiunt ſemetipſos. A contrario ergo ſenſu, quandoque per diſciplinam corrigunt alios; ſed per incautelã perdunt ſemetipſos. Quando hoc euenit? Quando humilitatis propriæ conſiderationem dimittunt, dùm alios foris reprehendunt. Quòd ſi id uerum eſt de prælatis, multò magis de his, qui non ſunt prælati, uerificatum iri credendum eſt. Nam prælatus licentiam quandã ampliorem ſuum inferiorem arguendi habet, quàm quilibet alter. Vnde ſi animus minùs benè cõpoſitus culpatur in prælato arguente, ſibique multum officit, magis utique talis animus in non prælato culpabitur, eique nocumentum apportabit. Secundò conſequenter habes, q̃ ſi non ſint cauti prælati

2 ti circa humilitatem propriam cuſtodiendam in arguendo ſubditos, ſemetipſos in foueam præcipitabunt errorum. Hac ratione intelligimus, periculoſum eſſe uehementer, eſſe prælatum. Si enim inferiorum peccata non arguas, malè facis; ſi autem illa arguas, animo tamẽ (ut diximus) improuido, etiã malè facis. Vide, in quanto periculo uerſatur ſuperior; cùm tamen quatenus eorum homo infirmitate circũdatus ſit. Ter

3 tiò habes, q̃ uerſus aliquem perturbatum ſic nos debemus habere, ut non addamus afflictionem afflicto. Hoc eſt. Cùm uideris quempiam perturbatum, noli ipſius perturbationem uel uerbis, uel factis, uel mediatè, uel immediatè, adaugere; ſed magis ipſum ad tranquillitatem reducere ſtude. Hoc enim faciens a peccatis futuris illum facilè amouebis, in quæ faciliter animus perturbatus incidere ſolet. Hæc uerò intellige & de ſubdito erga prælatum, & de prælato erga ſubditum, & de quocunque erga proximum ſuum. Memores enim ſemper eſſe debemus, q̃ animus perturbatione fluctuans leui motu huc atque illùc impellitur.

Text.

MOrtua eſt ibi Maria &c.

Concl. 7. *Aduerſitates ſeinuicem ſæpè uocant*. [Ex eo.]

Ratio. Vtrum ſi non eſt uerum, quod diximus, quòd ſcilicet
quando aduerſa incipiunt ſuper aliquem cadere, ſæpè glomeratim ueniunt. Moyſes ſit ille afflictus. Quid accidit? Vno
1 tempore omnia hæc ſuper eum concidunt aduerſa. Primò
dilectiſſima eius ſoror Maria moritur. Huius mors ampliorẽ dolorem Moyſi attulit, quantò ſibi unica fuiſſe legitur. Nouerat & Moyſes (ut probabiliſſimum eſt) hanc Mariam fuiſſe illam, quæ ſe ex flumine ſublatum enutriri curauit, quando propter Pharaonis mandatum (ut habetur 2. Exodi) fuerat in aquam proiectus. Cum igitur ab iſta Maria uitam modo narrato recepiſſet; magis de illius morte doluit, quàm ſi
2 ſimplex ſibi germana fuiſſet. Secundò ad hanc duplicem,
quam diximus, afflictionem murmur populi additum, quod Moyſen ſupra, quam credi poſſit, exanimauit. Nõ enim murmur tantummodò ſimplex erat, ſed cum præoptione mortis, ſed cum q̃rimonia contra Moyſen, quòd quaſi ex inuidia Ecclesiam domini in ſolitudinem eduxiſſet ad uniuerſalem perditionem; ſed cum magna contentione (id quod denotat ly Quare nos feciſti aſcendere &c.), clamide, ſuperbia, atque ingratitudine. Excruciabat verò Moyſen ſuper omnia frequẽtata iudæorum conſuetudo in murmurandi uitio: quoniam hæc frequentia peccatum ex malitia magis, quàm ex fragilitate, prouenire inferebat. Tertiò acceſſit peccatum propriũ, 3
quod, licèt ex fragilitate ſibi ipſi ſurrepſerit, ipſum ſuper omnia prædicta exuiſcerabat. Tantò autem plus de iſto dolebat, quantò Deo ſuo, quem offenderat, familiarior fuerat atque multò tempore charior. Peccatum iſtud tanquam manifeſtũ, & conſequenter ſcãdaloſum, magis deplorabat Moyſes, quã ſi fuiſſet occultum; ideòque minus in populo ſcandaloſum.
Quartò prædictis iuncta eſt tanta ſibi grauis pro peccato pœ- 4
na: ut. ſ. eo, quod tam diuturno tempore deſiderauerat, priuaretur. i. terræ promiſſionis ingreſſu. Quintò Regis Edom 5
mala uerba, malaque facta Iſraeli oſtenſa dolores, præmiſſos auxerunt. Sextò amantiſſimi fratris ſui Aaronis oc- 6
cubitus, & in ſui quidem præſentia, prædictis afflictionibus adiunctus eſt.

NOTATIO.

QVoties audiſti, populum murmurationes ſuas à deploratione exitus de Ægypto incepiſſe? Vt ſcias, hinc prodere omne malum, cum beneficijs acceptis non bene utimur. Ad hunc enim finem denotandum factum eſt, ut iudæi murmurare uolentes ſemper a deteſtatione tanti beneficij diuini inchoauerint, idque tanquam maleficium in Moyſen obiecerint. Originem ruinæ tantæ huius aduerte tu, qui beneficiis à Deo magis donatus es. Scito, quòd inde tibi fient magna in malum, ſi de gratitudine minus ſollicitus fueris: Vnde facta ſunt tibi magna in bonum, quando gratitudinem de his exercebas.

NOn introducetis hos populos &c. quia non credidiſtis mihi. *Text.*

Concl. 8. *Iudæorum populus expectaturus erat uerum Meſſiam uſque ad aduentum eius; at in eius aduentu ad eum per fidem ingreſſurus non erat.* [Ex eo.]

Terra promiſſa Meſſiam uerum in lege multoties promiſſum denotat. *Ratio.* Hic.n. Meſſias lacte melleq; manauit; tùm ratione dulciſſimæ cõuerſationis, tũ ratione totius uitæ ſuæ. Quid Moyſes hic figurat? Iudæos malos: nõ quidẽ ratione, qua bonus; ſed ratione, qua in pſenti facto defectuoſus. His duobus ſtantibus conſidera ſic; & dicito. Quid eſt, q̃ Moyſes ſemper ſperauit ingredi terram promiſſionis, niſi q̃n ipſam uidit? Eſt hoc in figura ſynagogæ, quòd. ſ. illa Meſſiam uerũ ſemper expectauit, ſemper ad ipſum per fidem ambulauit, in eum per amorem ingrediendi ſemper animũ habuit; uſque quo ipſum oculis corporalibus (vt Moyſes terram) conſpexit. Tunc nanque ingrediendi animum retraxit; & ſpem antea in ipſum habitam in diffidentiam conuertit.

¶ Et quare in terram hanc, ſ. in Meſſiæ promiſſiones, non introiuit? Quia hoc eis in pœnam prioris incredulitatis ſuæ à iuſtiſſimo Deo datum fuit. Sicut enim Moyſes Dei amicus dilectiſſimus à terræ ingreſſu non qualicunque ex cauſa, ſed ex cauſa incredulitatis (ut patet in litera) arcet: ita ſynagoga ex incredulitatis cauſa nouiſſimis temporibus impedita eſt, nè ad uerum Meſſiã per fidem intraret. Quia enim nõ crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati, prius; ideò miſit Deus illis ſpiritum erroris, & mercedem ingratitudini ſuæ debitam. Quando fuit incredulus iudæorum populus ante aduentum Meſſiæ, tunc hac incredulitate figuratum eſt ac poſtea factum, ut in pœnam peccati Meſſiam uerum non reciperet. Dic mihi. Quãdo fuit ipſe credulus? Tunc, & toties, quãdo & quoties audiſti à Deo de populo iſto dictum; quòd erat populus duræ ceruicis. Et nunc nonnè audis, quòd ſunt rebelles, & increduli; tanquam hoc ſit illorũ nomen propriũ? Nunquid non illorum duritiem peſſimam in tot murmurationibus, in tot ſeditionibus, in tot de pœnis viſis obdurationibus, in tot tantiſque uſque ad idolatriam peccatis enormibus conſpexiſti? Libros regum legas, & ibi multa iſtorum facta, tùm contra Dei cultum, tùm contra prophetarum oracula, tùm contra ſanctos quoſcunq; ut tot inuenies, quæ incredulitatis plena ſunt. Propter hanc illorum incredulitatem præuiam, ſi ingreſſu in terram promiſſam priuati ſunt, nè mi

teris,

teris, quandoquidem, & ingreſſo in terram materialem Moyſes Deo familiarior propter peccatum leuius, iuſte tamen, in illorum figuram priuatus eſt.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Quinque fatuæ uirgines &c. Dicuntur fatuæ, quia expectauerunt uſque ad ſponſi aduentum, & ſponſo ueniente ipſæ aliò ad quærendum oleũ diuerterunt, & ſic ſponſo ſemetipſas tandiũ expectam priuauerũt. Sic & ſynagoga fatua dicitur uirgo. Hæc enim per multum temporis ſponſum Meſſiam uenturum expectauit; ſed ueniente Meſſia (media enim nocte clamor factus eſt ab Angelis. Ecce ſponſus uenit; quando Angeli paſtoribus natiuitatem Chriſti nunciarunt, & gloria in excelſis concinnerunt) ſynagoga aliò diuertit ad quærendum oleum, & ſic ſemetipſam ſponſo reddidit priuatam. Scis, quando aliò diuertit ad quærendum oleum? Quando, a magis, audito rege iudæorum nato, turbata eſt. Tunc enim ideò turbabatur, ut oleum, .i. beneuolentiam, ab Herode conquireret. Tũc & alio diuertit ad quærendum oleum; quãdo, audito à præcurſore aduẽtu Chriſti iam præſentis, & credere noluit, & præcurſorem ipſum tanquam demonium habentem reputauit. Et quid dicam de hac olei conquiſitione tempore; quo ad ſponſi nuptias per fidem intrare debuerant? Iudæi coram facie Pilati tunc oleum & à gẽtium principibus, & à Romanorum Imperatore conquirere intendebant; quando, audito quòd ſponſus uenit (Dixit nanque illis Pilatus; Ecce Rex ueſter), clamauerunt, Non habemus Regem, niſi Cæſarem. Quid ergo miraris; ſi in domum ſponſi uenientis tunc non intrauerunt, quando aliò, quam ſponſus ibat, uoluntariè diuerterunt? Viderũt ſponſum, ut Moyſes uidit terram materialem promiſſam; ſed pro peccato ad ingreſſum in domum ſponſi admiſſi non ſunt. Nonnè magnum peccatum fuit, (etiam ſi nulla alia peccata præmiſſa fuiſſent) talis pœnæ meritorium, tempore, quo conuiuari debebant nouellum ſponſum, aliò pluſquã uoluntariè diuertere? O fatuitas. Vel ad ly (Matth 21.) Eo, & non iuit. Hoc eſt, in propoſito: Vado, ideſt expecto Dei legẽ, .i. Meſſiam; & uolo, in eum credere: Et non iuit, ideſt in tempore aduentus ſui, quando terram ipſam .ſ. Chriſtum iam uidebat p infidelitatẽ ſe ingreſſu ad Chriſtum priuauit. Vel ad ly (Euangelium) Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos; & miſit &c. Et nolebant uenire. Ecce; omnia parata erant, hora cœnæ erat. Negatiuam reſponſionem ante horam cœnæ adhùc non dederant; cùm tamen inuitati per multos fuiſſent antiquitus: at quando iam hora cœnæ appropinquabat, imò quando præſens erat, negatiuam dederunt. Semper ſe in Meſſiam credituros promiſerunt: & in terram hãc ſpiritualem promiſſam intraturos ſe, ſpopõderunt: at quando iſti terræ propinqui fuerũt, intrãdi in eam ſemetipſos indignos uoluntariè fecerunt. Vel ad ly &c.

NOTATIO.

IN his ac ſimilibus figuris adductis, uel adducendis, memento duorum. Primò, quòd Angelicus Doctor Aquinas dicit ſuper primum capit. Matthæi (ibi ex ea, quæ fuit Vriæ), quòd homines probi quandoque ſunt figura malorum; ſicut & homines mali quãdoque ſunt figura bonorum. Secundò, quòd figura & figuratum (ut alias diximus) non tenent in omnibus, nec hoc eſt utile uel neceſſarium. In quo igitur teneant, attende, nec amplius quæras in illis. In uno enim tenebũt quandoque ſolum; & in alijs omnibus diſcrepabũt: ſimilia tamen ſunt.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXI.

IN præcedenti capitulo, & in principio huius, uides; quòd Reges contra Moyſis populum conſurgunt, ac uictores exiſtunt. Quid hoc ſignificat? Quod peccata facta mox uocant aduerſarios, & (quod peius eſt) nos illis ſuccumbere faciunt; niſi à ſupernis auxilium nobis miſericorditer adueniat. Iſta eſt ſeruitus dura peccati de qua Chriſtus ait; Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Vide. Quamprimum peccauit Moyſes tot reges in ipſum inſurgunt, ac re de ipſo triumphant; cui tamen Moyſi nullus regum antea occurrentium ſuperior extitit. Sis cum Deo, & omnia tibi finaliter arridebunt. Relinquas Deum; & omnia te finaliter derelinquent. Sine peccato te cuſtodi; & omnes inſurgentes in te uentilabis cornu. Cum peccato exiſtas, & nulli hoſti reſiſtere ualebis. Idem de Salomone, & alijs multis, uidere licet. Aureum

SI tradideris populum iſtum in manu mea, delebo urbes eius: Traditque Chananæum &c. Text.

Concl. 1. *Gratam rem faciunt Deo uehementer, qui infideles, infideliumque loca, delent; uel qui delere ipſa ipſoſque proponunt.* [Ex eo.

QVAM gratam rem faciant Deo huiuſmodi fideles, patet, ſi antecedentia conducas in medium. Quid ex antecedentibus habes? Quòd Deus multum iratus erat contra Iſraelem. Vnde hoc habes? Ex hoc, quod Deus iam duobus regibus cõtra Iſraelem uictoriam dederat, quod utique punitio, & conſequenter ira Dei, erat. Cum ergo nunc nunc iratum Deum mox placari uideas, utique non niſi per rem ſibi gratiſſimam placari dices. Hoc uerò hinc eleganter confirmatur; ſi ipſum Deum non placari modò, ſed & in oppoſitum effectum deſcendere contemplaris. Placatus quidem fuiſſet ſolùm; ſi Iſraelem, nè uinceretur amplius, adiuuiſſet. Hoc autem non tantum fecit; ſed Iſraeli, ut uictor contra hoſtem priùs uictorẽ eſſet, donauit. Magno ſanè dono uictoria data Iſraeli aſcriberetur, ſi contra hoſtem ſimpliciter uiciſſet; ſed nunc maiori uoque dono aſcribenda uenit, quando contra hoſtem nunc nunc uictorem præſtatur. Hoſtis enim quantò animoſior, eſt; & coaduerſarius eius quantò debilior, quantò facilior, quãtò puſillanimior, fuerit: tantò uictoria huius cõtra illũ magis admiranda, collaudanda, in maximis habẽda; ſingularius beneficium diuinum dicẽda. Sic erat nunc de hoſte Iſraelis Chananæo; & de coaduerſario eius Iſraele. Quocirca uictoria Iſraeli data pro maiori habenda dono eſt; quã ſi ante congreſſum aliquem priorem huic data fuiſſet. Conſequenter igitur rem pluſquam gratiſſimam fuiſſe Deo oblatã dicendum eſt: ob cuius intuitum à tam grandi ira ad tantam ſubitò miſericordiã uenit. Quæ fuit illa tibi res oblata? Quòd fidelis populus delere promiſit, Chananæorum urbes. Quis erat Chananæus? Infidelis. Ecce ergo, quantum placet altiſſimo deſiderium exterminandi infideles. Taceant ergo Lutherani, ac alij ſimiles, qui clementiam Eccleſiæ tãctæ denigrari autumant, ſi deleat uel delere cupiat, & ſtudeat infideles, hæreticos, aut Turcas, alioſuè Paganos. Hoc enim Deo eſſe gratiſſimum hinc illa didicit.

APPENDIX.

HINC habes, quòd orare pro temporali infidelium deletione, & orare cum uoto ad hoc iuncto, licitum eſt. Nemini ergo, niſi ſacras litteras ignoranti mirum ſit, quod orationem particularem contra paganos habet ſancta Eccleſia; & quòd alias orationes pro eorum, ſiuè aliorum infidelium, temporali deletione facit. Temporalem dico, quoniam, ſi de ſpirituali ſalute loquamur, ipſa Eccleſia orat etiã publicè in die Veneris ſancti pro infidelibus.

¶ Secundò conſequenter habes, à fortiori, quòd deſiderare deſtructionem errorum infidelium, ipſamque procurare, eſt res multum grata Deo. Procuratur autem per orationes, per monitiones, per prædicationes, & ſimilia. Quid autem eſt deſtruere errores infidelium, niſi ipſos infideles conuertere; contra ipſorum errores efficaciter diſputare; fidem Catholicam manifeſtius propalare; ea, quæ ſunt doctrinæ Chriſtianæ, uigilantius edocere? Iſta uerò facere quis poteſt uel actu uel uirtute: & utroque modo placitam rem Deo facit. Actu iſta exhibet, quando iam doctus effectus contra errores huiuſmodi efficaciter diſputat, infidelibus conuertendis actua- 2

liter inſudat, doctrinam chriſtianam lucidè explanat, fidē Catholicam exponit, ac id genus alia facit. Virtute autem iſta tunc exhibet quis; quando ad hæc actualiter facienda per ſtudium diſponitur, uel per aliquem alium modum. Hinc ergo eſt; quòd ſtudium ad hunc finem directum Deo uehementer eſt placitum; & conſequenter multum meritorium. Quòd ſi ſtudium huiuſmodi ſic eſt: ergo & religio tale ſtudium exequens, & ad præmiſſa facienda a ſui ortu inſtituta. Nè mireris ergo, ſi Religio fratrum Prædicatorum tàm grata eſt Deo; tantis fauoribus a Dei genitrice donata fuit, continuéque donatur. Si enim iſti iudæi propter ſolum unum uotum, & conditionatum quidem, circa infidelium corporalem deſtructionem tantoperè Deo placuerunt; quantò magis illos Deo placere fatendum eſt, qui totam uitam ſuam uotis multiplicatis in deſtructionem errorum infidelium abſolutè ordinant? Plus namque uotum abſolutum, quàm conditionatum; plùs tota uita, quàm unicus actus uitæ; plus deſtructio erroris infidelium, quàm corporis infidelium apud altiſſimum ualet.

¶ Tertiò habes ab oppoſitis, quòd auctionem infidelium, uel perſeuerantiam, uel etiam temporalem proſperitatem, uel ſimilia deſiderare, ſeu procurare, ſeu pro ſimilibus orare, ſeu de talium proſperitate intus uel extra gaudere, ſeu quouis modo tales adiuuare, eſt multum diſplicens Deo. Orationes ergo infidelium; eleemoſynæ, aut quæcunque alia ad huiuſmodi fines ordinata, ſunt peccata. Ferre opem infidelibus quocúnque modò, ut infidelibus, maximè in deletionem fidelium, eſt peccatum. Tales enim non his iudæis, ſed ipſi Balaam (ut infra 22, & 23.) ſiue Balach, aſſimilantur.

¶ Quartò habes, quomodo intelligas illud B. Iohannis in prima Canonica, ſcilicet In hoc apparuit filius Dei, ut diſſoluat opera diaboli. Hoc eſt igitur. In hoc apparuit filius Dei, ut rem Deo gratiſſimam faciat. Sicut iſtis ergo iudæis ex hoc deſiderio contulit Deus tam mirandam (ut annotauimus) uictoriam, ita, & quidem multò magis, filio ſuo mirabiliorem ſe collaturū uictoriam contra infideles quoſque hic figurauit. Omnes igitur inimici Chriſti ponentur, ſiue ſpontè, ſiue coactè ſcabellum pedum Chriſti, quoniam ex uoto prædicto habito, per hoc uotum figurato, id meruit Chriſtus.

NOTATIO MAGNA.

QVANDO fideles contra infideles dimicare uolunt, deſiderium ſimile de infidelium deletione habere deberēt. Tunc enim faciliter ipſis (ut hic figuratur) contra infideles diuinitus concederetur uictoria. Quòd ſi alium animum, quando contra infideles procedunt, habent, non mirum, quòd ipſis infidelibus pugnādo ſuccumbant. Sunt ergo in cauſa fideles, quòd non uincunt infideles; quia ut plurimum aliqui fidelium aliam ab iſtis iudæis intentionem habēt. Vide tu, qui pugnas contra infideles, quid dicatur hic de Iſraele circa iſtā uictoriam. Dicitur enim, ꝙ Iſrael uocauit nomen loci illius Horma, ideſt Anathema. Quomodo autē hoc intelligas, habes in Ioſue capitulo ſexto. Ibi namque habes, quòd dixit Ioſue urbem Hierico eſſe Anathema, hoc eſt, quod nullus tangeret quicquā eorum, quæ ad urbis Hierico habitatores attineret. Sic ergo & in præſenti loco, quando legis Anathema nomen eſſe dictum, intelligas, quod nullus Iſraelitarum quicquam ad infideles pertinens tangere deſtinauit. Quare? Nè propter auaritiam, non propter infidelitatis deteſtationē, pugnaſſe uideretur Iſrael: & conſequenter non propter honorē diuinum; ſed propter appetitū proprium. Faciant ergo ſic & chriſtiani contra infideles pugnaturi. Non pp auaritiā, aut uanam gloriam, aut aliquid ſimile, pugnent; ſed propter honorem diuinum purè, ideſt propter deletionem infidelitatis; & tunc mirabilia uidebunt. Deus enim pro zelantibus honorem diuinum ipſe pugnabit; qui dixit gloriam meam alteri non dabo. Sin autem Anathema non uocauerint loca infidelium ideſt propter res infidelium poſſidendas, & non propter delendam infidelitatem ex honore diuino moti principaliter uerè dimicauerint; Se ad bellum non uictores, ſed uincēdos ire, quantū in ipſis eſt, teneant. Si nanque dominus non pugnauerit pro illis certiſſimè perdent. Quod uerò, præmiſſa intentione fidelium ſtante (quantum eſt ex demerito ipſorum) non pugnaturus ſit pro illis, patet in libro Ioſuè capitulo ſeptimo. Habetur ſiquidem ibi, quòd propter auaritiam unius tantùm (nota uerbum hoc, & a fortiori argue de auaritia multorum bellantium) fideles tam uictores circa principaliorem ciuitatem noniter effecti ab infirmiori ciuitate uicti fuerant, quamuis cum auaritia fuerint in mi- ſſite illo alia peccata, puta inobedientia &c. Quid aliud ibi legis? Mirandum ualde, ſcilicet quòd nunquam amplius auaro milite ſuperſtite diuinum fauorem ſibiipſis aſſumtum polliceri debebant. Vnde neceſſarium fuit, ſi Deum in bellis propitium habere uoluiſſent, auarum illum militem occidere. Quid indè trahis? Quod nos ſupra diximus circa intentionem Chriſtianorum contra infideles pugnantium Intentionem, inquam, quia magis damnatur huiuſmodi intentio, quàm ſine tali intentione factum. Nonnè Iſraelitas tenuiſſe multas ciuitates, plurimas opes, prædas complures infidelium quandoque legis; etiam ex mandato diuino? Vtique. At nunquam illos uerè fideles ob hunc finem contra infideles principaliter dimicaſſe comperies; ſed propter honorem diuinum, ideſt propter infidelium abolitionem.

¶ Ergo uetus teſtamentum ueluti ſpeculum habeant, quādo de uictoria, uel aduerſo exitu, coniectare uoluerint fideles.

¶ Applica ad ly (Euāgelium) Venit hora, ut omnis, qui interficit uos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Quare ſic arbitrabātur? Quia putabāt Apoſtolos eſſe contra Deū. Ideò licèt in maiori bene ſe haberet, in minori tā deficiebāt. Quę erat illorū maior? Quòd erat obſequiū pſtare Deo, interficere homines exiſtentes contra Deum. Quæ erat illorum minor? Quod Apoſtoli eſſent contra Deum. Maiorem illam undè ſumebant? Ex hoc loco, atque ſimilibus. Mos enim ut iſti iudæi (arguebant perſecutores Apoſtolorum) uouum eius ſeruum occidendi exiſtentes contra Deum, tanquam obſequium uolentes præſtare Deo, exauditi fuerunt. Qui ſunt propriiſſimè exiſtentes contra Deum, niſi infideles; ut qui in nullo, ſcilicet nec in principijs nec in concluſionibus (hoc eſt nec in fide, nec in operibus ex fide procedentibus) cum Deo conueniunt? Ergo obſequium præſtans Deo Reuerendi Inquiſitores, dùm ad hæreticorum deletionem attēdunt; terreni principes, dùm ad infidelium abolitionem inſudant; Summus Pontifex, Epiſcopi, aliijq; poteſtatem habēntes, dùm extirpationi infidelium per Chananæum hunc figuratorum ſtudens ſiuè manu, ſiuè lingua, ſiuè pecunia, ſiuè orationibus ſiuè &c.

PRO ECCLESIA

SANCTA DEI.

HÆC Cōcl. 1. ca. 21. deſtruit abundāter hæreſim Lutheri (ut refert in Bulla Leon. X.) dicētis, ꝙ aduerſus Turcas præliari eſt repugnare Deo uiſitanti iniquitates noſtras per eos. Si enim Deo placitum eſt (ut eſt ſecundum, ꝙ hic oſtenditur) quòd infidelium loca ſubuertantur; patet à fortiori, ꝙ præliari contra Turcas non eſt repugnare Deo. Damnatur quoque, & per conſequens quoquomodo præſens concluſio firmatur, ab ipſo Leone X. in eadem Bulla contra errores Lutheri. Item ab Exod. 17. con. 2. quem locum uideas tu. Item à Pontificibus maximis, & ſanctitate uitæ præfulgentibus (ut in uitis Romanorum Pontificum patet) infraſcriptis damnatur, & dictis, & (quod plus eſt) factis. Nam Paſchalis ſecundus bello fauit contra Turcas incœpto ſub Vrbano ſecundo. Hic enim Vrbanus circa annum milleſimum 84. habuerat Concilium apud Clarum montem in quo ad pugnam cōtra Turcas ſuſcipiendā principes Chriſtianos animauerat, in quo negotio mirabiliter etiam profecerat. Secūdus litteris, & nuncijs Balduinum hortatus eſt, ut Turcarum impetum ſuſtinere conaretur tandiu, quoad ſupplementa militum noua in Aſiam mitterentur. Nonnè, & Caliſtus ſecundus congregata apud Lateranum ſynodo 900. Patrum, de ipſius aſſenſu ſtatuit, ut quam primùm data eſſet facultas, recentes militiæ Chriſtianis bellum in Aſia gerētibus pro ſubſidio miniſtrarentur? Qua ſpe erectus Balduinus Hieroſolymitanus Rex cōtra Turcarum principes mirandas uictorias obtinuit. Eugenius quoq; tertius in Gallias nauigio ſe perſonaliter contulit, ubi Galliarum Regem Ludouicum perſuaſit, ut cruce ſignatus procederet aduerſus Turcas. Nunquid non & Lucius tertius ſynodo habita Veronæ, catholicos principes exhortatus eſt, ut noſtris pro fide laborantibus in Aſia ſuccurrerent? Fuit, & Gregorius 8 pro tali negotio uigilantiſſimus, quippè qui, poſtquam ad ſedem Apoſtolicā unanimiter euectus eſt, nuncios mox ac litteras Chriſtianis principibus miſerit, eoſdem cohortando, ut omni, quo poſſet ficri,

fieri, conatu una ſecum exercitu comparato, Hieroſolymam ab hoſtibus fidei captam recuperarent. Rurſus de Clemente tertio, memoriæ proditum eſt; ꝙ nonnullus principes catholicos ſuis ipſius monitis excitauit, ut contra Turcos arma caperent, de quorum numero præcipui fuere Imperator Reges, duces, ſubſequentibus Epiſcopis multis, & Archiepiſcopis. De Cęleſtino item 3. refertur, ꝙ ei potiſſima cura ſemper adhæſit animo, ut ex infidelium manibus Hieroſolymã eriperet; proptereaque ingentem pecuniarum ſummam Anglorum regi Richardo in ſubſidium tranſmiſit, qui rex tũc ipſam Hieroſolymorum urbem, indè Turcas exturbare molitus, uiriliter oppugnabat. Ad hæc, Innocentium tertiũ, bello Aſiatico ſic adieciſſe animum ferũt, ut Germanos propter Henrici mortem in Aſia tumultuantes, & litteris, & nuncijs, & pręmiis, & promiſſionibus, in officio contra impios retinere non grauaretur. Honorius identidem tertius aduerſus infideles ardens Ioãnem Columnam Cardinalem ad res Aſiæ cõponẽdas legatum cum inſignibus armatorum copijs, quas ad eundem finem Innocentius præcollegerat, miſit, in quo etiam negocio mirifice profeciſſe, narratur. Nunquid non (ut receptui canamus) Gregorium 9. Innocentium 4. Alexandrum 4. Gregorium 8. Ioannem 22. Martinum 4. Nicolaum. 4. Innocentium 6. Vrbanum 5. hiſtorici, & uiros optimos, & Aſiatici belli ſtudioſiſſimos, fuiſſe ſcripſerunt? Videns ſingula. Damnatur quoque prædictus Lutheri fictitius & erroneus zelus (nè dicam mortiferus in catholicos liuor) ex inconuenientibus plurimis inde ſequentibus, quæ omnes paſſim ratione, uel tenuiter utentes pro rebus abſurdiſſimis certiſſimè habent. Si enim lutheranum dictum illud pro Turcis eſſet uerum tunc nec medicorum ope cõtra morbos & peſtes, nec agricolarum, aut aliorum induſtria aduerſus famem, & cariſtiam, uti licebit. Etenim hæc a Deo noſtras iniquitates uiſitante ſunt. Tunc etiam, nec contra fomitem, qui aduerſus ipſum inſurgit, repugnare licitum erit. Eſt enim fomes, ceu tyrannus quidam, nobis à Deo in maledictam peccati originalis datus. Si ergo Deo repugnare creditur, quiſquis Turcas impugnat, propterea, ꝙ per ipſos Deus uiſitat ſcelera noſtra, & is item Deo repugnare credendus erit, qui famem, peſtem, gladium, ignem, morbos, fomitem, & id genus reliqua effugare conabitur. Quæ tamen omnia falſiſſima ſunt.

Text. **A**T Iſrael uoto ſe domino obligãs, ait &c.

Concl. 2. *Dominus uinci Iſraelem ab hoſtibus infidelibus faciebat, ut Iſrael magis Domino ipſi per exercicia ſpiritualia, quaſi compulſus, adhareret.* [Ex eo]

Ratio. QVI O eſt, quòd mox poſt infidelis uictoriam contra Iſraelem, notum Iſraelis factum dño intulit ſcriptura, niſi, ut oſtendat, quod oũe docuimus? Hoc autem, ut expreſſius nobis infinuaret, per aduerſatiuã cõiunctionẽ Iſraelis præmiſſã ad dominum obligationem intulit dicens. At Iſrael uoto ſe domino obligans. Quaſi diceret. Ex quo uidit Iſrael ſe uictũ, & in hoſtis faucibus poſitum; domino ſe uoto obligauit. Iſta fuit neceſſitas, quæ Iſraelem compulit ad meliora.

APPENDIX.

1 **H**INC habes, cur Deus fideles ſuos, ultrà, quòd peccarunt, ab infidelibus facit quandoque ſuperari. Similiter, quare tentari aliquem (puta Petrum Apoſtolum) permittit, & ſuperari. Secundò habes, quomodo intelligas il-
2 lud Pſal. 94. ſecundum ꝙ ab Eccleſia in inuitatorio adducitur. Quid eſt illud: Quadraginta annis proximus fui generationi huic: Hoc eſt ergo: Quadraginta annis quæſiui, per tribulationes generationem hanc ad me conducere. Sic ergo etiam interpretes concordare potes, ſuper ſententiam illam, dum illorum vnus dicit quadraginta annis proximus fui, & alter quadraginta annis offenſus fui. Nam ſi reſpicias ad rem in ſe, fuit offenſio, ſeu punitio; ſi ad finem illius rei, eſt proximitas, ſeu amicitia. Puniebat nanque Deus populum, ut ipſum ad amicitiam ſuam traheret. A fine igitur denominationem facit Eccleſia, à re uerò, quæ eſt ad finem denominationem faciunt alij interpretes. Secundò habes, quam uetam ſit, quòd ad hebræos dixit Apoſtolus. Omnis (inquit) diſciplina in præſenti uidetur eſſe mæroris: poſtea autem fructum habet pacatiſſimum. Quare? Quia ex diſciplina mouetur homo, uelut iumentum ex ſtimulo, ad hoc, ut Deo ſuo magis inhæreat. Vndè hoc habes? Ex præſenti capitulo, ubi ex belli iactura mouetur Iſrael ad domino ſe uoto obligandum.

NOTATIO TEXTVALIS.

ADVERTE *quoque, quòd in hoc loco habes, notum eſſe rem Deo uehementer placentem. Poſt uoti nanque huius emiſſionem Deum Iſraeli contuliſſe uictoriã mirabilem, narrat ſcriptura. Secundò etiam aduerte, quòd non eſt malum deſiderare aduerſa malis, imò & procurare illis; dummodo zelo inuidia hoc non fiat, ſed zelo honoris diuini. Si enim id peccatum eſſet, Deus iſtorum iudaeorum deſiderium non exaudiſſet; quoniam neſcit iuſtitia Dei patrocinium dare criminibus. Deſiderium ergo tale fuit bonum, cum dominus ipſum exaudierit.*

¶ Applica ad ly (Euangelium) Compelle intrare. Vel ad aliquid ſimilium.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 2. cap. 21. innuit modum uerum, quo fideles pugnando contra paganos, hæreticos, aliosvè infideles, poſſint eos effectualiter uincere. Ac ſi apertè ipſa concluſio inferendo dixerit: Tunc fideles aduerſus hoſtes fidei præliãtes uictoriã de ipſis reportabunt, qñ p exercitia ſpiritualia Deo plenè adhærebũt. Et uerè ſic eſt, & experientia non ſolum teſtamenti ueteris hyſtoriarum plurium (lib. Iudic. Ioſue. Regum &c.) ſed etiam noſtrorum temporum, probatum eſt. Quando enim, uita auſteritate pœnitentiæ mutata, piiſſimum patrem, qui in cœlis eſt in ſedulis orationibus pulſauerũt, & adiuti non ſunt? Innocentius tertius tali ſpe motus mãdauit, &ꝙ ſingulis diebus inter miſſarum ſolemnia publicæ omnium proſtrationes cum Pſalmo, Deus uenerunt gentes, fierent, & quod ſingulis menſibus, uiris ſeorſum a fœminis conſtitutos, ſupplicationes ad Deum effunderentur, & quòd ieiunium orationi iungeretur, nec ſua ſpe fruſtratus eſt. Calixtus quoque Põtifex fiduciam tantam in orationibus humili corde fundendis poſuit, ut iuſſerit, campanarum ſonitu in meridie ſignũ omnibus catholicis dari, quo audito precationibus illos iuuarent, qui aduerſus infideles præliabantur. Vnde factum eſt, ut Caſſanus (ipſomet ad eundem Pontificem teſte) contra Othomani duces prælia mira proſperitate geſſerit, quippè qui uno prælio 30. millia, altero 40. millia Turcarũ cæciderit. Lege hyſtorias de Balduino, Boemundo, ſtrenuis ducibus, ſub Papa Vrbano 2. de Gothifredo Rege, ſub Paſchali 2. de Ladiſlao Rege, ſub Eugenio 4. de Humiade principe ſub Calixto 3. de Marco Antonio Columna pro Eccleſia, de Domino Ioanne Auſtriaco pro catholico Philippo Hiſpaniarum rege, de Sebaſtiano Veneto pro Ser. Venetorũ republica, ſub Pio. V. (tres enim hi potentatus ſanctiſſimum fœdus contra Turcas inierant); lege, inquam, illas attentius, & in prædictorũ uirorum partis de hoſte fidei ope diuina triõphis modum illũ uincendi a concluſione præſenti iniinuatũ cõſpicies. Ab oppoſitis itaq; ex ijs inſpectis inferre licebit, ꝙ nõ adhærere, uel minus adhærere, Deo p ſpiritualia exercitia eſt uia ad ſuccũbendũ, uel ad minus triumphandũ de hoſtibus. Neque. n. abreuiata eſt manus Domini, ut ſaluare, etiam mirabiliter (uelut antea) non poſſit; ſed peccata ueſtra (ut olim clamabat Iſayas) diuiſerũt inter uos, & Deum ueſtrũ. Vide, & bene nota in lib. Iudith. cap. 5. ſermonem ipſius Achior; quoniam plurimum facit ad hoc propoſitum, ubi & ſpeciatim memoriæ cõmendabis illud de fidelibus annotatum, NON FVIT, QVI INSVLTARET POPVLO ISTI, NISI QVANDO RECESSIT A CVLTV DOMINI DEI SVI. Pro cuius dicti uera intelligentia ſcito, quòd non tantum infidelitas eſt cauſa amiſſionis gratiæ Dei; ſed etiam quodlibet peccatum mortale, ut ait Concilium Trid. ſeſſ 6. cap. 15. & cano. 27. anathematizando contrarium: & conſequenter

ꝙ cultus Dei non ſolum deſtruitur per incredulitatem, ſchiſmata, idolatriam, ſed etiam per malos mores. Sint ergo fideles abſque deſidia in præliando contra infideles, abſque nimijs in congreſſu, abſque ſuperbia in proſpero ſucceſſu, non proprijs uiribus, ſed Deo, gloriam belli deferentes; & nullus aduerſarius præualebit.

Text. **ISrael uoto ſe Domino obligans ait &c. Et tædere cœpit populum itineris laboriſq́; locutuſq́; contra dominum &c.**

Concl. 3. *Tribulationes externæ ſunt maximæ utilitatis ad uitanda peccata; & conſequenter carentiam huiuſmodi tribulationum eſt uia facilis ad cadendum in peccatum.* [Ex eo.]

Ratio. NVNC nunc ex proſpera tribulationis Regis Adad uoto ſe dño obligauit populus: modò ex deficientia pugnæ talis ad murmur cõuertitur ſolitũ. Tribulatio igitur iſta faciebat, ut peccatorum, & ſolitorum quidem, obliuiſceretur populus: non tribulatio fecit, ut ad committenda huiuſmodi peccata reuerteretur ſubitò. Subitò (inquam), quia non ſine cauſa hoc ſubitò narratur poſt tribulationem illam. Licet enim non ſubitò ſubitò acciderit: tamen ex immediata narratione probabilitas talis inſinuatur.

NOTATIO.

MEMENTO hic exemplorum tùm ſacræ bibliæ, tùm humanitus babitorum, in quibus, quam experimentaliter uerum ſit præſens concluſionis documentum, didicimus. Reminiſcere, Dauidem ex tribulationibus profeciſſe, ex non tribulationibus defeciſſe. Recordare, Romanos bella ciuilia tunc exercere cœpiſſe, quando bella Carthaginenſia illis defecerūt. Et de huiuſmodi plurima per te diſcurrere potes; iungendo, quæ tibi in conſimilibus locis diximus (id quod & ſemper tibi faciendum relinquo), ut melius & concluſionem, & tribulationum utilitatem (ut decet) intelligas.

Text. **TÆdere cœpit &c. Locutuſq́; contra &c. Deeſt paſſus &c.**

Concl. 4. *Omnia exteriora quamuis bona quandoque ſint, uideri mala facit animi tædium; quamuis precioſa, in uilitatem conuertit; quamuis miranda, efficit in animo faſtidientis nulla.* [Ex eo.]

Ratio. NON abſque cauſa præmiſit textus tædium populi, antequam ipſius ſtomachoſam murmurationem narraret. Quaſi diceret ex ordine tali. Ex tædio ipſo animi iudæorum factum eſt, ꝙ ipſis omnia etiam delectabilia uerſa ſunt in nauſeam. Tædium hoc fecit, mannam apparere uiliſſimam, aquas miraculoſas nullius ualoris uideri, beneficia tanta pro nihilo reputari. Quare? Quia per modum recipientis recipiuntur omnia: & qualis unuſquiſque eſt, talia uidentur ei.

APPENDIX.

1 HINC habes cauſam, quare accidiam ſancti Patres tantoperè deteſtati ſunt. Nã iſta (ut hic patet) multorũ pec-
2 catorum origo exiſtit. Secundò habes cauſam, quare ſancti Patres recreationes moderatas a ſuis filijs quandoque fieri ſanxerunt. Ratio namque eſt; nè tædium in animos filiorum ſubrepat. Si namque ſubrepſerit, hoc, quæ prius optima alicui uidebantur, huic eidem nunc peſſima apparebunt; & quæ, prius in delitijs habebat, ea nunc pro maximis abbominatio-
3 nibus iudicabit. Tertiò habes, ꝙ, quando unus non contentatur de re aliàs bona, ſignum eſt, ꝙ in illius animũ aliquod, tædium ſubrepſit. Quare? Quia uniuerſa alia ex animo men-
4 ſurantur; placeant ſcilicet, an diſpliceant. Quartò habes intellectum illius Dauidici; Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in uerbis tuis. Vides enim in præſenti capitulo, ꝙ tædium facit, animam dormitare, & multipliciter infirmari. Totum ergo ſtudium, uel maximum, nobis ponendum eſt ad hoc, ut non accidiemus animo, uel tædium contrahamus, & ſic faciliter de omnibus externis nobis undecunque uenientibus contentabimur; ſanum iudicium de rebus externis habebimus: & multa peccata effugiemus. Lege ſanctorum Patrum uitas, & ipſos ad hoc intentum uidebis, texuiſſe ſportulas modò, modò hortulum adaquaſſe, herbas modò plantaſſe, nunc ipſos Antonios ſedere, nunc ſtare, nunc pſalleſe, nunc exterius laborem exercere, nũc ſimilia uiciſſitudinariè feciſſe; & nunquam ocioſos eſſe. Ecquid credis, Deum uoluiſſe, primum hominem in paradiſo operari? Ad hunc finem id uoluit Deus, nè homini aliquando accidia, ſeu animi tædium, adueniret. Sciebat enim Deus, quanta mala generare ſoleat animi pertæſio, & ꝙ talis pertæſio ſufficiens fuiſſet de ſe, paradiſum ipſum tam delicioſum in nauſ. am Adamo apponere. Iccircò ibi poſt ly Vt operaretur, iunctum eſt ly & cuſtodiret illum, ſcilicet paradiſum. Quaſi ex opere ipſo dicatur. Si Adam animum pertæduiſſet, pro nauſea è paradiſo egredi uoluiſſet. Cõſidera (quæſo frater) num tædij plenique, tanquam omnium bonorum motum acerrimum hoſtem, deuita pro tota uirili. Illinc ex Geneſi locũ ipſum conſidera, & hinc ex præſenti capitulo, quod in Geneſi timebatur, adimpletum conuertere. Quid ibi timebatur? Quòd Adamus præ tædio paradiſum nõ abhorreret. Quid hic conſpicitur? Quòd filij Adam paradiſi eſcam præ tædio abhominati ſunt. Mira res profectò. Ex negatione tædij Adamus paradiſum non ſtomachatur: ex poſitione tædij filij Adam cibum paradiſi deteſtantur. Quia Adamum non tędet, eſcam paradiſi delectat; quia populum iſtum tędet, eſcam paradiſi nauſeat.

NOTATIO CONTRA TEDIVM.

ACCIDIAM, ſeu tædium animi fugere ſi uis, eſto occupatus ſemper in re aliqua. Vidiſti naque, quòd ad euitandum hanc indictum eſt Adamo, ut operaretur, & ꝙ ipſe operatione media hanc accidiam, ſeu tædium, faciliter euaſit. Vides & hic, quod quãdiu populus iudæorum in operatione pugnandi contra reges præmiſſos, uel plangendi ſuper mortem Aaronis, fuit occupatus, tandiù ipſum non tæduit. Mox autem, opere occupante animum remoto, in eorum animum tædium intrauit.

¶ Quanto igitur magis operatio animi occupationem delectabilem importauerit, tantò magis huiuſmodi operatio ad arcendum tædium ualebit, & cõſequenter ad multa bona proficiet. Hæc autem operatio nonnè ſtudium eſt, ſacrarum litterarum præcipuè? Dùm itaque ordo fratrum prædicatorum ad ſtudium ordinatus; ad multa bona capeſſenda, ad multaque mala calcanda, ordinatur, quoniam ſic tædij portam in filijs ſuis apprimè claudit. Cùm itaque ſtudium magis ad tædium amouendùm præualeat exteriori occupatione, Religio illa melius ordinata eſt, quæ ad ſtudium cõtendit, quàm quæ operationibus externis inſiſtit. Nonnè & illi iudæi operationibus externis inſiſtebant, dùm itineri faciendo, atque labori, incumbebant? Et tamen propter has operationes impeditum non eſt, quin tædium animum ſubintraret. Non ſolum ergo operatio ad tædium procul tenendum requiritur principaliter; ſed operatio cum delectatione. Hanc autem operationem ſtudium maximè, in humanis rebus loquẽdo, uocamus. Gratias igitur maximas Deo agant, qui ad ſtudioſam religionem acciti ſunt. Quemadmodum autem ſtudioſus medio ſtudio multa, tædio excluſo, excludit, ita non ſtudioſus (maximè ſi aliam condecentem operationem non habet) multa mala, admiſſo tædio, admittit.

Text. **ANima noſtra nauſeat &c. Quamobrem miſit &c.**

Concl. 5. *Diminutio guſtus Euchariſtiæ eſt ſignum appropinquationis ad portas tentationum mortiferarum.* [Ex eo.]

Ratio. NOTA ly Quamobrem, nec non quòd Manna figurat Euchariſtiam, & concluſionem hãc manifeſtè uidebis. Mox ut iſti dixerunt; Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, miſſiones ſerpentum in illos audimus. Quid eſt hoc? Quòd non multum temporis poſt prædicti guſtus diminutionem interuenit, quòd tales homines in aliquas diabolici ſerpentis fallacias incidunt. Talis ergo minor guſtus & cauſa eſt, quòd ille homo portis mortis appropinquat, & eſt nõ multum temporis ad hoc faciendum patiens. Hac de re duplex

poſt

poſt ly nauſeat &c. immediatè ſerpentum fit memoria; & introducitur cum ly quamobrem.

NOTATIO.

HVNC ordinem, concluſioniſq; documentum, inſinuare uoluit pſalmus, quando ait de iudæis: Omnem eſcam abhominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt uſque ad portas mortis. Omnem eſcam, quam Euchariſtia per manna ſignificatam. Nam omnis boni contentiuum Euchariſtia eſt; & nobis per modum eſcæ ſumenda proponitur. Omnem eſcam abhominata eſt anima eorum: Ecce peccatum. Appropinquauerunt uſque ad portas mortis (id eſt à ſerpentibus multi, & ferè omnes, perierunt). Ecce ſupplicium illi peccato condignum: Qui enim uitã aſpernati ſunt, mortem accipere meruerunt: & qui a uitalis cibi guſtu ſe prolongauerunt, ad mortalis cibi pœnam appropinquauerunt. Et quid dicam? Non probauerunt, ſeu non tanti (ut decebat) æſtimauerunt, comedere uitam, & in pœna huius a morte ipſi comeſti ſunt. Nunquid nõ a propheta eodem dictum alibi audiſti; Mors depaſcet eos? Loquebatur de illis, qui noluẽt paſci a uita. Dignum enim, ac iuſtum eſt, ut mors depaſcat illos (quemadmodum hic uides) qui ſe paſcere uita uel dedignantur, uel parui ducunt, uel opere fugiunt, uel corpus domini non diiudicant ab aliorum ciborum multitudine.

¶ Aduerte, non ſine cauſa fuiſſe hic dictum ly Ignitos, ad limitandam ly Serpentes. Hoc enim factum eſt ad oſtendendum, propter quam culpam principaliter ſerpentes hi miſſi fuerant. Murmurauerant illi de pane, de aqua, de manna. Vt ergo ſcires ob quam murmurationem è diametro iſta inflicta fuerit pœna, ideò ad ly Serpentes additum eſt ly ignitos: Vide igitur quænam culpa de igneitate magis ſapiebat; & pro qua culpa primariò pœna hæc data ſit, intelliges. Quis maior ignis bonus Dei uerſus nos oſtenditur, quam dum nobis Euchariſtiam ſubminiſtrat, quæ per mannam ſignificata eſt? Cum itaque Euchariſtia in charitatis igneitate ſuperet alia Dei beneficia & per mannam ſignificetur, patet ex ly Ignitos, quòd pœna hæc propter aſpernatione mannæ principaliter miſſa eſt. Vndè quaſi per ly Ignitos, dicitur. Sicut pœnam uides ignitam in malum: ita culpam de ſe bonam ignitam fuiſſe non dubites.

Text. FAc ſerpentem æneum.

Concl. 6. *Chriſtus erat futurus patientia inſuperabilis.* [Ex eo.]

Ratio. HIC ſerpens æneus Chriſtum figurabat, quia ſicut ſerpẽs ille formam ſerpentis habebat, non autem uenenum; ita Chriſtus formam humanam habiturus erat, non autem peccatum. Item ſerpens iſte non ex commixtione ſeminum natus erat: ita Chriſtus non ex commixtione tali natus fuit. Serpens autem figuratus eſt Chriſtus, quia ſerpens eſt callidior omnibus animantibus. Figurabat ergo Chriſtum eſſe futurum maximæ prudentię. Sed de hoc in concluſione ſequenti. Modò in eo notandum: Serpens ille dictus eſt æneus. Eſſe æneum quid ſignificat? Eſſe durum, & conſequenter non cedere percutienti, ut frangatur. Vnde quando aliquem infrangibilem ſuis negocijs denotare uolumus, dicimus prouerbialiter: ille caput æneum, ſiue egli hà una teſta di bronzo. Quia igitur Chriſtus inſuperabilis patientiæ futurus erat, & in nullo percutienti cedens: ideò ſerpens æneus in figura uocatus eſt.

NOTATIO I.

DE SIGNO.

NE autem crederes, quòd Chriſtus perſeuerauerit in tãta patientia propter defectum, ſeu paucitatem tribulationum; ideò dicitur hic ſimul, pone ſerpentem æneum pro ſigno. Patientia ergo ingeritur huic, quod eſt, eſſe pro ſigno. Quid autem hoc pro ſigno ſtare, eſt; niſi illud Simeonis dictum: In ſignum, cui contradicetur? Signum namque omnes *Luc. 2.* uident, omnes ipſum attingere geſtiunt, omnes ad ipſum currunt; omnes ipſum ferire gaudent, ut ſignum bonum iudicamus, quod multiplicibus a percutientibus impetatur. Sic & Chriſtus pro ſigno ponendus figuratus fuit, quia omnibus palam in cruce eleuatus (ut ille ſerpens) conſpicabilis erat futurus, ab omnibus tum linguis, tum calumnijs, tum factis, tum ſub ſannationibus (hoc oſtenderunt, qui ſub cruce tranſeundo capita ſua mouebant in Chriſti deriſum; ipſumque mille opprobrijs denigrare geſtiebant), tum uarijs modis, attingendus erat. Nunquid non ad ipſum crucifixum, tanquam ad rẽ nouam, omnes etiam à longè currebant; ut talis ſpectaculi participes eſſent? Videas apud nos. Quando aliquis uel ſuſpenditur, uel decollatur, uel aliter ad mortem ducitur, omnes undique currunt ita, ut pro currendi deſiderio ſua facta dimittant. Et ut frequentius currant: campana, ſignũ mortis adiudicandorum, pluribus ictibus pulſatur. Sic & hic, quãdo Chriſtus pro ſigno ponendus fuerat in cruce, currebant omnes: Et, ut frequentius currerent, mittebatur hinc inde per montem Caluariæ preco, qui per ſonitum tabulæ aliquẽ morti adiudicatum ſignificaret. O quot ſua negocia intermittebant, ut ad ſignum hoc uidendum præcurrerent? maximè uerò dimiſſionem hanc negotiorum facere tunc tempus erat; quando iam præ inſtante ſolemnitate paſchatis feriare cogebantur?

¶ Chriſtum hunc pro ſigno poſitum non dices, ſi non tantum omnes illum ferire, ſed & ferire gaudere uidebis? Hoc enim eſt proprietas ſigni, ut patet. Gaudebant ergo ferientes ipſum, & lætabatur: ac ideò certatim contendebant, ut aliter altero plaga maiori Chriſtum afficeret. Niſi enim ſic feciſſet, quomodo Chriſtus pro ſigno uerè fuiſſet? Etenim hoc res pro ſigno poſitæ (ut ſupradiximus) conuenit, ut ab omnibus certamine quodam impetatur magis, atque gaudenter.

¶ Vis uidere Chriſtũ tuũ habere non tantũ ſigni, ſed etiã ſigni optimi, conditionem? Vndique ad omnem partem, ad omne genus hominum, ad omnem ſui corporis compaginẽ, ad omnem ſuum ſenſum, conſpicias: & ſi ab omni parte prædicta configitur; ipſum non tantam ſignum, ſed & ſignũ optimum, agnoſcito. Nonne ex parte dextra tormentatur, cum ait: Conſiderabam ad dexteram, & uidebam; & non erat, qui cognoſceret me? Nonne à ſiniſtra cruciatur, cum à latrone mali ore blaſphematur, & per eius dãnationem ſanguinẽ ſuum effuſum pro eo fruſtrari contemplatur? Quid dicam, ſi ad partem cruci ſuppoſitã, deambulantium Pontificũ nutus; ſi ad partẽ a cruce remotã, prætereuntium hominũ uoces aſpexero? Vtique ab oĩbus his cùm uideã cõclamari; Maledictus omnis qui pendet in ligno; Chriſtum hunc non niſi optimum ſignum fateri ualeo. At ſi ad omne genus hominũ aduertas oculos, nonnè omnes illos tùm gẽtiles tùm iudæos huc aduentaſſe pro ſigno iſto multiformiter configendo clamabis? Patitur.n. & a gentibus, & a iudæis, tùm maſculis, tùm fœminis (ut ab ancillis accuſantibus Petrũ). Patitur à principibus, à miniſtris eorum, & popularibus, ut patet Pſal. 2. Patitur à famliaribus, à notis (ut a Iuda traditore, & Petro negãte). Patitur in ſuis amicis eũ deſerentibus. In fama per blaſphemias contra ſe prolatas; in honore & gloria per irriſiones, & contumelias; in rebus per hoc, quòd etiam ueſtibus ſpoliatus eſt; in anima per triſtitiam, tædium, & timorem; in corpore per flagella, & uulnera. En Chriſtus pro ſigno. Sin autem ad ſui quamque partem corporis aſpicias; ipſam totaliter diſſipatã miro modo uidebis. A capite uſq; ad plantam pedis, etiam ſi oculos linceos habueris, nec tãtillum quidem ſanitatis conſpicies. Vide caput ſpinis coronatum, manus, & pedes clauis affixas; in eius facie alapas, in toto corpore flagella. Quid de omni ſuo ſenſu eloquar? Contemplator per ſingula ſenſuum, & in omnibus his cruciari uehementer Chriſtum tuũ, comperies. Eſt enim ſecundum tactum flagellatus, clauis cõfoſſus: ſecundum guſtum felle, & aceto potatus; ſecundum olphatum, in loco fœtido cadauerum mortuorum, qui dicitur caluariæ crucifixus; ſecundum auditum acceſſibus uocibus blaſphemantium & irridentium; ſecundum uiſum, uidens matrem, & diſcipulum, quem diligebat, flentes. Quòd ſi prædicta uera ſint, vt ſeuera ſunt, Chriſtum pro ſigno hic figuraliter poſitum ambigere noli; & pro ligno quidem antho nomaſicè dicto.

¶ Cum igitur tantas afflictiones habuerit, dùm ſtaret pro ſigno Chriſtus, non ſine cauſa, cùm in his non defecerit, ſerpens æneus nunc futurus præfiguratus eſt. Ergo conuenienter in ſcriptura Chriſtus uocatur lapis firmus, & ſaxum duriſſimũ. Ergo eleganter per unum prophetarũ dicit Chriſtus: Poſui faciẽ meam duriſſimã, & ſimilia. Ergo Chriſtus rectè in ſcriptura de inimicis ſuis contra ſeipſum, loquendo ait: Scio, quod non confundar. Quare ſciebat, quòd non præualituri erant hoſtes ſui; & conſequenter quòd ipſe non confundẽdus, id eſt ad impatientiam non commouendus? Quia, ſerpentem ſe æneum figuratum eſſe, nouerat.

NOTA-

non autem pro rebus edocti ab ethnicis. Sic mandata illa præmiſſa intelligas. Vt ſcias reprobare malum, & eligere bonum. Quòd autem ipſa ſculptilia, ſi ponantur fidelibus pro ſigno, ipſis prouenient in ſalutem (ut concluſio innuit), patet in textu. Quicunque enim percuſſus ſerpentem pro ſigno poſitum aſpiciebat, uiuebat. Nonnè ergo inde magna utilitas fidelibus? Quid melius uita, & uita tali, puta erui à morte, dùm es in ianuis mortis?

NOTATIO AVREA.

ADVMBRATA hoc in loco, quòd, miracula fienda ad imaginum ſanctarum adorationes, figuratum in littera fuit. Quemadmodum enim ad aſpectum huius ſigni miraculum fiebat: ita (proportionaliter tamen) ad uiſitationem ſanctarum imaginum miracula fienda inſinuabatur ex hoc. Deus enim, qui ſigno illo mediante mira operabatur in aſpicientibus ſignum, docebat per hoc, quòd ſignis alijs, ſub ſigno iſto tanquam ſub analogato primo contentis (Huiuſmodi ſunt ſigna, ſeu imagines omnium ſanctorum Dei), mediantibus miranda & ſanitates corporum & ſalutem animarum in aſpicientibus per ueram deuotionem ſigna illa operaturus erat. Hoc autem quàm uerum ſit, quod hic in figura præmonſtrabatur, quotidiè, in multis etiam locis experientia docet, ut patet de S. Maria Lauretana, &c.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 8. cap. 21. deſtruit hæreſim fęlicianam (ut refert Prateolus, uer. Fęlix alius) dicentem, Imagines tollendas eſſe ab Eccleſia; & quod imagines in templis habere idolatria eſt, ſiue ſint Chriſti, ſiue cuiuſcunque ſancti: & hæreſim Almatici dicentis, quòd thurificare imagines idolatria eſt: & hæreſim quorundam aliorum dicentium, non faciendas eſſe imagines, quę adorētur (ut refert cenſura Generalis in Bibliam) & ſtatuas eſſe ſubuertendas. Patet enim totum contrarium: ut ſapiens quiſque diiudicare poteſt. Damnantur quoque, & conſequenter præſens concluſio firmatur, à concil. Nicenn. 2. actio. 7. Fatemur unanimiter, nos eccleſiaſticas traditiones ſiue ſcripto, ſiue cōſuetudine, ualentes retinere uelle, quorum de numero eſt imaginum effiguratio. Sanctorum ergo noſtrorum & diuinorum Patrum doctrinę inſiſtentes, & catholicę Eccleſiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obſeruantes, definimus, ſanctas imagines, maximè autem imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, uenerandorum Angelorum, omniumque ſanctorum, omni diligentia uenerandas; & è coloribus, teſſellis, quauis alia materia (ſicut & Crux) paratas, & dedicatas, & in templis ſacris dedicandas, & habendas tùm in ſacris uaſis ac ueſtibus, tùm in parietibus & tabulis; tum in ædibus priuatis, & in uijs publicis: quò ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad prothotyporum memoriam ueniant; illiſque honorariam adorationem exibeant. Imaginis enim honor in prothotyphum reſultat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum. Sic enim ſanctorum noſtrorum patrum obtinet diſciplina, & traditio Catholicæ Eccleſiæ; quæ à finibus uſque ad fines Euangelium ſuſcepit. Tunc ſancta Synodus exclamauit: Omnes ſic credimus, omnes idem ſapimus, omnes approbantes ſubſcribimus; hæc eſt fides Apoſtolorū, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmauit. Qui ſecùs agunt, Anathemate percelluntur: qui ſic non ſentiunt, ab Eccleſia depelluntur. Quicunque ſententias ſacræ ſcripturæ de idolis contra uenerandas imagines adducunt; Anathema. Qui uenerandas imagines idola appellant, Anathema. Qui dicunt, quòd chriſtiani imagines, ut Deos, adorent; Anathema. Qui ſcienter communicant cum illis, qui contra uenerandas imagines ſentiunt, aut eas dehoneſtant, Anathema. Qui audent, Eccleſiam catholicam, dicere, idola aliquando ſuſcepiſſe; Anathema. Si quis traditiones Eccleſiæ ſiuè ſcripto, ſiuè conſuetudine, ualentes non curauerit; Anathema. Hæc ibi. Ex quibus, & conſequenter ex præſenti concluſione, damnantur quoque hæreticę impietates Iconoclaſtarum dicentium, imaginem Chriſti eſſe idolum, & Albigenum, Alaſchanorum, Caroliſtadii, Ioannis de Ziſcha, qui ſacratiſſimam crucifixi imaginē fœdarunt, oppugnarunt, eiecerunt. Damnantur & à &c. ut habes Genes. 47. con. 5. & Num. 12. con. 7. Itē Gen. 23. con. 2. & Numer. 20. con. 2. De tali re uideas & compēd. Alb. lib. 5. cap. 58. ſchol. & cap. 60. ſchol. Ex eodem Concilio Niceno, pro quanto de traditionibus Eccleſię etiam ſine ſcripto loquitur, reprobantur hæreſes Brentii dicentis, quòd traditiones Patrum ſunt prorſus reiiciendæ. Et quorundam Arrianiſmum præſeferentiū (ut habet Melchior Cano de locis Theolog. l. 3. c. 1.) dicentium, quòd in quæſtione fidei nihil omninò præter diuinas ſcripturas eſt recipiendum: & alterius dicentis, nihil ultra, quàm ſacris litteris habetur, eſſe definiendum: & Caluini dicentis, inſtitutiones maiorum renunciare, ſiuè ab eis recedere, non modò eſſe integrum, ſed & honeſtum, pium, & ſalutare. Damnantur & ab Exo. 18. con. 1. & Num. 4. con. 3. & cap. 12. con. 9. Item Ab Elucid. Addition. ar. nu. 413. Poſſunt quoque damnari per dicta Gen. 16. con. 5. & Num. 2. con. 10. Reprobantur ualidiſſimè à Concilio Trid. ſeſſ. 4. Decreto primo, ubi traditiones ipſas uel ab ore ſanctiſſimo Chriſti ad Apoſtolos, uel ab Apoſtolis Spirituſancto dictante, deriuatas, tenet; & ſeſſ. 25. in ſal. conduct. dato proteſtantibus. Sacroſanta ſynodus uniuerſis fidem facit &c. Et ſignanter, ꝙ cauſæ controuerſæ ſecundum ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum patrum authoritates, in prædicto Concilio Tridentino tractentur. Hæc ibi. Item à Papa Gregorio, ext. de celebration. Miſſ. cap. cùm Marthæ. ubi inter alia dogmata catholica docemur, quòd ſi quæ ſunt uerba in canone Miſſæ, quibus in conſecratione utimur, quæ nominatim nō ſint in Euangelio, credendum eſt, Apoſtolos à Chriſto, & nos ab ipſis accepiſſe per traditionem. Vbi & docet auctoritatē magnam eſſe traditionum. Regula namque inuiolabilis eſt apud catholicos, quòd Eccleſiæ uniuerſalis ritus antiqui (quorum memoria non extat) & approbati tùm circa ſacramenta conficienda & miniſtranda, tùm circa miniſtros Eccleſiaſticos & miniſteria, quorum in Euangelio nulla fit mentio, ſunt traditi Apoſtolis a Chriſto aut uiuæ uocis oraculo, aut per reuelationem Spiritus ſancti, ab Apoſtolis aut ſucceſſoribus ſuis, ut obſeruarentur, indicati, & ſic deinceps quaſi per manus dati ad nos uſque peruenisse. Vnde huiuſmodi Apoſtolicæ traditiones (de quibus nunc proximè dictum eſt), cùm originaliter ſint à Deo ipſo, non minorem auctoritatē habent, quam ſacra ſcriptura: &, ſi de antiquitate agatur, ſunt ea uetuſtiores. Chriſtus enim Dominus noſter librum nullum ſcripſit; quinimò, (quod legatur) nec in terris exiſtens iuſſit, ut quicquam ſcriberetur, quę tamen uiua uoce multa Apoſtolis pro gubernandis populis ſeruanda tradidit, quæ uſque ad conſumationem ſeculi cum ſancta Eccleſia duratura eſſent. Quæ ergo documenta in ſcriptis poſtmodum redacta ſunt, ſcripturam uocamus; quæ uero non ſunt ſcripta (non enim uiſum eſt Spiritui ſancto neceſſarium), ſed ab Apoſtolis accepta retinet Eccleſia, traditiones appellamus. Vide Melchiorem Cano, de locis Theol. l. 3. c. 4. quibus modis Apoſtolicæ traditiones inueſtigentur & cognoſcantur. Ex prædictis quoque patere conſideranti rectè poteſt, quòd alia eſt ratio de adoratione crucis Chriſti ab adoratione mala ſerpentis ænei, de qua infra con. 12. Videas Compend. Alb. l. 5. cap. 58. ſchol.

Regula firmiſſima.

FAc ſerpentem ęneum, & pone eum pro ſigno. Text.

Concl. 9. *Si homo non peccaſſet, filius Dei crucifixus non fuiſſet.* [Ex eo.]

Ratio.

VIOS. De ſerpente æneo in crucē ponendo non prius fit mentio, quàm de percuſſione hominum. Imò nec ob aliā cauſam ſtatuit, ꝙ in cruce eleuetur iſte ſaluberrimus ſerpēs, niſi quia iudæi a ſerpentibus percuſſi erant, mortemque præ morſibus illorum pertimeſcebant. Tolle ſerpentum morſus, tolle homines non eſſe morſos, nulla eſt cauſa, ꝙ erigatur ſerpens in cruce. Erigitur namque pro ſalute danda populo, aſpectu illorum mediante. Tolle igitur, quòd populus iſte ſalute, uelut ſauciatus, egeat; non fiet unquam eleuationis ſerpentis aliqua mentio.

EXAMEN MIRVM.

VIOS hic multa. Primò ſerpens propter peccatum popu- 1
li erigitur. Secūdò ad Moſaycam orationem eleuatur. 2

Tertiò

3 Tertiò ad ſalutem populi ipſius eleuatio ordinatur. Quartò pro ſalute conſequenda indè; quòd populus ipſum iam eleuatum aſpiciat, requiritur. Quintò licet ex inſpectione populi, ſanitas in eis multa conſequatur, nō tamen indè aliqua utilitas ſerpenti æneo comparatur. Nota ſingula. In primo contuere amplitudinem diuinæ miſericordiæ. Merebātur enim iſti propter peccatum tām abhominandum murmuris prædicti in terram defodi, & à uita ad mortem tranſire: & nunc ex miſericordia Dei aliter factum eſt. Non tantúm, quod merebantur, non acceperunt: ſed etiam bonum, quod non merebantur, adepti fuerunt. Et quidem facillimè. Non enim ad uitam acquirendam, & mortem fugiendam, exigebatur, ut tranſirent montes, maria tranſnatarent, latitudinem terræ perambularent, ſed tantummodò, ut aſpicerent. Et aduerte, quòd nō ut aſpicerent bis, ſed tantùm ſemel. Et, quò facilior fieret aſpectus, nè hinc indè pro aſpiciendo nagarēt, eleuatum eſt in altum illud, quod aſpiciendum erat. Attende & aliud hic. In quo ſenſu utendo promptiores ſumus; quis nobis ſenſus in utendo delectabilior? Senſus uiſus. Mox enim, ut aperueris oculos, uides; quod ſic facile in ſenſibus alijs non comperies. Non autem mox uides; ſed etiam à longè, ſed etiam ſine corporali trāſmutatione, ſed etiam cū ſuaui delectatione: quod in cæteris ſenſibus difficulter inuenies. Vt ergo Deus nobis ſalutem & citā, & facilem, & delectabilem, daret, hanc in aſpectu collocauit. Facilitauit medium ad ſalutem admodum, & ut ſuæ miſericordiæ magnitudo nobis innoteſceret; & ut de noſtra pigritia, ſi ſalutem non conſequeremur, inexcuſabiles eſſemus. Quis amplius dicat, viam ad ſalutem homini impoſſibilem eſſe? Tota ſuauis eſt animæ uolenti, atq; ſalutem amanti. Quis de miſericordia Dei amplius unquam diffidat; imò quis et ſemper maximè non confidat; cum Deum uideat, nunc uune tam turpiter indignis, ſic faciliter donare ſalutem? Nam ita indulſit antiquis, ut etiam indè nobis modernis inſtructiones relinqueret.

De ſecũdo. ¶ In ſecundo principaliter dictorum nota uim orationis Moſaycæ; & conſequenter quòd citò ſurrexit a præcedente culpa, ac in Dei gratiam receptus eſt. Tām enim in Dei gratiam receptus oſtēditur, ut ad ſuæ orationis intuitum tām mirabilem ſalutem dominus populo peccatori afferret. Hinc ergo addiſce, quòd qui bene habituatus eſt, citò ſurgit in priſtinum ſtatum; etiam quòd ceciderit. Id quod eſſe facile bene habituato, ac ideò iuſto, notauit ſapiens, quando dixit: Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Hoc cadere iuſti uocatum eſt a Pſalmiſta, Non collidi, ibi: Cùm ceciderit iuſtus, non collidetur. Hinc etiam mitiatem Moſaycam, præ alijs uirtutibus, addiſcito, qui pro populo tam ſibi nunc omne maximè noxio (quandoquidem uſque ad peccatum, & conſequenter pęnam tam ſibi grauem, exacerbanerant eum) faciliter orat; & ipſi tantum bonum pro tanto malo reddit.

De tertio. ¶ In tertio reminiſcere illius dicti a Chriſto; Ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Hinc enim habes, quod uult dicere: Omnia ſaluabo.

De quarto. ¶ At quartum addi oportet; ſi de facto hinc ſalutem uis, ò homo, haurire. Quid eſt, quod quarto loco ſupra dicebat? Quòd homines infirmi ad ſerpentem eleuatum aſpiciebant. Si clauſiſſent oculos; nunquid indè ſibi ſalutē, etiam quòd ſerpens eleuatus fuiſſet, comparaſſent? Minimè. Cuius cauſa? Non quidem ſerpentis, quoniam eleuatus ideò erat, ut ſalutē populo afferret; ſed hominis non aſpicientis; quoniam uolūtariè claudendo oculos, ſalute parata ſe priuaſſet. Aperire igitur oculos oportuit, ac in ſerpentem attollere; ſi ſalus optata acquirenda fuit. Quid eſt aperire oculos, ac in ſerpentem figere? Eſt aperire cor, ac fidem in crucifixum recipere. Sicut ergo ſerpens ſalutem non conferebat, etiam quòd eſſet de facto eleuatus, niſi aſpicienti in ipſum; ita Chriſtus, etiam quòd de facto pro totius populi ſalute crucifixus ſit, ſalutem non confert, niſi fidem habentibus in illum. Quid fit per fidē? Vide, quid fiat per uiſionem; & hoc intelliges. Nō enim ſine cauſa, ad denotandum fidem in Chriſtum, dictum eſt, quòd illi aſpiciebant in crucifixum. Quid fit per uiſionem? Res exterior ſuauiſſimè coniungitur uidenti, & eſt in ipſo. Per fidem ergo Chriſtus ſuauiſſimè coniungitur nobis, & per fidem (ut aiebat Apoſtolus) habitat in cordibus noſtris. Quid conſequēter fit per uiſionem? Quod ea re uiſa, & uidente fit unum. Per fidem igitur ita unimur Chriſto, ut unum fiamus cum illo. Hoc eſt igitur, quod Chriſtus uolebat, quando ad patrem dicebat; Oro pater, ut ipſi unū ſint mecum. Oro pater, ut ipſi fidem habeant in me. Sicut autem uiſio non faceret prædicta niſi a principio uiuente .ſ. anima procederet; ita fides uitam ſibi nō unit perfectè; & conſequenter uiuere nō facit, niſi cū principio uiuente .i. cum charitate fiat. Fidei ergo formatæ, nō informi, ſalus noſtra perfectè donatur. Hinc, quoniam nemo uidet (ſicut hi iudæi) niſi uolens, habes, quòd nemo credit, niſi volens. Si ergo ad ſalutem corporalem iſtorum concurrebat ſuum liberum arbitrium; ita ad ſalutem noſtram ſpiritualem, i. ad iuſtificationē, noſtrum neceſſariò concurrit liberum arbitrium. Liberum (inquam) arbitrium gratia informatum, cum & illorum prædicta uiſio libera a principio uiuente manaret. Quoniam denique uiſus eſt operatio; per hoc, quòd non niſi uidentes ſaluabantur, denotatur apertè, quòd adultis (cuiuſmodi erant hi Iudęi) nunquam ſalus ęternæ uitæ danda eſt per Chriſtum Crucifixum, niſi bene operentur.

¶ In quinto demum aduerte, ꝙ ex hoc, ꝙ nos ſaluamur, nil utilitatis accreſcit Crucifixo. Noſtrorum enim bonorum (ut centies audiſti) non indiget; neque, ſi benefecerimus, aliquid dabimus ei. Amorem ergo Chriſti ad nos amicitiæ totaliter hic intuere: non amorem concupiſcentiæ mixtum. Sic & in uiſione rerum a nobis euenit. Non enim res uiſa ex mea uiſione perfectionem aliquam in ſe acquirit, ſed ego uidendo illam perficior. Similiter ex intellectione mea perficior ego: non autem res à me intellecta. Ex fide igitur mea in crucifixum perfectio mihi grandis aduenit; nulla autē indè perfectio crucifixo acquiritur. Quam ergo magnificentiſſimus Chriſtus, quam largiſſimus, quā amiciſſimus, qui mihi, nihil indè a me ſibi ſperando ſaluus; tantam ſalutem tanto ſuo incommodo contulit? Amicitiæ igitur purus amor Chriſti uerſus nosipſos hic apparuit. *De quinto.*

¶ Applica ad ly (Euangelium) Venit filius hominis ſaluū facere, quod perierat. Tolle ergo quod homo periſſet ex horum ſerpentum ignitorum morſu, nulla erat cauſa ueniendi ad crucem Chriſto. Vel ad ly &c.

FAc ſerpentem æneum; & pone eum pro ſigno. *Text.*

Concl. 10. *Chriſtus ex iudæis naſciturus erat ſine peccato, & à iudæis crucifigendus.* [Ex eo.]

MOYSI dictum eſt in figura; quòd ſerpentem ęneū faceret, & quod ipſum in cruce eleuaret. Serpens æneus Chriſtus; Moyſes iudæus. Fecit ergo ſerpentem æneum iudæus; quando Chriſtus ſine ſemine (uelut ęneus ſerpens) ex proſapia iudæorum natus eſt. Ideò factus dicitur, quia non proceſſit modo naturali in hoc, ꝙ ſine ſemine uirili natus fuit. Quod enim modo naturali nō ꝓcedit (ut archa ab artifice) dicitur fieri, non naſci; licèt Chriſtus, quia modo etiam naturali (inquantum .ſ. a muliere fuit, & in eius, utero per nouem menſes) proceſſit, dicatur etiam natus. Ita quod & factus, & natus eſt, reſpectu diuerſorum. Fac (inquit) ſerpentē factus à Moyſe erigitur, quia iudæus Chriſtum iam natum & factum eleuaturus erat in cruce. *Ratio.*

APPENDIX DE SERP. ÆNEO.

HINC habes, quod Chriſtus ſerpſit in ſuis omnibus factis; non ambulauit. Ambulare nanque ſerpenti non cōuenit, ſed ſerpere. Quomodo differunt, ambulare, & ſerpere? Sic; quod qui ambulat, manifeſtè uidetur ire; qui verò ſerpit non item: ſed ipſum ad hunc, uel ad illum, locum ſe uelle mouere, uidentes nos latet. Video igitur aliquem ſerpere, & non video. Quare uideò, & non uideo? Quia illum ſe mouere cerno; quò autem ſe uelit mouere non facile cognoſco. Nā una ex parte uidebitur mihi, quòd is huc ſe moueat: & de repente, in ictu oculi, me neſciente, nec præuidente, alio ſe proripit ille. Nunquid non in cunctis factis ad ſe pertinentibus hoc modo ſe habuit Saluator noſter Chriſtus? Et quomodo aliter tam facilè (ordine diuino ſtante) diabolum uidentē ſua facta latere potuiſſet, ꝙ Ieſus eſſet uerus Deus, & uerus homo? Quinpotius aliud dico. Serpens æneus ſerpit nè, an ambulat? Nec ſerpit, nec ambulat. Hoc autem figurabat, quod Chriſti actiones, quid prætenderent, ita latere debuerat diabolum, diabolicosque uiros; ut iorum oppoſitum eueniis ex eis æſtimarent. Quis unquam æſtimaſſet hominum uel dæmonum, quòd ſic delutus, ſic iudicatus, ſic opprobrijs ſaturatus, ſic viliſſimè crucifixus, ſic ab omnibus derelictus, in terra uniuerſa ſolus regnaturus eſſet; Et, (quod profundius eſt)

dūm

dùm per talem uiam iret, ad regnum indeficiens pergeret? Certè (humanitus loquendo) illa uia ad regnum non erat uia ad regnum; illud ire ad regnum non erat ire ad regnum; ſed erat retrogredi a regno; necdum ſtare, ac profiteri ſe neſcire progredi ad regnum. Quare uiam hanc, iter hoc elegit; quæ nec uia, nec iter, nec motus aliquis uel tantillus, ad finem uolitum erat apud homines, atque diabolum? Quia non tantū ſerpens dictus eſt futurus Chriſtus ſed etiā æneus. Hanc ob rem iuū ſerpere uiſum fuit non ſerpere. Vnde tantò magis ſerpens, ideſt. ſapiens ipſe fuit; aſtemque magis arte deluſit.
2 Secundò conſequenter habes cauſam, quare ſit illud attributum Chriſto, & alia huiuſmodi. Quod? Ductus ſum ad immolandum; & non aperui os meum. Item, Cogitauerunt ſuper me conſilia, & neſciui. Quare neſciebat conſilia iudæorum, uel quare neſciebat aperire os ſuum; cū eſſet ſerpens, ideſt ſapiētia patris? Quia cum hoc erat æneus. Nunquid aliquod æneum poteſt ſcire aliquid, aut aperire os ſuum? Minimè. Sic nec Chriſtus Vis cernere, quod non ſciebat conſilia illorum? Ibat illò, ubi captus fuit. Ergo hoc erat ſignum apud homines, quod neſciebat, quòd conſilium feciſſent eum capiendi in horto, licèt re uera ipſe iſta ſequentia, & alia ſciret, etiam antequam fierent. Iudæorum principes, atque turbas ſemper teneriſſimè dilexit uſque ad crucem; ſemper benigniſſimè inſtruxit; Iudam in conuiuio cœnæ amicabiliter cōmunicauit, ipſius pedes humilliimè lauit, ipſum ad prodendum uenientem amicum uocauit, & id genus alia uerſus inimicos ſuos effecit. Nonnè hæc huiuſmodique ſigna apud homines humana ſapientes erant, quod Chriſtus conſilia inimicorum contra ſe neſciebat? Vtique. Quis enim hominum, ſi conſilia inimicorum maximè tam rabidorum cōtra ſe pro certo ſciret, uel etiam coniecturaret, illa ſigna tàm intima amicitiæ uerſus illos oſtenderet? Ideò non mirum, ſi pro ſigno iſte ſolus ſerpens ponitur. Quaſi ex hoc dicatur: Erit omnibus admirandum ſignum, omnibus in ſpectaculum poſitum, omnibus diſſimile apparens. Qui enim uidet ſignum, & nō uidet ſignatum, admiratur; ſignum etiam ſpectari ſolemus pro rebus inſolitis. Erat ergo pro ſigno, quia inſolitum erat, ut Chriſtus inſolita apud homines faceret, atque pateretur, necnon loqueretur. Nunquid non Chriſtum pro ſigno eſſe tunc conſpicis; quando de locutionibus eius audis, quod nunquam ſic loquutus eſt homo? Tunc & ipſum pro ſigno eſſe fateri cogeris, quādo de factis eius miraculoſis audis a cœco: A ſeculo non eſt auditum &c. Quid dicam? Pro ſigno Chriſtum eſſe in omnibus actionibus ſuis, nonnè tunc apertè cognoſcis; quando inimicos eius ad mortem audis ſe xiosè de illo dicentes; Hic homo multa ſigna facit? Inſolitū ergo quid cum dicat ſignum, congruenter Chriſtus pro ſigno poſitus dicitur hic. Cum etiam diſſimilia (ad hominē, ſeu ſecundum hominē, loquendo) in mundo Chriſtus ſemper, aut ferè ſemper fecerit, rectiſſimè poſitus pro ſigno in
3 deſerto, ſigurabatur hic. Tertiò cōſequenter habes, quod congruē ter in ſcripturis Chriſtus uocatur uermis, opprobriū hominū, & humilia. Quare? Quia eſſe ſignum importat uilitatē, minorem appretiationem, ac huiuſmodi. Quid enim uilius poteſt dici alicui; quam dicere ei: Tu ſtas tantum pro ſigno in loco illo? Vnde & vulgariter de aliquo non appreciato in munere, quo fungitur, dici ſolet: Lui è uno 'ſegno di tauerna. Hanc uilitatem, non appreciationem, & huiuſmodi intellige de Chriſto non ſecundum rei ueritatem, cum & in ſe, & in omnibus ſuis actionibus paſſionibus &c. eſſet admirabilis, ſuperlaudabilis, inæſtimabilis; maieſtate, potentia, gratia, ſapientia plenus; ſed intellige illa quo ad hominum, maximè infidelium, opinionem. Legiſtin unquam in ſcripturis. Leuabo ſignum in nationibus, & ſimilia? Omnium tunc ſecretorum ſuperius recordare, & uide ſub uno uocabulo plures ſenſus in ſacris paginis contineri. 1. q. 1. ar. 10.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Salus ex Iudæis eſt. Vel ad ly (Euangelium) Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Hic uide, & quòd iudæi Chriſtum poſuerunt pro ſigno, ideſt crucifixerunt; & quòd Chriſtus uidebatur illis æneus. Non enim Chriſtū iturū ad regnum per hanc uiā credebant, & ideo ex eius occiſione inferebant ly Noſtra erit hæreditas. At Chriſtus ex eo, quòd æneus, non deſinebat eſſe ſerpens, ideſt prudens: quoniam & illac iter agebat ad regiminis uineæ ſuſceptionem; & omnia tùm iudæorum ſtudia contra ſeipſum, tùm Iudæ, tùm aliorum omnium, ſciebat etiam inquantū homo Verificata igitur fuit prophetia illa de iudæis; quòd ſcilicet erāt uidentes, & non uidentes. Nam uidebant Ieſum, ipſiuſque actiones, ac paſſiones: & non uidebant illum, eſſe Chriſtum; imò illine inuidia ducti totum oppoſitum prædicabant. Vel ad ly &c.

FAc ſerpentem æneum, & pone eū pro ſigno. Text.

Concl. 11. *Mirabilis Deus eſt in figura ænei ſerpentis de filio ſuo.* [Ex eo.]

MIRABILITAS hic apparet tùm ex mortuo dante uitam, tùm ex inſpectione ſola 'acquirente uitam, Ratio. tùm ex potentia maiori ſerpentis mortui, quam uiui, tùm ex utilitate figuræ. Quis neſciens effectum futurum ſerpentis, non remanſiſſet ſtupidus, ſi uidiſſet, hebræos ad ſolum intuitum uerſus ſerpentem à tāta plaga immediatè perfecteque ſanari? Remanſiſſet utique; & tantò magis, quanto ſciuiſſet, quòd populus hebraicus inter alios populos erat a Deo ſapientiſſimus effectus. Dixiſſet enim ille. Quæ ſapientia iſtorum iudæorum eſt ut ad ſerpentem certatim aſpiciant? Quæ ſapientia eſt iſtorum, ut a mortuo illo uitam expectent? Nōnè ſerpens antiquus fuit cauſa mortis, ſeu mortis occaſio noſtræ? Cur ergo in ſerpentem pro uita mendicanda conſpiciunt? Ecce mirabilitas reſpectu hominum cōſiderata qui ad ſpectaculum uidiſſent. Verè iſtud pro ſigno factum eſt, ex quo totum mundum in admirationem traxiſſet; & inſipientes haberi ab illo oſtendiſſet, quos ueraciter ſapientes faciebat.

¶ Audi & mirabilitatem ex parte facti. Nonnè uiuus quis reputatur fortior quocunque mortuo? Etenim melior, ideſt fortior eſt canis uiuus leone mortuo. Et tamen hic totum contrarium extitit. Quis ergo non dicat, mirabiliſſimum, nedum mirabile; & conſequenter pro ſigno uerè dictum eſſe iſtud factum? Serpens erat uiuus, imò & ſerpentes; erat ueneno potentiſſimus, quoniam erat ignitus. Dictus eſt ignitus; quia ad inſtar ignis erat in ueneno actiuiſſimus. Ex alia parte erat ſerpens unus contra plures; mortuus contra uiuos; minimè in apparentia actiuus, quia æneus. Sicut enim igni, uelut ſupremo elemento, ſuprema cōuenit actiuitas; ſeu citiſſima actio, ita ipſi terræ, & conſequenter ipſi metallo æneo magis, conuenit minima actiuitas. Deus tamen iſta mirabilia fecit. Quæ? Quòd unus uinceret plures; quòd mortuus ſuperaret uiuos; quòd minus apparenter actiuus actiuum maximè in agendo expugnaret. Non autem credas, quòd euictio iſta facta ſit impediendo ſerpentes uiuos facere omne illud, quod poſſent, quoniam non tam mirabilis appareret iſta uictoria. Sed quid? Ad mirabiliorem mirabilitatem aſtruendam factum eſt, ut uiui igniti ſerpentes, quicquid naluiſſent, liberè totis uiribus efficerent. Hac de cauſa tu uides in littera, quod ſerpentes huiuſmodi ſæuiebant in homines, ipſis uenena ſua inferebant, ipſos plagis deuaſtabant, ipſos mortibus è medio tollebant. Ecce tota poteſtas ſerpentum modo, quo uoluerunt, exercita. Nè uerò credideris, hoc factum eſſe a caſu, uel Deo nolente, quòd ſcilicet tantam potentiam ſerpentes exercuerint; quoniam littera clamat: Immiſit dominus in eos ſerpentes ignitos. A Deo igitur permiſſum eſt, ut ſerpentes illam, quam legis, poteſtatem in homines illos exercuiſſent. Quare id permiſit Deus? Vt mirabilius appareret factum ænei ſerpentis miraculoſum.

EXAMEN I.
DE CRVCIFIXO.

HOc in loco multa notanda habes circa Chriſtum crucifixum. Etenim de ipſo ſunt omnia iſta figuraliter præmonſtrata. Primò ergo mirabilitatem in oculis omnium ho- 1
minum, conformiter ad ſupradicta, conſidera: Secundo mi- 2
rabilitatem facti huius, ſingillatim ſecundum præmiſſa deſcendendo. Sic omnia uidebis quàm ad ſummum adimpleta ſint, & impleantur; & indè tibi maior naſcetur auiditas contemplationis ſuper figuras ueteris teſtamenti, eaſque (quàmuis in apparentia uiles) in maximo precio habendi. Sic recordaberis illius Apoſtoli; quód ſcilicet Deus infirma, ignobiliaque, ac ſtulta, & ea, quæ non ſunt, elegit; ad figurandum ſcilicet mirabiliſſima futura. Sic quoque illius alterius dicti ſui reminiſceris, quod ſcilicet habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Quem theſaurum iſtum? Chriſtum. In quibus uaſis fictilibus? In figuris uilibus, atque ſecundum hominem nullius ualoris. Sic etiam illud Dionyſij tibi occurret (Hoc in prima parte quæſt. prima articulo an ſacra doctrina

utitus metaphoris), quòd ſcilicet ſimilitudines diuinorum quantò ſunt à rebus uilioribus deſumptæ, tantò maiorem in nobis cognitionem de diuinis aggenerant. Tunc (inquam) uidebis, quòd hoc Dionyſij dictum non modò uerificatur de Deo, ut Deus eſt; ſed etiam de Deo, ut incarnatus eſt, ac noſtræ ſalutis myſteriũ operatus. Cur myſterium redemptionis, myſteriũ incarnationis, myſteriũ ſalutis, myſteriũ crucis & huiuſmodi myſteria nominamus? Certè quia ſecretiſſima cõtinẽt, profundiſſimaque ad intelligendum arcana. Magis modò profunditas ſacramentorum celatur uilioribus figuris utendo, quam nobilioribus. Sed tandem ad noſtræ literæ propoſitum ſupradictum. Mirabilitas in Chriſto figurato reſpectu hominum quæ eſt? Vt ab ipſo Crucifixo uitam expectent fideles. Vt ad ipſum Crucifixum certatim cum deuotione aſpiciant; atque fideliſſimo corde. Vt ab ipſo omnium uulnerum noſtrorũ, atque plagarum mortificarum remediũ ſolo ſinceriſſimæ charitatis intuitu chriſtiani ſperemus. Ecquis non miretur? Ab eo, qui uiſus eſt hominibus, ſe ipſum curare non poſſe; ab eo, qui mundo uiſus eſt, mortem ſuimet depellere non poſſe; ab eo, quem crediderunt homines, plagas ſibimet inflictas eminùs arcere non potuiſſe; ab eo, qui mundo uiſus eſt, ſalutem ſuimet in cruce Ely clamando deſperaſſe; ab eo, qui hominibus uiſus eſt, uitam pro ſemet uocem magnam in ultima emittendo tenere non ualuiſſe: Ab iſto (inquam) ſperare curam, ſperare mortis noſtræ fugam, ſperare plagarum infinitarum medicinam, expectare ſalutẽ æternam, præſtolari uitam ſempiternã; & (quod mirabilius eſt) à nullo alio fateri nos bona prædicta ſperare recipereque poſſe niſi ab iſto. Hoc tantum miraculum eſt in oculis omnium gentium, ut nihil ſupra. Hanc ob rem inſequuti ſunt patres filios, tyranni martyres, cognati affinea, mariti uxores, dominique domeſticos ſuos: quia non potuerunt æſtimare, quòd uerſus Crucifixum eſſet ſperare, ſed totaliter inſanire. Hanc ob rem Apoſtolos dictos ſtultos, Chriſtianos ubique deluſos, ſapientiſſimos uiros in dementiam deuolutos ſecundum hominum æſtimationem leges paſſim; atque de hac illorum (tanta erat) æſtimatione certiſſima miraberis.

Exempl. Nec mirum. Non enim oculi noctuarum lumen ſolis intueri ualent unquam; ac in ipſius totam aciem figere. Multò igitur minus ualebant homines humanitùs illa mirabilia capere tanquàm lucidiſſima, & optima. Imò ſicut oculi noctuarum quantò magis in lumen ſolis conatu quodam tenderentur, tantò magis obtenebreſcerent, ita hominum illorum infidelium quantò magis cor ad conſideranda illa ſtupendiſſima ferebatur, tantò magis indè ſcandalizabantur. *Ioan.* Similes illis phariſæis in tali ſuo facto erant; qui audita ſuperhumana doctrina Chriſti, mirabantur miratione ad infidelitatẽ maiorẽ ducente; id eſt (ſecundum alium Euangeliſtam) *Ma.* ſcandalizabantur in ea doctrina, ſiue in eo Chriſto talem doctrinã prædicante. In tantum uerò antiquitus mirabilitas præmiſſa circa crucifixum atq; Chriſti Crucifixi cultores in mentibus infidelium præualuit; ut Apoſtolus uociferaliter de uerbo crucis loquens dicat, ipſum crucis uerbum omnibus pereuntibus eſſe ſtultitiam. Et de Crucifixo uis audire, quid dicat? Iudæis (inquit) eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia. *Exempl.* Quemadmodum ſtultitia quædam uidentibus infidelibus uiſa fuiſſet iſta, quòd hi iudæi in ſerpentem erectum appenſum certatim aſpicerent. De hac ſtultitia quàm pleni fuerint idolatræ contra chriſtianos, quot uitiis eam chriſtianis exprobrauerint; ſi legis martyrum uitas, ibi plenas de hoc gentilium iudicio cartas inuenies. Quam bellè igitur ſerpens iſte dictus eſt poſitus eſſe pro ſigno, ut omnia prædicta circa mirabilitatem hominum de Chriſto inſinuarentur.

EXAMEN II.
DE CRVCIFIXO.

TERTIÒ principaliter de mirabilitate facti huius, conformiter ad figuram iſtam, dicamus. Chriſtus erat unus, erat mortuus, erat apparenter minimè actiuus. Quomodo enim ſecundum apparentiam hominum actiuus eſſet, qui in cruce manibus actionum organis erat ambabus conclauatus; pedibus motuum ad actionem inſtrumentis erat ambobus affixus; lancea militari in corde uitalium omnium actionum fonte erat uulneratus; ſanguine, animæ agentis ſede erat totus exhauſtus? Hæc ſecundum hominum apparentiam non actiuitatem ſolum; ſed etiam actiuitatis potentiam in illo negabant. *Apocali.* Et tamen iſte Crucifixus mirabilia fecit, quæ tantò mirabiliora ſunt, quantò ab ipſomet uiuo non ſunt tam mirabilia facta. Quid fecit? Mortuus ſtatim ſpoliauit hoſtes, & in eorum ſedibus quidem, dum mox ad inferos deſcendit; mortuus diabolum magnum cum claue abyſſi deſcendens alligauit in carcere; mortuus totum infernum confudit. O mira res. Quis potentior diabolo? Mortuus. Quis potentior pluribus? Vnus. Quis tam citò actiuus? Crucifixus. Quòd ſi contra diabolum tam mirabiliter potentem conſpicis figuratum æneum ſerpentem; non minus contra homines iſtum inualuiſſe credas. E ueſtigio enim mortuus hoſtes ſub cruce exiſtentes terremotu agitat, ſolis obſcuratione cæcat, ueli ſciſſione hebetat; petrarum ſciſſione horrida terret, ſepulchrorum ſubita apertione ſtupefacit, & ſanctorum reſurrectione confundit. Quis non facta hæc in ſeipſis miranda mirabiliora dicat, ſi iſta à Crucifixo mortuo, uel iam iam moribundo manare uideat? Vicit ergo uiuos mortuus; uicit ſolutos Crucifixus; uicit actiuos, qui uidebatur æneus. Et unde? Forſan inimicis ligata fuit poteſtas, uel facerent, quod uellent? Imò data, conceſſa, & acceptata, ac in actum exercitum poſita. Quæcunque enim uoluerunt hoſtes, tanquam ſerpentes igniti inueterato morſu, odijque ueneno, in ipſum fecerunt. Omnia igitur, quæ malignitans animus ſuggerebat, in ipſum congeſſerunt ſupplicia; ut figurati meritò per iſtos ignitos ſerpentes probarentur a cunctis. Hunc Chriſtum linguis maledicis multiformiter momorderunt; hunc plagis uarijs toto corpore uaſtauerunt; hunc uenenatis ſibilis à Pilato crucifigendum conclamantes poſtulauerunt. Quid fecit Pilatus? Tradidit Chriſtum uoluntati eorum. Si uoluntati eorum; ergo, ut quæcunque uellent, contra Chriſtum facere poſſent. *Luc. 23.* Adeò autem iſta iudæorum poteſtas contra Chriſtum exercitata eſt, ut à planta pedis, uſque ad uerticem capitis, non fuerit ab eis in Chriſto relicta ſanitas, nec ullius tranſeuntis per huius mundi tribulantis uiam dolor dolori Chriſti aſſimilari poſſet, uel dicam coæquari. Fecit & omnia Sathanas, quæcunque cupijt, fecerunt & iudæi, fecerunt & gentium principes, contra Chriſtum iam mortuum quæcunque animis ſuis maligni conceperunt, ne in orbe terrarum; imò nec in angulo paruiſſimo orbis memoria huius mortui haberetur unquam, atque, ne homines in eum, tanquam in ſalutiferum ſerpentem æneum, aſpicerent. Nunquid profecerunt? Minimè. E contra mortuum unum crucifixum non profecerunt; & ipſi uiui plures ſoluti defecerunt. Cuius uirtute? Virtute crucifixi. Mirabilia ergo teſtimonia tua domine, clamabat pſaltes ad hoc propoſitum. Teſtimonia domini quæ fuerunt? Iſte ſerpens æneus in figurã ueritatis poſitus. Teſtimonia iſta antiquitùs mirabilia fuerũt in oculis iudæorum: ſed ſignificati ſerpentis acta mirabiliora facta ſunt in conſpectu omnium gentium. Nè crediderіs autẽ, quòd iſta ſupradictorum ſerpentum ignitorum, tùm Demonum, tùm iudæorum; tùm gentilium poteſtas fuerit à caſu ſuper caput Chriſti coadunata; ſcito ipſam datam eſſe deſuper. Immiſit enim dominus ſerpentes in illum, in illiuſque populum; & conuertit cor eorum, ut odiſſent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Licuit enim. In figura præſentis capituli à domino facta eſt ſerpẽtũ ignitorum immiſſio; in figurato (excepta culpa) omnium illorum ſerpentũ immiſſio à Domino facta fuit. Ad quid? Vt uirtus crucifixi mirabilior appareret, dùm contra potentes potentiam ſuam ubilibet quomodolibetque exercentes uictoriam in cruce mortuus ſuper ipſos omnes in perpetuum obtineret. Ecce (ut dicebamus in quadam priori concluſione) Chriſtus pugnare prælegit per ſapientiam, quàm per ſolam potentiam, & ideo magis dictus eſt in iſto duello ſerpens, quàm Leo.

EXAMEN III.
DE OBEDIENTIA.

ADVERTE hic, circa obedientiam, ſtupenda. Vidiſti ſuperius; quòd iudæi ad intuitum ſerpentis ænei ſanabantur ſubitò à plagis uarijs, & à morte propinqua. Certè, ſi uirtutem iſtius figuralis ſerpentis ſolùm attendas; has mirandas ſalutes indè afferri uidebis: quandoquidem in illo mortuo figurali ſerpente nullus ſenſus, nulla uita, nulla uirtus ex ſemetipſo erat; ſed purum metallum, inſenſatum purum, purum inanimatum. At ſi uirtute obedientiæ, qua ſcilicet iudæi Deo ſic iubenti obtemperabant, conſideres, iam miranda illa facta, tanquã ueriſſima, uirtuteq; plena, ſuſpiciẽs reuereberis. Tu ne iudæos illos in ſerpẽte in illũ ſubinde ferentes oculos non uidebis amplius, ſed maximè de facto cõ-

men-

mendabis. Tunc factum iſtud non friuolum, inane, aut deriſorium appellas; ſed grauiſſimum, utiliſſimum, reuerendiſſimum uocas. Vnde tibi hæc omnia? Ex obedientia ſancta. Quæ ergo non ſunt, tanquam quæ ſunt, uocat obedientia; infirma fortia, ignobilia nobilia, ſtulta ſapientia, deſpecta honorabilia reddit obedientia ſancta. Hanc igitur amplectere in cunctis; & tunc in omnibus cum iſto Iudæorum populo contra quoſcunque ignitos ſerpentes, & quantumcunque ignitos, uictorioſus facillimè fies. Hoc autem, quod circa iſtam actionem de hebræis hic dixi; tu ad oĩa hebræorum ſacrificia, atque cæremonias applicato. Quemadmodum enim hic non ex opere operato, ſed ex opere operantis, uirtus tota pendet; ita illic. Memineris autem hinc edoctus etiam; quòd quando tibi imponitur obedientia, diſcutere tu ipſe illam non debes; an bene factum ſit, aut uanum, taliter facere; ſed certamine quodam (more iſtorum iudæorum) ipſam adimplere cum omni deuotione ſatagere. Vide, rogo, hebræos iſtos. Si de re exteriori commiſſa diſputaſſent, ad ipſamque ſolam attendiſſent, nonnè parui tale quid agere duxiſſent, uel illud ſuperſtitioſum æſtimaſſent; & conſequenter aut illud non feciſſent, aut ſine deuotione feciſſent; & ſic in ſua infirmitate permãſiſſent, mortique ſemetipſos inobediendo tradidiſſent? Simpliciter ergo obedierunt, & ſic probauerunt illud Apoſtoli, ſcilicet quòd illud, quod infirmum eſt hominibus fortius eſt Deo. Hoc eſt. Quod apparet (ut hic) hominibus eſſe infirmum, nulliusque uirtutis, atque ualoris; id ſi pro Deo fit, nobis ex Dei uirtute ſalutiferum ſupra, quàm credatur, efficitur.

Regula uniuerſalis.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

DICTA Concluſione 11. c. 21. caue, nè abutatis, ut olim ſerpenticolæ, ſimilia poſita ibi indiſcreta conſideratione penſantes, fecerunt. Hi nanque ex mirabilibus oſtenſis per illum ſerpentem æneum; quæ narrantur in textu, arbitrati fuere, quòd in ſerpente ipſo eſſet aliquid numinis, ſeu diuinitatis; & iccircò ſerpentem iſtum æneum adorabant, eique cultum Deo debitum attribuentes ſacrificabant. Durauit hæc idolatriæ impietas uſque ad tempora Ezechiæ regis, quam ipſe rex prohibuit, atque damnauit etiam facto ſuo fideliſſimo, quo ſerpentem prædictum confregit 4. Regum 18. Vnde, & a Papa Stephano laudatur, & tanquã exemplar principibus bonis proponitur, diſtinct. 63. cap. Quia ſancta romana. Damnatur quoque error ille ſerpenticolarum, & idola tria a regulis fidei, & multipliciter, in Elucid. 1. par. ar. nu. 77.

Text. **F**Ac ſerpentem æneum &c.

Concl. 12. *Faciliori uia, qua decuit, Chriſtus homines attrahere uoluit &, uult ad ſemetipſum.*

Ex eo.]

Ratio. VIDERAT Deus, hominem à ſui primordio aſſuefactum quoquo modo credere ſerpenti. Quid fecit, ut ſuauiter homines ſibimetipſi crederent, tùm in dictis, tùm in factis? Serpens fieri uoluit, atque dici. Cum autem factus ſit homo realiter, non ſerpens; poſſet quis inueſtigare; cur dicatur hic, & fiat, ſerpens. Fac (inquit) ſerpentem æneum En fit, & dicitur, ſerpens. Non realiter igitur futurus erat ſerpens; ſed metaphorice Chriſtus. Metaphoricè (inquã) non tñ propter proprietatem ſerpentis in ſe, qua ſcilicet prudens dicitur, & ſerpit; ſed etiam propter proprietatẽ ſerpẽtis reſpectu hominis, qua ſcilicet ſerpens libenter loquitur homini, atque ab homine auditur. Niſi enim libenter loqueretur homini; non tàm citò locutus fuiſſet homini in paradiſo adhuc poſito. Niſi etiam libenter audiretur ab homine; Eua non tam citò ſerpenti credidiſſet, ad eiuſque ſuaſum animum ſuũ formaſſet. Vt ergo innuatur hominibus; quòd Chriſtus uult illos libenter alloqui, & deſiderat libenter audiri ab eis, ac exaudiri; ideò ſerpens hoc in loco figuraliter dictus, ac factus eſt. Vt etiam uideant omnes, ꝙ Chriſtus faciliima uia, utpote hominibus ab initio imbibita, ad ſeipſum trahere cupit hominum genus: iccirco ſerpens hic uocatur figuraliter, atque fit. Vt etiam uideant cuncti, quòd homo inexcuſabilis eſt iudicandus oĩnò, ſi Chriſto non præſtat fidelem aurem; ideò Chriſtus hodiè in ueteri teſtamento ſerpens fit, & nuncupatur. Quomodo inexcuſabilis hinc apertiſſimè erit homo, ſi Chriſto non credit? Audi.

NOTATIO.

DEMON, ut ab homine fidem mutuaret, induit ſerpentem. Chriſtus ut ab homine fidem mutuaret, induit ſerpentem. Quid ergo contra hominis excuſationem hinc elicitur? Si homo (ut in Eua patuit) demoni, ſub figura ſerpentis apparenti, credidit; quæ excuſatio homini poterit, uel apparenter, eſſe; ſi Chriſto ſub figura ſerpentis apparenti credentiam negauerit? Et tamen Chriſto prędicanti homo tàm multipliciter credere noluit. Quid ergo? Homo igitur a diabolo comparatiuè iudicabitur dicente; Tu mihi ſerpentina ueſte induto fidem præbuiſti; & Chriſto ſerpentina figura prænotato credere noluiſti: Ecce ergo, quòd inimici noſtri ſunt iudices. Quid dices homo, cum tibi talia improperabuntur à Chriſto, a conſcientia, à diabolo? Serpentem uiuum timere poteras, ac illum fugere, quia uiuus erat, hunc autem Chriſtum ſignantem fugere rationabiliter non potes, quia mortuus eſt. Et tamen illum ſecutus es in fide, iſtum uerò fugis in fide. Quæ tibi excuſatio? Illum primum ſerpentem pro nociuo habere poteras, atque debebas (in cuius ſignum iſti ſerpẽtes igniti hominibus nociui ſunt), quia ueneno ſus erat: hunc autem figuralem ſerpentem timere non potes, etiam ſi uelles, cum ratione; quia mortuus, & conſequenter ueneno ſus non eſt. Quæ igitur excuſatio tibi, ſi illum ſine timore amplexatus fuiſti, & iſtum cum horrore ſemper ſine ratione fugiſti? Totus manſuetus, totus tractabilis, totus, ſecundum ꝙ deſiderat anima tua, factus eſt tibi Chriſtus; quoniã quod amabas dictus fuit, quod non amabas abiecit. Amabas alloqui ſerpentem, amabas credere ſerpenti, amabas obedire ſerpenti: En tibi propter hoc Chriſtus factus eſt ſerpens. Non amabas uenenum, non amabas morſum, non amabas auſteritatem: En tibi propter hoc Chriſtus factus eſt æneus. Contra cõſuetudinem igitur tuam, contra ſolitam uiam tuam, contra antiquam uitam tuam, agis homo miſelle: tu ſerpẽtem Ieſum uenientem nõ audis, non illi credis, non illi obedis. Habebas in primo ſerpẽte multa, propter q̃ ab illo auerti debueras; & tamẽ ad eum cõuerſus es: Habes in hoc ultimo ſerpente ſola illa, propter quæ ad iſtum meritò conuertaris; & tamen omni ratione ab illo auerteris.

Deu. 32.

COROLLARIUM AUREUM.

IGITUR in figura iſta uide primò inexcuſabilitatem omnimodam tuam, ſi Chriſto non uerè credis. Secundò uide hic iniuriam, quam Chriſto facis, ſi illi diabolicum ſerpentem antepones. Tertiò uide hic bonitatem Chriſti maximam; qua ſecundum antiquum appetitum tuum nominari uoluit. Quartò hic ſuauitatem Chriſti in attrahendo homines contuere; quandoquidem ſe guſtui humano in figura adaptari uoluit. Quintò vide hic iudicium diaboli, quo te infidelem, ſeu inobedientem Chriſto iudicabit. Tu diabolo contra Dei ſuaſionem obediſti; & Chriſto contra ſecundam eiuſdem Dei ſuaſionem credere, ſeu obedire, recuſaſti. Minatus eſt mortem Deus, ſi diabolico ſerpenti obedires, & ei obediſti: pollicitus eſt mortis deſtructionem, æternæq; uitæ donationem, ſi Chriſto ſerpenti obtemperares; & non obtemperaſti, imò Chriſtum offendiſti, à Chriſto faciem auertiſti, Chriſtum ex anima tua fugaſti. Quare ex paradiſo tereſtri non fugaſti primum ſerpentem? Quare illum non offendiſti? Quare faciẽ tuã ab illo non auertiſti? Vide igitur ſextò hic magnitudinem immenſam tuorum delictorum, & quòd in ſenſum reprobum hactenus datus es, dùm quæ facere debuiſti dimiſiſti, & quæ facere non debuiſti faciliter perpetraſti. Conſequenter ergo ſeptimò in hac figura cognoſce, quòd ſicut nil debuit erga tuam ſalutem facere Chriſtus, quod non fecerit; ita nil potuiſti in Chriſti dedecorem facere tu, quod non feceris. Ingratitudo ergo tua ad nauſeam uſq; augmentata ſemper cum Chriſti amore ad immenſum uſque protenſo pugnauit. Supradicta hæc fuerunt in cauſa, quare Chriſtus ſe demoniaco primordiali indumento, id eſt ſerpenti ſub figura comparauit, ut tex. edocet. 1 2 3 4 5 6 7

¶ Applica ad ly (Euangelium) Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Ecce, quòd Chriſtus ſe tacitè ſerpentem nominat. Dic ergo, ut ſupra. Vel ad &c.

Text. AD Seon regem amorrhæorum &c. occurrit eis Rex Baſan &c.

Concl. 13. *Peccata noſtra debilem inimicum noſtrum reddunt fortiſſimum, maximumque contra noſipſos: Et conuerſio noſtra ad Chriſtum maximos, atque fortiſſimos hoſtes noſtros reddit debiliſſimos, atque paruiſſimos.* [Ex eo.]

Ratio. In Pſalmis Rex Seon vocatur Rex magnus, & Rex Og dicitur Rex fortis. Dicitur enim ibi; qui percuſſit Reges magnos, & occidit Reges fortes; moxque declarando ſubiungitur, Seon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan. Quaſi dicat. Rex magnus erat Rex Seon: & fortis erat Og. Hi Reges (ut patet in littera) & debellantur, & faciliter debellantur ab Iſrael, urbes illorum, ac uiculi, omniſque terra, ab Iſraelitis capitur. Ex alia parte præcedens capitulum recole, & uidebis, Regem Edom iſtis utique Regibus minimè comparandum egreſſum contra Iſraelitas in plurí numero tunc, quàm nunc exiſtêtes, & iſtos a ſuis cõfinibus faciliter abegiſſe. Quid in his comparationibus animaduertis? Quòd Edom, de quo minus uictoria contra Iſrael ſperabatur, facile uicit: & hi duo reges, de quibus magis admodum contra Iſrael uictoria ſperabatur, uicti totaliter fuerunt. Quare de illo Edom minus, quam de his, uictoria contra Iſraelitas ſperabatur? Quia Edom erat unus, non de fortitudine laudatus, non de magnitudine commendatus: contra plures tamen Iſraelitas exierat, cum infinita multitudine (ut ad litteram habetur) obuius ad bellum proceſſerat, cum manu forti (littera ſonante) armatus uenerat. Hi uero reges fuerũt unuſquiſque de magnitudine, aut fortitudine à Pſalmo laudati; cõtra pauciores Iſraelitas, utpote de quorum numero multi nũc à ſerpẽtibus perierant, pugnam exercebãt Cur ergo Edõ ille uictor extitit; & iſti Reges Seon & Og ſic uniuerſaliter uicti fuerunt? Non humana ſolum uirtute (vt ex nunc dictis apparet), ſed ex ſibi aliũdè uiribus collatis. Vnde? A peccatis Iſrael; uel non peccatis. Quando enim peccauit Iſrael, dedit arma in manus Regis Edom, dedit uires, dedit fortitudinem: quando de peccato ſuo condoluit; a Regibus arma tulit, uires abſtulit, fortitudinem infirmauit. Vis uidere, uera eſſe, quæ dicta ſunt? Non uincit, niſi grandior, ac fortior; non uincitur, niſi paruus magis, ac debilis. Rex ergo Edom, cum uicerit Iſraelem, & grandior & fortior Iſraele erat: Reges alij, cum ab Iſraele uicti ſint, debiliores Iſrael erant. Cur ille Rex Iſraele grandior, & fortior? Quia Iſrael illo paruus magis, & debilior. Cur iſti duo Reges Iſraele debiliores? Quia Iſrael iſtis erat fortior. Vnde illo Rege Edom Iſrael erat paruus magis? Ex peccato. Nam peccatum paruum facit hominem, cum omnis malitia timida ſit. Quare paruum ac timidum? Quia ſeruum, & miſerrimum ſeruum, facit peccatum ſuum factorem. Ex eo igitur, quòd Iſrael erat magis paruus Rege Edom, ſuperatus eſt ab illo. Cùm autem non niſi propter peccatum eſſet paruus magis (ut ſupra oſtenſum eſt, cum plures monſtrauerimus Iſraelitas fuiſſe contra Edom, quam contra reges duos), patet, ꝙ peccatum Iſraelis grandiorem fecit ipſum Regem Edom. Si enim paruum magis illo fecit Iſraelem? Quis non uideat ex hoc Iſraelis peccatũ feciſſe grandiorem Edom? Vnde illo Rege debilior Iſrael? Ex peccato. Nam peccatum infirmitas eſt animæ; & conſequenter corporis ab anima moti. Infirmare aũt aliquẽ, eſt debilem reddere. Infirmauit ergo peccatum Iſraelis Iſraelem præ Edom. Et cõſequenter Iſraelis peccatum fortiorem fecit ipſum regem Edom contra Iſraelem. Vndè è contra magnitudo animi atque fortitudo maior Iſraeli præ regibus illis duobus Seon et Og: maximè cùm tàm ſubitu immutata fuerit, atque aucta? A peccati dolore; & conſequenter à non peccato. Sicut enim affirmatio peccati in Iſraele fuit cauſa affirmationis paruitatis, ac debilitatis; ita negatio peccati in ipſo eodem eſt cauſa negationis paruitatis, ac debilitatis. Et quoniam ipſa peccati negatio, ideſt abolitio peccati, poteſt inſtantanea eſſe; ideò non mirum, ſi tam citò diuerſis effectus belli apparuit in Iſraele. Ipſa namque mutatio tã ſubita nõ niſi à ſubita cauſa uenire potuit, & cõſequẽter à uoluntate in bonũ contra peccatũ mutata. Remotũ enim impedimentũ fuit peccati per uoluntatis ſubitam mutationem; quo impediebatur natura Iſraelis, ſuas proprias exercere uires. Remoto autem impedimento, natura ipſa, ceu liberata à graui onere, ſuas exercuit uires, & Dei in ſeipſam maiorum uirium augmentatricem potuit recipere gratiam. Vnde & in pſalmis de hoc uirium diuinitus augmento facto mentio fit, & ipſi gratiæ augmentanti uictoria attribuitur cùm dicitur: Qui (ſcilicet Deus) percuſſit reges magnos, & occidit reges fortes, Seon regẽ Amorrhæorũ, & Og regẽ Baſan. Ecce ꝙ talis percuſſio Deo attribuitur; qui in Iſraele pugnandi uires, cũ mundus peccator fuit, augmentabat. Peccatum igitur dupliciter infirmabat Iſraelem, & ratione ſcilicet qua peccatum erat, & ratione, qua influxum a Deo impediebat. *Pſ. 134.*

DECLARATIO PRÆSVPPOSITI.

SI Clarius uidere affectas, quòd Iſrael, quando pugnauit contra eum rex Edom, erat in peccato; quando uerò iſti reges Seon, & Og, reges non item, utrumque capitulum contuere. In capitulo præcedenti, antequã Edom contra Iſraelem exiret, Iſrael ipſe murmuris ſuo tumultu Moyſen exacerbauit, adeoque, ut peccare eum faceret: nec tamen de iſto peccato ibi, antequã ei Edom rex occurrat, pœnitentia Iſraelis legitur. Puniuit ergo ipſe Edom peccatum Iſraelis ſuper Iſraelem, quod peccatum Iſrael ipſe ſuper ſeipſum punire neglexit. Ecce iuſtitia diuina. Quod ſi noſipſos iudicaremus (teſte Apoſtulo), non utique à domino iudicaremur, ideſt ſi noſipſos per nos puniremus de peccatis noſtris, non utique à domino puniremur de illis. Quia ergo Iſrael non dignè ſe (quod littera dicat) de peccato illo magno puniuit, ideò à domino per Regẽ Edom punitus eſt. Signum utique, quòd ſi Chriſtiani nõ puniẽt ſemetipſos dignè de peccatis proprijs, à domino per Regẽ Turcarum &c. pro ipſorum chriſtianorum peccatis punientur. Ad capitulum autem præſens ſi bene oculos aduertas; Iſraelem ipſum de peccatis ſuis doluiſſe, & ad Deum conuerſum fuiſſe, uidebis. Audi. Miſit dominus (ſicut miſerat ipſum Edom; & ſicut mittit infideles contra fideles) pro peccato Iſraelitarum, ſerpentes igneos, ut caſtigaret illos medijs ſerpentibus de peccato ipſorum. Quid actũ eſt? Vexatio dedit intellectum. Ad Dominum ſuperſtites Iſraelitæ conuerſi ſunt, interceſſorem ad illum (Ecce quantum ualent interceſſiones ſanctorum, & quòd dantur, & quod illis nos peccatores uti debemus. Nonne centies millies per interceſſionem moſaicam induliſit Deus Iſraeli, quòd abſque interceſſione illa non induliſſet?) feſtinanter adhibuerant, & in gratiam Dei per Moyſen interceſſorem, quamuis peccatores grauiſſimi tunc ex noua etiam murmuratione, recepti ſunt: in cuius ſignum à Deo ſalutis remedium acceperũt, ſerpentem ſcilicet æneum, ut patet in littera. Hoc remedio à medico intellecto, infirmus Iſrael ad ſanitatem ſperandam reuixit, ipſum remedium acceptauit, & ex obedientia medici deuotus impleuit. Quoniam uerò in hoc remedio conuerſionem Iſraelis ad Deũ incarnatum, quem in ligno illo aſpiciebant, intelligimus, & conſequenter a proprijs delictis auerſionem cointelligimus; ideò Iſraelẽ in facto iſto & per contritionem deleuiſſe propria peccata, & per fidem ueram ad Chriſtum ſe conuertiſſe, fatemur. Poſt hanc itaque conuerſionẽ, atque auerſiones factas ipſum Iſraelẽ ſine peccatis antecedentibus remanſiſſe, tenemus. Grandis ergo ac fortis dupliciter tunc effectus (tùm ex peccati uires impedientis remotione, tùm ex diuino uires ſubminiſtrante influxu) ad bella contra duos hos rẽges proceſſit. Quod ſi non grandis primo modo dicto, ac fortis, effectus fuiſſet; utique ab iſtis magis, quam à rege Edom, uictus fuiſſet.

COROLLARIVM I.

QVIS ergo Turcam, uel alium infidelem, contra nos uocat? Peccatum noſtrum. Quis ei uires contra nos adminiſtrat? Peccatum noſtrum. Quis nos contra illum infirmos facit? Peccatum noſtrum. Quis numeroſitatem noſtram facit paruam, & infidelium contra nos facit maximam? Peccatum noſtrum. Quis ergo modus, quo iuuemur? Pœnitentia ſola de peccato noſtro. Si non caſtigauerimus enim nos; Deus medijs infidelibus (uelut ſerpentibus igneis, ideſt contra nos multum iratis) caſtigabit nos de peccatis noſtris. Quomodo faciemus pœnitentiam? Ad modum Iſraelis.
Primò conteramur de peccato dicentes; Peccauimus, quia fit 1
&c. Fecimus. Secundò interceſſores adhibeamus ad Deum 2
dicentes; Sancti Dei orate, ut tollat à nobis ſerpentes iſtos. 3
Tertiò mandatis diuinis, pro remedio ſalutis noſtræ nobis impoſitis, deuotè cum omni feſtinantia obtemperemus.
Quartò totam fiduciam noſtram ex corde in crucifixum ia- 4
ctemus

ctemus. In ipſum per orationes feruidas, per ſuſpiria iaculatoria, per contemplationes attentas, inſpiciamus; & ipſimet incorporari per ueram charitatem affectemus. Ponamus crucifixum pro ſigno ſuper cor noſtrum, ſuper os noſtrum ſuper opus omne noſtrum. Audiamus ipſum crucifixum, & exaudiamus, unicuique noſtrum dicentem; Pone me, vt ſignaculum, ſuper cor tuum. Si ſic exaudierimus ipſum crucifixū nobis loquentem; & crucifixus ipſe nos illi loquentes, tribulationemque omnem noſtram coram ipſo pronunciantes, proculdubio exaudiet. Tunc profectò ſerpentes ignitì prædicti abigētur à nobis, & nos uiuemus, quoniā q percuſſus aſpiciebat ſerpentem æneum ſaluabatur. Tunc non tantum contra Turcā, ſed etiam contra grandiores Turcas, fortioreſque, dimicare poterimus, ac ipſos totaliter ſubiugare, quoniā peccata receſſerunt à nobis.

COROLLARIVM II.

MAledicta ergo peccata, quæ nos infirmāt. Maledicta noſtra peccata, q hoſtes noſtros contra nos firmant. Maledicta noſtra peccata, q auxiliū nobis ex alto dimanare uetant. Maledicta noſtra peccata, quæ opem nobis deſuper dandam noſtris contra nos hoſtibus dari procurant. Maledicta noſtra peccata, quæ Deum nobis iratum efficiunt. Maledicta noſtra peccata, quæ uiam hoſtibus contra nos aperiunt. Maledicta noſtra peccata, quæ a nobis uictoriam tollūt. Maledicta noſtra peccata, quæ hoſtibus contra nos uictoriā gignunt. Maledicta ergo noſtra peccata, quæ omnia nobis uentura bona impediunt, & mala uniuerſa contra nos accelerare faciunt. Quid hinc trahis è contra? Benedicta ergo pœnitentia noſtra; quæ nos contra hoſtes & auget & firmat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ hoſtes noſtros & minuit, & infirmat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ nobis patrocinium diuinitus apportat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ hoſtibus contra nos auxilium a Deo impendi denegat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ Deum nobis prius iratum mitigat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ uiam infidelibus contra nos obſcurat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ nobis uictorias mirificas apportat. Benedicta pœnitētia noſtra, quæ in hoſtium manibus contra nos arma congelat. Benedicta pœnitentia noſtra, quæ & mala à nobis uniuerſa propulſat, & bona cuncta nobis conciliat.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Ecce quod peccator facit ſeipſum ſeruū. Et cuius? Peccati. Qualis eſt iſta ſeruitus? Talis, qualem audiſti. Vt. ſ. cōtra peccatorē omnia mala uocet, & ab ipſo omnia bona auocet. Ergo ab oppoſitis qui facit pœnitentiam, ſeruum ſe facit iuſtitiæ. Qualis eſt ſeruitus iuſtitiæ? Talis, qualem audiſti. Vt. ſ. bona quæque ſeruo ſuo procuret, mala omnia ab ipſo deturbet. Quis facit peccatum? Homo. Ergo homo per peccatū hoſtes quoſque contra ſeipſum acuit, armat, uictoria donat. Quis facit pœnitentiam? Homo, diuina gratia iuuante. Ergo homo, per pœnitentiam hoſtibus ſuis formidini intollerabili efficitur. Vel ad ly (Euangelium) Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Quare? Quia hoſtes noſtros cōtra nos animabitis, & nos contra illos inanimabitis, & conſequāter perire nos, illos autem nos interimere, neceſſum erit.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 13. cap. 21. multum emolumenti affert concluſionibus primæ, & ſecundæ huius cap. Hinc enim addiſcimus & modum, quo infideles, eorumque loca, ſubuertamus faciliter, qui eſt abſtinere à peccatis; & rationem quare infideles ipſi ſubruant nos, locaque noſtra, quia ſcilicet abundamus peccatis. Hinc conſequenter cognoſcimus, & quod noſtrum adhærere Deo debilitat hoſtes fidei, & quòd noſtrum nō adhęrere Deo auget eiſdem hoſtibus uires. Per cōſequens ergo conſolidamur in dictis circa ea, magis intelligendo illa, & apertè uidebimus, q perditio noſtra ex nobis eſt, in Deo autem auxilium noſtrum; quoniam peccatum à nobis ſolis eſt, bonum uerò à Deo ipſo in nobis.

CONCLVSIONES
EX NVMER.

CAPITVLO XXII.

VEni igitur, & maledic populo huic, quia fortior &c. Si quomodo poſſim &c. *Text.*

Concl. 1. *Naturalis ratio dictat, & quòd à Deo benedictus non poteſt non proſperari in prælio, & quòd à Deo maledictus non poteſt non ſuccumbere in bello, loquendo de populo fideli.* [Ex eo] *Ratio.*

BALACH iſte infidelis erat. Vnde ratione ſolum naturali ductus iſta penſabat. Quæ? Quod ſi Iſrael a Deo, p miniſterium ipſius Balaam, malediceretur; proculdubio uincendus, quāuis fortior, erat; & quod ſi benedictus a Deo perſeueraret Iſrael, abſque dubitatione aliqua uictor inimicorum in terris inimicorum futurus erat.

APPENDIX.

HINC, maximè adiuncta capituli huius & ſequentis lectione, habes, quòd bona uita populi fidelis eſt ſcutum inexpugnabile & ad ſui defenſionem & ad quorumcunque hoſtilium conatuum facilem deſtructionem. Exemplum hic uides. Conabatur Balach & ratione nunciorū, & ratione munerum, & ratione promiſſionum, & ratione multiformium honorum, prophetæ huic exhibitorum, ad hoc, ut Iſraelem in pugnando euinceret. Nunquid profecit quippiam? Non; licèt pluries (ut ſequens capitulum demonſtrat) ad hoc fuerit, etiam in propria perſona conatus. Non tantùm autem non profecit; ſed & inimico ſuo uolens utilitatem attulit. Niſi enim Balach conduxiſſet ipſum Balaam ad maledicendum populo, ipſe Balaam populo non benedixiſſet. Occaſionem ergo benedicendi populo Balach nolens dedit ipſi Balaam, dùm ipſum ad ſublimia loca pro maledicendo Iſraele perduxit. Vnde hęc omnia in fauorē Iſraelis, & in perniciem ſui hoſtis? A bona uita, quæ tunc erat in Iſrael. Iſta pro Iſraele, Iſraele neſciente, pugnabat. Iſta contra Balach, & Balaam triumphum geſtabat. Iſta ipſius Balaam ora ad benedicendum aperiebat, & labia ad maledicendum obſtruebat. Iſta aſinæ buccam ad increpationem ipſius Balaam aperuit. Iſta Angelum ad uiam ipſius impediendam deſtinauit. Iſta ipſi Balaam, nè Iſraeli malediceret, comminata eſt. Eya. Vide, quantam uirtutem contineat in bello, ſecundum Deum uiuere. Secundò conſequenter ab oppoſitis habes, quantum damnum bellatoribus apportet ſuorū mala uita. Quot enim, & quāta bona p militibus affert benè uiuere; tot, & tanta mala cōtra milites (ſub nomine militum intellige nūc omnes illos, ad quos pertinet belli negocium) affert malè uiuere. Tertiò conſequenter habes, q nil meliùs, aut æquè bene patrocinatur in pugna Chriſtianis; quàm ſecundum Deum uiuere. Nil igitur è contra peius, aut æquè malè, detrimentum in pugna dat fidelibus, quam ſine Deo uiuere. Quid ergo miraris; ſi Chriſtiani quotidiè à Turchis percutiuntur, & de terris propriis eijciuntur? Nonnè hoc, etiam ethnicus Balach affirmauit? Nouerat enim (ſe narrante) quòd ſi maledictus fuiſſet Iſrael a propheta, ſine dubio Iſraelem percutere poſſet; & quo uellet, abigere. Nunquid non mala uita magis nocet pro maledictione inferenda, quàm propheta? Vtique: uigoroſior nanque eſt uita, quam propheta: Cuius ſignum fuit, quòd uita prophetam, nè ſecundum animum Balach faceret, compeſcuit. Quid ergo murmurant chriſtiani, ſi in dies ab infidelibus percutiuntur? Etenim non de Deo, aut de infidelibus, conqueri debent; ſed de ſeipſis: quoniā peccata propria in cauſa totius damni ſolum exiſtūt. Quòd ſi recurrant ad ſanctos, ad preces, ad uota, nil facient, ſi mala uita obſiſtit. Quemadmodum enim bona uita Iſraelis Balaam ad maledicendum Iſraeli paratum impediuit, nè

malediceret, ſic mala uita Chriſtianorum ſanctos, atque Deum nobis ad benedicendum paratos impedit, ne nobis benedicant. Quinimmo ſicut bona uita populi huius Balaam ad maledicendum præparatum Iſraeli benedicere conſtrinxit; ita populi Chriſtiani uita mala (bonorum ſemper iure ſaluato) Deū, & ſanctos nobis ad benedicendum præparatos, ut maledicant nobis quodammodo conſtringit. Hæc igitur mala uita facit etiam, ut orationes uoſtræ nobis in ſalutem proueniant. & utinam non faciat, quòd ipſe orationes fiant nobis in peccatum. Quartò igitur concluſiuè habes, quod uerum, efficaciſſimum, ſolidiſſimum, inuincibile remedium contra hoſtes noſtros infideles eſt, ſecundum Deū uiuere. Tunc enim nobis etiam neſcientibus, Deus pugnat pro nobis; & uincit. Neſciebat Iſrael (quod littera dicat) Balaam contra ſe pro Balach inſurgere: & tamen Deus ad bonæ uitæ Iſraelis intuitum pro Iſraele pugnauit, & uicit.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Malos malè perdet. Ergo & bonos benè tractabit. Quid mali, niſi a Deo maledicti? Quid boni, niſi a Deo benedicti? Vndè & in iudicio illi uocabuntur maledicti, illi uerò benedicti. Quid autem benedictis aduenit ſaluationis, & maledictis perditionis, in bello, uidiſti: Vel ad ly (ſcriptura) Benedictio domini diuites facit, nec ei ſociabitur afflictio. Ergo maledictio domini miſeros facit, & maledicto illi ſociabitur afflictio.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA Concluſio 1. (ſicut & 2.) cap. 21. ualet plurimum ad penetrandum concluſiones 1. & 2. cap. 21. & ea, quæ ibi dicuntur, ut applicari ſingula ſingulis proportionaliter patere facillimè poteſt Applica igitur quęadmodū & de concluſionibus 12. & 13. præmiſſis dictum eſt, & indè uiciſſitudinariam utilitatem tum contra errores prætaxatos, tum pro ueritatibus utrobique tractatis reſultare (non ſine gaudio multo cognoſces.

Text. VEni, & maledic populo; ut poſſim percutere eum, & eijcere de terra mea.

Concl. 2. *Secundum Deum uiuere eſt uniuſcuiuſq; contra quoſcunque hoſtes firmiſſimum propugnaculum, et contra Deum uiuere eſt uniuſcuiuſq; contra quemcunque inimicum infirmiſſimum ſubſidium; imo ſibi ipſi ſic uiuentis perpetuum nocumentum, & pugna continua.* [Ex eo.]

Ratio. VIDE immediatè præmiſſam concluſionem, cum illa appcu... & ſatisfactus eris.

Applica ad ly (Apoſtolus) Si Deus pro nobis, quis contra nos? Vel ad ly (Petrus, Apoſtolus) Quis uobis nocebit, ſi boni ęmulatores fueritis? Hoc eſt. Si Deus in nobis per bonā uitam eſt; quis contra nos poterit quicquam? Quaſi dicat. Nullus. Intellige hic figuram illam, quæ minùs dicendo, plus ſignificat. Ac ſi dicatur. Si Deus pro nobis modo dicto; contra hoſtes non præualebimus nos? Vtique. Sit ergo nobis pro maximo præſidio, & maxima oratione bonam uitam uiuere.

NOTATIO TEXTVALIS.

ADVERTA in littera, ꝙ Deus nunc dicit unum; mox autem dicit aliud. Ad Balaam prima nocte reſpondit; quòd non debebat ire ad Balach? ad ipſum uerò ſecunda nocte reſpondit, ꝙ debebat ire ad illum. Nunquid hic, & in ſimilibus, mutatur Deus? Et quomodo mutet, imò poſſit mutari, qui ſuapte natura eſt omnino ſolus immutabilis? Non mutationem igitur; ſed aliquod interius latens ſacramentū reſerare intendunt huiuſmodi uerbales mutationes. Audi. Illæ diuinæ locutiones dicuntur in littera non abſolutè locutiones, ſed reſponſiones. Vnde ad ſecundos nuncios dixit Balaam. Obſecro, ut hic maneatis etiam hac nocte, ut ſcire poſſim, quid mihi rurſum reſpondeat dominus. Rurſum (inquit) reſpondeat. Ergo & prima Dei locutio ad Balaam fuit reſponſio non aut locutio: nā locutio intelligi poſſet abſolute, quū & abſolutè proferatur; at reſponſio abſolutè intelligi nequit, quoniam ad interrogationem, cuius reſponſio dicitur, ligata eſt. Vnde fit, ut ſecundum interrogationis ſenſum, non ſecundum præciſum uerborum ſonum, intelligatur omnis reſponſio prudens. Quoniam itaque diuina reſponſa non tantum prudentia, ſed & prudentiſſima ſunt, ideò ſecundum interrogationis ſenſum ubique ſunt intelligeda. Quoniā igitur omnium prudentum reſpōſionū natura hæc eſt, ideircò, cum de reſponſione cuiuſque ſapientis intelligenda tractatur, primo omnium interrogationis ſenſus inſpiciatur. Nam cum iuxta huius ſenſum reſponſi ſenſus neceſſario regulari debeat; inuentò interrogationis intellectu, & reſponſi intellectus facile patebit. Videamus ergo reſponſum poſtquam interrogationem hoc in loco in medium adduximus. Quis interrogabat dominum? Ipſe Balaam. De quo interrogabat? De duobus: ſcilicet de ire cum nuncijs, & de proijcienda maledictione ſuper Iſraelem. Et quoniā ire cum nuncijs non ob aliud quærebatur, niſi ut Balach uoluntatem ipſe Balaam expleret: ideò uotum tantùm uidebatur interrogari ueſtitum iſta intentione. Hoc dixerim, ut intelligas, quod etiam ſi dominus diceret ad Balaam: Noli ire cum eis, nil aliud addendo, ſubaudire oporteret, ad maledicendum populo. Ratio eſt; quia ire quærebatur propter hoc. Iſtum modum ſubauditionis ſeruauit Chriſtus in Euāgelio, dum ait interrogantibus diſcipulis; Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſubaudi, ut cæcus naſceretur; cū de hoc tunc tali eſſet quæſitum. Seruauit, & ubi Chriſtus cū quibuſdam ait: Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum; ſubaudi ad illum finem, que uos quæritis. Multo igitur magis cum hic poſt ly Noli ire, exprimat ly nè maledicas populo, intelligitur, ꝙ Deus negat hic ire, ut ſtat cum maledictione ſita; non autem ire præciſè. Hoc uerò ire, quod hic ipſi Balaam diſſuadet, ubi unquam ipſi Balaam iuſſit, aut permiſit? Nullibi. Vnde in ſecunda nocte quando concedit ire, non concedit ire ſic acceptum, puta maledictioni colligatum; ſed ire præciſè. In ſignum huius de inhibitione maledictionis, poſtquam conceſſit ire, meminit inquiēs; Ita duntaxat, ut quod tibi pręcepero, facias. Ex conſequenti ergo nihil concedit, quod negarit prius, & conſequenter nec etiam apparentē mutationē in littera, ſi profundius ſcrutatus fueris, habes.

APPENDIX.

HINC trahe regulam generaliſſimam, quæ talis eſt; ad intelligendas ſcripturas. Videlicet. Reſponſio non intelligitur, niſi ſecundū ſenſum interrogationis. Cōſequenter ergo nec reſponſio ad argumentum aliquod, niſi ſecundum argumenti quæſitum. Hoc enim argumentum interrogationis tenet locum. Ex his ſecundò trahe, quomodo intelligas ly Sic eum uolo manere donec ueniam; & ly Non omne, quod intrat in os, coinquinat hominem; & ſimilia multa. In his intelligentiis nullam difficultatem uidebis eſſe, ſi modum in examine præſcriptum pro huiuſmodi capitu ſeruaueris. Tertiò (data hic aliqua uariatione dictorum diuinorum, licèt non Dei) elice hinc, quòd pro diuerſitate temporum, ſociorum, & huiuſmodi, licitum eſt abſque repræhenſione aliqua uariare conſilia. Cum primis nuncijs, & primo tempore, noluit Deus, quòd Balaam iret; ſed cum ſecundis, & ſecundo tempore. Vnde ſecundum hunc ſenſum ſumeres tūc ly Noli ire, ut dicit ire præciſè; ſed gloſares ſic, noli ire, ſcilicet nunc, & cum his nuncijs.

¶ Applica ad aliquid Euangelij ſupradictorum, uel ad ſimile.

Text. HAbentes diuinationis precium in manibus.

Concl. 3. *Simonia antiquitus ideſt ante Chriſti aduentum exercebatur.* [Ex eo.]

Ratio. HVIVS unoi maledictio a Balach expetita habebatur pro facta, ideſt approbata a Deo, & tū ad hanc obtinendā precium tranſmiſit. Vtquid credis, ipſum Balach dicere ad Balaam, Maledictus in quem maledicta cōgeſſeris; niſi quia Balach habet ipſam maledictionem à Balaam prolatam pro facta, ideſt pro approbata a Deo? Vtquid autem precium mittit ad prophetam, niſi ut ipſam maledictionem emat.

lucō

Ideò dicit littera, ꝙ hoc munus erat precium diuinationis. Et benè precium; quoniam ſi pecunia datur non tanquam precium, ſed tanquam donum, uel ſtipendium, uel tanquã aliquid aliud, ſimonia non eſt.

APPENDIX.

a HInc habes, quòd ſimonia incœpit fieri, antequam Simon magus, a quo dicta eſt ſimonia, eſſet in mundo. Habuiſti namque in Geneſi de Eſau uendente primogenita ſua, quòd ſimoniam committit; habes & hic de Balach,
b quòd ſimoniam committit. Secundò igitur conſequenter habes, ꝙ hoc nomen ſimonia non concurrit coæquaternè cũ peccato ſimoniaco. Antiquius enim eſt hoc peccatum puta uendere uel emere aliquod ſpirituale, quàm fuerit Simon Magus. Non ergo a Simone nuncupata eſt ſimonia, quia ipſe prior fecerit hoc peccatum; ſed quoniam ipſe prior in teſtamento nouo peccatum hoc exercuit. Vel aliter. Non quia ipſe prior hoc peccatum quoquomodo patrarit; ſed quoniam ipſe prior ſecundum utramque peccati huius modũ peccauit eodem tempore Emere nanque noluit gratiam Spiritusſancti, ut poſtmodum illam uenderet. Cernis, quòd ambas partes huius peccati, & cõſequenter omnes, in ſimul habuit? Fuit ergo in hoc peccato nequior, quam fuerit Eſau, & quàm Balac. Eſau nanque ſolum uendere ſpiritualia, non emere; Balach uerò emere, non uendere uoluit. Quocirca à Simone, tanquam à principaliori in hoc, facta eſt huius uitij denominatio. Tertiò hinc habes, ꝙ ſecundum hunc modum illud Pauli intelligere potes. Peccatum erat in mundo; ſed non cognoſcebatur. Hoc eſt in propoſito. Ante Simonem uenditio, & emptio ſpiritualium erat in mundo; ſed tale peccatum ſimonia non uocabatur.

Tex. QVia peruerſa eſt uia tua.

Concl. 4. *Homines malis aſſueti poſt monitionem etiã ad mala, niſi magna ſibi uim faciant, reuertuntur.* [Ex eo.]

Ratio. HIC homo, ſcilicet Balaam, erat ariolus (iuxta capituli principium); & conſequenter malo aſſuetus. Non enim propriè dicitur quis talis, puta iuſtus, uel iniuſtus; niſi propter multitudinem iſtorum actuum, uel ſcilicet talis iuſtitiæ uel talis iniuſtitiæ. Cum itaque in malo aſſuetus eſſet, & in accipiẽdo pecuniam pro ariolandi arte (uidetur enim, ꝙ Balach, tanquam ſciens morem ipſius Balaam, miſerit illi precium diuinationis); quod accidit? Nunc, nunc à Deo monitus eſt, nè loqueretur ſecundum aures ipſius Balach; hoc promiſit Balaam; hoc nuncijs ſecundis dixit Balaam; & tamen ab iſto bono animo mutatus eſt per uiam. Quare credis Angelũ domini dixiſſe ad Balaã: Peruerſa eſt uia tua, mihique contraria? Vtique quia Balaam præcogitabat de condeſcendendo ipſius Balach deſiderio. Ob hoc enim ſignificandũ repetiuit Angelus mandatum Dei prius, dicẽs: Caue nè aliud, quam præcepero tibi, loquaris. Ecce non dicit, Nè uadas; imò ipſi Balaam regreſſum ſpondens ait; Vade cum iſtis. Ratione ergo dicta ipſius Balaam uia erat peruerſa, atque Angelo contraria. Quid præcogitabat Balaam in particulari? Audi ſequentia.

EXAMEN.

CONDESCENDERE ipſi Balach poterat Balaam, quãuis non licitè, uno duorum modorum; uel ſcilicet uerbis maledicẽdo Iſraeli (quod Balach petierat), uel factis. De cõdeſcenſione ad maledicendum uerbis non puto Balaam tũc præcogitaſſe, ſed de maledictione factis. Et ita plus condeſcendere determinabat ipſi Balach, quam Balach petijſſet. Plus enim eſt maledicere factis alicui, quàm uerbis. Et profectò per uerba ſuperiora Dei, nè ſcilicet loqueretur Balaam; niſi quod ab ipſo Deo audiſſet, intelligitur utranque inhiberi, ſ. & maledictio uocalis, quam expreſsè petebat Balach, & maledictio factionalis, de qua non expreſsè meminerat. Imo plus hanc factionalem inhibere tunc intendebat Deus, quam illam uocalem. Quid accidit? Ipſe Balaam fecit nunc; ſicut facere ſolent mali obedientes. Quid faciunt hi? De his uerificatur, quòd facta lege inuẽta eſt malitia. Quod enim expreſsè inhibetur, facere nolunt; ſed tamen, ſi qua alia uia ad ſuum intentum, licèt implicitè inhibitum, progredi poſſint; ad hunc, quaſi liberi a prohibitione, feruntur. Et quid faciunt? Côcinnant in corde ſuo dolos, perſuadentes ſibimetipſis meliori modo, quo poſſunt, non eſſe peccatum, quod apertis oculis uidet eſſe peccatum. Et hoc eſt proprium malitioſorum: Huiuſmodi que neſcientia, quam ſibi fingunt, uocatur ignorantia affectata. Affectant enim ignorare, non ut ignorare dicat neſcientiam; ſed ut dicat uiam ad liberiùs peccandũ. Sic de Balaam hoc imaginari potes Maledicere (intra ſe dicebat) Iſraeli nolo, ſeu potius non poſſum; quia Deus hoc mihi interrogati expreſsè prohibuit. Ex alia parte ni maledixero Iſraeli, perdam & gratiam ipſius Balach, & honorem à tota ſua curia mihi exhibendum, & pecuniam tantam mihi promiſſam. Scio, quid faciam, ut neutrum perdam. Sinè mandatum Dei cõminatorium tranſgredi uideat, & nè tanta munera ipſius Balach amittam. Oſtẽdam modũ ipſi regi Moab, quo Iſrael ab eo ſuperabitur, & hoc dictu tacebo. Modus hic eſt ſcandalum, quod ipſe rex parabit Iſraeli. Sic ego non contrauenian mandato diuino, & nihilominus ipſi Balach opem, pro habendis tantis mihi promiſſis, feram. Non quidem contrauẽniam mandato diuino in hoc, quoniam in uoluntate eorum cuncta ad faciendum poſita erunt. Solummodo ſcandali uiam oſtendam ego; ſi autem illi uoluerint, faciant. Ego nullum ex hoc conſtringam. Balach, ſi uolet, dictum meum (Hoc dictum eſt conſilium, quod dedit Balaam ipſi, Balach de mittendo ſcandalo coram Iſraelitis, ut idola coleret, & fornicaretur, quod habetur Apocalyp. 2.) ſin autẽ, ego non aſtringam illum. Similiter Iſraelitis ex cõſilio meo non inferam uiolentiam ad peccandum; ſed ipſos, ut priùs, liberos dimittã. Quid ergo mihi peccati imputabit, uel trãſgreſſionis huius mandati Dominus? Talia cogitabat Balaam, & mercede iniquitatis effuſus carpebatur, ut habes in epiſtola Iudæ, quando Angelus obuiauit illi furibũdus. Niſi enim mãdatum domini aliquo modo tranſgredi meditaretur quaſi ſub excuſationis umbra (ut audiuimus), non erat opus, Angelum furore plenum ad illum a tali præuaricatione arcẽdum, & ad mandati diuini executionem reducendum nunc in oã ſibi occurrere.

COROLLAR. DE INOBEDIENT. ETC.

ERGO malus obediens mandati uerba quantum poteſt ſtringit, ut ſibi quoquã diuertere ad ſui appetitus expletionem licere fingat. Ratio eſt, quia talis obedientiam facit inuitus. Hinc enim fit, ut literam tãtummodò attẽdat. Quòd ſi poſſet impunè; etiam literam præcepti infringeret. Ergo Angelus de maledictione factionali prenoſticabatur, quando ad Balaam dixit: Via tua peruerſa eſt, mihique contraria, cogitationes namque ipſius Balaam non ſolum cognoſcere, ideoque ſe a Deo uenire miniſtrum, oſtendit; ſed etiam quid futurum eſſet prophetauit. Peruerſam dixit uiam Balaam, ut monſtraret, quid ipſe Balaam facturus eſſet, q. ſ. cõtraria mãdato diuino erat operaturus. Licèt enim hic non expreſsè de Balaam tranſgreſſione huiuſmodi habeatur; tamen (ut tactũ eſt & in Apocalipſi 2. & in 2. Petri 2. & in Iudę Thadęi epiſtola) clarè habetur, quòd Balaam errorem commiſit, quãdo uenit ad Balach; docendo ſcilicet ipſum ponere ſcandalum coram Iſraelitis. Dixi, iſtud hic non haberi expreſſe: Alias enim habetur implicitè, ex ordine ſcilicet capitulorum 24. 25. immediato; quòd Balaam docuit ipſum Balach modum ſcandali prænarratum. Vt primum enim Balaam a Balach diſceſſiſſe narrauit littera in capitulo 24. mox in 25. de ſcãdalo iſto in Iſraelitas à Moabitis, & conſequenter à Balach, immiſſo uerba facit. Quaſi ergo ex ipſo capitulorũ ordine ſubitaneo dicat, ꝙ Balaam de ſcandalo iſto faciendo præmonuerat ipſum Balach, antequam diſcederet ab eo. Ergo maledictio factionalis, quam ipſe Balaã ſuper Iſraelem induxit, fuit illud ſcandalum. Per ſcandalum namque iſtud maledictionem diuinam meruit populus; quoniam in ſcandalum, iuxta ipſius Balaam opinionem, conſenſit. Quis modò non uideat, hanc maledictionem fuiſſe peiorem maledictione uerbali; & propterea à Deo ſub maledictione uerbali prohibitam? Qui.n. prohibet minus, prohibet & maius, ut patet. Ergo Angelus iure mandatum renouauit nunc dicens, Caue, nè aliud quam præcepero tibi loquaris. Quaſi diceret. Id quod tu nunc meditaris, & quod facturus es, eſt contra prohibitionem diuinã tibi prius factam: & in huius ueritatis ſignum renouo tibi nunc mandatum, in ſecunda nocte a Deo impoſitum. Ergo Balaam peccauit, & pluſquam peccauit, poſt tot monitiones in populum Domini ſcandalum immittendo. Non enim poterat

tet, ac amplius excuſari poſt aduentum Angeli, quamuis nec prius ſecundum ueritatem. Angelus namque apertè illi monſtrauit, quòd de primi intelligentia præcepti erat, quòd nullo modo contra fidelem populum maledictionem machinaretur.

Conſuetudinis mala uis ¶ Vide ergo, quantum poteſt conſuetudo mala, & quantũ ſit cor hominis ad malum aſſueti, inſcrutabile. Quomodo inſcrutabile? Si uidiſſes ipſum Balaam prima nocte, ac ſecunda conſulentem Dominũ de iſto negocio; ſi ipſum primos, ſecundoſque nuncios alloquentem audiſſes; ſi hunc ad Angelum ſibi occurrentem uerba humilitatis obediẽtiæque plena promentem attendiſſes; nonnè de ipſo Balaam mirifica dixiſſes? Vtique & quòd erat corde ſincero, corde puro, corde à pecunia alieno, corde terrenorum honorum contemptiuo, corde humillimo, corde obediẽti, corde ad quodque bonum parato. *Cordis inſcrutabilitas.* Si audiſſes illum, quòd ſcilicet nec plùs nec minus q̃ Deo placuiſſet poterat loqui; etiam ſi Balach domum ſibi plenam auri dediſſet; nonnè Balaam ipſius cor ualdè ſcrupuloſum iudicaſſes? Cæterum hominis cor, maximè ad malum ex conſuetudine procliue, eſt inſcrutabile. Et quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans corda. Mirabaris forſan, quando uidiſti Angelum ſic furentem ipſi Balaam occurrere; & dicentem, quòd uia eius erat ſibi contraria; & mandatum prius innouantem. Mirabaris intra temetipſum; & dicebas. Vtquid ſtrepitatio tanta? Nunquid non iſte eſt Balaam qui tantam obedientiam, tamque mirabilem nullo ſuadente, ſed ipſo ſe per interrogationes ad hanc offerente, promiſit? Nunquid non iſte eſt Balaam, qui ad Balach nuncios proteſtatus nunc eſt, ſe nihil omninò dicturum, niſi quod a Deo ſuo dicendum audiret? Quæ igitur cauſa eſt, quod Angelus tam durè loquitur nunc ad Balaam; tam iratum ſe contra illum demonſtrat, ut uix poſt multa ſuam ei præſentiam oſtendat? Nunquid non ipſam ſui præſentiam iumento priùs demonſtrauit, quam ipſi Balaam; in ſignum, quòd nimium cõtra Balaam ſtomachatus erat intantum, ut iumentum potius, quam eum, ſui uiſione dignum arbitraretur? Sic, ſic mirabaris ad illud ſpectaculum nouum; maximè conferendo priora ipſius prophetæ iſtis nouiſſimis ab Angelo monſtratis. At nunc admiratio talis ceſſet, atque hinc edoctus aliundè magis admirans clamare non deſinas, ac firmiſſimum tenere, quòd prauũ eſt cor hominis, & inſcrutabile. Et quid aliud? Quod ſolus Deus cordis inſpector eſt, atque renum. Conſequenter ergo de Deo non murmurãdum eſſe dicas, quando aliquod cuius contrarium faciendum nobis uidetur, erga quempiam facit. Nam plura uidet Deus, atque certiora, quam nos de alijs, imò quàm homo ipſe de ſemetipſo: ergo non omnes obedientiam uerbis profitẽtes, ſeque obedientiæ filios in exteriori homine futuros pollicentes, obedientiam cordetenus meditantur; imò quandoque illorum uerba amplitata cum corde ſuo mirificè pugnant, atque uincuntur: quandoquidem totum oppoſitum uoluntariè faciunt eorum, quæ in ore uerſabantur.

¶ Applica ad ly (Hieremias) Si æthiops poteſt mutare pellem, & pardus uarietates ſuas; ſic & uos, cum didiceritis malum, poteſtis benefacere. Vel ad ly (Salomon) Adoleſcens iuxta uiam ſuam; etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Vel ad ly (Euangelium Matth. 21.) Dixit unus filius uado; & non iuit. Iſtum filium expreſſit ipſe Balaam; qui & Deo, & nuncijs, & Angelo unum promiſit; quaſi dicẽs uado ad mandatũ Dei firmiter exequendum: Et aliud fecit, tanquam is, qui non iuit. Vel ad ly &c.

Text. PEruerſa eſt uia tua, mihiq́ue contraria.

Concl. 5. *Non omnes obedientiam uerbis amplis promittentes, ipſam diu cuſtodiunt corde; &, licèt moneat, ipſam quoque opere traſgrediuntur.* [Ex eo.]

Ratio. VIDE Corollarij immediatè præmiſſi declarationem, & ſatisfactus eris.

APPENDIX.

HINC habes, quòd Balaam figurauit malos religioſos, qui non uerentur tranſgredi obedientiam uerbis ſolẽniter Deo promiſſam, in conſpectu etiam aliorum (hi erunt teſtes periurij malorum religioſorum, ſicut fuerũt teſtes promiſſionis: quemadmodum & nuncij illi futuri ſunt in die iudicij teſtes periurij ipſius Balaam, ſicut teſtes obedientiæ promiſſę extiterunt) Solemnis ergo iſtorum malorum religioſorum erit pœna; quemadmodum & ipſius Balaam fuit. Quæ enim caſtigatio uerbalis maior, aut mirabilior, in omni ſcriptura legitur, quam a uiliſſimo iumento, Aſina .ſ. reprehendi? De hoc miratus Apoſtolus Petrus in ſua Epiſtola 2. ca. 2. dicebat, quòd ſubiugale mutũ animal in hominis uoce loquens corripuit prophetæ inſipientiam; & quod ipſe Balaam habuit correptionem ſuæ ueſaniæ ab animali illo. Et quidem meritò. Non enim dignus eſt cum hominibus habere ſermonem, ſed cum beſtijs, qui ſermones diuinos in corde ſuo poſtergat, & opere tranſgreditur. Solemnis igitur .i. inſignis & inſolita infligetur pœna religioſis malis.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Non omnis qui dicit mihi Domine Domine (.i. uarijs modis ac uerbis, me ſuperiorem confitendo) intrabit in regnum cęlorum; ſed qui fecerit uoluntatem patris. Vel ad &c.

PEruerſa eſt uia tua, mihiq́ue contraria. *Text.*

Concl. 6. *Pecunia, munera, honores mundani, maximam uim habent ad trahendum cor hominis à mandatis ſuperiũ, quamuis comminationibus uarijs munitis, obedientia; & ad trahendum illud ad faciendum contra conſcientiam, contra proximum, contra Deum.* [Ex eo.]

Ratio. ECCE Balaam à Deo, ab Angelo, à iumento (quia ſcilicet id miraculum inſolitum ad hunc finem, ut ſcilicet obediret, factum uiderat) monitus eſt ad obedientiam ſeruandam in hoc, ut populo Iſraelitico non malediceret. A Deo quidem ſemel & iterum, ab Angelo verbis comminationibus uique ad interitum oné adiunctis, à iumento in uoce hominis. Quid factum eſt? Plus potuerũt in animo Balaam munera Balach, q̃ oia p̃dicta. Non eſt recordatus ipſe Balaam p̃dictarũ monitionũ, p̃dictarum minarũ; ſed nec ſuę proteſtationis ad nũcios ſecundò factæ, qſi in pecuniæ deſiderio cœpit immergi. Bene incępit ille, ſed male finiuit. Quare bene incępit? Quia ſe diuini mandati ſe recordaturum ſpopondit. Quare male finiuit? Quia illius mandati tranſgreſſor fieri non erubuit. Quare non erubuit; imò quare tam citò (ut etiam per uiam id tranſgredi bono .i. ficto & aſtuto modo penſaret) erubeſcẽtiam hanc perdidit? Quia munus ipſius Balach ipſum Balaã excæcauit. Amauit enim mercedem iniquitatis teſte Apoſtolo Petro 2. cap. 2. & ideo iniquitatem executus eſt amare. Quòd ſi mercedem illam non amaſſet, ab iniquitate utique ſuũ pedem cuſtodiſſet.

NOTATIO.

ADVERTE plura hic. Primò, quòd ex amore ad mercedem iniquitatis filij mali ueniunt ad amandam iniquitatem; ſicut è contrario ex amore ad mercedem bonitatis (iuxta illud: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem) filij regni ueniunt ad amandum bonitatem, ac opera bona. Hic uideas, quòd finis eſt ille, qui mouet ad amandum ea, quæ ſunt ad finem; ſiue in bonum, ſiue in malum. Hinc uideas ſecundò, quòd merces ligat animum hominis ad agendum libenter ea, q̃ alias non ageret. Videas tertiò, quòd illa diſtinctio munerũ, .ſ. munus a lingua, munus a manu, munus ab obſequio tota hic clauditur; & hinc, (ẽt quòd nullus alius locus eſſet huius diſtinctionis origo) deſumitur. Hinc ſimoniam hic patratam à Balach in tota ſua latitudine, uideas. Quæ eſt latitudo munerũ ſimoniam fundantium? Triplex (ut audiſti) .ſ. a manu, ab obſequio, a lingua. A manu munus obtulit ipſe Balach, dùm precium diuinationis miſit, ab obſequio, dùm honorem plurimum ſpopondit, à lingua, dum nuncios ad Balaam deſtinauit. Balach ergo cùm omnis generis munera ipſi Balaam offert pro habenda prophetia, ſimoniam in omni munere fundatam exercuit. Videas quartò ſolicitudinem malorum, atque indefeſſum animum ad ſua mala deſideria perficienda. Non enim ex primo reſponſo negatiuo dato a Balaam nuncijs perterritus ab incępto eſt Balach Rex; ſed multò plures nuncios miſit, atque nobiliores, quam antea; & (ut credimt) plurem pecuniam, adijciens his honorum multorũ promiſſiones. Vidiſtin duos litigantes, ſeu luctantes, ad inuicem? Quando uiderit unus alium ſibi magis obſiſtentẽ; tunc maiora ſibi

te ſibi fortitudine fore opus intelligit;& ſic ad altiora, ſeu fortiora, manum obſtinato animo ponit, ut ſuper alium, uel nolentem, uel uolentem, uictoriam acquirat. Sic faciebat ipſe Balach in iſto negocio uidit per priores nuncios ipſum Balaam, quem ad ſua uota habere tentarat, in cõtrarium ſibi verſum; ac ideò magis ſuo intento obſiſtentem: Quid fecit? Maior ſe fortitudine ad illum euincẽdum opus habere intellexit;& ita fortitudinem pro ſuo uoto pugnantem multiplicauit. Fortitudo ipſius Regis, quæ fuit? Munus à lingua, munus à manu, munus ab obſequio. Munus à lingua multiplicauit, dùm ſolemniores transmiſit nuncios; munus item à manu, dùm aurũ multum adiecit; ſimiliter ab obſequio munus, dùm honores plures pollicitus eſt. Quid? Tantùm fecit, ut appetitum ipſius Balaam in munera, quod primò non potuit, ſecundò inclinauerit. Vndè credis tu illam iſtius prophetæ manaſſe uocem, niſi ex accenſo appetitu nouiter ad munera? Quę eſt illa uox? Obſecro (inquit), vt hic maneatis iſta nocte. Quære in prima legatione; & non inuenies in uerbis prophetæ ly Obſecro. Manete (inquiebat) hic nocte &c. Quid ſignificat nunc ly Obſecro iunctum? Quòd Balaam incępit nunc plus tangi deſiderio honorum mundanorum, atque cupiditate. Niſi enim aliquo modo intenſum magis, quàm prius, ad hæc deſiderium haberet; non nimium curaſſet, ꝙ illic nocte manſiſſent, & ſic non adiecisset ly Obſecro, ſuæ monitioni. Quod ergo non potes tu in bonis faciendis prima uice, ad id ſecunda uice, & quidem maiore conatu, aſſurge inſtructus à Balach. Niſi enim ſic feceris; ſed uel ad primam repulſam deſieris ab incępto, uel non cum maiore conatu ſecunda uice, (& ſic de ſingulis uicibus conſequenter) ad intentum acquirendum nixus fueris, à Balach iudicaberis, qui ſic in malo uſque ad uictoriam optatam pugnauit. Licèt enim ad uictoriam maledictionis externæ non peruenerit, ad uictoriam tamen maiorem, & conſequenter illam includentem, peruenit, ut ſupradictum eſt.

5 ¶ Quintò igitur uideas tu, quomodo à malis addiſcere debes in faciendo bono. Ad hũc finem dixit Chriſtus, quòd prudentiores ſunt filij huius ſeculi in generatione ſua, quàm filij lucis. Quaſi diceret. Sicut prudentiam quis addiſcit à prudentiori: ita uos filij lucis prudentiam diſcite à filijs huius ſeculi; quomodo uiuatis, quomodo Deo ſeruiatis, quomodo in bonis gerendis uos habeatis, & huiuſmodi, à filijs huius ſeculi in generatione ſua diſcite, & ea in illis uiſa ad generationem ueſtrã applicate. Verbi gratia. Videtis ipſum Balach pro ſuo impio uelle nihil intactum relinquere, animumque obſtinatum ad uelle illud conſequendum cum operibus auctis induere; & uos hunc animum cum operibus, hunc appetitum cum intentione, in bono induite.

6 Sextò habes, quomodo pugnam malorum contra bonos aduertas, & quòd nihil eſt, quod homo, ſi perſeuerauerit, non acquirat. Hoc autem iterum uerificatur, vt ipſum Balaam, quem prius à munere non uinci uideramus, nũc à munere totaliter proſtratum cernamus. Quid ait Iudas Thadæus in ſua canonica? Quod Balaam mercede effuſus eſt. Quid eſt, effundi mercede? Eſt non modò pecuniam amare, non modò à pecuniæ deſiderio uinci; ſed ab ipſo deſiderio abſorberi, ſubmergi, hinc inde funditus penetrari. Parum dixi. Eſt non modo in te pecunię deſiderium malum præualere; ſed te in pecuniam ipſam quaſi tranſire, ac per delectationem liqueſieri. En quantum uirium habeat munus, & importunitas ad bellandum.

7 ¶ Septimò, cum legis iſtam pugnam in malum factam ab ipſo Balach contra Balaam, recordare, quòd iſta pugna fuit figura cuiuſdam pugnæ in bonum habitæ à ſupremo rege omnium. Vbi? In Euangelio. Ibi enim cernis, quòd paterfamilias quidam miſit nuncios ad quærendũ fructus ab agricolis uineæ, & quòd illis colonis renuentibus prima uice, miſit plures ſecunda uice; & quòd adhuc uiuitoribus obſtinatis miſit filium ſuum. A figura igitur hac antiqua habes, quòd nuncij à patrono uineæ miſſi ſecundò & plures & nobiliores fuerunt prioribus: unde de Apoſtolis dicitur; quòd primitias ſpiritus acceperunt. Sic ergo & per numeroſitatem hominum, & ipſorum nobilitatem, pugnauit patronus hic ad euincendos colonos; ſic Balach ad euincendum Balaam utroque pugnauit. At meliùs (Etenim figuratum figuræ præſtat) ſucceſſit in uictoria patrono contra uinitores, quàm ipſi Balach contra Balaam. Vicit enim paterfamilias nolentes uinci, & omnia, nè uincerentur, efficientes; uicit uerò Balach rex uolentem uinci; & ſeipſum in prędam munerum, ut uinceretur, totaliter conſecrantem. Balach ipſe uicit muneribus, patronus ipſe uicit ex rebus. Balach maledictionem ſuper populum acquiſiuit denario dato; patronus maledictionem ſuper uinitores obtinuit medio imperatore Romano. Balach unum populum ſuperare, talia faciendo, quærebat; patronus duos populos ſcilicet iudæum, atque gentilẽ & lingua & moribus diuiſos, ſic agendo, uincere ſatagebat. Balach uituperium tùm ex deſiderio ſuo, tùm ex inueſtigationis modo, tũ ex conſilio dato in executionem miſſo, reportauit æternum; patronus ille tum ex fructuum deſiderio intenſo, tùm ex quęrendi modo, tùm ex ſupplicio digno contra malos immiſſo, commendationem retulit ſempiternam. Et quid ex hac Euãgelij figura ad figuratum hoc notas? Ex quòd immediatè antea (in texto ſcilicet) diximus; & quòd Angelicus doctor ſcripſit ſuper Matthæi capitulum primũ ibi: Ex ea quæ fuit Vriæ. Quid prædiximus? Quòd pugnare debent boni in generatione ſua ſecundum modum, quem uiderint malos tenere in generatione ſua. Non hoc dixerim; quia patronus ille didicerit pugnandi modũ à Balach; ſed quia, ſic faciendo, modũ pugnandi in bono ſimilem modo pugnandi in malo monſtrauit. Quid ait ibi D. Thomas? Quod bonorum aliquando mali ſunt figura, ſicut & malorum quandoque boni.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Quam difficile eſt, diuitem intrare in regnum cœlorum. Hoc eſt. Valde difficile. Hoc oſtendit hic Balaam. Vnde difficultas illa naſcitur? Ex hoc, ꝙ diuitiæ (per diuitias intellige omnia munera ſupradicta, ſiue à manu, ſiue &c.) habent maximam uim ad alliciendum animum hominis; & ad trahendum illum ad quocunque malum uoluerint. De quantitate iſtius uis habes diffusè in ſuperioribus. Et ideircò optime dictum intelligas de diuite, qui poſt aurum (Non ſicut iſte Balaam) abiit, quòd fecit mirabilia in uita ſua. Mirabile namque eſt; contra tantam diuitiarum uim habere maiorem uim. Tàm uerò maior uis, ad non abire poſt aurum, exigitur, ut non niſi à Deo, tanquàm donum magnum, habeatur. Nunquid non id ſignificauit ibi Chriſtus; dùm diſcipulis de nullitate ſaluãdorum, præ tanta difficultate, dubitantibus reſpondens dixit; quod eſt impoſſibile hominibus, hoc Deo & poſſibile, & facilè eſt? Confugiendo ſiquidem ſic ad potentiam diuinam monſtrauit, mirabile eſſe ita, ut ſuperhumanũ ſit, euincere diuitias. Id autẽ quam uerum ſit, monſtrat ſupra Balaam. Vel ad ſacram de uinea lectionem applica. Vel ad &c. Eccl. 31.

Text. CVr tertiò uerberas aſinam tuam. Concl. 7. *Eorum qui à ſuperioribus indebitè grauantur, Deus ad unguem uindictam faciet; & de talibus grauaminibus ad amuſſim à ſuperioribus rationem requiret.* [Ex eo.]

Ratio. VTus. Balaam contra aſinam nimiò deſæuit ita; ut & gladium ad interficiendum illã habere optaret; & illa frequẽtiori, ac duriori ſtimulo agitaret. (forſan etiam tardiùs, quã in ueritate eſſet, ire ſibi uidebatur aſina, præ deſiderio ad honores Balach promiſſos perueniendi). Angelus autem Domini ex alia parte ipſi Balaam apparet: & ad primum uerbum (mirabile dictu) ipſum de aſinæ indigna uerberatione increpat. Et quid plus? Enumeratas à ſe demonſtrat Aſinæ uerberationes dicens ly Tertiò. Et adhuc nota, quod nihil reſpondit Balaam ad hoc. Non enim dixit: Verberaui eã, quia mea eſt; & de meis rebus, quod uolo, poſſum facere, aut huiuſmodi. Sed tantum ſe excuſauit de itinere aſſumpto uerſus Balach contra intentum Angeli ignoratum à ſe, & reditum ſub conditione promiſit. His annotatis in littera, uide quid Apoſtolus dicat. Nunquid (inquit) de bobus cura eſt Deo, an non potius de nobis hæc dicta ſunt? Applica Apoſtolum: ut infra. Vide pro tex. Apoſtoli S. Tho. ibi.

EXAMEN I.

PEr boues (in ſenſu litteræ huius loquendo) intelligit Apoſtolus omne animal irrationale; & ſpecialiter aſinã hanc. Quaſi ergo dicat. Quòd uides circa aſinam factum ab Angelo: hoc à Deo, etiam magis, fiendum circa homines agnoſce. Prouidentiam magnam uides in Angelo, & amorẽ, circa bonam quietem aſinæ: eidem, magis tamen, de ipſo intellige circa hominum bonam quietem. Zelat ergo Angelus pro aſina: quia zelaturum ſe magis declarat pro hominibus nimiò tribulatis. Et ſi pro tribulatis à ſuperioribus (ut eſt nunc de aſina reſpectu Balaã) tantopere zelabit; multò magis de tribulatis à non ſuis ſuperioribus (puta ab uſurariis, raptoribus,

1 pectoribus, furibus &c.) Cæterū iuuat uidere ſingula. Primò igi
tur nota, quòd Balaā erat ſuperior reſpectu aſinæ, & aſina in-
2 ferior. Secundò quòd Angelus non ſolùm uerberationes da
tas à Balaam aſinæ adduxit in medium contra Balaam; ſed
3 etiam numerum particularem uerberationum. Tertiò, quòd
in primo uerbo de hac uerberatione repræhenſionem fecit
4 ipſi Balaam. Quartò, quòd aſina eſt animal uilius inter bru-
ta, magiſque inter homines deriſibile, & magis oneriferum.
5 Quintò quòd Deus uocem rationalem miraculosè dedit aſi-
næ, ut ſe contra Balaam excuſaret, ac ipſum accuſaret. Sextò
quòd contra Balaam uerberantem non ſolum aſina miracu-
losè inſtreait, ſed etiam Angelus; & mox poſt dictum aſinæ,
ut littera ſonat. Hæc omnia ad ſuperiores accomoda; ut
ſciant, quomodo uerſus inferiores ſeipſos gerere debent, &
officium ſuum intelligant.

EXAMEN II.

1 IN primis igitur habes, quòd ſuperior non poteſt, quæcun-
que uult, facere in caſtigationem inferioris; ſed tantum il
la, quæ rationabilia ſunt. Non enim repræhenditur Balaam
ab Angelo, quòd caſtigarit aſinam; ſed quòd ipſam ſine ratio
ne caſtigarit. Non ſufficit ergo ſuperioritas ad caſtigandum;
ſed ſimul requiritur rationabilitas pro caſtigando. Et id ea
2 primo ſupra annotato. Ex ſecundo intellige, quòd non ſo-
lum Deus caſtigabit ſuperiores pro irrationabilibus caſtiga-
tionibus ſuper inferiores datis; ſed etiam ipſos ſuperiores ca
ſtigabit ſeueriſſimè, & ſingillatim pro ſingulis oppreſſioni-
bus. Potentes (inquiebat ad hunc ſenſum ſcriptura) poten-
ter torquebuntur. Hoc idem ſignificat tam frequens repe-
titio ſcripturarum, quòd ſcilicet Deus ſaluos faciet paupe-
res, quòd uindictā faciet pauperum, quòd pupillo erit adiu-
tor, quòd ipſi Deo derelictus eſt pauper, quod uiduam ſuſci-
piet, quòd facit iudicium iniuriam patientibus, & ſimilia.
Hoc intellexit & Apoſtolus, quando ſuperioribus clamabat,
quòd recordarentur ſe habere Dominum in cœlis. Quaſi cla
maret ſic. Ille Dominus in cœlis exiſtens uidet ſingulas quaſ-
que caſtigationes a uobis inferioribus ueſtris datas, & ſingu-
las adducet contra uos in iudicium; ac pro his uos ſeueriſſi-
3 mè caſtigabit. Cur ly Tertiò, inquit Angelus hic? Quaſi di-
cat: Redde rationem, & quare uerberaſti aſinam & quare to
ties uerberaſti. Et rationabilitas igitur requiritur in caſtigan
do inferiorem, & menſura; quòd ſcilicet & habeas rationē,
ut caſtiges, & non plus ipſum caſtiges, quam meretur. Ver
bi gratia. Si duas uerberationes meretur, da illi duas; ſi au-
tē plures illi inflixiſti, iam menſurā exceſſiſti, & te dignum ſe
uériori caſtigatione feciſti. Parū dixi. Sic agendo, ſcilicet men
ſurā in caſtigando inferiorē caſtigari dignū excedendo, duo
tibi mala procuras: nā inferiorē dignū excuſatione à Deo fa
cis; & te dignum repræhenſione a Deo conſtituis. Adeo q̃ re
prehenſio tui erit à iudice maiore facta: & tui inferioris excu
ſatio erit à iudice maiore exercita. Hinc etiam aliud aduer-
tito, quòd ſcilicet in præſentia inferioris facta erit excuſatio
ſui, & in eius præſentia facta quoq; erit acuſatio tui. In præſen
tia ergo inferioris confunderis, ſicut in præſentia tui confu-
ſus eſt à te inferior, & in præſentia tui laudabitur inferior, ſi-
cut in præſentia tui teipſum ſuper inferiorem laudabas de
caſtigandi poteſtate. Quem ergo habuiſti inferiorem, tunc
habebis modo prædicto ſuperiorem; & quem non erubuiſti
ultra menſuram caſtigare, erubeſces in eius præſentia caſti-
gationē a Deo recipere. Caſtigatio igitur tui erit dupla. Vna,
qua caſtigaberis à Deo; altera, qua confunderis in inferioris
oculis. Vide litterā, quoniam nec ungue lato ab ipſa diſcedi-
mus. Nonnè Balaam ab Angelo repræhenditur, Aſina
præſente? Nonnè Aſina per angelum excuſatur, Balaam
præſenti? Vtrunque ſanè uerum.

Vide per totum.

¶ Et nota, quòd licèt Angelus repræhendat Balaā, & de ir
rationabilitate uerberationis, & de exceſſu menſuræ uerbe-
rationis; non tamen repræhendit Aſinam de hoc, quòd talē
iniuſtam dupliciter uerberationem ſuſtinuerit. Non enim
Aſinæ dicit; Cur uerberantem iniuſtè, ſupportaſti? ſicut dicit
ipſi Balaam, Cur Aſinam tuam tertiò uerberaſti. Quid inter
hæc aduertis? Quòd patientia ſemper laudabilis eſt, etiam
quando ſine cauſa tribulamur; quòd inferior debet patien-
ter ferre (quantum poteſt) quicquid ſibi à ſuperiore imponi
tur: quoniam ſi ibi iniuſtitia, uel aliquid repræhenſione di-
gnum fuerit, totum in culpam, pœnamque prælati, non in-
ferioris, redundabit. Hoc Angelus per non repræhenſionem
Aſinæ de ſupportatione, & per repræhenſionem ipſius Balaā
de iniuſta uerberatione, clariùs intimauit. Sententia igitur
paſtoris ſubdito ſemper debet eſſe reuerēda; etiam ſi iniuſta
ſit, dummodo non ſit nulla, id eſt intollerabilē manifeſtè cō
tra diuina mandata cōtineat errorē. Add. q. 2 1. ar. 4. cū Eluc.
Patiētia, quoq; ſubditi ſemper accepta eſt Deo, ēt q̃ pro im-
poſito onere ſuperior diſpliceret altiſſimo. Tacendo. n. pa-
tientiam Aſinæ approbat Angelus; qui loquendo indiſcre-
tionem Balaam repræhendit acrius. In humilitate igitur, &
patiētia, tuta uia eſt; in ſuperioritate, & caſtigatione uia peri
culoſa eſt. Et nota tu inferior, q̃ iniuſtè uerberati intantum,
ſi ſupportauerint patienter, placent Deo, ut Angelum domi-
ni mereantur habere defenſorem in ſua ipſorum cauſa. Ea
propter nunc de cœlo ad hunc finem deſcendit Angelus
pro defendenda Aſina, ut quæ dicimus, ſignificet. No-
ta è conuerſo tu ſuperior, quòd iniuſtè uerberans intan-
tùm, etiam quòd ſibi ipſi ſuperiori uideatur ſuperficiali-
ter non iniuſtè agere, diſplicet Deo; ut Angelum domini
mereatur habere diſtrictiſſimum accuſatorem (ecce ly
Tertiò, inquit.) circa uerberandi modum, & cauſam. Icir-
co nunc de cœlis Angelus apparet pro repræhendendo Ba-
laam de caſtigatione iumenti, ut quæ docemus, innueret.
Ex his multam conſolationem de ſuis caſtigationibus a præ
latis debent habere ſubditi, & magnum ſtimulum ad om-
nimodam patientem ſupportationem: ſimiliter ex his mul-
tam in caſtigando cautelam debent haurire prælati, & ma-
gnum calcar ad non ſe extollendum de poteſtate habita.
Nam licèt ſemper (quandoquidem omnis a Deo eſt) pote-
ſtas bona ſit, non tamen ſemper (utpote ab homine ſolo quan
doque ſit) poteſtatis uſus bonus eſt.

Aureum de patientia.

Aureum ad idem.

¶ Circa tertium ſupradictorum in prima notatione ad-
uertas, quod cordi maximè monſtrat ſibi eſſe Angelus iniu-
ſtitiā caſtigationis (ſiue in cauſa, ſiue in modo ſit) erga
ſubditos exercitā. Conſequenter etiam monſtrat ſibi ma-
ximè eſſe cordi uindicare inferiores contra ſuperiores, & con
ſolari inferiores de caſtigationibus à ſuperioribus iniuſtè ac-
ceptis. Ecce: uenit quis ad te multa dicturus. Nonnè tibi pri
mo loco dicit illa, quæ magis illum premunt? Nunquid non
ex primo dictis infers, q̃ hoc ſibi præ alijs rebus cordi erat?
Sic in agendo quippiam, nonnè quæ te magis angunt in prin
cipio exequeris? Ex te igitur cognoſce, quæ nunc diximus, eſ-
ſe ueriſſima. Nam uenit Angelus è cœlis multa dicturus ipſi
Balaam: & in primo loco curam de aſina iniuſtè uerberata
ponit. Nunquid nō tibi ex hoc certitudinem facit, quòd iniu-
ſtitia hæc eſt ſibi maximè cordi, ut uendicetur; & quòd iniu-
ſtè afflictorum non tantum curam; ſed etiam maximam cu
ram habet? Et quoniam in oculis hominum mundanorum,
cuiuſmodi erat iſte Balaam, hoc (quòd. ſ. tantam cordialem
curam de afflictis pauperibus ſubditis Deus habeat) eſt ualdè
mirabile; ideò Angelus in apparēdo, & loquendi ordine mul
tum mirabile fecit. Quid fecit in apparendo? Aſinæ ſe priùs
manifeſtauit, quam ipſi Balaam. Quid fecit in loquendi ordi
ne? Curam de Aſina, omnibus per loquellam manifeſtandis
antepoſuit. Non ergo iſtam curam antepoſuit, ut hinc maiorē
de una Aſina uerberata, quam tota multitudine Iſrael nō ma
ledicenda, Angelum habere crederes; ſed ut hinc, maiorem
admodum quam homines credere ſolent, curam de ſubditis
iniuſtè etiā citra mortē, uehemēterq; deſolationem (Nā
trina illa uerberatio nec mortem aſinæ, nec plurimum incō-
modum apportauit) afflictis cordialiter gerere Deum, fir-
miſſimè teneres.

Ex tertia.

Exempl.

¶ Circa quartum in examine primo ſupradictum aduerte
duo. Primum, quòd non eſt bona excuſatio ſuperiorum ali-
quorum adduci ſolita. Secundum, quòd Deus quorumcun-
que etiam infimorum ſubditorum, non accipiendo perſonā,
curam præcipuam habet. Quæ eſt aliquorum ſuperiorum
excuſatio? Quod ſubditi aliqui ſunt animi, conditioniſque,
uilis; quòd ſunt oneribus aſſueti, quòd ſunt importantię nul-
lius. Et ſic quandoque ſuperiores quidam (bonos nanque
ſemper, & ubique exceptos eſſe uolo) quaſi per riſum ſubdi-
tos ſuos opprimunt, nō curantes an iuſtè, uel iniuſtè, faciant;
ſed dicunt ad ſupradicta conformiter: Vah. Iſti mei ſubditi
ſunt nullius ualoris, nullius animi, nullius gradus: & ideò
ſinc, ut meo modo illos aggrauem. Ex eo enim, quòd nullius
ualoris ſunt, non debeo timere de repercuſſione ab illis; ex
eo, q̃ nullius animi, non debeo timere de querimonia illo-
rum apud maiores meos: ex eo, quòd nullius gradus, non de-
beo timere de offenſa ſuorum adhærentium: ex eo, quòd nul
lius importantiæ, nō eſt mihi timendū de repræhenſione ab
hominibus, quòd paruum reſpectum, uel nullum, iſtis ſub-

Ex quarto.

diris deferam. Item ſuperiores quidam aliquando conformiter ad ſupradicta dicunt. Vah: ſiui mei ſubditi ſunt oneribus afflicti & grauaminibus; idcircò ſine, ut graui eos manu opprimam, etiam quòd iniuſta ſit; quoniam non multum indè præ aſſuefactione dolebunt. Et ſic ubi iuſtitiam caſtigationis ponunt in hoc, quòd ſubditi non lamentantur; non autem in hoc, quòd iuſtas res exequūtur. Et ideò, qui huiuſmodi ſunt, apud Deum non excuſabuntur, qui Deus ſecundum ueritaté iuſtitiæ iudicabit, non ſecundum uiſionem oculorum, neque ſecundum auditum aurium, ideſt non ſecundum quòd homines ſibijpſis iuſtitiæ diffinitionem prædictam conſingunt. Per uiſionem enim oculorum, & per auditum aurium, hominum iudicium ſuperficiarium intelligitur; quoniam & a ſenſibus humana cognitio originatur, & ſenſus (puta oculus, atque auris) in ſuperficie, ideſt extrinſecus exiſtunt. Circa excuſationem aliquorum ſuperiorum præmiſſam hæc dicta ſunt. Quòd modò quorumcunque ſubditorum (quod in iſto quarto tangebatur), non accipiendo perſonā cuiuſque, Deus cūram habere hic dignoſcatur, patet a fortiori. Si enim aſinæ animalis uiliſſimi, deſpectiſſimi, ad onera nati tantam curam habet, quantam curam de hominibus quantumcunque uilibus habebit? Adeò quòd iſtud argumētum ex littera ſumptum declarat, quòd Deus hominum etiam uiliſſimorū, deſpectiſſimorum, ad onera natorum, curam habet maximā circa onera ipſis impoſita. Vide. Quid faciet de his, qui ad onera magna nati non ſunt? Quomodo pro eis uindictam exercebit?

DE QVINTO.

EX quinto ſupra in examine primo dicto enim aduertas, q ſubditis dabitur in die iudicij locus, & modus; quibus ſe cōtra ſuperiores iniuſtè ſe iam affligētes rationabiliter defendāt, & quibus rōnabiliter ſuperiores ipſos confundant. Ecce aſina p rationes cōfundit ipſum Balaā, & in ſuam a rationibus adductis ipſum coactū fecit uenire ſententiā. Quid (inquit) feci tibi? Cur percutis me? Ecce iam tertiò? (uide, quam audacter loquitur. Signum, quòd audaces reddētur ſubditi a Deo tūc in die iudicij aduerſus malos olim ſuperiores ſuos non inquantum ſuperiores; ſed inquantum ſine ratione ipſos grauauerunt.) Quaſi argumentetur, & dicat. Non debet grauari, ſeu percuti, inferior ſine cauſa; ideſt niſi aliquid mali fecerit; ſed ego nihil mali nunc feci; ergo nō debeo nunc percuti a te mihi ſuperiore. Cum igitur a te percutiar, & pluries (Ecce iam tertio, inquit) percutiar; tu iniuſtè agis, & ego iniuſtè affligor. Vide, quam prudenter loquitur, & argutè, aſina. Vis, modo cernere, quod fecit illa rationibus ſuis tantùm, ut ipſum Balaam in ſuam ſententiam adduxerit? Audi. Maior illa aſinæ (ſcilicet non debet grauari inferior ſine cauſa a ſuperiore) nullam patitur difficultatem, ut quæ nota ſit ex ſe; & ideò ſola minor a Balaam negari poterat, illa ſcilicet, q aſina tūc nil mali feciſſet; ac propterea ab aſina ſola minor probatur ſic. Dic, quid ſimile unquam fecerim tibi. Quaſi dicat. Solita non ſum ſic facere; & ideò, ſi non haberē cauſam, hoc nunc non facerem; & ideo hoc, quod nunc facio, non eſt malum. Vt ſic ſtet minoris probatio ad formam propoſitionis reducta. Faciens aliquid ex cauſa non facit aliquid mali: ſed ego facio ſic ex cauſa, & cauſa magna: ergo non facio aliquid mali. Vides nè probatam minorem, & quidem ex abundantiori doctrina? Ex abundantiori, inquam, doctrina, quoniam non ſolum probat aſina, q nil mali fecit; ſed etiam quòd multum bene fecit. Nam qui facit aliquid cum cauſa & nil mali facit, & bene facit; & qui cum magna cauſa (ut aſina ſubſumit) & bene facit, & multum bene. Relinquitur ergo ea probatione aſinæ, q ipſa nec mali aliquid tunc fecerit, & quod aliquid boni fecerit, & quòd aliquid ualdè boni fecerit. Breuibus ergo multa in ſui iuſtificationem dixit aſina, id quod ſapientiam multam ſapit. Quid autem dices, ſi aſinam uideris facere, q Balaā redargutionem (quod in ſciētijs magnum eſt peccatum) committat? Audi, ut intelligas iſtud. Tota uis rationis aſinæ ſtabat in hoc, quòd ipſa non erat ſolita, facere reſiſtentiam uoluntati Domini ſui Balaam; imò nec unquam huius rei patratrix. Hinc enim ſequebatur liquidò, quòd nunc ſine cauſa reſiſtentiam hanc non feciſſet; & conſequenter q nunc aliquid mali non commiſiſſet. Ecce q aſina fundabat totam argumentationem ſuper iſtud; q ſcilicet non erat ſolita reſiſtere ſic patrono ſuo. Si hoc igitur aſinę fecerit confiteri patronum ſuum, utique faciet illum confiteri, quòd nil mali tunc fecit; & conſequenter, q ſine cauſa uerberabatur. Audi, ut faciat hoc. Dic (inquit aſina). Magna res, atque notanda. In percutientis pectore ponit iudicium æquitatis. Ergo maxima aſinæ erit iuſtificatio, ſi a percutiente manabit; ut contra ſeipſum loquatur, & in aſinæ fauorē. Dic (ait) quid ſimile unquam fecerim tibi. At Balaam ait nunquam. Viden, q Balaam fatetur liberrimè, q aſina non erat ſolita facere ſibi reſiſtentiam? Nonnè ergo conſequenter fatetur, quòd aſina non feciſſet hanc nouiter, niſi habuiſſet cauſam? Nonnè igitur conſequenter fatetur, q aſina in hoc nil mali fecit? Nonnè conſequenter ergo fatetur, q Aſina nihil commeruit mali, & quòd non illuſit ſibi? Nonnè tandem conſequenter fatetur, quòd ipſemet inſipienter fecit, & percutiendo aſinam, & percutiendo pluries, & gladium ad eam ferendam exoptando? Vtique. Iſtæ autem ſunt redargutiones, quas committit Balaam in eodem ſermone, & ui rationis ab aſina adductæ. Nam primis in hac diſputatione ab aſina interrogatus de iuſtitia percuſſionis reſpondit; Quia commeruiſti, & illuſiſti mihi. Nunc autem propter aſinæ replicam contrarium huius, quod dixerat, confiteri cogitur (ut adductum eſt). Iſta eſt inſipientia illa huius prophetæ, quam animal ſubiugale repræhēdiſſe, dicit Petrus Apoſtolus 2. epiſt. cap. 2. Inſipientiam enim, & eam maximam, prophetæ monſtrauit eſſe aſina, dum ipſum in una diſputatione ex ui diſputationis redarguere ſemetipſum coegit, & quidē multifor miter: Nam per hoc, & ſeipſum male dixiſſe prius, & malè feciſſe prius, & aſinam bene prius dixiſſe, & eam bene prius feciſſe redarguitus monſtrauit. Quantò autem maior fuit iſtius Balaam inſipientia, tanto maior fuit aſinæ ſapientia. Quid ſapientius, quàm cogere per rationem aduerſarium iuſtificare ſuum aduerſarium, & condemnare ſemetipſum? Hinc ergo agnoſce, quòd omnis peccator iumento inſipientior eſt, & quòd à iumento rationabiliter, ſi ei datetur fandi copia, tū repræhenderetur, tùm etiam nolens de peccato conuinceretur. Nam in figura omnium peccatorum iſta inter Balaam & aſinam collata ſunt. Cæterum quia in locutione illa aſinę forſan negares fundamentum inferre ea, quæ diximus, ſcilicet non eſſe ſolitum inferre, quòd facere contrarium nouiter ſit cū aliqua cauſa; ideò quamuis ab aſina id ſupponatur in littera, probatur per philoſophum. Dicit nanque (& eſt uulgatum) quòd ab eodem ſemper procedit idem, niſi impediatur. (Hoc maximè uerū eſt in rebus inuoluntarijs, qualia ſunt iumenta, & taliter per longum tempus aſſuetis, qualis erat aſina Balaam. Nam conſuetudo eſt altera natura, & conſequenter eodem modo procedit, niſi impedimentum habeat.) Quid modo poteſt impedire aliquid, niſi fortius fuerit illo? Fortius autem eū non ſit effectus cauſa ſua; ſed cauſa effectu; patet, quòd illud impedimentum non poteſt eſſe niſi aliqua cauſa. Quandoquidem, & quæ rarò fiunt propter huiuſmodi rationem, habent ſuam cauſam. Cum ergo aſina eſſet idem naturaliter, & per aſſuefactionem; idem ſanè feciſſet, quod antea, niſi cauſam habuiſſet. Ecce igitur, quam uerіſſimum erat fundamentum illud, ſcilicet iſthæc propoſitio, q ſcilicet qui non eſt ſolitus facere ſic, is neutique facit ſic, niſi habeat cauſam. Ad rem igitur principalem. In die iudicij (dicebamus) aperiet Deus ora afflictorum iniuſtè ſubditorum; & afflictores quondam ſuos confundent, & è contra obturabit Deus ora olim iniuſtè affligentium, & contra ſeipſos in fauorem afflictorum ſententiam dabunt. Tunc erit gloria magna afflictis coram Angelis Dei ſimul diſcumbentibus, & confuſio magna iam affligentibus. Vis uidere, q iſta duo erunt facta coram Angelis Dei? Cerne parū per Angelum hic ſtantem; & totam hanc diſputationem audiētem. O quantum mirabatur Angelus hic de inſipientia ipſius Balaam, & de multiplici ſapientia aſinæ. Iſtam ſapientiam approbabat, ac in ea delectabatur; illam inſipientiam reprobabat, ac eam ſtomacabatur. Mirum, quòd tandiu patiens fuerit ad inſipientiæ tantæ auditum. Vis quoque cernere, quòd duo ſupradicta (ſcilicet gloria bonorum, & confuſio malorum) fient coram non tantum Angelis, ſed etiam corám illis ſimul diſcumbentibus? Audi ſequentia. Angelus iſte quid fecit?

DE SEXTO.

ILLVD, quod circa ſextum in examen primo dictum annotabis; hoc tibi demonſtrabit. Quid fecit Angelus? Reſumpſit dictum aſinæ, & Balaam ipſum uehementer increpauit. Parum dixi. Non tantùm ipſum uehementer increpauit; ſed

etiam

etiam ipſum maximè eſſe obligatum aſinæ demonſtrauit. Quid enim eſt monſtrare hoc, niſi ineffabiliter quaſi augere increpationem, & inſipientiam prophetæ multo maiorē quàm aſina oſtenderat, declarare? Quid eſt hoc, niſi aſinam de ſapiētia laudare uſq; ad cœlū; & prophetæ inſipientiā demergere, uſq; in abiſſum? Quid eſt hoc, niſi ſtare in fauorē aſinæ, & ſtare cōtra patronū aſinæ? Quid eſt hoc igit, niſi tanq̄ diſcūbere quoddā ſup mēſam aſinæ cōtra faciē ipſius Balaā? Coram ergo ſimul diſcumbentibus Angelis exercebitur gloria bonorum, atque confuſio malorum. Nec mireris, quòd dixerim, Angelum hunc diſcumbere in menſa aſinæ: quandoquidem diſcumbere in menſa alicuius, eſt cibos illius degustare, atque manducare. Si Angelum igitur aſinę argutionē contra Balaam ſumentem uides in littera, eamque in immenſum, quaſi guſto ipſius argutionis delectatus, exaltantem; cur Angelum in menſa aſinæ diſcumbentem dicere miraris? In immenſum (inquam) argutionem aſinæ exaltauit; quando aſinam modeſtius redarguiſſe prophetam mōſtrauit, quā meruiſſet propheta ipſe. Niſi (inquit) aſina declinaſſet, te occidiſſem. Quaſi diceret. Poterat aſina te redarguere de ingratitudine omnium maxima, & tamen huic correptioni ſilentium impoſuit. Ingratitudo omnium maxima eſt non benefacere illi, qui te à proxima morte uiolenta ſaluauit. Quanta igitur tua ingratitudo eſt, qui aſinam te à tali morte ſaluantem caſtigare auſiſti? Nonnè illam pro eo, quod de uia declinauit, uerberaſti? Utique. Ergo pro bono tibi facto illam oppreſiſti. Nam niſi illa taliter declinaſſet; te occidiſſem. Et ut iſtud in tui ſolummodo beneficium factum cognoſcas, aduerte, quòd te occiſo adhuc illa uiueret. Propter te ergo ſolum occidendum ueneram; ſed aſina te, nullo periculo de illa exiſtente, ſaluauit. Quare ergo percutis aſinam tuam? Tuā; quia te à laſſitudine portando ſeruat; tuam quia tibi ſemper obediens erat: tuam; quia te ad locum, quo properas, portat: tuam; quia te à morte tibi à me proximè infligenda nunc ſaluat. Ingratiſſimè omnium, etiam tertiò uerberas. Vide, ſi non coram Angelis ſimul diſcumbentibus confundentur mali, & exaltabuntur boni.

EXAMEN III.

ISTA uniuerſa dicta ſint in figura. Ad factum diei iudicii tranſeamus; & uideamus, quàm benè figuratum reſpondeat figuræ. Quomodo legis in libro ſapientię de iſto negocio? Stabunt (inquit) iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Ecce aſina. Vidiſti eius conſtantiam & corporalem, & uocalem, & rationalem: unde dixiſti illam, non ſolum eſſe conſtantiā, ſed conſtantiam magnam. Vidiſti hanc ſtare aduerſus eum, qui ſe anguſtiauerat iam tertiò; & uſque ad mortem inclusiuè anguſtiare optantem ſeipſam, quæ mortem illi intercepetat: uidiſti, quomodo ſtetit contra eum, qui abſtulit labores eius. Abſtulit Balaam tunc labores aſinæ dupliciter, tùm quia ipſam contra ius puniuit iam in ſuo ſeruitio fatigatam, tùm quia eam pro labore ſibi impenſo non remunerauit. Ita ſancti illi, & iuſti. Stabunt (inquit) in magna conſtantia &c. Æſtimabantur beſtiæ uiliſſimæ priùs ab anguſtiatoribus; & tunc apparebunt (id faciente Deo) coram illis rationales homines, ac intellectu pleni. Æſtimabantur beſtiæ abſque fortitudine multa contra alios; & tunc ſtabunt, & in conſtantia ſtabunt, & in magna ſtabunt, & aduerſus eos ſtabunt. Æſtimatunt igitur mali iuſtos aſinos; & tunc quid fiet, audi. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur &c. quemadmodū Balaam. Quomodo credis, ipſum tunc horruiſſe; quādo aſinā rationibus humanis, uocibusq; plenā audiuit? Quomodo tunc turbatum illum putas; quando aſinam ſe tam cōſtanter corripientem fultam ratione perſenſit? Quomodo tunc timuit Balaam; quando ex inſperato aſinam huminem ſonantem conſpexit? Eya ſpectaculum inſolitum. Sicut ergo inſolitum fuit ipſi Balaam iſtud; nec unquam, niſi hoc oculis uidiſſet, ſomniare potuiſſet: ita uiris malis huiuſmodi nū quàm poſſibile uidetur, quòd inferiores ab ipſis totupliciter nunc excruciati futuri ſint quandoque contra ſeipſos in tanta conſtantia loquentes; & hoc miraculum nunquam futurum iudicant. Cæterum miraculum quidem erit; ſed tamen quandoque erit. Turbabuntur ergo tunc mali, tùm ratione inſperati euentus, tùm ratione inſolitæ rei, tùm ratione correptionis a bonis ſibi factæ, tùm ratione confuſionis à multiplici parte ſuper ſeipſos factæ. Non enim à iuſtis tantùm, ſed etiā ab Angelis iuſtorum cuſtodibus, de ſua ipſorum crudelitate corripientur, & de ſuaipſorum ingratitudine contra ſubditos bonos. Quoties, inquient Angeli, tibi patrono ſeruus iſte uitam ſeruauit? Quoties à te iram diuinam abſtulit? Quoties facta contra te diuina in uerba commutauit? Non enim minoris bonitatis eſt bonus ſubditus apud Deum erga patronū ſuum, quam aſina Balaam apud Angelum erga patronum ſuum. Si igitur aſina hæc fecit, ut Angelus facta mortifera contra Balaam in uerba commutaret; multò magis ſubditi ſimplices, multi, uiles, muti, (ſuam ſcilicet rationem, quia non audiūtur, tacentes) ualorem habebunt commutandi orationibus ſuis iram factorum diuinorum contra patronos in iram uerborum. Sed uideant (ab appoſitis) patroni; ne ſubditi orent contra eos, quoniam tunc iram uerborum diuinorum in iram factorum commutabunt. Non enim hoc cauſa dixit Angelus, quòd aſina per declinationem ipſi Balaam uitam ſaluauit. Reliquit enim ex hoc, quod niſi illa declinaſſet, mortem ipſe Balaam ab Angelo incurriſſet. Ergo ſi boni ſubditi non facient pro Dominis ſuis; iam de Dominis ipſis actum eſt. Quid igitur fiet de Dominis ipſis, ſi ſubditi illi facient per orationes, uel clamores, uel lamentationes, contra Dominos ipſos? Profectò qui audiuit aſinæ Balaam clamorē contra Balaam; multò magis illorum ſubditorum clamorem audiet, & exaudiet. Conſiderauit Angelus uerberationem, etiam ad unum, a Balaam aſinæ iniuſte datam; & ſic (ut ſupra) contra Balaam pro aſina excanduit; & non uis, ut Deus conſideret ærumnas ſubditorum iniuſtè à quibuſdam inflictas, & contra quoſdam illos pluſquam uehementer excandeat? Excandet utique, exardebit, & de dolore oppreſſorum plenam uindictam gladio euaginato per Angelos faciet. *Vide per totum.*

QVÆSTIO CVM RESPON.

QVOD ſi quæras, quis dabit tantam conſtantiam olim deſpectis contra olim nobiliſſimos, in promptu reſpōſio eſt: quòd ſcilicet Dominus faciet hoc. Quid legis in capitulo? Quòd Dominus Deus aperuit os aſinæ contra inſipientiam ipſius Balaam. Deus ergo tunc aperiet ora ſeruorum ſuorum, etiam ſubditorum non ſaluandorum, ad loquendum contra quorundam dominorum ſuorum inſipientem crudelitatem, qua ipſi domini eos uelut aſinos in regimine tractauerunt. Subditorum, dixi, etiam non ſaluandorum, ſicuti nec iſta aſina in æternam ſalutem ingreſſa eſt. Subditi ergo quicunq; iniuſtè oppreſſi tūc in oppreſſores ſuos rationabiliter accuſandos inſurgent a Deo conſtantia magna donati. Hos adiuuabunt & Angeli in increpatione Dominorum illorum, qui ſubditos ab Angelis ipſis cuſtoditos pro aſinis tractauerunt. Ideò namque aſinæ nunc aſſimilantur, tāquàm figurę, ſubditi illi, qui contra Dominos in nouiſſimo die ſtabunt in magna conſtantia. Hoc autem, quòd in nouiſſimo dabitur ſubditis loquella præmiſſa, ex littera trahit fundamentum. Nam aſinæ non data fuit loquendi copia contra patronum ſuum; niſi poſt multas uerberationes, & percuſſiones. Quid hoc eſt? Quod in ultimo poſt uefaniam aliquorum Dominorum nimiá contra ſubditos dabitur loquendi facultas ſubditis his ad increpationem iniuſtitiæ dominorum illorum, & ad ſui iuſtam excuſationem. Nunc Domini illi cędunt aſinū hunc, & non poteſt loqui; uel propter iram maiorem Dominorum incurrendam, ſi contra eos etiam muſitarent, uel propter conſcientiam propriam in puritate & patienti obedientia ſeruandam, quæ aliquomodo inficeretur ſic obloquendo. *Vide.* Idcirco benè faciunt ſubditi nunc cum patientia, ſilentioque (more aſinæ Balaam) ſupportantes uerbera Dominorū ſuorum. Venient autem dies, in quibus aperiet Dominus os aſinæ, & tunc in magna conſtantia, ſine ſcrupulo ſcilicet conſcientiæ, loqui poterunt quæcunque iuſta ratio ſuadebit. In tantum uerò iſta repræhenſio nouiſſima ſubditorum erga olim opprimentes ſe prævalebit, ut opprimentes iſti inſipiēnam ſuam fateri coram Angelis cogantur (Peccaui inquit Balaam, circa percuſſionem aſinæ ab Angelo correptus), & ſubditorum olim ſuorum patientiam, dictaque tunc, approbare. Nos (inquient) inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam &c. Ecce quomodo inter filios Dei computati ſunt &c. Ergo errauimus a uia ueritatis &c. Vide, ſi non omnia, quæ in figura iſta continentur circa aſinam, & Balaam, tunc uerificabuntur in figurato circa bonos, & malos.

EXAMEN IIII.

QVANDO in ſcriptura itaque multoties audis, quòd ſancti clamant ad dominum contra olim ſui oppreſſores, recordare tunc aſinæ huius clamantis contra

Balaam

Balaam. Et ne forſan ſuſpiceris, illum clamorem ſanctorum eſſe cum aliquali peccato, cùm uindictam ſui ſanguinis poſcant; reminiſcere, quòd aſina Balaã non ſimpliciter locuta eſt, ſed uoce hominis. i. uoce rationali. Vbi aũt eſt recta ratio non eſt peccatum. Et ſi uis noſſe, qui præcipuè tunc clamant, uide, quo uocatur iſtud iumentũ. Vocatur. n. aſina. Quid eſt aſina? Animal utique mille modis angariatum, & humile, ut ſupra diximus. Et (ut in littera ſiſtamus) animal fuiſſe percuſſum, animal multoties uerberatum, animal præ anguſtia in terram proſtratum. Qui ſunt hi, niſi ſancti martyres, qui iniuſtiſſimè à tyrannis (tanquam à Balaam) oppreſſi fuerunt? Hi uitam principum illorum ſuis orationibus, ſua ſancta uita, à morte ſubitanea ſæpius liberarũt (ut in legẽdis martyrũ illorũ conſpicitur): & tñ pro benemeritis à tyrannorũ manibus afflicti multipliciter fuerunt. Alij uerberati, alij fuſtibus angariati, alij ad uaria ſupplicia deducti, ſecundum quòd ira tyrannorum tyrannos mouebat. Non enim ſine cauſa hic dictum fuit, quòd Balaam iratus, & uehementius iratus, uerberationes illas frequentabat, & mortem aſinæ cum deſiderio expoſtulabat. Quare? Vt cognoſcas, quòd ira uehementi feruebant tyranni cõtra martyres, & omnia, quæ ipſis ira ſuadebat, ſupplicia in eos exercebant. Nec ſemel, aut bis eos contentabantur affixiſſe, ſed ternò, qui eſt numerus perfectus, illos excruciabant. Hoc eſt. Toties, quoties furor ſuggerebat, tormenta in martyres replicabant, eos nõ minus, quàm aſinas, pertractantes. Et quid eſt, quòd Balaam aſinæ mortem exoptat, non tamen illam morte afficit? Quia non deerat quidem tyrannis uoluntas peſſima multorum ſuppliciorum (ut patet de rota Sanctæ Catherinæ martyris, de igne ſanctæ Agnetis, de leonibus ſanctæ Teclæ,) ſed deerat facultas. Faciebant enim quod poterant, & quod non poterant, facere exoptabant; ſed non omnia, quæ uoluiſſent, poterant contra martyres. Quod autem dico de martyribus, intellige etiam proportionaliter de alijs ſanctis. Inuenies nanque in uitis ſanctorum, quòd innumera ſibi tentata ſunt a malis contraria, quæ ipſi mali perficere non potuerunt.

¶ Alexander ærarius oſtendit (inquiebat Apoſtolus) mihi multa mala. Quare oſtendit tantum? Quia quod minabatur uerbo (id oſtendere uocat Apoſtolus); non potuit exercere facto. Vide D. Thomam ibi ſuper Apoſtolum. Sic & de Antichriſto, & de omnibus malis hominibus, intelligas. Ideò. n. datur Angelus cuſtos omnibus his malis hominibus, ut refrenentur, nè poſſint omnia, quæ uolunt, mala facere cõtra proximos, uel etiã contra ſemetipſos; ut habes a S. Tho. 1. q. 113. ar. 4. Idem & de diabolo ſentias, quòd ſcilicet non omnia, quæ uult mala, poteſt operari in Sanctos, aliosque homines. Hi omnes mali, ſiue homines, ſiue diaboli repræſentantur nunc in Balaam, cùm gladium ad occidendam aſinã cupit, & tamen illius tunc habendi facultate nolens caret. Vnde ſicut non excuſatur Balaam à uulneratione aſinæ, quãdoquidem per uoluntatem non ſtetit, quin eam uulneraret: ita nõ excuſantur præmiſſi à pluri malo faciendo contra Sanctos; quoniam per uoluntatem eorum non ſtetit, quòd illa mala non facerent; ſed quia aliundè impediti contra uoluntatem ſuam fuerunt.

EXCLVSIO FALSI.

NE autem credas ullo modo, quòd Deus non exaudiet Sanctos illos, & quòd non ſtabit pro bonis, cõtra quoſcunque miniſtros, hunc paſſum litteræ bene conſidera. Quem? Quòd Angelus non tantùm ſtetit pro aſina; ſed mox, ſtatim uerbis ab aſina completis, apparuit Angelus in defenſionẽ aſinæ (ut in littera patet). Hoc mox denotauit textus, cùm uia finita diſputatione inter Balaam, & aſinã ſuam dicit ly Protinus. Protinus, inquit, aperuit oculos &c. Qui ergo ſuccurrit aſinæ, & protinus; qui exaudiuit aſinam conquærentem de domino ſuo, & protinus; quomodo non exaudiet clamores oppreſſorum, uel ſanctorum, in uindictam opprimentium; & protinus? Vnde ergo diffidentia, uel paruula nobis in oratione naſcitur de Dei exauditione? Vnde non timor opprimentium de ira Dei quaſi contra eos dormiente? Quaſi dormiebat Angelus antequam reuelaretur, ſed non dormiebat. Quare non dormiebat? Quia præſens erat, & aſinæ rationes bonas audiebat. Quare non dormiebat? Quia euaginato gladio ſtabat. Nota hic, quòd euaginatum gladium non tantùm habuit tunc, quando Balaam uidit ipſum Angelum; ſed etiam antequam Balaam ipſi manifeſtaretur Angelus, gladium euaginatum habebat in manu. Sic littera docet. Quare? Vt inde cognoſcas; quòd Deus non dormit in ſua iuſtitia, etiam quòd hominibus uideatur dormire propter hoc, quòd citò non manifeſtat iuſtitiam ſuam. Sed citò, & nimis citò pro illis, erit, quando manifeſtabit iuſtitiam ſuam contra illos. Hanc ob rem de Angelo manifeſtante furorẽ ſuum dicitur in littera, quòd protinus &c. Quomodo protinus, ſi aliquantiſper expectauit, antequam ſe iratum ipſi Balaam manifeſtaret? Quia protinus fit, quod tempore opportuno fit. Quoniam igitur opportuno tempore ſemper Deus manifeſtat iuſtitiam ſuam; ideò ſemper Deus manifeſtat protinus iram ſuam, etiam quod per multum temporis, ad manifeſtandum illam, idest antequam manifeſtaret illam, ſtaret. Verùm tarditatem ſupplicij grauitate compẽſat. Vis hoc uidere? Ecce, quod non reprehendit, quando reuelatur, ipſum Balaam tantummodo de percuſſione aſinæ (ſicut ex querella aſinæ exaudita putabamus); ſed etiã de hoc, quòd uia ſua erat peruerſa, Angeloque ipſi contraria. Aſinam exaudiuit citò, parumper pro furore indicando expectauit; ſed iſtud parumper tardare, grauitate maiori compenſauit. Et idcircò hac ratione ſententia, ultra prædictas, protinus ſecit. Vide, quot rationibus dicitur Deus non tardare ad puniendum peccatores, & uindicandum oppreſſos; etiam quòd multum temporis inter flagitium, & ſupplicium; inter orationis oppreſſorum exauditionẽ, & exauditionis manifeſtationem, interponatur. Quod autem iſta Angeli facta apparitio ſit quædam orationis aſinæ exauditio (id quod ſemper ſupponebat) patet hinc, quia. ſ. Angelus querellam ab aſina factam replicauit. Quare credis, eum illã replicare, niſi ut eam a ſe exauditam uſque ad minimum iota inſinuet? Vſque ad minimum iota, inquam, quia replicat ly ternò. Ecce, quomodo querellam aſinæ adamuſſim exauditã teſtatur. Quid? Non tantùm querellam, ſed etiam rationem querellæ, exauditam oſtendit. Vbi? Ibi, quando dicit ly Tuam. Non enim ſimpliciter ait aſinam; ſed aſinam tuam. Curre ad rationem ab aſina pro querella adductã ſupra; & uidebis, quòd tota fundabatur in hoc, quod aſina erat ſua. i. ipſius Balaam. Quid eſt, aſſe ſuam? Eſt, aſinam ſeruiſſe ſemper ipſi Balaam pro ipſo deferendo, ſine reſiſtentia. Hoc modo (ut de quinto ſupra patet) eſt fundamentum totius rationis ab aſina adductæ.

EXAMEN V.

VTARIS in ſuperioribus dictis memento argumentorum à fortiori. Verbi gratia. Si pro aſina Angelus fecit ſic, uel ſic: ergo multò magis pro homine. Si crudelitas in aſinam uituperatur: ergo multò magis crudelitas in hominem uituperanda eſt. Nota tamen, quòd illa in irrationalia non uituperatur, quia ſit peccatum; ſed quia ſæuitiam quandam animi crudelitatem exercentis oſtendit, inquantum ſcilicet dicimus quòd homo, quantum poteſt rationabiliter, deberet eſſe ſemper circa quæcumque humanus. Crudelitas uerò in rationalia uituperatur, quia eſt peccatum, quia ſcilicet eſt contra mandatum diuinum. Irrationalia namque ſunt à Deo facta in uſum hominum, ut etiam homo licitè ea occidere poſſit 2. 2. q. 64. ar. 1. Rationalia uerò non item. Argumẽtari ſecũdò recolas a fortiori in ſupradictis, ſic. Si in ſubditos ſuos iniuſtum eſt eſſe crudelem: ergo multò magis eo nõ ſibi ſubditos. Argumentari tertiò memineris a fortiori, ſic. Si Angelus zelat in fauorẽ iniuſtè afflictorum contra affligẽtes: ergo Angelus proprius magis zelabit pro ſibi indiuidualiter commiſſo ad cuſtodiendum. Concludes quartò ex omnibus his, quòd iniuſtas gabellas, pedagia, guidagia, & alia grauamina huiuſmodi. i. iniuſta imponẽtes ſtrictiſſimam uindictã diuinam ſuſtinebunt. Vnde ex hoc capitulo omnia huiuſmodi grauamina, ſi ſint iniqua, damnabis.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Alligant onera grauia; & importabilia: & imponunt ſuper humeros hominum. Hic & in ſimilibus potes adducere exemplum de aſina iſta; &, ut ſupra, diſcurrere. Quare hic etiam Chriſtus facit mẽtionem de hoc? Vt oſtendat; quòd de grauaminibus huiuſmodi ipſemet faciet computum; & diſtrictam exiget rationem. Argue, ut ſupra, à fortiori. Vel ad &c.

APeruit Dominus os aſinæ, & locuta eſt &c. *Text.*

Concl. 8. *Deus inſipientiſſimos poteſt ſtatim abſque ullis eorum meritis facere ſapientiſſimos, & ſapientiſſi-*

mos

mos uice uerſa facere ab illis prius inſipientiſſimis rationibus ſuperari ita, ut ipſimet ſuperati ſe ſuperatos fateri cogantur. [Ex eo.]

Ratio. ASINA animal eſt ſecundum ſe mutum, ratiocinij prorſus natura inſcium: & tamen, cum natura tale ſit, à Deo in momento & uoce humana, & ratiocinio humano donata eſt. Donata talibus inauditis beneficijs eſt, quando Deus uoluit, & pro quanto tẽpore Deus uoluit; atq; talibus, ſecundum quod Deo placuit, ſpoliata. E contra uero ipſe Balaam natura eſt rationalis, natura ratiocinijs uti ualens: & tamẽ, cum natura talis ſit, ab aſina repræhenditur, ac in ratiocinio ignominioſè ſuperatur. Iſta ſunt in figura noſtri temporis, ac noſtræ inſtructionis, facta.

APPENDIX.

1 HINC ergo habes primò, quòd nemini, quamuis ignariſſimo de doctrina adipiſcenda deſperandum eſt; ſed cum maxima fiducia ad Deum pro auxilio ſcientiæ opportuno recurrendum. *Aureū.* Deus enim, qui non defuit aſinæ in dando illi uocem hominis, minus deerit homini in dando illi uocem doctioris hominis. Plus namque diſtat aſina à uoce hominis abſolutè, quàm homo unus à uoce hominis doctioris. Parum dixi. Non tantùm uocem humanam, ut uos eſt, dedit aſinæ; ſed uocem talem, ut ſapientialis eſſet. Vnde ſi aſina (ut dicebamus) plus diſtat à uoce hominis, ut uox eſt; conſequens eſt, quòd plus diſtet à uoce ſibi tunc data, quæ ſapientialis eſt: ut uidimus: ſi autem plus diſtat à uoce tunc ſibi data, quàm à uoce abſolutè hominis; utique homo unus à uoce doctoris hominis minus diſtabit, quam aſina à uoce tunc ſibi data. Si ergo non obſtante aſinæ diſtantia, & naturali quidem, Deus tam ſapienti uoce mox aſinam donauit, non dubitandum ullo pacto, quod poteſt homini cuiq; omnium ignorantiſſimo ſapientiam ſapientibus grandiorẽ mox infundere. Si hoc poteſt, utique, & hoc homini donabit cuiuis, ſi & melius id eſſe uiderit, & homo faciat, quòd in ſe eſt. Quomodo igitur diffidere poteſt homo de habenda ſapientia a Deo in tempore ſuo (hoc tempus ſunt conditiones illæ duæ, quas nunc, nunc diximus); quando eam ſubiugali animali in inſtãti communicauit? Dixi; ſi homo faciat, quòd ſe eſt; quia aſinam hic uideo feciſſe quod in ſe erat pro accipienda ſapientia. Non enim obturatum tenuit os, quando Deus uoluit id aperire, & deſiderabat (id quod modo ſuo unicuique naturale eſt) poſſe dicare ius ſuum, ſeu rationem ſuam. Sit & homo non obturet os ſuum, quando Deus uult id aperire, idest non faciat Deo in hoc reſiſtentiam. Similiter homo orationibus crebris ſapientiam ſibi cœlitùs dari efflagitet, & hoc eſt, deſiderare ſcire dicere rationem ſuam.

¶ Quomodo obturat homo os ſuum, quando Deus uult id aperire? Non acquieſcendo commoditatibus addiſcendi, quas illi Deus quotidie præparat. *Beneficia pro ſtudio per to[illegible] in mundo & conſeruo.* Quando enim præparat alicui commoditatẽ addiſcendi, tunc ſignum hoc euidens eſt, quod Deus eſt ſic promptus eſt ad aperiendum huius hominis os, tùm interius ad capiendum ſapientiæ altitudinem, tùm exterius ad effundendum illam pro tempore congruenti. Quæ ſunt commoditates addiſcendi, quas alicui Deus parat? bonum ingenium, bona memoria, uigiles ſenſus tùm interni, tùm externi, quies mentis, retractio è mundanis uertiginibus (puta per religionis ingreſſum); frequentia ſacramentorum (per hæc enim graditur anima purior, & conſequenter à Deo ad ſapientiam mobilior); frequentia orationum, maximè communium (hinc fit uia animæ ad aſcendendum ſupra ſe, ubi eſt ſapientia) ſibi rerũ neceſſariarum, ſufficiens prouiſio etiam ubique ſua ſolicitudine (hinc fit, ut homo poſſit ſe totum ſtudio immergere); bonus doctor, aſſiduitas in repetendis auditis à doctore, ſiue per concluſiones diſputando, ſiue examina recitando, ſiue per interrogationes alios doctiores te cõſulendo; calamus ad omnia pro ſtudio facientia diſtinctiſſimè (pro ſuo modulo) ſcribendum uelociter; collatio condiſcipuli alicuius ad ſtudium apti; lectio mentalis continua, idest ut ſiue ambules, ſiue ſtes, ſiue cõmedas, ſiue domi, ſiue foris exiſtas, ſemper de re litteraria, aut tecum, aut cum alio pertractes; & librum bonorum librorum indeficient pro tempore à te præfixo ſenſata ſpeculatio (id quod uulgò dicitur ſtudiare da per te) iſtę ſunt cõmoditates addiſcendi, quas Deus cùm dederit alicui, per hoc demonſtrat, quod uult, ſicut olim iſtius aſinæ, aperire os eius ad narrãdũ ſapientialia capeſcenda. Certè, ſi aſina obſtructum os tenuiſſet, quãdo id uoluit Deus aperire, nũquam locuta fuiſſet. Ita ſimiliter homo etiam, quòd huiuſmodi omnes commoditates ſimul (ut religioſi maximè ordinis prædicatorum) ferè uniuerſas addiſcendi poſſideat, nihil in ſapientia proficiet, ſi illis commoditatibus, ſecundum quòd oportet, non utatur. Talis poſtea de Deo non conqueratur, ſi remanſerit ignorans; ſed de ſemetipſo: quoniã quod aſina iſta fecit, ille facere neglexit, idest aperire os, ſeu potius aperienti Deo non facere reſiſtentiam. Talis ab aſina iſta conſequenter iudicabitur; quoniam aſina Deo uolenti aperire os ſuum obediuit, quod iſte non fecit.

¶ Secundò habes, quòd nullus de ſua ſapientia, ſeu ſcientia quauis ſuperbire debet. Nam à Deo poteſt citò confundi, ſi uoluerit, ſicut factum eſt de Balaam. Perdam, aiebat Deus, ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Quòd ergo ſciamus, quod prudẽtiam habeamus, quòd prudenter loquamur, & nos prudenter in tali, uel tali negocio habeamus; totum Deo attribuamus ſcientes, ipſum operari omnia in nobis pro ſua bona uoluntate (ut Apoſtolus, non pro noſtris meritis); & conſequenter ueraciter humiles ſimus in oĩ ſapientia nobis data. Alioquin, per aſinam perdet ſapientiam noſtram, atque prudentiam. Vide quanta ſit ſuperborum confuſio; & cõſequenter quam odibiles ſint Deo ſuperbi. Non enim cõtentatur iuſtitia diuina eos confundere per quemcunque hominem; ſed etiam per beſtiam, & per beſtiam alijs beſtialiorem, idest inſipientiorem. Perdidit ergo tunc ſapientiam ſapientum, & prudentiã prudentum reprobauit, quando per creaturas ſtultiſſimas (ſecũdum mundi opinionem) creaturas nobiliſſimas (ſecũdum mundum) & ſapientiſſimas confudit, & ita, ut in primò ſtultiſſimorum reputatorum ſapientiſſimi adducerentur ſententiam. Cuius rei nouiſſimè fiendæ illa de aſina figura fuit. 2

¶ Tertiò igitur conſequenter habes, quod ignobiles, ſtulti infirmi (ſecundum carnem, ut ait Apoſtolus figuræ iſti correſpondens) confundere, atque conuertere debebant nobiles, ſapientes, fortes. Hæc igitur figura nonnè tunc impleta eſt, quando per Apoſtolos conuerſus eſt mundus, quando Deus per inſcium ſecundum mundum conuertit philoſophum, per piſcatorem conuertit Imperatorem? Et quos nõ conuertit Deus per Apoſtolos, ac ſimiles, certè confundit. Lege in uitis, martirijsque tùm ſanctorum tùm ſanctorum Dei, & tanta ſupra quam narramus, inuenies, ut mirari ſatis nequeas. Equidem figura iſta de aſina (ut patet) ſatis miraculoſa fuit; tantòque magis, quantò ab ante, & retro nunquam amplius audita fuit; ſed figuratum prędictum de Apoſtolis, Apoſtolorumque filijs pluſquam miraculoſum extitit. Illa figura mirabilis, & inſolita alijs ſeculis fuit, quia bona figurarum, & mirabile, & inſolitum alijs ſeculis futurum erat. Seculis, inquàm antè; quia nunquam in teſtamento ueteri, aut hyſtorijs quorumcunque cronicorum, tanta mirabilia a quoquam ante Apoſtolos facta inuenies: ſeculis, inquam retro; quia poſt huiuſmodi noſtram ætatem nullum ſeculum, cum ſit ultima, ſuperueniet, & conſequenter tunc nil tale Apoſtolis æquale factum reperies. Nonquid non tũc impletam iſtam figuram uides, & in domino gaudes, quando ſanctiſſima Catherina martyr contra tot ſapientiſſimos uiros, ſola uictoriam ſapientiæ habuit; eoſque in ſuam ipſius ſententiam uoluntarios traxit? Nunquid non de beatiſſimo Papa Syluestro quando legis, quòd tot iudæos litteratiſſimos uous coram Conſtantino in illorum inſipientia cõfudit; tunc figuram hanc impletam cernis, & lætaris? Nonne, quando ſeraphicam Catherinam de ſenis maximos theologos, & altę litteraturę uiros diuino ſpiritu ſuperaſſe, illorumque aliquos ad bonam frugem ex inſipientia eorum nutrice conuertiſſe mox inſpicis, tunc figuram iſtam in ſuo figurato effulſiſſe autumas, & exultas? 3

¶ Nunquid in uirtute propria prędicti ſancti, & ſanctę, alij que innumeri ſimiles, iſta fecerunt? Nequaquam: alioquin figuræ non reſponderet figuratum. Dic mihi. Aſina in qua uirtute locuta ſic eſt, in Dei, an in ſua? Non in ſua, quandoquidem ex ſe loqui ſic non erat apta, ſed muta prorſus, ſed in Dei; quoniam Dominus ſupra naturã in ea operatus eſt mirabilia iſta. Quare uoluit Deus, quòd aſina de ſe ad huiuſmodi eſſet inepta? Vt uirtutem Dei in talibus aſinæ factis eſſe, fateri manifeſtiſſimè cogereris. Si nãque aſina de ſe adaptationem aliquam ad iſta habuiſſet, forſitan uirtuti ſuæ hęc facta attribuiſſes. Nunc autem, quoniam nullam de ſe ad illa

aptitudinem

aptitudinem habuit: Quid cogeris dicere, etiam ſi proteruiẽ di copia detur? Digitus Dei eſt hic. Iam non aſina operatur iſtud; ſed quiſ mouet ipſam Deus. Quæcunque hic igitur ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Attribuebas forſan Apoſtolis; quod in uirtute ſua totum mundum confudiſſent, totum mundum conuertiſſent, tanta inaudita patraſſent. Quid fecit Deus, ut non ſuam ipſorum, ſed ſuam ipſius Dei hic uirtutem fuiſſe ubique apertiſſimè cerneres? Aſinam fecit eſſe figuram ſanctorum ſimplicium Apoſtolorum, & Apoſtolos ipſos eſſe figuratum. Ac ſi, hoc agendo, aperta uoce tibi dixiſſet. Quemadmodum extremæ dementiæ eſſet, iſtam ſapientem loquellam, iſtamque cum uictoria diſputationem erga patronum ſuum, attribuere uirtuti naturali aſinę: ita prorſus ſupremæ eſt ſtultitię, tantam Apoſtolorum eloquentiam de cęleſtibus, facundiam tantã in rationibus, facilitatem, tantam in mutandis hominum mundi patronorũ cordibus, linguarum ſuarum agilitatem tantam in educendis ab oculis hominum lachrymarum fontibus, tantã facultatem in miraculorum ſtupendorum operationibus, idq́ue genus huiuſmodi, attribuere uirtuti naturali Apoſtolorum. Sicut namque aſinæ poſſibile naturaliter non erat, talia facere: ita nec Apoſtolis (ut nunc declarabitur) id per naturam poſſibile erat. Non ergo in uirtute ſua ipſorum naturali aut fecerunt, aut facere potuerunt tàm miranda: maximè in momento, & in conuerſione hominum ad Deum. Dixi ly in momento propter illorum ſapientem loquellam. Poſſent enim aliqui obijcere, quòd naturali uirtute, cùm eſſent rationales, potuiſſent litteraliter loqui. Cui obiectioni ſatisfactũ eſt per negationem, dicẽdo ly In momento; quoniam natura non mutat in inſtanti illiteratos in litteratos, & præſertim tàm litteratos; nec puſillanimes in animoſos; & præſertim tà animoſos; nec penè elingues in uerbis copioſos, & præſertim tã copioſos. Dixi, ly In cõuerſione hominũ ad Deum, propter excluſionẽ diabolicæ operationis interuenientis (id quod tyranni ſubindè mẽtiebantur, & ſanctis improperabant; dicentes, magica eſſe, quæ ſancti feciſſent, mirabilia). Ad tyrannos nãque prædictos, ac ſimiles, dicitur; quod diabolus non quærit nec per ſe, nec per alium, nec totaliter, nec partialiter, nec à caſu, nec à fortuna, nec alio quouis modo conuertere ad Deum; nec cooperatur ex conſequenti illi, qui conuerſioni hominum ad Deum per mirabilia facta inſudat. Imò ſiquis ad Deum uel conuerſus ſit, uel conuerſioni tali proximus; ipſum, quantis poteſt uiribus, atque modis impedire nititur a conuerſione tali, uel iam conuerſum à Deo auertere. Huc toto conatu fertur diabolus tùm media carne, tùm medio mundo (ideò mundus, & caro, dicuntur tentare; quia ſcilicet diabolus his utitur ad tentandum: quemadmodum ſi quis utitur ſulphoratis ad ignem accendendum. Ea propter diabolus ſolus intelligitur ab Apoſtolo ibi; Nè fortè tentet uos is, qui tentat. Nomen ergo diaboli eſt; is, qui tentat) tùm medijs operationibus mirandis (ſicut faciet per Antichriſtum), tùm omnibus modis ab ipſo poſſibilibus: tantum abeſt, ut ad conuerſionem hominum in Deum quoquo modo operetur.

¶ Non itaque uirtute propria potuerunt, nedum operati non ſunt, tanta Apoſtoli, ſed nec uirtute aliqua diaboli. Cuius ergo uirtute operati ſunt illa? Virtute illius, cuius uirtute nunc loquitur aſina. Virtute igitur Dei, quoniam ſcriptũ eſt; Aperuit Dominus os aſinæ, & locuta eſt. Nec mireris, ſi ſanctos Apoſtolos, ſanctoſq́ue primitiuos, uel alios, per aſinam figuratos dixerim, quoniam & Chriſtus in comparatione minus ſanctus dignior in ueteri teſtamẽto per uilia irrationalia aĩalia (ut habuimus in Leuitico ſæpius), & parum antè per

Vide. ſerpentem æneũ, figuratus eſt. 1 q 1 ar. 9. In figuris enim ad figurata applicandis ſumimus tantum illa, quæ faciunt ad propoſitum; alias uerò figurantis rei conditiones abiicimus.

¶ Quartò habes, quod naturalia quæque obediunt Deo in omnibus, quæ ipſe uoluerit, ad nutum. Hæc autem obedientia uocatur à Diuo Thoma (in quæſtionibus diſputatis de potentia Dei) potentia obedientialis. Diffinitur uerò ſic. Potentia obedientialis eſt habilitas rerum, quæ habiles ſunt ad hoc, ut in illis fiat à Deo, quicquid ipſe uult. Hęc modò habilitas non eſt ex principijs ſpecificis rei, nec ex indiuidualibus: & ideò prædicta rerum potentia non poteſt dici potentia naturalis, ſed potentia obedientialis. Eſt ergo iſta potentia reſpectus quidam creaturæ ad Deum; ut ſcilicet poſſit in ea fieri a Deo, quicquid Deo placuerit.

NOTATIO I.

DE OBEDIEN.

HOc ultimum bene notato contra inobedientes. Vide hic, aſinam obediſſe Deo; uide ſupra petram pro dandis ea ſe aquis obediſſe Deo; uide, coturnices pro ſatiandis filijs Iſrael ad conuolandum in unum locum obediſſe Deo; uide mare rubrum pro itinere ſicco Iſraelitis præbendo obediſſe Deo; uide ſerpentes igniꝰs à diuerſis partibus ſtatim in uno loco collectos pro caſtigandis Iſraelitis obediſſe Deo, & multas huiuſmodi etiam inanimatorũ obedientias & ſupra, & infra, cõperies. Ad hanc obedientiã inſinuandã inuenies in ſcriptura ordinatiè aliquod uerbũ, Deo factũ attribuẽs. Verbi gratia. Immiſit Dominus igniꝰs ſerpentes &c. Aperuit Dominus os aſinæ &c. Diuiſit mare rubrum &c. Adduxit coturnices &c. Hanc obedientiam intellige per ly Dicam (ſcilicet ego Dominus) gladio, trãſi; item per ly Vocabo Nabucodonoſor &c. Item per ly dixit Dominus piſci, & euomuit Ionã

In prophetis. &c. Item per ly præcepi coruo, ut paſcat te &c. Item per ly ab aquilone adducam ſemen tuũ &c. Item per ly uocauit Deus locuſtam &c. Hanc obedientiam exprimit ſcriptura ibi per ly Stellæ uocatæ ſunt: Et dixerunt aſſumus. Vocatæ ſunt, Ecce uoluntas Dei ad faciendum in ſtellis, quęcunque uult. Dixerunt, aſſumus, Ecce natura creata præparata ſemper. Hoc denotat ly aſſumus) ad hoc, ut fiat in ea quicquid Deus decreuerit. Obedientiam etiam uniuerſalem uniuerſarum creaturarum ſine intellectu quoque expreſſit pſalmus per ly Præceptum poſuit, ſcilicet Deus, & non præteribit, ſcilicet natura etiam inanimata hoc præceptũ; Vide hic; quomodo non præterit. Non tam citò dictum eſt, aperuit Dominus os aſinæ, quin ſequitur opus executorium creaturę, ſcilicet locuta eſt. Quare hoc expreſſit ſcriptura? Nonnè ſuffeciſſet dicere, aperuit Dominus os aſinæ? Forſan ad denotandum liberum arbitrium in aſina, quo potuiſſet aperienti os reſiſtere, dixit; & locuta eſt? Minimè. Non enim liberum arbitrium recepit hæc aſina à Deo per hoc, quòd Deus aperuit os eius. Cæterũ ſi non potuit obſtare aſina, nõnè ſtatim intelligitur, quòd ipſa locuta eſt, poſtquàm Dominus os eius aperuit? Ad quid ergo exprimere? Non ſuperfluum eſt hoc exprimere, licèt aſina libero careret arbitrio. Exprimit enim hoc ſcriptura, ut oſtendat, creaturas non ſolum obedire in quacunque re Deo; ſed etiam promptè. Quaſi per illam immediatam expreſſionem de locutione aſinæ, facta ſcriptura dixerit: Vix uerba Domini aperientis os finita erant; & obedientia aſinę ſecuta eſt. Hoc ſacrum annotauit eloquium non contra inobedientes tantum; ſed etiam contra obedientes tardè.

¶ Et notabis, quòd omnia miracula circa creaturas inanimatas pertinent ad iſtam obedientiam, ſeu potentiam obedientialem. Item aduertas, quòd iſtæ creaturæ non tantùm Deo immediatè; ſed Deo per miniſtros, reddunt citò hanc obedientiam, ut patet diſcurrenti per ſcripturas; puta de petra, mari rubro &c. obedientibus Moyſi. Per hoc autem intelligas, damnatos à creaturis præmiſſis fuiſſe illos, qui miniſtris Dei obedire nolunt. In ſui enim excuſationem mali

Vide. dicunt: Ego libentiſſimè obedirem Deo; ſed homini obedire nolo. O inſipiens homo; Quid fecit mare rubrum? Nõ Deo tantum; ſed homini propter Deum, imò & uirgæ propter Deum, obediuit, ut mirabiliſſimè ſtatim diuideretur ad præbendum iter fidelibus, & congregaretur ad dandam mortẽ infidelibus. Extende (ait Dominus Moyſi) uirgam tuam ſuper mare. Cur adhiberi uirgam hic uoluit Deus? Nunquid non mare obediſſet Deo ſine interuentu uirgæ? Vtique. At per hoc uoluit oſtendere Deus, quòd non tantum ſibi immediatè cupit obediri a nobis; ſed etiam ſibi mediantibus creaturis; id quod eſt obedire creaturis propter Deum. Obediſti creaturæ contra Deum ò homo in primo parente, & ideò iuſtitia Dei uult, ut creaturæ obedias propter Deum. Illa obedientia cauſauit perditionem: non ergo dubium, quod iſta obedientia cauſabit ſalutem. Contra inobedientes ergo miniſtris ſuis quibuslibet clamat Deus, quoties (id quod multoties eſt) unam creaturam mediante alia ſibi obediri facit. Et, ut cognoſcas, quòd iſta obedientia propter Deum a creatura obediente fit, non propter creaturam mediam; creatura illa obediens facit tunc id, quòd nulla creatura auxiliante poteſt facere. Verbi gratia. Diuiſio maris rubri non auxilio uirgæ facta eſt; ſed tantum auxilio diuino. Adhibita ergo uirga fuit in ſignum, quòd Deus uult obediri ſibi etiam creatura mediante; & quod talis obedientia propter Deum ſolum fa-

ęta reputatur, niſi diſtorta obedientis mi‑ceatur intentio. Quandoque autem uult (ſed rariùs) ſibi obediri ſine media creatura iubente, ſeu mandatum Dei intimante; id quòd patet hic circa factum ab aſina. Dominus enim ſolus aperuit os aſinæ; & protinus obedientia aſinæ ſecuta eſt. Forſan autem apertionem hanc fecit miniſterio Angeli apparentis. Sed ſi ſic fecit, multò magis approbatur obedientia ſupradicta mediantibus creaturis à nobis reddita Deo. Ad alios ſcripturæ locos præmiſſa aptes.

NOTATIO II.
DE OBEDIEN.

ADVERTE quoque, quòd ſicut potentia obedientialis linguam aſinæ mutauit, ad formandaque uerba inſolita portauit; ita (a fortiori) uirtus obedientiæ ad omnia hominis manuata a Deo (ſiue immediatè ſiue mediatè) portabit hominem, etiam quòd ſupra hominis iſtius uires mandatorum illorum impletio omnino ſit. Non enim minus operabitur in homine obedientię uirtus, quàm in bruto, ſi non ponat homo illi obicem. Vtquid enim uirtus hæc obedientię in bruto, inanimatisque oſtenſa eſt, niſi ut homo inde de illo, quod diximus, erudiatur? Figura ergo iſta fuit omnium mirabilium circa obedientiam hominum monſtrandorum. Vis cernere huius figuratum. i. mirabilia hæc? Ecce. Quando Petrus Beatiſſimus Apoſtolorum Princeps ad obedientiam Chriſti ſuper aquas ambulauit: quando ſanctus Maurus ad mandatum B. Benedicti idem fecit; & condiſcipulum ex aquis penè merſum liberauit: quando Leenam alter ad mandatum ſancti cuiuſdam patris ligauit manſuetam; ac ad monaſterium conduxit: quando ad mandatum cuiuſdam Patris diſcipulus lignum aridum adaquauit, fructuſque producere fecit. Alia mirabilia multa huiuſmodi tùm in uitis ſanctorū, tùm in ſcripturis ſanctis, tùm in Doctorū atteſtationibus, comperies, quæ uirtutem obedientiæ ad exequenda, quæ ſunt ultra naturam, plurimos portaſſe ſuauiter, eloquuntur. Iſtam omnem uirtutem obediētiæ monſtrauit Deus tùm in figuris his teſtamēti ueteris, tùm in figuratis omnibus teſtamenti noui; ut nos homines ad obediendū ſibi promptiſſimos, ac fere (ut ita dicam) omnipotentes redderet. Quid ergo dubitas de uiribus, uel de huiuſmodi; quando tibi obedientia iniungitur? Aperi os tuum, ut aſina, & dominus omnibus ſibi placitis implebit illud.

RESPONSIO TACITÆ
OBIECTIONIS.

NON propterea, quæ dicta ſunt, intelligas, quòd aſinæ huic præbuerit Deus intellectum. Potuit enim loqui exterius, & non habere conceptum interius eorum, quæ loquebatur. Sicut a ſimili de Caypha dicitur, quando uerba de morte Chriſti dixit in concilio; quòd hæc non dixit à ſemetipſo. Hoc eſt. Quòd non intellexit uerba, quæ dicebat, ſecundum ſenſum Spiritus Sācti, qui eius linguā ad illa uerba formāda mouebat. Sicut ergo mouit linguā Cayphæ Spiritus Sanctus ad formationem illorum uerborum; non autem ad intellectum uerborum ſecundum ſenſum mouētis Spiritus Sancti; ita aſinæ huius linguam ad formationem uerborum illorū mouit, non tamen ad uerborum formatorum intelligentiā. Quemadmodum verò potuit intelligentiam illorum uerborum ſecundum ſenſum diuinum tradere Cayphæ, cui uerba conuiliatrix & intelligentiā ſm ſenſum uerborum potuit tradere aſinæ iſti, cui uerborum formationem donauit. Quid enim prohibet, Deum poſſe dare alicui intelligentiam aliquā uerborum ſine intellectu, qui poteſt dare alicui peccatorum remiſſionem ſine ſacramentis? Nonnè & dare potuit intelligentiam ſupernaturalem Cayphæ in uerbis ſuis abſq; hoc, quod Cayphas ſupernaturaliter per gratiā à Spiritu Sācto inhabitaretur? Nonnè donat accidentibus, quòd ſine ſubſtantia uiſibiliter exiſtant. Potuit ergo Deus aſinæ huic uerborum formatorum intelligentiam aliqualem donare, etiam quòd intellectiuam potentiam illi non donaſſet. An autem id ei donauerit, ea littera (quod uideam) non habetur.

Corol. ¶ Ergo nos debemus in Deo maximè confidere, utpotè illi, qui apud Deum, quatenus homines, ſimus pluris aſina. Ergo in nullis afflictionibus animo deficere debemus, quia qui aſinæ ſuccurrit, & nobis (ſi orauerimus eum, ut decet) auxiliabitur abſque dubio. Ergo ab aſina obediētiam promptā Deo, & hominibus propter Deum, diſcere debemus. Ergo Deus orandus fiducialiter, quia plus dat, quam intelligimus. Quis unquam putaſſet, Deum daturum eſſe loquelam iumento huic? Et tamen ipſam ei dedit.

¶ Applica ad ly (Euāgelium) Reuelaſti ea paruulis. Iſtud Euangelij dictum fuit præfiguratum in hoc iumento nunc. Huic enim, quod paruulum eſt. i. ſimpliciſſimum inter alia reuelauit Deus Angelum, & dedit loqui uoce rationali. Sic & paruulis, id eſt ſimplicibus Apoſtolis, ac alijs ſanctis, reuelauit Deus per Angelos (nam, ſecundum B. Gregorium, omnia gubernationis miniſteria exequitur Deus per Angelos) arcana ſua uidenda, & eos uocibus altiſonis fecit loqui, a ſapientibus autem ac prudentibus (qualis erat iſte Balaam) illa abſcondit.

COROLLARIVM
MAGNVM AVARVM.

NON ergo mireris, ſi hæreticis, utpotè ipſi Balaam ſimilibus, abſconſa ſunt ſecreta ſcripturarum, quæ humilibus chriſtianis ſub Chriſti Vicario cōſtitutis reuelantur quotidiè, reuelata ſunt, ac reuelabuntur. Non mireris, ſi iſtis humilibus in perſona Apoſtolorum dictum eſt; quòd Spiritus Sanctus doceret eos omnia; quòd ſuggereret eis omnia; quòd non eſſent ipſi, qui loquerentur; ſed Spiritus Patris eorū, qui loqueretur in eis. Quid enim mirandum; ſi Spiritus Sanctus loquutus ſit per homines idiotas, ſimplices, ignobiles, rudes; quando per aſinam Balaam, horum nouiſſimorum figuram, arguere locutus eſt? Quid etiam mirandum, ſi Deus ſe uiris ſimplicibus manifeſtet (utpotè paſtoribus in eadem regione Luc. 2.), non magnatis iudęorum etiam in ciuitate Bethleem pręſentibus; quando aſinæ tantùm prius, non Balaam etiam præſenti, Angelus ſe in prædictorum figura manifeſtauit? Ergo nec mirandum, ſi hæretici putant catholicos, dùm uiſa in ſcripturis arcana loquūtur, delirare: quoniam & Balaam hoc ipſum de aſina æſtimabat; cùm illa ob Angelicam uiſionem de uia, quam uolebat ipſe Balaam, recedebat. Quid aſina in hoc figurat? Bonos catholicos. Quid Balaā? Hæreticos, aliosque infideles. Dum ergo iſti catholici per Angelum uiuum. i. inſtructorē, bonam uiam rapiūt, mali infideles errare ipſos exiſtimant. Quare? Quia infideles adhuc angelum non uidēt i. eius inſtructiones ab intus non ſentiunt. Veh, veh catholicis, ſi non uiderent Angelum; quia tunc uiam, quam deſiderant infideles, tenerent. Nonnè & aſina tenuiſſet uiam, quā uolebat Balaam; ſi Angelum non uidiſſet? Vtiq; ſed quia Angelū uidit, ideò a uia, quam uolebat Balaam, declinauit. Vis cernere, iſtam declinationem fuiſſe bonam? Audias Angelū dicentem; quòd ſi aſina de uia Balaam non declinaſſet, occiſio ipſius Balaam ſecuta fuiſſet. In quo utique figuratur, quod fideles, quamuis ab infidelibus multipliciter afflicti, ſunt cauſa; quòd infidelium uita tollatur de mundo, & hoc propter fidelium optimas uias. i. operationes. Ergo ſicut Balaam cognouit, quod aſina fecit bonā uiam, poſtquam uidit Angelum; ita cognoſcent infideles, quòd catholici bonam viam. i. ueram fidē cum dogmatibus, tenent; quando ad dominum conuerſi fuerint. Quandiu enim non conuertētur ad dominum; tandiù iudicabunt, catholicos è uia errare; ac illos, tanquam errantes è uia uarijs modis uſque ad mortem ſaltem in uoto uerberabunt. Nunquid Balaā prius, quàm Angelum cerneret, cognouit, quod aſina nō errabat, & quod in bona, imò optima uia erat? Non. Sed quamprimum uidit Angelum, & aſinam nullo modo uiā aberraſſe, & ſemetipſum in iudicio procul à uero diſceſſiſſe, cognouit. Infideles igitur nunquam ſe errare in iudicio uiæ tenendæ, & catholicos benè procedere, cognoſcent; niſi quando conuerſi fuerint ad dominum. Tunc. n. & nō antè, auferetur uelamen (Apoſtolo teſte per extenſionem ad infideles quoſcūque) de cordibus eorum, quo nunc Deus huius ſeculi tenet cęcatas mentes ipſorum infidelium. Ergo orationibus multum inſiſtendum, ut infideles conuertantur. Tunc enim non amplius (uelut Balaam poſt uiſionem Angeli) uerberabunt catholicos & linguis, & maledictis, & calcaribus, & fuſte, & uſque ad optatam internitionē. Imò tunc nobiſcum in iudicio conuenient, & nos, quòd ſuam ipſorum uitam conſeruauerimus (ipſis non tantum neſcientibus, ſed etiam contrarium de nobis opinātibus. Balaam nanque ideò in figura putabat aſinā viam ſibi contrariam: licèt reuera eſſet ſui ſaluatricem), amore proſequētur; atque conſequenter de inflictis nobis uerberationibus dolebunt. Quæ autem dicis de catholicis & infidelibus, tu proportionaliter dicas etiam de quibuſcunque malis. Figura enim fuit aſina hic non modo catholi-

corum

eorum reſpectu quorumcunque infidelium per Balaam figuratorum; ſed etiam bonorum quorumlibet reſpectu quorúuis maiorum per Balaam ſignificatorum.

NOT. TEXTVALIS.

ADVERTAS, quòd dominus multa tibi in textu demóſtrat, quæ miranda uidentur. In quo textu? Ibi: Si uocare te uenerunt homines iſti; ſurge, & uade cum eis; ita duntaxat, ut quod tibi præcepero facias. Surrexit Balaam mane, & ſtrata aſina profectus eſt cum eis. Et iratus eſt Deus. Ecce textus, de quo loquebatur. Primum mirandum, quod oſtenditur hic, eſt ſuper ly Si uenerunt uocare te homines iſti, quomodo ſcilicet ignorare poſſit Deus aliquid, qui ſcit oĩa ad unguem, antequam fiant. Quòd ſi nõ ignorat quare modo ignorantiam prætẽdente (ſi uenerunt, inquit, te uocare) utitur hic? Secundum mirandum eſt ſuper ly Surge uade &c. ſurrexit, profectus eſt &c. Et iratus eſt Deus, quomodo. ſ. Deus potuerit iure iraſci contra Balaam, cùm Balaam de conſilio Dei profectus ſit. Nõ ergo, obedire Deo uidebitur ipſi charum, cũ contra obedientes iraſcatur. Tertium mirandum eſt ſuper ly Ita duntaxát, ut quod præcepero facias, quare Angelus infra replicat iſtud mandatum, & quare aliquid replicando addit. Caue (inquit), nè aliud, quam præcepero tibi, loquaris. Ecce, quòd Angelus ultra dictam illam primitus propoſitionem aliam addat, negatiuam. ſ. ly Nè aliud quàm præcepero tibi loquaris, duas propoſitiones includit: Vnam affirmatiuam. ſ. loquaris quod ego præcepero tibi; & unam negatiuam. ſ. nil aliud loquaris. Affirmatiuam dixit ſupra Deus; ſed negatiuam nõ. Angelus nunc replicat affirmatiuam illam; & ſimul addit negatiuam. Vndè hoc? Forſan oblitus fuerat Deus dicere negatiuam? Audi ergo per ſingula.

DE PRIMO.

CIRCA primum ſciendum eſt pro certo, quòd nulla ignorantia, quantumcunq; parua, cadit in Deo, imò nec in ipſo, cũ ſciẽtia Dei ſit Deus omni ex parte perfectiſſimus, adeſſe ullo modo poteſt. Quorſum aũt mõ ignorantis loquatur, & cõditionaliter, multæ ſunt rationes. Prima eſt, quia Deus capaci hominum ſe conformat, ſeu diſpoſitioni. Vnde quia ſciebat, ipſum Balaam auaritiam ſectaturum putando quaſi ꝙ Deus non uideret: ideo more non uidentis omnia loquitur. Quaſi diceret. Tu Balaam non putas me cognoſcere omnia, tum quia ariolus es, tùm quia citò contra meum uenturus es mandatum; ideò tibi teipſum in mente quaſi ſis exprimens, modo ignorantiã ſonante loquor. Hac ratione, multotiens dubitatiuè loquitur peccatoribus Deus: utputa ibi: Si cognouiſſetis me (inquit Chriſtus) forſitã, & patrem meum cognouiſſetis. Hic enim tacitè exprimit, quòd iudæi ipſum eſſe unum cũ patre nõ credebãt. Similiter ibi: Quid præcepit uobis Moyſes? Et ſimilia multa ad iudæos. In omnibus enim his locutionibus demonſtrat, ꝙ iudæi non credebant, Chriſtum ſcire legem, & ſimilia. Vnde ad modos multos ignorãtiam ſonãtes, quibus loquitur Chriſtus ad iudæos, inſpice, & ꝙ non crederent iudæi circa Chriſtum in modo ipſo loquẽdi, tanquam in ſpeculo, uidebis. Hãc conformitatem Dei ad hominum ſæpere tetigit propheta, cum Deo dixit: Cum ſancto ſanctus eris & cũ peruerſo peruerteris. Quòd aũt Balaã ex eo, quòd malus erat Deum omnia ſcire non opinaretur, patet ſi ſciẽtiam practicam (de hac n. loquimur, cum ſpeculatiua tantum parum proficiat ad ſalutem) conſideremus. Si n. ſcientiam practicã de cognitione Dei habuiſſet, utiq; malus nõ fuiſſet. De cognitione namq; practica tñ quis habet quantum a peccatis abſtinet. Vnde ſcriptum eſt, quòd timor domini expellit omne peccatum. Si ergo expellit omne peccatum, conſequens eſt, ut tunc timorem domini non habeat quis quando peccat. Et cum timor ſcientiam practicam dicat, de qua legitur: Beatus, qui circũſpectionem Dei in ſenſu cogitabit; patet, quòd ſcientiam practicam de Dei omnium cognitione habens, quandiù hanc habuerit, non peccat. Vt igitur oſtendat Deus, hanc practicam noſtram non eſſe in peccatoribus; ideo ad eos modo ignorantiam præferente loquitur ſæpiùs. Exemplum: Mater ſcit perfectè loqui; tamen, quando cum puero ſuo loquitur, imperfectè loquitur. Si audias matrem ſic loquentem, nunquid ipſam neſcire loqui perfectè iudicabis ex hoc? Non; ſed eam dices uelle oſtendere, quid in puero exiſtat, ſcilicet imperfecta locutio. Cæterùm ſecunda ratio quare modo tali Deus loquitur,

Exempl.

eſt; quia uult oſtendere quid quomodo fieri debeat. Hoc eſt in propoſito. Voluit monſtrare Deus, quòd Balaam non iuiſſet, ad Balach, niſi tam ſolemnes nuncios habuiſſet. Vnde tacitè, dicendo prædictam conditionalem, de ambitione honoris taxauit ipſum Balaam. Ac ſi dixiſſet. Si iſti principes non ueniſſent uocare te, tu non multũ curares ire illùc. Nũc autem, quia ad hoc uenerunt, tu affectas ire illùc. Sic ergo tuum ire mouetur ab aduentu iſtorum principum. Dic ergo Si uenerunt iſti uocare uade, id eſt conditio aduentus iſtorum ad te, uocandum cadit ſuper animum tuum ad eundum. Non ergo conditio iſta cadebat ſecundum hanc expoſitionem ſuper Deum, & conſequenter nullã ignorantiam nec apparenter aſcribebat ei; ſed cadebat ſuper Balaam; & conſequenter oſtendebat ambitionem Balaam ad eundum. Tertia ratio, quare ſic conditionaliter loquitur, eſt, ut monſtret ſe ſcire dependentiam unius rei ad aliam; quamuis ſcientia ſua nõ ſit pendens, ſed ubiq; certiſſima. Exemplum: Si malè egeris, (inquit Deus ad Cayn) ſtatim in foribus peccatum tuum aderit. Ecce. Non propter hoc oſtenditur; quòd Deus neſciat firmiter, utrum malè acturus ſit Cayn; ſed oſtenditur dependentia unius propoſitionis ad aliam; quòd ſcilicet peccatum ipſius Cayn adeſſe in foribus ſtatim, (id eſt manifeſtandum eſſe palam, & citò) dependet ab hoc, quòd Cayn malè egit. Et ſic ibi oſtenditur, ꝙ iuſtitia diuina non damnat aliquem, nec pœnam peccati in aliquem affert, niſi pro peccato; id quod eſt, nos eſſe cauſam perditionis noſtræ, non autem Deum. Ita in propoſito iſto. Sciebat Deus ipſum ire ipſius Balaam depẽdere ab iſtorum aduentu ad illum uocandum; & ideo hoc modo loquẽdi uſus eſt. Ac ſi diceret. Tuũ ire non dependebit ex obedientia, quam mihi exhibere cupias; ſed ex aduentu iſtorũ, quos gratos habuiſſe demõſtrare peroptas. Hinc tua obediẽtia non erit obedientia; ſed quædam palliatio tui deſiderij principalis. Hinc patet, ꝙ Balaam principaliter propter aliud mouebatur ad eundum quia ſcilicet propter auaritiã. Amauit enim mercedem iniquitatis, ut dixit Petrus Apoſtolus, non propter obtemperandum Deo. Ideo non mirũ. ſi in uia, & in exitu ſuo a Balach, ſibi malè ſucceſſit, & non ſicut ſolet accidere obedientibus propter Deum. His namque (ut ſupra in Geneſi de Iacob in Meſopotamiam miſſo habuimus) ſemper omnia bene cedunt. Quomodo enim aliter uerificaretur, ꝙ diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ſi obedientibus propter Deum (id quod eſt maximè diligere Deum) non cooperarẽtur omnia in bonũ? Hinc ergo a facto ipſius Balaam habes clariſſimè, quòd nõ omnes ad dictum ſuperiorum ſuorum aliquid facientes poſſunt dici uerè obedientes; ſi propter aliud, quàm dictum ſuperioris principaliter mouentur. Et ideò non mireris, ſi pluribus quandoque in malum cedunt multa euntibus al. quo ad mandatum ſuperioris. (Exemplum. de Eſau ad mandatum patris ad uenandum eunte Geneſis 27.) Quare non debes mirari? Quia tales quandoque non ſunt uerè obedientes. Quare? Quia principaliter non propter dictum ſuperioris ad quippiam faciunt; ſed propter aliquid aliud tibi in animo ſitum. Vnde non Deo, aut ſuperiori, ſed ſibimetipſis obtemperant, & utuntur iuſſu ſuperioris, aut uolũtate requiſita ſuperioris, tanquam medio ad exequendum ſuum priuatum intentum. Vis noſſe, quando principaliter quis moueatur propter aliud à mãdato ſuperioris ad faciẽdum aliquid; & cõſequenter cognoſcere tales non obedientes, ſed inobedientes, ſed obedientia quaſi depictos? Ecce. Tolle id, quod ipſi tanquam per ſuperioris mandatum, inquirunt; iam ad ſuperioris ipſius mandatum ſurdeſcent. Verbi gratia. Mouetur quis ad eundum prædicare. Vis cernere, ſi moueatur principaliter propter ſuperioris mandatum, an propter aliud tanquam finem per hoc mandatum à ſe conquiſitum, puta propter pecuniam, honorem &c. Tolle pecuniæ ſpem, tolle honoris (puta nobilioris, aut frequentioris auditorij) ſpem, tolle huiuſmodi. Si iſte tunc incepit ſe excuſare ad dictum ſuperioris; iam habes, ꝙ minus eſt hic de uera obedientia. Si recalcitrat dicto prælati; iam habes, quòd non propter obedientiam mouetur ad prædicandum. Idem dico, ſi uis cognoſcere teipſum, an prædices propter ſalutem animarum, an propter aliud. Tolle illud aliud de medio, aut finge ipſum tolli; ſi tunc à prædicando retraheris, iam non propter ſalutem animarum moueris. O ſi non multi igitur eſſent ſimiles ipſi Balaam; qui non propter Deum obediunt, ſed aliquid propter aliud à Deo. Ideò obedientia eorum nõ eſt grata Deo. Ideò multa illis mala occurrunt, & contra eos

Obedientia denominatur ex principali.

Vide, & time ne ſis de talibus.

præualent, quia à Deo non merentur protegi in uia, qui iſtã uiam propter obediendum Deo, non faciunt. Si illam propter pecuniam faciunt, ſurgat pecunia, & opituletur illis, & in neceſſitate illos protegat. Si propter mundum &c. ſi propter carnem &c. ſi propter honorẽ &c. ſurgat mũdus &c. caro &c. honor, & opituletur illis, & in &c. Nõ enim iuſtũ eſt, ut a Deo recipiat auxilium, qui Deo in tali actione non ſeruit. Qua namque fronte dicet Deo; Adiuua me, qui in alterius a Deo facit ſeruitium, quod facere deberet pro Deo? Tales audient a Deo: Si uocare te uenerunt homines iſti, uade cum illis. Ac ſi ab ipſo audirent: Si ego præciperem uobis hoc, uos de non poſſe facere excuſaretis uoſmetipſos; aut certe facere non uelletis. Nunc autem, quia obiectum aliud à me uobis placens ibi adeſt, uos uultis non ire modò, ſed currere. Hic ergo (in propoſito tamen expoſitionis huius) tenetur ly Si, pro ly Quia; id eſt quia uocare te uenerunt homines iſti; & tenetur ly Surge, & uade pro ly Surges, & uades, id eſt ea hoc ſequetur, quòd tu ſurges, & uades. Eſt ergo quædam prænunciatio facti potius, quàm præceptum, uel conſilium, ut ſic fiat, ſicuti eſt de ly Soluite templum hoc &c. uel ſecundum expoſitionem præmiſſam eſt quædam permiſſio facti ad duritiam cordis Balaam facta. Quædam enim permittit Deus iratus, quæ non concederet placatus. Vnde ad hoc ſignificandum, quòd ſcilicet iſta fuerit permiſſio, ſequitur in textu; quòd poſtquam incepit Balaam ire cum illis, iratus eſt dominus. Signum ergo eſt, quòd iratus permiſit hoc. Ad duritiam, dixi, cordis Balaam; quoniam uidetur potius Balaam hoc extorſiſſe, quam eſſlagitaſſe. Hoc ſignificat ly Obſecro, dictum à Balaam ſecundis nuncijs (ut diximus) poſtquam nobiliores eos uidit, multaque promittentes. Præ amore namque concepto nimis ad mercedem mundanam, motus uidetur ad dicendum ly Obſecro; & ad poſtulandum ſecunda uice à Deo, utrum debuiſſet ire. Vnde ex conſequenti uidetur Deus illi condeſcendiſſe potius, quod eſt quoddam permittere, quàm illi dixiſſe illud, quod ſecũdum ſuum diuinum beneplacitum nolebat. Et hac de cauſa poſt dicitur, quòd iratus eſt dominus; cũ ipſe Balaã ad eundũ ſe accinxit, quaſi ex hoc diuino iraſci, oſtendatur, quòd tale ire non erat ſecundum beneplacitum diuinum in ſe conſideratum. Exemplum. Vidiſtin unquam prælatum quempiam propter ſubditi improbitatem potius, quam ex uoluntate propria libera, aliquid poſtulatum concedere ſubdito? Quid ille prælatus facit? Intra ſe iraſcitur quando uidet ſubditum, ad ei permiſſa agenda, accingi; & multò magis iraſcitur, quando uiderit, ſubditum ipſum illa proſequi. Quid dicit intra ſe prælatus ille? Subditus hic uidit, quod mihi diſplicebat hoc, & quantam, in ſignum huius, feceram difficultatem, antequã illum de hoc exaudirẽ. Deberet ille (ſubdit prælatus iratus) reſpicere potius ad uoluntatem beneplaciti mei (ſaltem nunc, ex quo non uoluit antea) quam ad ſuam propriam; & conſequenter ſcire, quòd ego non conſului illi hoc, ſed quaſi coactus permiſi; & conſequenter magis lento gradu procedere ad huius executionẽ, quam facit. Quid aliud facit prælatus ille? Quærit aliundè impedire ſubditum illum a proſecutione illa ſic latenter, ut quaſi non aduertat ſubditus, talem impeditionem a prælato ipſo uenire.

¶ Ad rem modò applica exemplũ iſtud, ut literam faciliùs intelligas. Sit ille prælatus, Deus; ſit ille ſubditus, Balaam. Vis cernere liquidò, quòd propter improbitatem nimiam ſubditi conceſſit Deus ipſum ire potius; quam ex uoluntate ſua libera? Ad effectus ſequentes (ut ſupra per exemplum) inſpice. Quando ipſe Balaam in procinctu ponitur ad exequendũ, tunc Deus iraſcitur; quando executionem Balaam proſequitur, tunc Deus ex miſſione angeli magis iraſcitur. Hi profectò ſunt contrarij effectus illis, qui fieri ſolent a prælato; quã do uiderit ſubditum exequentem illud, quod illi ſecundum beneplacitum ſuum mandauerat. Nam ſic uidendo prælatus hilareſcit, gaudet, lętatur, &c. ut ſine impedimento incœptum proſequatur, deſiderat: Perge conformiter ad ſuperius exemplum. Quid uerìſimiliter dicebat intra ſe Deus, quando contra Balaam exequentem permiſſionem illam iraſcebatur? Debuiſſet (inquiebat) conſiderare ipſe Balaam, quòd ſibi hoc permiſſerim potius ad uoluntatem ſuam, quam ad uoluntatem meam. Debuiſſet attendere, quòd abſolutè id mihi diſplicebat ire eius. In ſignum huius quantam difficultatem feci in prima nocte? Nonnè etiam in ſecunda nocte cognoſcere potuit, quòd ego non libenter petitionem conceſſi, cum quaſi nolendo abſolutè factum, conditionaliter illi locutus fuerim? Debuerat quidem, & poterat, uidere, quòd ego ſciebam, illos principes ueniſſe ad ſe uocandum (Hoc ex nuncijs de prima nocte, etiam abſque alia conſideratione poterat cognoſcere ipſe Balaam, quòd Deus ſciebat, ad quid ueniſſent iſti ſecundi): & conſequenter, quòd dicendo ſic conditionaliter, nolebam ciuili modo illi negare progreſſum. Ad hunc enim modum ſæpè loqui ſuperiores quotidiè nouimus; cùm, nos intelligere ciuiliter negatiuã eſſe de uoluntate ſua abſoluta, uolunt. Si (inquit) uenerunt te uocare illi, uade. Quaſi dicat. Ego, quòd uadas, non iubeo; ſed ſi aliunde tibi uidetur eundum, ego nolo prohibere; ego, tibi negatiuam apertè dando, te nolo contriſtare. Videant hinc inferiores, quomodo loquantur prælati, quando eis aliquid iniungunt, uel quaſi iniungunt. Videant, an extortam quaſi licentiam concedat ſuperior, an de uoluntate ſua ipſius liberè procedentem. In uicibus ipſis prælatorum ſenſum beneplaciti prælatorum exquirant; quoniam melius erit pro inferioribus ſenſum beneplaciti ſuperiorum exequi, quam licentiã quamcunque uerbalem ſibi ab ipſis cõceſſam. Videant quid magis prælatorum cordi eſt, ut faciant, quando ab eis licentiam aliquam capeſſunt; & illud faciant, dimittendo iſtud, quod ipſi prælati uidentur malè libẽter concedere. Quòd hæc fecerint ſubditi licentias petendo, non erunt ſimiles ipſi Balaam; & conſequenter nõ erit, quòd timeant de infauſto ſucceſſu in licentiarum datarum executione.

Aurea.

¶ Licentias igitur non petant à prælatis cùm hac intentione principaliter ut obtineant (ut uidetur feciſſe Balaam); ſed ut uideant circa id quid principaliter uelit prælatus; & conſequenter quid principaliter uelit Deus. Subditis taliter petentibus, & licentias obtinentibus, apparebit comes Angelus non euaginato gladio contra illos; quoniam eorum uia non erit contraria illi, neque peruerſa, ſed euaginato gladio pro illis contra impedimenta uniuerſa; quoniam eorum uia erit ſecundum Angeli uoluntatem, atque iniquitate carens. Hæc bene notent, necnon ſemper & ubique meminerint & obſeruent ſubditi: Alioquin & ſuperiores habebunt iratos contra ſe, & Angelos ſuperiorum cuſtodes, & ſuum propriũ Angelum cuſtodem. E contrario igitur, ſi prædicta notata ſeruauerint inferiores, habebunt & ipſos prælatos, & prælatorũ Angelos, & proprios Angelos cuſtodes, in uijs ſuis propitios.

Aurea notatio.

DE SECVNDO.

De ſecundo.

CIRCA Secundum mirandum in textu ſupra in examinatum ſciendum eſt, quòd hoc mirandum citius deſinit eſſe mirum, ſi prędicta ad memoriam reuocentur. Iratus enim Deus eſt non contra obedientem Balaam, ſed contra inobedientem. Aliud enim eſt facere ſibi permiſſum, tanquàm a ſemetipſo uolitum, aliud eſt facere ſibi conceſſum, tanquã ſuperiori placitum. Qui facit ſecundũ hoc, uerè dicitur obediens, atque Deo charus in actione ſua: qui uerò facit primũ illud, uerè inobediens dicitur, atque Deo exoſus in actione ſua. Primus enim uoluntatem propriam, non Dei, uerè facit; ſecundus uerò uoluntatem Dei uerè, non propria exequitur. Non iraſcitur Deus contra Balaam, inquantum licentiam petiuit; ſed iraſcitur contra eum, inquantum quod petebat, omninò impetrare intendit. Licentiam petere approbatur à Deo; ſed licentiam cùm tali intentione petere reprobatur ab ipſo. Hinc eſt; quòd talem licentiam exequenti iraſcitur; quia uoluntatem propriam formaliter exequitur. In tali namque executione non, quòd uoluntatem prælati in licentia faciat, delectatur; ſed, quòd uoluntatem propriam tali licentia uelatam expleat, cordetenus impinguatur. Non contra uoluntatem ſuam igitur in licentia datam iraſcitur Deus, ſed contra uoluntatem ipſius Balaam in licentia nimis à Balaam amatas.

¶ Vide, quantum nobis ſingulis noceat propria uoluntas, ut etiam in his, quæ cum licentia ſuperiorum facimus, nos offendat; ſi in talibus licentiis propria uoluntas nimis ametur. Conſequenter igitur facit, quòd demeritorium, uel ſaltem non meritorium, ſit id, quod alias meritorium, & maximè meritorium exiſteret. Quod enim facis cum licentia, meritorium eſt, ſi in licentia principaliter ametur uoluntas prælati, non tua propria. Si ſine licentia operaris; demereris, ſi etiam cum licentia tali mala, modo dicto, demereris. Vide. Si Angelus cõtrariatur, ac Deus iraſcitur, ipſi Balaam cum licentia tali mala (ob ſuimet, non Domini, deſectum) uiam arripienti; quid facturus erat tũm Deus, tum Angelus contra Balaam, ſi abſque licentia aliqua, aut contra expreſſam

inhibitionem, ut ripuiſſet iter? Etenim ſaltem ſuperiorem ſe habere Deum cognouit; dùm licentiam ab ipſo poſtulauit, quòd non oſtendiſſet, ſi abſque licentia petita uiam aggreſſus fuiſſet. Hoc igitur bonum fecit licentiã poſtulando: & ſi in licentia petita uoluntatem propriam nimis adamauerit. Bonum eſt igitur inferiori ſemper licentiam à ſuperiori petere: Etiam quòd in licentia petita, & obtenta, nimis pro uoluntate propria implenda effunderetur.

¶ Conclude igitur: quòd uerè obediens ſolus eſt ille, qui uoluntatem ſuperioris ante oculos pro ipſa implenda habet, ſiue ſine licentia à ſe petita, ſiue cum licentia, innoteſcat. Non uerus autem obediens eſt: qui uoluntatem propriam, tanquàm, formalem in licentia, facit. Inobediens autem manifeſtò eſt: qui uoluntatem propriam, renuente prælato, facit. Pluſquam autem inobediens eſt, qui licentiam à Prælato poſtulare non uult circa illa, quæ facit. Licentiam autem poſtulare, dico, in his: quæ licentium, ut fiant, nolunt. Nam in his, quæ prælatum uelle certò ſcimus, non oportet, licentiam expreſsè poſtulare: ſed intelliguntur fieri cum bona ipſorum licentia.

¶ Conſequenter igitur obedientia in his etiam ſalubriter locum habet: quę ideò fiunt a ſubdito, quia ipſa eſſe de beneplacito ſuperiorum nouit, etiam quòd ſpecialem de hoc, uel hoc, faciendo, uel dimittendo, non petat licentiam.

DE TERTIO.

De tertio.

CIRCA tertium ſupra in examinandum: ſcias, ꝙ pręcepta ob diuerſas cauſas quandoque reiterantur. Quandoque enim iterantur propter hoc, quòd illi, cui precepta ſunt, exciderunt memoria. Quandoque propter hoc, ꝙ præcipiẽs uult addere aliquid in mandatis, quod priùs nõ expreſſit. Quandoque propter hoc, ut cognoſcamus hinc, ipſam rem imperatam eſſe uehementer cordi ipſi ſuperiori. Quandoque propter hoc, ut hinc agnoſcamus, duritiem inferioris ad obediendũ, quaſi non ſufficiat ſemel ipſi ſubdito audiuiſſe mandatũ: ut (inquam) ſaltẽ importunitate præcipiẽtis uictus ſubditus mandatum adimplere ferè cogatur. Propter omnes penè has rationes Angelus replicauit mandatum datum ipſi Balaam. Relinquo primam rationem, quoniam nõ tantum temporis abierat, ut mãdatum è memoria ipſius Balaam euolaſſe credamus. Secunda igitur ratione facta fuit replicatio, quia Angelus addere uoluit ad primò factam inhibitionem. Quid autem ad ipſam addiderit: inobijciendo ſupra apparuit. Quare autẽ addiderit; nunc poſt rationes iſtas dicendum eſt. Tantum patienter expecta. Ob tertiam quoque rationem mandati huius replicatio facta eſt. Angelus.n. multum Deo cordi eſſe nouerat, nè populus per Balaam malediceretur, uel aliquid incommodi pateretur; Et iccircò ipſum mandatum replicauit. Quid? In replicando dixit, Caue; ut hanc diuinam cordialem curam circa populum ſuum uehemẽter magnificaret. Quod habes tu cordi, replicas: Quod autem magis, ut magis cordi, replicas cum attentione ab auditore captata, quæ attentio importatur per ly Caue.

Aureum

¶ O fœlices qui ſeruiunt Deo, ex quo tam cordialem curam de illis gerit Deus; & ab Angelis geri facit. Quid illis ſolicitandum nimis, uel anxiandum, de re aliqua, is tm̃ patronum, tantum Dominum, tantum amicum, pro cura ſui ipſorum gerenda ſolicitiſſimum, pluſquam credi uix poſſit, habeat continuè? Quarta etiam ratio fuit in cauſa, quare Angelus mandatum replicauerit; & hæc ratio elicitur ex textu. Quare etenim putas, quòd Angelus replicaturus minis agit, tam factorum, quam uerborum? Minis factorum quidem; quando ipſi Balaam gladium euaginatum demonſtrat, & ſe uiam ipſius impediuiſſe declarat: ut ſcilicet hinc de prætereundo mandato terreatur in bonum. Minis autem uerborum tunc agit: quando dicit ly Caue. Quaſi dicat. Hoc tranſgredi ualdè tibi periculoſum erit, ualde magnas tibi pœnas apportabit. Caue (inquam), quia multum tibi nocumentum, neglıgẽdo afferes; iram meam maiorem facies; Nec gladio te tunc occidere tantum, ut nunc, comminabor; ſed te occidam. Nunquid non tũc hoc Angeli ulorum comminatorium uerbum eſt impletum; quando filij Iſrael (Ioſuè 13.) occiderunt gladio hunc Balaam ariolum?

¶ Propter hoc (inquam. Vt uidimus) minis utitur replicaturus mandatum: ut ſe replicare hoc propter duritiam cordis Balaam oſtendat. Balaam namque erat in malitijs aſſuetus, utpotè ariolus; Et ideò cor durum ad obediendum Deo habebat. Maximè autem tunc de hac duritie ipſius timendum erat, quando inter tot principes, tot honores, tot pecunias, conuerſaturus erat. Ibat enim ad illa omnia, quæ etiam uiros iuſtos a iuſtitia quandoque deturbant: unde multò magis de non conſtantia illius in mandato ſeruando timẽdum erat. Non paruam igitur duritiem Angelus mõſtrauit aduerſus Balaam & uerborum, & factorum, quia duritiem cordis Balaam illa ſua duritia (tanquam clauum clauo) retundere, ac eliminare uolebat. Quare tandem (ut ſeruetur promiſſum) replicando addidit, quod in primo mandato Deus nõ dixerat? Vt hinc primò cognoſceres, ꝙ multa, quæ ad litteram non exprimuntur in ſcripturis alicubi, rectè ſubintelliguntur. 1 Vnde non errat ille, qui huiuſmodi ſubintelligenda cenſet: ſed errat, qui ea ſubintelligere non uult. Subintellectio itaque in ſcripturis à Spiritu ſancto eſt, nec omnia ad litteram alicubi exprimuntur; ſed ab alijs locis ſcripturarum rectè petenda relinquuntur. 1.q.1.ar.9.cum Elucid. Nonnè Deum credis utramque propoſitionem, quam poſtea expreſſit Angelus, intellexiſſe? Intellexit equidem, licèt non expreſſerit. Quid ergo? Sapientior Angelus; qui hoc expreſſit? Minimè: quoniam ex uoluntate Dei id proceſſit. Vnde expreſſionem hanc ſciebat Deus, antequam illam tec Angelus faceret. Hinc contra hæreticos notato prædicta, qui omnia in uno paſſu ſcripturę uolũt eſſe expreſſa. In cuius ſignũ, nolunt ſcripturas per ſcripturas exponi ſibi: ſed litteram puram unius paſſus, nec iota alterius loci ſcripturalis addi uolentes, accipiunt; non intelligentes neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. Credunt namque, uel credere ſe oſtendunt ſeu fingunt, ꝙ huiuſmodi collatio ſcripturarum ad inuicem papiſtarum (ut aiunt ipſi) figmentum ſit; & ad nihil deſeruiat.

Contra haret.

¶ Vidiſti modò, quòd non Papiſtarum, ſed Angelorum inuentio eſt conferre ſcripturam ſcripturæ; & quod uni ſcripturæ ad litteram deeſt, illi ex alio ſcripturæ loco ſupplere. Nec hoc abſolutè ſupplere dicendum eſt, quaſi alius locus ſcripturæ id non intellexerit; ſed ſupplere ad litteram, nominandum eſt. Vnde iſta ſuppletio propter ipſam ſcripturam non fit, quaſi quòd aliquis locus ſcripturæ non ſit in ſenſu perfectus ſecundum ſeipſum; ſed propter nos fit, quia nos ſenſum intraneum illum intelligere non poſſumus ſine adiumento huius rei expreſſiuo alibi in ſcriptura inuento. Nunquid iſte ſermo adiectitius Angeli propter Deum factus eſt, vt ipſi Deo ſuppleret huiuſmodi intellectum in primo ipſius mandato? Abſit. Nunquid non propter Balaam factum eſt, ut ipſe .ſ. intelligeret in primo mandatò contineri, quod forſan ad ſuam malitiam excuſandam non intellexiſſet? Vtique. Nunc ergo excuſationem non habet. Ob hoc igitur ſecundò addidit Angelus ad primum mandatum, ut hinc conijcturare poſſemus, quid cogitabat Balaam. 2 Dicebat enim intra ſe, ut hinc, ex additione Angeli (nè .ſ. ſuperflua uideatur), trahitur. Ego faciam quod dixit mihi Deus. Quid mihi dixit? Vt faciam, quod præcipiet mihi. Quod ergo præcipiet mihi, cùm ero ad Balach, faciam; ſed poſtmodum faciam quod mihi arridet. Nil enim mihi aliud dixit; niſi facias quod præcepero tibi. Si ergo, poſtquam fecero, quod mihi præceperit, faciam & quod mihi arriſerit: iam non ſuum præceptum, quod mihi abeunti dedit, tranſgrediar. Cum igitur ſatisfecero Deo, benedicendo (ut credo) populo; & mihi liberè ſatiſfacere potero, modũ ſcilicet, quo peccet Iſrael, ipſi Balach oſtendendo. Hac de re apparuit Angelus addens ad primum mandatum negatiuam .ſ. non facies niſi illud quod præcepero. Quaſi dicat. Malè putas, negatiuam iſtam non includi in primo Dei mandato, & conſequenter quòd affirmatiuam tm̃ faciendo, mandatũ adimpleas. Noueris igitur; cõtra Deũ te facturum; ſi, affirmatiua, ſeruata negatiuam tranſgredieris. Tertia ratio, quare Angelus ad mandatum primum addiderit, eſt; ut oſtẽdat ſe Dei miniſtrum eſſe. 3 Quid pertinet ad miniſtrum? Vt verba domini ſui ad ędificationem exponat; id quod ferè nequit fieri, niſi aliqua magis litteræ expreſſiua dicat. Figurauit autem in hoc Angelus Chriſtum qui & ab Yſaia magni conſilij Angelus uocatur; figurauit, inquam; ꝙ Chriſtus erat expoſiturus legem a Deo in priori teſtamento datam; & quòd hanc expoſitionem facturus erat multa exprimendo, quæ in lege illa implicitè tantùm continebantur. Figurauit & Angelus, quòd expoſitio huiuſmodi legis neceſſaria erat propter multos homines, zizania ſuæ malæ intelligentiæ in bono frumento Dei legiſlatoris, ſuperſeminantes. Vis de utroque exemplum clarum .ſ. & quòd Chriſtus exponendo, multa non expreſſa expreſſit, & quòd propter peruerſitatem multorum (ſicut hic Angelus propter Balaam peruer

Aureum

Exempl.

tentè, ut audiſti, mãdatum Dei) falſo additam legi, legem expoſuit? Ecce. Dictum eſt antiquis. Nõ occides &c. Ego autem dico uobis, quòd omnis, qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa; reus erit iudicio. Item: Dictum eſt antiquis: Diliges amicum tuum &c. Ego autem dico uobis: Diligite inimicos ueſtros. Illi ergo antiqui erãt ſicut Balaam, Chriſtus eſt iſte Angelus; ſecũdum ſignificatum. Acceperant, enim à Deo antiqui mandatum hoc, quòd diligerent amicum ſuum; ſubiecebant autem (ut Balaam) de ſuo capite: ergo odio habere poſſumus inimicum noſtrum. Nam hoc expreſsè non prohibetur in mandato. Venit Angelus Chriſtus; & ad illos (tanquam ad Balaamitas) ait, Ego autem dico uobis &c. Quaſi dicat. Deus in mandato ſuo primo ſubaudiri neceſſario uoluit id, quod nunc ego expreſsè appono. Item mandarat Deus antiquis, ut non occiderent. Ipſi, ut Balaamitæ, dicebant: Ergo ſufficit non occidere facto. Præcepta enim ſtrictiori, quo poſſunt, modo interpretanda ſunt. Venit Chriſtus Angelus, & ait, Ego autem dico uobis &c. Ac ſi diceret. Occiſionem non tantùm corporalem, ſed etiam mentalem intendebat prohibere Deus in primo illo mãdato, id quod ego nunc ad litterã exprimo dicẽs; quòd omnis qui iraſcitur fratri ſuo (i. appetit illi mortem) ſine cauſa, reus erit iudicio. i. tali pęna plectetur, quali manualis occiſor antiquitus. Videte ergo, quòd ex pœnæ eiuſdem qualitate appoſita intelligitur, quòd in primo mandato nunc à Chriſto expreſſum implicabatur. Quare autem nunc primitus non explicauerit ad litteram Deus, uide rationes, quibus non explicauit ſupra ipſi Balaam in mandato, quòd poſt Angelus expreſſit, & de illis pro nunc contentare.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Ad duritiam cordis ueſtri permiſit hoc Moyſes. Vel ad ly (Euangelium) Ego autem dico uobis, Diligite inimicos ueſtros. Vel ad ly (Euangelium) Si cognouiſſetis me, forſan & patrem meum cognouiſſetis. Ratione enim primi mirandi, habes, ultimam hanc auctoritatem, & ſimiles, quomodo exponas. Ratione ſecundi, quomodo primam, & ſimiles. Ratione ultimi, quomodo ſecundam cum ſimilibus.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXIII.

QVomodo maledicam; cui non maledixit dominus?

Concl. 1. *Non debent prælati excommunicare illos, quos neſciunt eſſe contumaces, & modo ſibi condecente, apud Deum maledictos.* [Ex eo.]

VVLT Balach, ut Balaam maledicat non maledictos à Deo, ſimilis eis, qui excommunicationes à prælatis extorquere ſatagunt contra excommunicari non merentes. Balaã uerò reſpondit, ſe non poſſe maledicere, cui Deus non maledixit; ſimilis bono prælato, qui talibus ſuggerentibus dicit, ſe non poſſe excommunicare innocentes. Nec mireris, quòd iniquus Balaam nunc optimè loquatur; quoniam uerba iſta ipſius Balaam ſunt uerba Dei. Pręmiſerat nanque ſcriptura, quòd Deus poſuit uerbũ in ore eius, & ei dixerat: Hęc loquaris. Vide ergo, quòd de intentione Dei eſt, ut non excommunicentur innocentes. Per innocentes intelligo illos, qui excommunicari non merentur: licèt alias peccatores ſint. Erat enim peccator Iſraeliticus populus; ſed non tantus, ut maledici mereretur nunc.

APPENDIX.

HINC habes, quòd prælatis data eſt auctoritas ligandi, ad utilitatem Eccleſiæ; non ad deſtructionem. Hoc eſt. Quando uiderint hoc eſſe utile Eccleſiæ, ut aliquis per auctoritatem, ligetur ab ipſis; tunc ligent quando autem uiderint contrarium, tunc à ligando parcant. Et hoc eſt uti clauibus, claue non errante. Verum quidem eſt, quòd ſententia paſtoris (ut alibi diximus) ſiue iuſta, ſiuè iniuſta, timenda eſt; & conſequenter uerum eſt, quòd ſemper poteſtatem habens, etiam ſi non bene utantur illa, ſed ipſi uideant de abuſu ſuæ poteſtatis. Iudicabuntur enim tales prælati à Deo non tantum, ſed etiam à Balaam. Quare à Balaam? Quia ipſe, & non maledicendum eſſe intellexit innocentibus, & ipſe nunc maledicere noluit. Secundò habes, quam bene loquatur ad hoc, propoſitum Apoſtolus. Vis non timere (inquit) poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Vide (rogo), Apoſtolus quam eleganter ad propoſitum noſtrum loquatur. Balaam gerit in hoc uices miniſtri Dei, Iſraeliticus populus eſt tanquam iſti miniſtro ſubditus. Eya. Bene fecit Iſraeliticus populus: Quid accidit? Non timuit poteſtatem ipſius Balaam, imò laudem habuit ex illa. Non enim tantum non maledictus eſt à Balaam, ſed etiam (ut in littera patet capituli huius, & ſequentis) laudatus eſt multipliciter ab illo. Quod ſi malum condignum maledictioni feciſſet; profectò maledictus à Balaã miniſtro domini fuiſſet; & conſequenter tunc timere poteſtatem quoad hoc debuiſſet. Signum uerò, quòd propter bonũ ab Iſraele factum habuerit laudem ex Balaam poteſtate eſt; quia ipſe Balaam, antequam ex futuro laudet eum, aſſignat bona facta Iſraelis dicendo; Non eſt idolum in Iacob, nec uidetur ſimulachrũ in Iſrael. A contrario igitur ſenſu ſi fuiſſet idolum in Iacob, maledixiſſet.

¶ Tertiò conſequenter ex hoc habes, quòd excommunicatio latæ ſententiæ non debet ferri in populum, aut quemcunque, niſi propter peccatum excommunicatione dignum, & non propter quodcunque delictum. Vide. Adducit Balaam ipſe cauſam, quare non maledicat populo; quia ſcilicet in Iacob non eſt idolum. Multa ſanè peccata erant in illo; ſed quia non omnia peccata, excommunicationem in delinquentem poſtulant; ideo propter habita peccata non maledicit populo ipſe Balaam. Et nè credas, hoc tantum ex capite meo hinc hauriri, & dici; uide ſacrum Concilium Tridentinum uigeſimaquinta ſeſſione capitulo tertio de refor. nè ex leuibus cauſis excommunicatio fiat decernens. Vide ibi multa, quibus prælatos de hoc aduertit. Non ergo ſine ratione ſufficienti deteſtãdus eſt populo à prælato per cẽſuras Eccleſiaſticas, maximè uerò per excommunicationem. Alioquin peccat prælatus indignè utendo poteſtate ſibi à Deo conceſſa, & laqueum iniicit ſubditorum ſuorum animabus. Quòd tamẽ dignos cenſuris Eccleſiaſticis plectit, nõ ipſe, ſed illi ſibiipſis laqueum, merendo ſcilicet, iniiciunt. Qua ratione (inquit Balaam) deteſter, quem dominus nõn deteſtatur? Vult ergo Deus, qui uerba poſuit in ore ipſius Balaam, quòd miniſter ſuus ex ratione ſufficienti moueatur ad cenſuris deteſtandũ populum; non autem ex ſua mera uoluntate, aut ex ratione inſufficienti ad hoc. Vide hinc, quam ad capitulum illud conformiter loquatur prædictum ibi Concilium Tridentinum. Vide & Addi. q. 21. ar. 1. 2. 3. cum Elucid.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 1. cap. 23. ſignanter addidit illam declarationem, ideſt quos neſciunt eſſe contumaces; ut oſtendat, ſe alium ſenſum à ſenſu Ioãnis Vuiclef habere in eo, quòd dixerat, quos neſciunt apud Deum maledictos. Propter hoc etiam addiderat illud uerbum; modo ſibi condecente. Hic enim modus ordinaria regula cõtentus eſt, quæ contumaciam (non expectata ſpeciali Dei reuelatione) hominis excommunicandi hominis excommunicatio demonſtrat. Vuiclef autem adhuc ſpecialem à Deo reuelationem expectari uolebat, antequã excommunicatio in quempiam dictaretur; undè & fraudulenter dicebat: Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat, eũ excommunicatum eſſe à Deo. Verùm catholica Eccleſia, quæ Spiritu ſancto duce nouit cõprehẽdere ſapientes in aſtutia eorum, & (more Apoſtoli 2. Cor. 2.) non ignorat cogitationes ſathanæ in miniſtris eius, errorem hunc Vuiclef ſic intellectum damnauit in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. Prædamnauerat autem eundem Chriſtus Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Quid autẽ intelligat nunc per ethnicum & publicanum, declarat ſubdens; Quæcunque alligaueritis ſuper terram &c. In quibus uerbis

ad

ad litteram loquitur de excommunicandi poteſtate. Ac ſi ergo aperte prius dixiſſet: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi excommunicatus, cuius conſortium totaliter caueas, ſicut ethnici, & publicani. Ecce quòd Dominus non niſi contumaciam aſſignat pro negocio illo, ut ſcilicet poſſit quis dignè à prælatis eccleſiæ Excommunicari; non autem adducit, quòd ultra hoc exigatur ſpecialis diuina reuelatio, priuſquam excommunicari debeat. Idipſum fecerunt, & conſequenter errorem Vuiclef damnari per hoc connte lligendum reliquerunt, Concilium Meldenſe, Aluernenſe, Triduriẽſe, &c. De quibus explicitè uideas Elucid. Addi. arti. num. 82. Ex omnibus etiam prædictis ſcias confirmari præſentem concluſionem; ſi rectè applicentur, quod facilè eſt.

DE ſummis ſilicibus uidebo eum, &c. Moriatur anima mea morte iuſtorum, & nouiſſima mea fiant horum ſimilia.

Concl. 2. *Bonitas tantæ uirtutis eſt, ut etiam mali (mirabile dictu); & conſequenter eam non habentes, eam commendare cogantur.* [Ex eo]

2 BALAAM erat malus; à malis hominibus nobiliſſimis præſentibus, à multis promiſſis ualdè allectiuis incitatus, & tamen bonitas una Iſraelis coegit eum, ut bene de Iſraele diceret; & non ſemel tantum, ſed pluries, & (quod mirabilius eſt) ut ſua ipſius nouiſſima ſimilia eſſe cuperet nouiſſimis Iſraelitarum. Quoties fuit à Rege Balach, ut Iſraeli malediceret, inuitatus? Quoties ab ipſomet rege de hoc, quòd benedicebat Iſraeli, correptus? Quoties a principio incepit, ut uideret, ſi maledicere illi poſſet? Quam fortis eſt bonitatis uirtus, ut Balaam a principio totius inueſtigans pro maledicendo Iſraeli, & ſatisfaciendo Regi, & Iſraeli coactus ſit pluries benedicere, & Regi coactus ut nec ſemel ſatisfacere.

NOTATIO.

IDEO permiſit Deus, ut Balaam ſæpè conuerteretur in maledictionem; nè leuem putares eſſe prouidentiam, quam gerit Deus continuè de ſeruis ſuis. Eſto ſeruus uerus Chriſti, & à nullo, quantumcunque adnitente, poteris maledici. Vis cernere iſtã fuiſſe Iſraeli datã uirtutẽ ex potentia, ſeu ex ſeruitute crucifixi. Ecce. Viderat ſuperius æneum ſerpentem (c. 21.) antequam de hoc, quòd maledici non poſſet, haberetur mentio. Prius in crucifixum oculos leuarat, & deindè maledici non potuit. Poſtquàm cor fiduciæ ſuæ in crucifixum tranſtulit, maledictionem ſentire nequiuit. Plus ualuit una cordialis ad crucifixum inſpectio, quam ualuerit, pro maledictione inquirenda, multiplex à Balaam curſitatio. Magis unum crucifixi figurale ſacrificium pro benedictione Iſraelis conualuit, quam multorum ſacrificiorum ipſius Balach cum principibus pro maledictione contra Iſraelem. Nota ſecundò, quòd nullæ orationes, nullæ preces, nul-
2 la holocauſta, contra fideles Chriſti poſſunt aliquid, dummodò fideles Chriſtum crucifixum, quem fide aſpiciunt, nunquam connuigant. Mira certè potentia crucifixi figuraliter, quia pluſquam miranda erat futura potẽtia crucifixi figurati. No-
3 ta tertiò, quòd nec benedictionem tacere potuit Balaam, id quod plus eſt, quàm non maledicere. Rogauit Balach, nè benediceret, neque malediceret: Nunquid hoc obtinere potuit? Non. Scis quare? Quia Dominus habitabat in populo. Ideò Balaam benedicere populo aſtringebatur contempta ira regis, ac principum. Grandis res. Iratum habet regem præſentem, iratos principes, in eorum terris exiſtit Balaam; & tamen à ueritate fatenda clamoroſa uoce non ceſſat. Si in malo inſtrumento, qualis erat Balaam, tantum potuit ueritas; quid in bono inſtrumento, quale debet eſſe Chriſtianus, poſſe debet? Non mireris infidelitatis errore igitur; putans impoſſibilem conſtantiam martyrum, quæ narratur, quando tantam uides conſtantiam fuiſſe in uiro, qui ariolabatur. Si in ſeruo diaboli tantam uirtutem fortitudinis & continuatis uicibus, oſtendit Deus; quam non monſtrabit uirtutis fortitudinem in ſuis ſanctis martyribus?

4 ¶ Nota conſequenter quartò, quòd Balaam in hoc figurauit conſtantiam martyrum, de quibus mirabilia legis. Si legis iſtam conſtantiam mirabilem de Balaam, & firmiſſime credis, qua ratione, ut quæ de fortitudine ſanctorum leguntur non plenè credas adduci poteris? Nota conſequenter
quintò, quòd hi, qui ueritatem à timore humano acti confiteri non audent, etiam coram Regibus, ac poteſtatibus (ſi caſus neceſſitatis adueniat), hi, inquam, à Balaam iudicabuntur. 5
Si non es iuſtus & conſtans, ora Deum, ut te conſtantem faciat. Dic fiducialiter Domino tuo crucifixo. Tu abſque meritis tantam in ipſo Balaam fortitudinem infudiſti: mihi ergo quæſo, tantam (ut mihi opus eſt) infundas conſtantiam ad manifeſtandam imperterritè ueritatem ſanctam tuam, ad honorem ſancti nominis tui, ad ſalutem meam, & proximorum ædificationem. Si hoc cordialiter cum plena fiducia crucifixo dixeris, non dubito, quin tibi magis, quam Balaam ariolo, conſtantiam ſufficientem in omnibus miſericorditer largiatur. Nota ſexto, quòd Deus nobis iſtos malos 6
in exemplo uirtutis alicuius poſuit, ut & maiora calcaria ad bonum faciendum haberemus, & poſt de bonis factis non ſuperbiremus. Vt maiora, inquam, ad bonum haberemus calcaria, dicendo uidelicet: Si ille malus fuit, & cum hoc bonũ tantum habuit; multò magis ego, qui ſanctitatem profiteor, ad tantũ bonum aſpirare debeo. Vel ſic. Si talis fuit infidelis, & tam in uirtute iſta claruit, multò magis ego, qui fidelis Dei gratia exiſto, in tali uirtute clareſcere debeo. Dixi ly & poſt de bonis factis non ſuperbiremus; dicẽdo uidelicet: Si talis poſtquam tantum bonum fecit, damnatus eſt; ergo bonum illud præcisè me de ſalute non aſſecurat. Quid ergo ſcio: ego quòd poſt ſimile bonum à me factum ad æternam gehennam non damner à iudice Deo? Non igitur mihi indè ſuperbiendum; ſed humiliter à Chriſto edocto dicendũ: Seruus inutilis ſũ. Nota ſeptimò, quòd Deus etiã de malis homi- 7
nibus ſibi deſeruit ad bonum. Malus homo erat Balaam: & tamen ſibi Deus de homine iſto ſeruiuit ad benedicendum populo. Et nota ulterius; quòd iſta benedictio facta à Balaã fuit grata Deo, quia Balaam non ut homo talis, ſed ut miniſter Dei ipſam exequutus eſt. Non ergo benedictio ſacerdotis &c. quamuis mali, minimi facienda eſt; quia licet in talis homo malus ſit, tamen, ut miniſter Dei, bonus eſt, & ut miniſter profert benedictionem. Accepta ergo ſunt miniſteria malorum ſacerdotum, ſuperiorum, prælatorum, &c. Deo, quamuis ipſi miniſtri, ut tales ſunt homines, exoſi ſint Deo. Addit. q. 19. ar. 5. 6. cum Eluc. & 3. par. q. 82. ar. 5. 6. 7.

¶ Hinc octauò notabis, quòd Deus propter ſeipſum non 8
indiget bonitate noſtra, nec ipſam propter hos inquirit. Id. n. tunc forſan ſuſpicari poſſes, quòd ſcilicet propter ſeipſum bonos nos deſideraret; ſi malis inſtrumentis uti neſciret, aut nollet, aut nequiret; nunc autem id ſuſpicari non potes. Nam ſi nobis utitur, profectò ut inſtrumentis utitur; & ſi tam benè (quantum eſt de ſe) per inſtrumenta mala facit, quam per inſtrumenta bona; utique nobis bonitatem nõ cupit propter ſeruitium ſuum; quo ſcilicet aliter ſibi de nobis ſeruire nequeat, niſi moraliter boni ſumus. Nota nonò, quòd licèt 9
Deus non ſit cauſa peccatorum noſtrorum; ordinat tamen peccata ad bonum. Et iſta eſt ratio, quare permittit illa, & conſequenter quare permittat nunc toties ipſum Balach aras erigere idolis ſuis, ac ipſis ſacrificare. Hinc enim uolebat oſtendere, quod ſacrificia idolatrarum non erant efficacia ad obtinendum, quod petebatur, nec ad impediendum, quod impediri deſiderabatur. Et ob hoc erigi tunc aras permiſit ipſi Baal, preces à Rege & magnatibus effundi coram illo (ideò enim ſtabant iuxta holocauſtum ſuum, ut alijs ſæpius diximus) à Balaã, quò preces coram idolo ſimul cum ſacrificio offerrent) dum Balaam reſponſum expectabat à Deo; ut in idolis ſuis, ac orationibus talibus, ſacrificijſque actualiter factis, confunderentur, uidendo quòd nihil illis penderent. Ecce, quare tunc idolum coli actualiter permiſit. Decimò no- 10
ta conſequenter, quòd licèt incantator, aut quicunque maleficus, uel quicumque ſtrigiacam artem exerceat; tamen non indè plus fit, quàm Deus uoluerit. Ideò talia non timenda ſunt homini; ſed Deus timendus ſolus. Si enim illa, dum actualiter fiunt, ſuum abſque ſpeciali Dei licentia ſortirentur effectum; profectò ſacrificia ipſius Balach orationibus quoque uallata ſuum contra Iſraelitas habuiſſent effectum. Timor ergo Domini amplectendus: & tunc iſtorum maleficorum, etiam ſimul acceptorum, timor negligendus. Vis de iſto decimo dicto exemplum clarum ultra id, quod diximus audire? Vitam Beati martyris Cypriani legas in legendario ſanctorum a domino Iacobo de Voragine compilato &, cum eum ſuis magis contra beatam Iuſtinam uirginem de Antiochia filiam ſacerdotis idolorum nil ualuiſſe reperies, memento ſupradictorum ab hoc loco extractorum.

Moriatur

Text. **M**Oriatur anima mea morte iuſtorum; & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.

Concl. 3. *Mali uellent poſtquam ad libitum peccaſſent, mortem iuſtorum habere communem; ſed uitã non uellent.* [Ex eo.

Ratio. VIOS hic Balaam iniquum; & ab eo omnes iniquos diſce. Quid facit iſte ariolus? Deſiderat mori morte iuſtorũ. O q̃ bene feciſſet; ſi deſideraſſet, uiuere uita iuſtorũ. Tũc.n. deſideraſſe id, quo ſtante finaliter, nõ potuiſſet non mori morte iuſtorũ. Nã uiuens uita iuſtorum uſq; ad finẽ, moritur ineuitabiliter morte iuſtorũ. Nunc aũt tñ deſiderando mortem iuſtorum, non uitam; quid oſtẽdit Balaam, niſi deſiderium omniũ peccatorum? Nullum enim peccatorem credo in toto mundo eſſe, qui mori morte iuſtorum non uellet. Cum hoc tamẽ plurimos eorum qui non uellent uiuere uita iuſtorum, inuenies. Horum omnium figura fuit Balaam iſte, dùm mori morte iuſtorum cupiuit, & tamen à mala uita diſcedere noluit. Volunt cum Balaam mulo mundo uiuere, & mori Chriſto. Volunt uitam mundo dedicare; & mortem Chriſto. Volunt hic, & ibi, delitijs frui: ſed horum deſiderium fruſtrabitur. Audi pſalmum dicentem, Deſiderium peccatorum peribit. Quod deſiderium? Illud, quod nunc audiſti. Quare tale deſiderium peribit? Quia uita mortem bonam, uel malam, ordinariè reddit. Anima (inquit Pſalmus) in uita ipſius benedicetur. A uita igitur mors uel laudabilis, uel uituperabilis. Si anima bonorum in uita ipſorum benedicetur, anima utique malorum in uita ipſorum maledicetur.

APPENDIX.

Contra haeret. **H**Inc habes, q̃ Balaam figura fuit etiam quorundam noſtri temporis hæreticorum. Quid uolunt iſti? Bene mori, & malè uiuere. Modo capitis proprij uitam ducere; & modo Chriſti capitis omnium mori. Hi profectò a prædictis peccatoribus in hoc differunt, quia illi peccatores hoc ſo affectu tantum habent; iſti uerò hæretici etiam in intellectu hoc tenẽt, & (quod deterius eſt) ſic futurum eſſe dogmatizãt. Dic rogo. Quid eſt uelle ſaluari ſine meritis: niſi uelle mori morte iuſtorũ, & nolle uiuere uita iuſtorũ? Nonnè prædicare alijs, q̃ datur ſalus æterna ſine operibus eſt prædicare illis, q̃ mors iuſtorum poteſt haberi ſine uita iuſtorũ? Hi ſunt ergo Balaamitæ, qui ſuum exemplar, ut hic patet, ſequuntur: quod quidem exemplar morte iuſtorum animam ſuam mori cupiebat, & tamen uitam iuſtorum animam ſuam uiuere nolebat. Si namq; uoluiſſet hoc, ariolandi artem reliquiſſet. Quomodo hoc illũ uoluiſſe, dicas: qui tam ſæpè Balach ipſi, ut aras idolo erigeret, ſuadebat? Ædifica mihi (inquit) ſeptem aras &c. Et poſt, ſta (inquit) iuxta holocauſtum tuum. Balach profectò colebat idolum Baal; unde & duxit (ut habes in fine præmiſſi capituli) Balaam ad excelſa Baal. Cùm ergo holocauſtum iſtud dicatur holocauſtum ipſius Balach, patet iam, quòd holocauſtum hoc fiebat in reuerentiam ipſius idoli. Et ideò ne mireris, q̃ Deus noluerit hos (.ſ. Balach ipſum, & Balaam) exaudire; quoniam neſcit, iuſtitia Dei patrocinium dare criminibus.

Text. **N**On eſt idolum in Iacob, nec ſimulachrum in Iſrael.

Concl. 4. *Crucifixum adorare, in ipſum ſperare, in ipſo ſuæ ſalutis refugium ponere, in ipſum credere, non eſt idolatrare.* [Ex eo.]

Ratio SVPRA 21. populus Iſraeliticus erectum ſerpentem æneum aſpiciebat, & ſanabatur. Hic ſerpens ab ipſo populo non fuit tunc deſtructus (nam non niſi à rege Ezechia 4. lib. Reg. 18. deſtructus fuit, propter abuſum populi), ſed ſecum ipſe populus ſerpentem huiuſmodi ferebat. Vide autem quid hic a propheta dicitur. Non eſt (inquit) idolum in Iacob: neque ſimulachrum uidetur in Iſrael. Serpens ergo ille non habebatur à propheta hic ſpiritu diuino loquente pro idolo, aut pro ſimulachro. Multò igitur minus ab ipſo ſerpente æneo figuratum habebitur ſecundum ueritatem pro idolo. Putas ne tunc cauſa fuiſſe dictum hoc a ſcriptura de Iſraele; quando ſecum habebat ſerpentem æneum? Abſit. Sed uoluit occurrere ſacrũ eloquium blaſphemiis multorum impiorũ: qui eo, quòd Chriſtiani in ueneratione maxima habent figuratum ſerpentem æneum, ipſos chriſtianos de idolatria notant. Quomodo idolatræ ſunt, aut eſſe poſſunt, ſine idolo? Aut quomodo idolum habent chriſtiani: ſi ſerpens æneus non eſt idolum? Studeant ergo ſcripturis tales maledici, & obturent os ſuum. Hincque cognoſcant, ſe eſſe peiores ipſo Balaam, qui ſerpentem figuralem æneum habuit, pro non idolo; & Iſraelem ex hoc, quòd talem ſerpentem ſecum habuit, indicauit pro non idolatra.

APPENDIX.

HInc habes, quomodo inueharis contra illos, qui occidunt multos ex eo; quòd ſecum deferũt crucem, aut crucifixum. Balaam laudauit, benedixitque populo habenti ſecum crucem, ſeu crucifixum in figura ſerpentis, & iſti uituperaut, maledicuntque populo habenti ſecum crucem, ſeu crucifixum in figura Chriſti Ieſu Nazareni. *Contra haeret.*

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

HÆc Concluſio 4. ca. 23. deſtruit errorem Catharorum (ut refert Card. Turrecremata de Eccl. lib. 4. c. 35.) dicentium crucis ſigno non eſſe muniendum. Patet enim hic totum contrarium. Signo enim tali muniri eſt quædam conteſtatio noſtra de crucifixo; quod ſcilicet credimus in eum, ſperamus in eum, totum ſalutis noſtræ refugium ponimus in eo: & conſequenter, cùm talem credulitatem, talem ſpem, refugium tale, debeant ſinguli gerere de illo (ut concluſio iſta docet) manifeſtum eſt per hoc, quòd ſigno crucis ſe quiſque munire debet, ac laudabiliter munit. Damnatur quoque a Concilio Niceno 2. action. 7. loquendo ſimili. Per hoc idem enim, crucis ſigno ſe unumquemque munire debere, docet, quòd, ſignum ipſum crucis tùm in parietibus tùm in ſacris ueſtibus ac uaſis, nỹſque etiam publicis, plagis atque portari, licitum eſſe definit (ut ſupra capi. 21. con. 8. adductum eſt). Nõ enim minoris eſt homo uiuus, maximeque chriſtianus, quàm uiæ publicæ, parietes domorum, uaſa ſacra, & ueſtes, ut in his commendabiliter ſignum crucis deferatur, & in hominis fronte illaudabiliter ponatur. Quinimò ex ijs rebus externis uoluit nos de hoc inſtruere concilium, quaſi a fortiori dicẽdo. Si exteriora ad hominem pertinentia cruce ſalubriter inſigniuntur, multò utique magis ſaluiferum erit, q̃ homo ipſe ſigno crucis ſe muniat. Dãnatur & a conſuetudine Eccleſiæ uniuerſaliſſima, qua in principio horarum canonicarum, & centies alias, ſe ſigno crucis quotidie munit. Item a uitis Sanctorum, ubi uidere eſt, q̃ Sanctus Thomas, Vincentius, Antonius &c. ſeſe ſignaculo crucis muniendo, fugabant diabolum, eiuſque figmenta.

VNde partem Iſrael uideas; & totum uidere non poſſis, & inde maledicito illi. *Text.*

Concl. 5. *Malis hoc familiare eſt: Vt uelit ſuperiora metiri per inferiora.* [Ex eo.]

PVTABAT Balach; quod, ſi Balaam non uideret totum populum, non incitaretur ad benedicendum illi, quaſi q̃ ex plenitudine populi uiſa motus fuiſſet Balaam ad benedicendum populo, non ex bonitate populi. Volebat enim per hoc demõſtrare, quid circa iſtã benedictionẽ ſentiret. Quare (inquiebat intra ſe) populo benedixit? Eò q̃ populũ multum uidit. Vnde & de numeroſitate eum laudauit Balaam dicẽs: Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Dicebat ergo Balach. Remoueatur iſtud motiuum, id eſt non uideat tantum numerum populi, & ceſſabit benedictio. Vnde ad locum, unde partem ſolum modò populi conſpicere poſſet, eum adducere deſtinauit. Viden, quòd Balach diuina per humana metiri uolebat? Sciebat enim, quòd homo ad commendandum aliquem mouetur ex eo, q̃ magnum quid ſenſibile uidet in eo: Et ſimile putauit de propheta Iſraelis. *Ratio.*

COROLLARIVM.

SICVT ergo Balach deceptus eſt in iudicio ſuo; ita & omnes figurati a Balach decipiuntur in ſimili iudicio. Decipiūtur ergo hæretici, necesſū eſt eos, quia uolūt, diuina humanis rationibus menſurare. Iudicium hoc ſuum benedictionem Chriſtianorum a Deo non tollit; imò eſt occaſio, quòd ad commendandum illud magis a Deo benedicantur Chriſtiani. Nunquid propter iudicium Balach inſanum, factum eſt, ut Balaam, tanquam Dei miniſter, a benedicēdo populo ceſſaret? Minimè. Imò benedictio ſecunda fuit maior, quam prima.

NOTATIO I.

PRO hoc intelligendo nota primò, quòd Balaam in principio benedictionis ſecundæ confutauit ſupradictum falſum iudicium ipſius Balach. Non eſt (inquit) Deus, ut homo &c. nec ut filius hominis, &c. Vbi monſtrauit, quòd Balach hanc de Deo opinionem habebat, quòd ſcilicet mutabilis eſſet; & conſequenter per uarios locos adhibitos, aut uaria uiſa circa populum multum, aut nō multum, mutari poſſet. Non eſt (inquit) Deus, quaſi homo, qui mutetur. Quaſi dicat. Benedictio, quam dedi primam populo, nō ex eo prouenit, quod credidiſti, ſcilicet ex multitudine populi uiſa; ſed ex immutabilitate, ſeu ex beneplacito diuino. Et ideirco, ſiue hic ſiue alibi, conſtituar, benedictio ſemper manebit firma. Quid ſi dependeret ex eo, quod tu credidiſti? Vtique mutari poſſet ad mutationem loci huius, uel illius. Quid ais hæretice ſignificatus hic a Balach? Tu credis, quòd fides Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ benedicta eſt a Deo, poſſit mutari, aut deficere. Si fides illa, ſi benedictio illa, in uiribus hominū fundaretur, ſi merita ſolummodo hominū ſequeretur; uerum quidem diceres. Nam merita hominū uariabilia ſunt & hodie aliquis bonus, cras quandoque malus erit; uires hominum paruiſſimæ ſunt ad tantam rem ſuſtinendam. Nunquid non de uiribus hominum legiſti 1. Reg. 2. ad huius rei à nobis nunc pertractatæ propoſitum, quòd non in fortitudine ſua roborabitur uir? Si legiſti; de hoc, quod dicimus ſundamētum fidei, teſtimonium unum pro iam dictis habuiſti. Nunquid non, & illud tibi unquam legendum occurrit, quod dicitur à Pſalmo 146. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neque in tibijs uiri beneplacitum erit ei? Ex his omnibus iam uides, quòd fides non fundatur in uarietate hominum. Sic enim & ipſa eſſet uariabilis, imò & defectibilis. Dei autem (ſecundum Apoſtolus) donum eſt, nè quis glorietur. Vnde ſiue hùc, ſiue illùc, tranſieris cum Balach, ſemper inuenies fidem illam in Eccleſia Dei Romana. Incipe à temporibus primis Apoſtolorū Spiritu ſancto iam ex alto repletorum uſque ad hanc diem, & ab hac uſque ad conſummationem ſeculi omnibus diebus tuis, omnibusque ingenij uiribus adhibitis, nunquam in ſede Apoſtolica mutatam eſſe fidem, quam Dominus Chriſtus in illo ſuo precioſo ſanguine fundauit, reperire (niſi malignè cōfingas) poteris. Hoc tibi figuratum eſt per hoc; quòd Balach, quocunque ſe uertebat, ſemper benedictionem eſſe in Iſraele audiebat. Grandis res. Id audire refugiebat, & tamen quanti magis ad id nitebatur, tantò minus proficiebat. Quærebat malum aliquod inuenire in populo fideli, quod maledictionem mereretur: & hoc quantò magis inueſtigabat, eò magis ab intento ſuo deficiebat; imò contrarium, quod ſcilicet ibi maiora eſſent bona, non audire non poterat. Figura igitur eſt illorū Balach, qui aliquid in fide Chriſtianorū reprehenſibile quærunt. Tales ubi magis hoc tentant, hoc minus ad intentū ſuum proficiunt; imò tantò magis cōtra intentum ſuum uadunt. Quare? Quia quò magis in Eccleſia ſancta Chriſti poſita inueſtigant, tātò magis in cognitionē perfectarū rerū ibi exiſtentiū ueniunt, & eo magis imperfectiones per uniuerſum ſparſas a fide Chriſti procul eſſe conſpiciunt. Quin clarificata eſſet tanta ſublimitas, tanta innocentia, tanta cōſtantia fidei Chriſtianæ, niſi a tot partibus fuiſſet, nūc hæreſibus, nūc ungulis, nunc ludibrijs, nunc uanis rationibus, nūc innumeris hominum impiorum phantaſmatibus, nunc alijs id genus modis impetita? Sed fuit hoc, ac ſi pennam aliquē per aquam confices; atque reſices. Ipſum pennum, ſic faciendo, immaculatiorem reddis, & clariorem, tantum abeſt, ut ſic agendo, aliquam illi maculam impingas. Confricata, refricata, milliesque perfricata fuit Eccleſiæ ſanctæ fides, Eccleſiæ ſanctæ doctrina, Eccleſiæ ſanctæ uita per legem Euangelij deſcripta: Quid factum eſt? Meliùs apparuit eius benedictio in fine quam in principio. Quando uidit quidem hæreticos non poſſe contra Eccleſiam ex una parte, & ex alia parte ideò eam aggreſſus eſt; quid tunc in illo uidebas, niſi regem Balach modò hinc, modò illinc, contra populum fidelem inuehi uelle? Quando diſputationibus uicti infideles ad arma currunt, contra populum Dei ſuum intimant malum furorem; quid tunc, niſi regem Balach à uarijs partibus Iſraeliticum populum inaniter oppugnantem, gerunt? Semper, ſemper, ac tertiò ſemper (ut hic ter, qui eſt numerus perfectus, benedicitur) durabit benedictio fidei catholicæ in Eccleſia; nec ullis unquā Balachitarum machinationibus, aut uijs, aliquo modo obnubilabitur.

NOTATIO II.

PRO quo nota ſecundò, quòd Balaam in hac benedictione ſecunda, quando iam Balach plus contra populum incanduerat, meliores attulit laudes de populo, quam fecerat prius. Signum profectò, quòd benedictionem maiorem nolentes cauſant iniqui in Eccleſia, dum ipſam maledicere multis e partibus laborant. Vis cernere, quod in hac ſecunda benedictione copioſior fuit Balaam, quam in prima? Ecce. In prima non dixit, quòd adductus a Deo fuiſſet ad benedicendum populo, id quod nunc dicit. Hoc autem in maximam laudem populi cedit, quòd ſcilicet abſque populi ipſius requiſitione Deus adduxerit Balaā a remotis, id eſt à Syria, propter benedicendum populum. Multum ergo hinc commendandus reſtabat populus apud Balach: & principes eius, multaque confuſio ipſorum in ſeipſis. Verè non eſt hominis uia eius. Vocauit Balach ipſum Balaam ad maledicendum; & tamen, cum abſolutè loquitur Balaam, ait quòd adductus eſt ad benedicendum. Vocare ergo ipſum fuit in poteſtate ipſius Balach; ſed adducere ipſum non fuit in poteſtate Balach. Si enim & hoc fuiſſet in poteſtate eius, tunc diceret Balaam, quòd adductus eſt ad maledicendum Iſraeli. Contrariū autem ipſe huius dicit. Non fuit ergo Balach, qui adduxit Balaā; ſed fuit Deus. Vocent ergo mali alios malos ad deſtruendam Eccleſiam Chriſti figuratam ſerpentis, quæ per Iſraelem habentem nunc ſecum ſerpentem æneum figuratur, & Deus adducet iſtos malos uocatos, ut Eccleſiæ benedicant. Et ius maledictionem conuertet in benedictionem. Mali ergo nolentes proſunt, & proderunt Eccleſiæ, hoc faciente Deo.

¶ Item nota tertiò, quòd in prima benedictione non dixit Balaam; quòd in Iacob non eſſet dolum; nunc autem hoc dicit. Magnam ergo laudem ipſius populi tacuit in prima, quam in ſecunda explicauit. Et hinc demonſtrauit, quòd populus erat dignus benedici; ſicut per primam immediatè præmiſſam oſtenderat, quòd Deus populum per Balaam benedicere multò ante diſpoſuerat. Eſſe autem dignum benedici eſt tantum bonum commendationis, ut melius ſit eſſe dignum benedici, quam abſque, quòd ſis dignus, benedici. In hac quoque monſtrauit Balaam populum non poſſe maledici, & hoc a meritis populi procedere. Quæ maior laus, atque commendatio? Secunda ergo multum benedictioni primæ præſtat.

NOTATIO III.

IN prima benedictione non dixerat Balaam apertè, quòd uicturus eſſet Iſrael ipſum Balach, ſi cōmitteretur prælium, ſicut dixit in ſecūda: Et clāgor uictoriæ (inquit) regis in illo. Vbi uides, quòd clarè ante pugnam dedit uictoriam ipſi Iſraeli; & non tantum victoriam quamcūque, ſed uictoriam hilarē non minus, ſcilicet ſanguinolentam. Clangor (inquit) uictoriæ &c. In uictoria enim ſanguinolenta nimis clangor buccinæ parùm auditur; unde talis uictoria dicitur quidem uictoria, ſed non clangor uictoriæ. Nota emphaſim; clangor uictoriæ. Clangor ſolet propriè dici buccinæ, non uictoriæ; ſed ut monſtretur, quòd uictoria erit tota lætabunda, clangor dicitur clangor uictoriæ. Quaſi dicamt. Buccinæ partes geret uictoria, & conſequenter de ſe ſonabit, & clangentē emittet. Erit ergo uictoria non tantum cauſa mouens ad clangendum, ſed etiam quodammodo erit ipſa clangens. Hoc eſt Non tam apparebit lætitia in clangore buccinæ, quam apparebit in clangore uictoriæ. Lætam itaque in ſummo denotat uictoriam; quando ipſum clangorem uocat clangorem uictoriæ. Ad rem igitur. In hac itaque ſecunda benedictione

ne

nec Balaam ſatis eleuauit populū Iſrael ſuper ipſum Balach; & ſatis terruit Balach a pugnando contra Iſrael, quæ duo in prima non fecerat. Ad maledicendum populo, & conſequenter ad ſibi benedicendum, uocarat Balach ipſum Balaā & nunc Balaam maledicit ipſi Balach. Quid ni dixerim; Maledicit, quando contra ipſum Balach uictoriam, ſi prælietur aduerſum Iſraelem pronunciat? Verè non eſt fortis, ſicut Deus noſter, tu es Deus, qui facis mirabilia. Adeò immutauit Deus propoſitum primum ipſius Balaam, ut non ſolum benedixerit Iſraeli; ſed etiam maledixerit regi. Et unde adhuc mirabilia. Rex eſt præſens, Iſrael eſt abſens. Plus ergo curat de abſente, & populo quidem, quam de præſente, & Rege quidem. Quis facit iſta mirabilia in corde Balaā? Deus, & ita efficaciter, ut nec Balaam poſſit in contrarium. Mirabile dictu. Balaam habet liberū arbitrium; & tamen non poteſt in contrarium. Nonne toties audiſti eum replicantem ad Balach de benedictione tali conquerenté, ꝙ nō pōt loqui, niſi quod uult dn̄s? Nunqd nuq̄ dixit, ꝙ non uult? Nō ſed dixit ſemper, ꝙ non poteſt. Et ſi hoc de Balaam, ſaluato libero arbitrio, uerificabatur; ꝙ non poterat non benedicere populo, id faciente Domino; multò magis hoc credendum eſt de Papa, ut Papa. Verbi gratia, ut melius intelligas. Si adeſſet Papa quiſpiam, ut homo, hæreticus, & uellet, ut Papa, quippiam hæreticale tenendum determinare; aut quippiam falſum in fide, uel minimum, ſtatuere, hoc non poſſet. Vnde ſcis? Ex hoc loco. Voluerat, & forſan uolebat adhuc Balaam populo Iſrael maledicere; regique conſequenter benedicere. Et tamen (ipſo uetante) neutrum poterat facere, cū tamen arbitrium liberum non amiſiſſet. Quomodo ſtāt hæc ſimul? Quia liberi arbitrij non eſt poſſe, aut non poſſe, facere; ſed ipſius eſt poſſe, aut non poſſe, uelle. Hinc eſt, quia ſcilicet a libero arbitrio totum meritum atque demeritum pendet, quòd ipſe Balaam benedicendo populo non meruerit, ſicut nec prædictus Papa (ſi daretur) ex hoc ſibi meritum cōpararet. Hinc eſt, quòd prophetæ multi dicent in die iudicij, ſe propheta ſſe in nomine Domini, & tamen dicet Dominus, quod non nouit unquam illos. Quare? Quia ipſi non prophetarunt conformando uoluntatem ſuam domino; ſed ad alium finem talia prophetarunt, uel coacti prophetarunt. Faciente igitur Domino, Balaam non poterat non benedicere populo, & faciente multò magis Domino, Papa ille non poſſet non benedicere populo, id eſt non determinare utilia populo, ſi determinaturus eſſet.

De Papa notādū.

QVÆSTIO.

SEd dicet quis. Si Balaam non poterat in contrarium benedictionis facere: cur ergo in præmiſſo capitulo toties Deus hortabatur Balaam ad loquendum, quæ dicturus erat? Videtur enim illinc, quòd in contrarium facere poterat. Illi namque, qui in contrarium nequit agere, adhibere tot monitiones etiam minis inductas, fruſtratoriū, uel quaſi, uidetur.

RESPONSIO.

PRo reſponſo igitur capiendo notandum, quòd Deus non tantum nos uellet agere uoluntatem ſuam; ſed uoluntariè agere. Ratio eſt, quia Deus uellet nos mereri in actionibus noſtris, & non uellet nos tempus illud pro nobis amittere. Agere aliquid, & ſine utilitate noſtra agere, nos, non poteſt quaſi (ut largè modo noſtro loquar) patienter tollerare Deus. Hinc eſt, quòd etſi præſupponat te ieiunare, uel orare, uel eleemoſinam facere, uel ſimilia; ſemper ad faciēdum illa bene adhortatur. Quare? Quia uellet, te mereri in illis tuis actionibus. Sic in propoſito. Cupiebat, quòd Balaam mereretur in negocio illo per ipſum faciēdo; & ideò ipſum ſæpius hortabatur, ad iſtud faciendum. Putabas forſan tu; quòd Deus illam exhortationem tàm ardenter feciſſet ipſi Balaā, ut eum poſſet habere ad faciendum, quæ uolebat? Hoc eſt. Putabas forſan, quòd Deus timeret de non poſſe facere per Balaam, quòd uolebat; niſi ipſe Balaam conſenſiſſet? Et idcircò Deus (inquiebas) tot, tantasque monitiones pro habenda uoluntate ipſius Balaam fecit. Hoc quàm falſum ſit, quòd forſan exiſtimaſti, pluries monſtrauit Balaā ipſe dicens; Non poſſum loqui, (nō poſſum loqui), nō poſſum loqui, niſi &c. Non poſſum prohibere benedictionem. Nō poterat non obedire Deo. Igitur hortationes illas ad Balaam Deus non fecit propter indigentiam propriam. Cur ergo? Propter utilitatem alienam. Sciebat enim, quòd Balaam ipſe, niſi concurreret liberum arbitrium conforme Deo, in actionibus illis aliàs ineuitabiliter per eum fiendis nihil meritū habiturus erat: Et conſequenter nullam indè Balaam pro ſemetipſo utilitatem allaturus. Hæc, hæc fuit ratio, quare ſic feruidè monuit Deus iſtum Balaam ad obediendum ſibi. Ecce ergo. Obediuit Balaam Deo, reobediuit, terque obediuit; & tamen nihil ſpiritualis utilitatis indè hauſit. Ecce tantam conſtantiam (ut ſupra habuiſti), tanta mirabilia, in hoc negocio monſtrauit; & tamen quaſi nihil, cùm nil pro ſe meruerit, fecit. Quare? Audiſti quare. Sed modò audi per ſingula. Quare obediuit, reobediuit, terque obediuit? Quia ſpiritus, ubi uult, ſpirat, & quid ultra? Vocem eius audis, ſed neſcis undè ueniat, aut quò uadat. Illud primum de ſpiritu dictum ſicut de Balaam uerificatur, ita reliquum de rege Balach. Audiebat Balach rex ipſum Balaam, & admirans aiebat. Ego te uocaui ad &c. Et tu è contrario benedicis eis. Quaſi diceret. Vndè iſta nouitas? Reſpondebat ipſe Balaam regi. Non poſſum aliud loqui; niſi quod iuſſerit Dominus? Ac ſi diceret: Spiritus, ubi uult, ſpirat. Ergo Balach rex uocem ſpiritus audiebat; neſciebat tamen, undè ueniret, quia neſciebat, qua ratione tunc in ſua regentia ad ſui confuſionem maiorem iſta faceret fieri per Balaam Spiritus ſanctus. Neſciebat etiam, quò uaderet; quia finem huius benedictionis neſciebat terminandū eſſe ad Chriſtum, & Chriſtum ipſum, ad quem terminabatur benedictio iſta, non cognoſcebat per fidem. Quid ergo? Vocem tantummodò ſpiritus per Balaam loquentis audiebat, & indè ſtupefactus reddebatur.

¶ Dixi ſupra, quòd iſta benedictionis executio non fuit ipſi Balaam meritoria, ſeu ſpiritualiter utilis; quoniam omnes de iſta loquentes ſcripturæ ſacræ ad hoc dicendum me compellere uidentur. Siue enim lego Epiſtolam Iudæ Canonicā, ſiue ſecundam Petri ſecundo, ſiue Deuteronomij 23. inuenio, quod Balaam de hoc negocio ubique malè audit. Aut enim ibi ſcribitur, quòd Balaā in errore effuſus eſt mercede; aut quòd amauit mercedem iniquitatis; aut quòd Dominus noluit audire ipſum Balaam, ſed mutauit maledictioné eius in benedictionem. Et ex hoc ultimo puncto, quod ibi in Deuteronomio habetur, extrahimus, quòd Balaam ſecundum uoluntatem propriam intulit maledictionem, ſuper populum Iſraeliticum, tantum abeſt, ut ſecundum propriam uoluntatem populo benedixerit. Vndè ibi benedictio attribuitur Domino, tanquàm ab ipſo per Balaam facta: maledictio autem attribuitur ipſi Balaam, tanquam ab ipſo, ſi propriæ facultati relinqueretur. Ergo ex ſcripturis illis, ꝙ Balaā per harum benedictionum pronuntiationem nihil ad uitam ſpiritualem meruerit habetur. Vide inſipientiam prophetæ huius.

¶ Non indè meruit utilitatem ſpiritualem, indeque habuit iacturam temporalem. Nam (ut in ſequenti capitulo legitur) Balach dixit ad Balaam: Reuertere ad locum tuum: decreueram quidem magnificè honorare te; ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito. Incurrit igitur Balaam iacturam magnam temporalem ex benedictionibus illis Iſraeli datis propter ipſius Balach indignationem; & meritum æternæ uitæ indè non habuit propter ſui liberi arbitrij peruerſam diſpoſitionem. Vide hinc, quid fiet de illis, qui coactè ſeruiunt Deo; quomodo ſcilicet ſunt miſerabiliores omnibus hominibus, ut pote omni ex parte iacturam facientes. Et ideò reprehendebat maxima indignatione contra (ut habetur libro regum) Elias eos, qui claudicarent, ſeruientes Domino, in alteram partem. Ita agnoſce eſſe magnam pœnam, mentiſque cæcitatem; quam Deus iuſto ſuo iudicio in eos infligit, qui Deum, ſicut Deum, non glorificāt, ſeu Deo, uelut Deo, non obtemperant. Hæc tibi pœna nonne occurrit tunc, quando legebas, quòd plantarēt uineas illi, ipſi, & de fructu earū nō comederent; quòd ſeminarēt agros, indè nullam utilitatem ſentirent, quòd laborarent, & in uanū laborem ſuum conſumerent, atque ſimilia? Hoc illud eſt pœnale, quod nos prædiximus, & hæc ipſi Balaam aduenisſe probauimus.

NOTATIO. IIII.

IN prima benedictione non dixit & facta, & fienda à Deo beneficia maxima Iſraeli, ſicut in hac ſecunda fecit. Beneficia modò illa nonnè Iſraeli inæſtimabilem conferunt dignitatem; & conſequenter de illo maximam benedictionem inferunt? Vtique. Multum ergo in benedicendo profecit Deus per Balaam Iſraelitis; poſtquàm Rex Balach magis contra populum illum debacchatus eſt. Vis audire beneficia maxima

Iſraeli

Iſraeli à Deo collata? Deus (inquit) eduxit illum de Egypto: cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. Non eſt (ſequitur Balaam) augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael. His in uerbis monſtrauit ipſe Balaam, quod Deus in manu forti eduxit populum de Ægypto; & conſequenter quòd totam Ægyptũ & plagis, & mortibus in fauorẽ huius populi afflixit, id quod indicibilẽ ferè dignitatis benedictionem dicit in populo illo, ut uidelicet propter illum ſolum tantam multitudinem nobiliſſimam afflixerit Deus uſque ad mortem. Monſtrauit quoque Balaam, quod a Dei fortitudine magna cuſtodiebatur Iſrael ab operibus malis, maximè a Demonum familiaritate, & hoc per ly non eſt augurium in Iacob &c. Et per hoc oſtendebat, quòd qui a Demone petit auxilium non eſt dignus, ut a Deo iuuetur. Ecce beneficia eius præterita, eũ in præſentia. Audi futura. Temporibus ſuis (inquit) dicetur Iacob, & Iſraeli quid operatus ſit Deus. Ecce populus &c. Hic uſque ad finem huius ſecundæ benedictionis prædicit filij Dei incarnandi effectus; ſed ſub uerbis obſcuris. Effectus incarnationis filij Dei fuit magnificatio populi Iſraelici; & mors, ac reſurrectio fructuoſa ipſius unigeniti Dei. Et iſta omnia prædicanda uaticinatur Iſraelitico populo temporibus ſuis. Temporibus (inquit) ſuis dicetur, id eſt nouiſſimis tẽporibus prędicabitur ipſi Iſraeli, quãta operatus ſit in eis Deus. Et quid ſit hoc, quod operatus tunc dicetur Deus, monſtrat ab effectu dicens: Ecce populus ut leena conſurget, & quaſi leo erigetur. Tunc autem, ut leo, erectus eſt, quando Verbũ Dei factum eſt leo de tribù Iuda. Tunc conſequenter populus Iſrael conſurrexit, ut leena. Nam ſi Christus, factus leo, ſponſus erat populi fidelis, utique populus fidelis dicendus erat leena. Nõne iſti duo effectus facti ſunt per unigeniti Dei incarnationem? Profectò. Igitur Balaam nunc incarnationem Chriſti, obſcurius tamen, manifeſtat. Non accubabit (ait) donec &c. Ecce mors Chriſti. Non enim per mortẽ occubuit, nec per illã accubauit, id eſt iacuit in ſepulcro: niſi quãdo uidit per mortem ſuam prædam à diabolo ſe erepturum, & taliter quidem, ut ipſam prędã non rapere ſolum illi Chriſtus uideretur, ſed deuorare. Quot uidiſti, audiſti, legiſti, malos in primitiua Eccleſia uenire ad fidem, & ſubitò factos bonos in ſummo? Iſti ſunt, qui dix erant ad fidem conuerſi, & iam mox pro fide conſtanter martyrium ſubibant. Exemplum de Porphirio, ducentis militibus, quinquaginta clariſſimis philoſophis, Maxentij coniuge regina, in legẽda ſanctę Chaterinæ martyris, & de multis alijs huiuſmodi. Quid cernere putas, quando tibi occurrunt iſti; niſi quandam, non ereptionem ſolum iſtorum a diabolo facta per Christum; ſed quandam deuorationem? Videtur enim Chriſtus tunc potius deuoraſſe iſtos, quam per conuerſionem rapuiſſe. Nam quod deuoratur citò ab eo, quod erat, in id, quod non erat, tranſit, quod autem rapitur non item. Per uirtutem itaque dominicæ accubationis per mortem factæ pręda deuorata eſt a Chriſto, quam diabolo abſtulit. Per uirtutem quoque illam occiſorum ſanguinem bibit Chriſtus, dùm per ſuam mortem, occidi ab hominibus pro ſeipſo, fecit ſuaue; ſicut bibere ſuaue eſt.

¶ Nota, quòd, quando de morte Chriſti loquor, cointelligo reſurrectionem eius; quoniã niſi reſurrexiſſet (ſecundum Pſalmum) nulla, uel quaſi nulla, ſequuta fuiſſet utilitas. Tunc autem ut leo conſurrexit; quando poſt triduum ſurrectionẽ celebrauit. Dicunt enim, quòd leunculus dormit tres dies, in tertio autem rugitum emittit; & conſequenter uiuum ſe manifeſtat. Non ab re igitur hic de Chriſto ſurrecturo poſt mortem dictum eſt, ꝙ quaſi leo erigetur. Ecce igitur ex prædictis omnibus, quam uerum eſt, quòd Balaam in ſecunda benedictione plus populo benedixit, quàm in prima. Non ergo propter iudicium infidelium Eccleſiæ ſanctæ timendum eſt, vt minus à Deo benedicatur. Vnum tantùm eſt, quod ipſam (quamuis tota nunquam deficiet) Deo exoſam facere poteſt; & conſequẽter maledici à Deo pro parte. Quid eſt illud? Quod hinc ex littera (ab oppoſitis) trahitur, ſcilicet peccatum mortale. Non credas abſque cauſa factum, quòd Balaam benedictionem hanc ſecundam incępit a negatione peccati; & per negationem peccati eam ſubſequutus eſt. Non eſt (inquit in proſecutione) augurium in Iacob &c. cur de his meminit? Vt ſcias ab oppoſitis, quòd peccatum inducit maledictionem diuinam, ſicut innocentia benedictionem.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

Iſta Concluſio 5. cap. 23. ab hoſtibus fidei etiam probatur per experientiam. ſ. illorum peſſimam ſequentem. Puta, ab Appelitis, dum dicebãt, quòd fidei rationem inquirere non opus eſt; ſed in ſua quiſque perſuaſione perſeuerare debet. Et a Petro Abailardo (ut refert Prateo tit. Trinitarij) dum ait, fide nihil eſſe credendum, quod uirtutẽ noſtri intellectus excedat. Et a Trinitarijs dicentibus, credendum non eſſe niſi per ſe notum, uel quod ex per ſe certis poſſit declarari. Et a Fliciano, cum inquit, quòd in diſciplina fidei rationibus potius, quam ſcripturæ ſacræ authoritate, & teſtimonijs agendum eſt. Et à Caluino, vt habes ſupra Exod. 18. con. 1. & a Brentio ſupra Nume. 2. con. 10. & a multis alijs per ſua dogmata ſimile quid reſonantibus, quandoque plus, quandoque minus aperte. Prędictos tamen nominatos male feciſſe, menſuram inferiorum uolentes eſſe mẽſuram ſuperiorum (cùm, pluſquam cęlum a terra, diſtẽt) monſtratum fuit ſupra Numer. 2. con. 10. & cap. 4. con. 1. & ca. 13. con. 7. quamuis concluſionem illam noſtram dogmatibus ſuis falſa uerum dicere conteſtentur. Damnantur etiam prædictorum ſ. Appellitarum &c. hęreſes a b Elucid. pri. par. q. 1. ar. 8. & q. 46. ar. 2. Item à Iuda in Epiſtola ſua loquente de hæreticis. Hi quæcunque quidem ignorant, blaſphemant; quæcunque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt; in his corrumpuntur. Hæc ille. In quibus uerbis etiam inſinuat, quòd menſurare ſuperiora per nobis naturaliter cognita eſt & quædam corruptio horum ſic cognitorum (.i. eſt his abuti) & quædam blaſphemia ſuperiorum (.i. facit, quòd blaſphementur ſuperiora).

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXIIII.

Nequaquam abijt &c. ut augurium quæreret. *Tex.*

Concl. 1. *Miſcere bonis mala malorum eſt.* [Ex eo.]

Videtur ex littera, quòd Balaã ſimul Deo obediendo artem diuinatoriam; & conſequenter mala bonis, miſcuerit. Vnde figuraſſe uidetur in hoc illos, qui utrinque bene ſe habere uellent. Quomodo? Seruiendo .ſ. mundo, diabolo, carni; & ſeruiendo altiſſimo. Duobus dominis ſeruire uolebat Balaam; & ob hoc nihil ſibi ſpiritualis utilitatis ex Dei ſeruitio acquiſiuit. Vbi eſt littera hoc innuens? Nequaquam (inquit) abijt, ut antè perrexerat; ut augurium quæreret. Augurium ergo in ſupradictis quæſierat. Quærere autẽ augurium eſt peccatum mortale; & inter ſuperſtitioſa computatur, ut dicitur 26. q. 2. cap. Illud. Quinimò eſt idolatriæ cultus augurij ſuperſtitionibus implicari (ut dicitur 26. q. 2. cap. Sed & illud). Eſt igitur peccatum mortale augurari: Et confirmatur, quoniam (26. q. 6. ca. Augurijs) augurijs ſeruiens eſt ab Eccleſia ſeparẽdus. Nec mirum; quoniam ars augurandi eſt ex traditione malorum Angelorum (26. q. 2. c. qui iuxta). *Ratio.*

EXAMEN.

Qvid eſt augurium? Eſt illud, quod fit in conſideratione auium, ad ſcientiam futurorum. De hoc uide S. Tho. 2. 2. q. 95. ar. 7. Et de alijs ſpeciebus ſuperſtitionis in quæſtionibus & ar. circumcirca. Hinc apparere incipit ratio, quare iniquus Balaam, facto holocauſto à Balach diſcedens currebat per uiam ad uidendum quid ſibi occurreret. Licèt autem dicat: Si fortè mihi Dominus occurrat; hoc tamen non excuſat totaliter factum. Potuit quidem eſſe, ut eunti Balaam pro augurio quærẽdo appareret Dominus impediens ex præuentione ſua augurium; quemadmodũ multa

ta

ta malefici ſua intentione fieri uellent, quæ tamen Dominus & impedit, & in bonum conuertit. Similis autem fuiſſe uidetur ipſe Balaam ei, qui facit furtum, ut eleemoſinam alicui tradat. Nam malum medium (ut diximus) ordinauit ad hoc, ſicut ipſe fatebatur, ut occurreret ſibi Dominus. Occurrebat autem ſibi Deus, non propter approbandum malum medium, ſed propter impediendum malum finem proximum, ſcilicet augurium, & finem ultimum, ſcilicet maledictionem populi. Hoc tamen non excuſatur Balaam, quòd, quantum eſt ex ſe, non infamaret Deum; quoniam tum ex facto, tum ex dicto immediatè poſt factum monſtrabat, Deũ fauere idolatriæ. Aras enim erigi à Balach faciebat, poſt quod factum ſe occurſurum domino dicebat. Videns, idolatriã hic à Balaam inſinuari ipſi idolatræ Balach approbari a Deo Iſraelis per aduentum eius? Nec mireris de idolatria hic per Balaam interueniente, quoniam idolatrare quodammodo eſt auguria ſectari, ſecundum quod ſupra ex decretis audiſti. Hinc agnoſcas etiam, cur in ſcripturis Balaam ipſe uocatur hariolus. Hariolus enim a quadam ara quæ uocatur Hara, quæ auguralis eſt, denominatur. Propter hoc igitur dicere Balaam hariolum eſt dicere ipſum augurem, ſiue auguriis adeò ſeruientem, ut indè ſibi cognomen acquiſierit. Erit illis igitur adiunctus Balaam propheta; qui in die iudicij ſe in nomine Domini prophetaſſe teſtabuntur; & tamen a pœnis inferni propter hoc non liberabuntur. Nam prophetare ſtat cum peccato mortali, etiam actualiter commiſſo (ut de Balaam patuit), & cõſequenter non liberat a gehenna. Vide S. Tho. 2. 2. 172 artic. 5 quod eſt aliquis demonum, & ar. 6. quod talis aliquando dicit uerum, & q. 171. uſque ad 174. de multis circa prophetiam.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

PRAEMISSA concluſio 1. cap 24 deſtruit hæreſes quorundam (hi tamẽ eas abiurauerunt Vincẽtiæ an. Domini 1579. ex Decret. Sanctiſſimæ Congregationis) dicentium, quòd ſcripturæ ſacræ aliquid ultra ueritatem ad decorem addiderunt Euangeliſtæ: & quòd ſcripturæ ſacræ, ſicut hyſtoriæ prophanæ quædam ad decorem & ornamentum continet, quæ uera non ſunt. Et hanc ſimilem Eraſmi (quam inter concluſiones Eraſmi ſuſpectas, uel ſcandaloſas reponit Iacobus Lop. Stunica, poſt ſuum itinerarium) mendaciſſime dicentis, quod compertum eſt, locis aliquot in ſacris literis addita quædam ab Orthodoxis; ad excludendos aut refellendos hæreticorum errores. Patet enim, ex premiſſa concluſione ſequi totum oppoſitum. Non enim Orthodoxis, ſed demoniacis uiris (ut erat Balaã) attribuitur proprietas hęc, miſcendi ſ. mala rebus bonis. Præterea quõ ſtant ſimul hæc duo, quod aliqui ſint Orthodoxi, & quòd falſificẽt ſcripturas? Falſificator enim ſcripturæ ſacræ, uel in minimo, eſt habendus, & uerè eſt hæreticus; aſſimilatus alijs hæreticis, qui uerbis ſacræ ſcripturæ dant alium ſenſum, quã uerba ipſa Spiritusſancti expoſcãt. Sicut naq; hi ſenſum alienum dant uerbis: ita illi uerba ſuppoſititia fingunt pro uerbis ueris Spiritusſancti. Quod autem de Orthodoxis in cõmuni dictum eſt, tu etiam, & magis, de Euangeliſtis intelligas; quando quidem Euangeliſtę non tantum Orthodoxi, ſed & ſanctiſſimi fuere; non a ſemetipſis uenientes (ut faciunt falſarij, & mendaces, ac uani homines plus de fucis, quã de ueritate curantes), ſed nobis à Deo qui ueritas eſt, dati, iuxta illud Eph. 4. Aſcendit, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios verò Euangeliſtas. Damnantur, & meritò ab Auguſtino ad Hieronymum Epiſtola. 19. dicente. Solis ſcripturarum libris, qui canonici appellantur, didici, hũc honorem deferre; ut nullum authorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò uerum putem; quòd ipſi ita dixerint, uel ſcripſerint. Hæc ille. Ecce quòd nihil penitus non ſincerum ac ueritate ſubnixum dixerunt & ſcripſerunt Euangeliſtæ; imò & quicunque canonici ſcriptores. Seruauerunt enim id, & ſemper præ oculis habuerunt, quòd Deus non indiget noſtro mendacio, ut olim dixerat patientiſſimus Iob. 13. Dãnantur quoque a Concilio Forouiulienſi, in princip. ante ſymbolum fidei dicente infœlix Arrius ſæpẽ tis crapulatus ueneno, addere uel demere in Sancto Euangelio conatus eſt; ubi Saluatoris uocem cauteriata conſcientia audierat, & perfunctoriè legerat, Vado ad patrẽ, quia pater maior me eſt. Super hoc igitur quaſi addidiſſe quiddã conuincitur, cũ polluto ſenſu, & impio ore ex ſuo intulit; Non ſolum ſecundum humanam naturam, ſed & ſecundum diuinitatem minorem eum, & poſteriorem patre, mentiri non timuit, quę nuſquam in ſacroſanctis Euangelijs, in nulla ſaltem qualibet diuinorum teſtamentorum ſeriè ſe legiſſe, poterit approbare. Sancta autem, & ueneranda Euangelia cũctis inuiolata ſeculis permanebunt. Catholicos uero quilibet doctor, quomodo & ſecundum hominem minor, & ſecundũ Deum æqualis ſit patri, hæc multiplici euidenter exponendo ſermone explicuit, non addidiſſe, uel minuiſſe, ſed irreprębẽſibiliter prędicandus eſt latenna Sancti Euangelij myſteria ſuppleuiſſe. Nã in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus ſub unius huius appellatione, de tota utriuſq; teſtamenti ſeriè cõteſtatus eſt; Si quis (inquit) appoſuerit ad hęc, apponet Deus ſup illũ oẽs plagas ſcriptas in libro hoc. Et ſi quis diminuerit de uerbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem illius de libro uitæ, de ciuitate ſancta. Veruntamẽ ſanctos prædicatores Eccleſię hæc non percellit ultionis uindicta: quos ipſum Apocalypſis librũ, & unumquodq; capitulum ſcripturarum multiplici diſputationum ſtylo, per ſingula exponendo ſalubri explicaſſe promulgatione laudamus, quoſq; pro his ſempiternam credimus recepturos mercedem. Ipſe quippe mediator Dei, & hominum, Dominus & magiſter, multa in parabolis, quas ipſe propoſuerat, melliſluo diuinitatis exponendo ore uerborũ inſignia multiplicauit, duobus in uia ambulantibus aperuit ſenſum; & incipiens a Moyſe & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Sed & B. Apoſtolus non eſt culpadus, qui legis ænigmata per multiplicia diſputationum diſſeruit uerba. Hucuſque propter eos, qui nequeunt ad purum ſubtiliter intelligere, quid ſit in ſacro eloquio addere, uel minuere. Hæc ibi Cõcilium. Vide o tu, magnam differentiam eſſe inter addere, minuere in ſacris litteris, & exponere? Quod ſanè ſi penſitaſſet Eraſmus, forſan ignarus de Orthodoxis non protuliſſet, quæ mendaciſſimè protulit. Sed grammaticus purus puram grammaticam intelligẽs, quid ſupra, etiã ſi conetur, intelligat? Ad hæc damnatas illas hæreſes inuenies frequẽtes in Concilio magno Florentino per hoc, quòd ſparſim in multis Seſſionibus, & diſputationibus declarat; quod aliud eſt addere ſacris litteris, aliud eſt exponere implicitẽ contenta in illis, & hoc per occaſionem illius particulæ FILIOQVE, in Symbolo fidei declarandi Euangelij gratia appoſitæ.

DIxit Balaam &c. Perforabunt ſagittis. *Text.*

Concl. 2. *Mali perſequendo bonos faciunt illos, nolendo, clariores; etiam quandoque hoc.* (LXX co.)

DIXIMVS in ſuperiori capitulo, quod quanto magis inſudebat Balach pro maledictione populi, hoc magis Balaam benedictiones populi dilatabat. Hoc idem & hinc inſpicere potes, ſi ad tertiam benedictionem a Deo per Balaam ſuper populum datã erigas oculos. Hic enim uidebis primò quod benedictio iſta commendatur expreſſe ū omiſſo dicere (ut, dixit Balaam &c.) quod non fuerat in præmiſſis benedictionibus. Scis quare? Vt oſtendatur, magnitudinem rei dicendæ eſſe tantam, ut non facile crederetur, niſi a perſona fide digniſſima pronunciaretur. Secundò hic uidebis ter replicari ly Dixit (Dixit inquit, Balaam &c. Dixit homo &c. Dixit auditor &c.) propter eandem rationem, antequam benedictionem incipiant. Tertiò hic uidebis commendari benedictionem proferendam ab auctore Deo omnipotente, & ab inuiuto miniſtro eius (auditor, inquit, ſermonum Dei; qui uiſionem omnipotentis intuitus eſt. Ecce hic de utroque commendatio), & hoc propter eandem rationem. Quartò hic perſpicies prædictas benedictiones cõiungi, & aliquid aliud manifeſtius addi. *Ratio.*

EXAMEN I.

VIDE. Prima benedictio commendarat Iſraelem de numeroſitate, de iuſtitia, de pulchritudine. Pulchritudinem ibi habes, quãdo dicitur: De ſummis ſilicibus uidebo eum, & de collibus conſiderabo illum. Pulchra enim ſolent cum deſiderio inſpici, uideri, conſiderari, & a remotis (de ſummis ſilicibus,) & à propinquis (de collibus) & quæ-

quæcunque

tamque taliter, præcipuè ab aliquo modò magno uiro, inſpiciuntur; pro rebus pulchris reputantur. De iuſtitia ibi habes, quando dicitur: Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia. Niſi enim iuſtus reputaretur Iſrael à Balaam loquente in ſpiritu Dei; is loquens in tali ſpiritu non deſideraret mortem ſimilem illis. Taceo, quòd explicitè nominat eos iuſtos, inquiẽs; Moriatur anima mea morte iuſtorum, id eſt morte iſtorum iuſtorũ. De his enim loquebatur. Numeroſitatem Iſraelis ibi habes, quando dicitur: Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Quaſi dicat: Nullus. Numeroſus ergo non ſimpliciter erit: ſed taliter numeroſus, ut numerari ab homine non poſſit. Iſta tria in primu benedictione poſita in fauorem Iſraelis continentur in hac tertia benedictione, ut & benedictio iſta ſit pinguior, & prima ſit ſolidior. De pulchritudine ad litteram, & quidem multum exaltatu, exemplis tùm uallium nemoroſarum, tùm hortorum iuxta fluuios irriguorum, tùm tabernaculorum à domino fixorum, tum cedrorum propè aquas; de tali, inquam, pulchritudine habes ad litteram ibi: Quã pulchra tabernacula tua Iacob, &c. Vbi habes & pulchritudinẽ multò magis, quàm priùs, expreſſiorem, & grandiorem. Itagrandẽ hanc facit propheta, ut admiratiuè loquatur dicens: Quã pulchra &c. Ita grãdem hanc facit prophetã; ut comparationes pulcherrimas inter pulchra repertas adducat. Ita grandem hanc facit propheta, ut ex hoc, quòd multas cõparationes adducit, uideatur inſinuare, quòd nĩa poteſt pulchritudinem ſimilem Iſraelis pulchritudini adinuenire. De iuſtitia hẽs ibi: Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus; qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur. Tanta (quaſi dicat) eſt iuſtitia tua, quæ ſola benedictionem meretur, ut alijs redundet ſiue in bonum, ſiue in malum. In bonum quidem, ſi benedicant tibi; in malum autem, ſi maledicant tibi. Nunquid non tibi iuſtitia hæc maxima uidetur; magiſque admodum expreſſa quàm priùs? Sileo, quòd hic Balaam prædixit ſe maledictũ fore, cùm populo iſti poſtea maledixeris factis (ut ſupra uidimus capitulo præcedenti) & quòd ipſum Balach maledictum talibus uerbis pronunciauit; cum ipſe rex Iſraeli malediceret in corde ſuo, atque Iſraelem maledici per ipſum Balaam procuraret adhùc, & procuraſſet. Vide ſi non ſpiritus, ubi uult, ſpirat. De numeroſitate demũ Iſraelis habes ibi: Semẽ illius erit in aquas multas, (id eſt in populos multos: Nam Apocalypſis habet, quòd aquæ multæ ſunt populi multi.) Vbi & numeroſitatem hic maiorem, quantum ad ſimilitudines adductas, Iſraelis cõſpicis. Licet enim puluis, cui aſſimilabatur numerus Iſraelis, ſit multus; tamen aquæ maiorem multitudinem obtinent. Modum autem iſtius numeroſitatis etiam facilem demonſtrauit, quando aquis fluentibus ipſam comparauit. Faciliter enim fluunt aquæ.

EXAMEN II.

QVOD autem etiam ſecunda benedictio in hac tertia contineatur, apparet. Quid in ſecunda habetur? Magnificentia populi Iſraelitici, mors Chriſti, & reſurrectio eius fructuoſa. Vbi eſt hic Iſraelis magnificẽtia? Quã pulchra tabernacula &c. (ut ſupra immediatè.) Vbi eſt mors Chriſti? Accubans dormiuit, ut leo &c. Vbi eſt reſurrectio Chriſti? Cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. Huius enim animalis fortitudo magis intrinſeca, quàm extrinſeca, eſt. Nam paruum uidetur, & infirmum; interiùs autem tanta fortitudine uiget, ut animalia etiam ſe externè grãdiora uincat. Sic Chriſtus paruus, & infirmus, per mortem apparebat oculis hominum, intranea uerò fortitudine adeò uiguit per reſurrectionem, ut mundum totum ſe in exteriori grandiorem prorſus euicerit. His omnibus ſupradictis benedictionibus non ſatiatus propheta, populum Iſraeliticum ſuper alios populos inimicos extulit dicens, quòd deuorabit hoſtes ſuos, & oſſa eorum confringet, atq; perforabit ſagittis, aliaque nonnulla in gratiam huius dixit, quæ per teipſum conſiderare poteris.

NOT. VNIVERSALIS AVRÆA.

VNVM hic pro omnibus ſimilibus locis aduerte, quòd benedictiones iſtæ, & bona de Iſraele narrata, de illo dicantur principaliter propter Meſſiam, qui ex ipſo naſciturus

Exempl. erat. Exemplum. Si homo aliquis fit Papa, totam ſuam parentelã nobilitat, atque honore dignam reddit. Sic quia Chriſtus de ſemine Iſraelitico uenturus erat, totus Iſrael ex hoc & honorabilis, & nobilis, & pulcher, & iuſtus, & id genus alijs præconizatus laudibus extollebatur. Nam quia iuſtiſſimus, pulcherrimus, nobiliſſimus, digniſſimus, honorabiliſſimus indè fructus naſcebatur; hinc tota arbor adornata conſpiciebatur. Ex hoc ſequitur, quod laudum præconia quæque Iſraelitico populo & hic, & alibi attributa maximè de Chriſto, tãquam de cauſa omnium, uerificantur; atq; ipſi Chriſto aptari principaliter debent. Nam propter quod unumquodque eſt tale (primo Poſter.), & illud magis. Si ergo propter Chriſtum tota iſta, & alia nobilitatis laus de Iſraele dicitur, magis utique de Chriſto ipſo dicetur. Eſt Chriſtus igitur ille tam antonomaſticè benedictus, ut qui benedicit eum, ſit ipſemet benedictus; & tam maledictione indigniſſimus, ut qui maledixerit eum, in maledictione ipſemet reputetur. Chriſtiani ergo, utpotè ſoli Chriſto benedicentes per fidem uiuam, benedicti ſunt, & non chriſtiani, utpotè Chriſto maledicentes per infidelitatem, maledicti ſunt. Blaſphemi ergo, & Chriſto inobedientes, eadem ratione, maledicti ſunt: Chriſto autem obſequentes, propter eandem per oppoſitam rationem, benedicti ſunt. Nam, ſi in aliquem dicis ueraciter eſſe benedictum, illi adhærere contendis; illius gratiam captare ſatagis; illi obtemperare deſideras. Chriſto igitur benedicere dicuntur ueraciter illi, qui eum audiunt in mandatis, illi adhærent per fidem, illius gratiam quærunt per mandatorum eius deuotam obſeruationem, atque illum ſemper apud ſeipſos habere inquirũt per fructuoſam occupationem. E contrario igitur maledicũt illi Chriſto, qui oppoſitum faciunt eorum, quæ dicta fuerunt.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXV.

Text. TOlle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem &c.

Concl. 1. *Peccata populi ſæpè naſcuntur à malis exemplis quorundam maiorum, ideòque magis à Deo tales maiores ob præmiſſa delicta puniuntur, quàm populus ipſe.* Ex eo. Ratio.

VIDE. Facta fuerat mentio de populi fornicatione, tùm ſpirituali adorando idola, tùm corporali (hæc ex contextu ſequenti intelligi datur, quòd. ſ. ſubintelligebatur), per commixtionem uidelicet corporum mutuam: & nihil in ſpeciali dictum fuerat de principibus populi. Nunc autem, in caſo pœnæ, quid fit? Mandatur, ut cuncti principes populi ſuſpendantur, quaſi ſoli ſubtraxerint ad inſtar furũ honorem Deo, & idolis attribuerint. Cum igitur de principibus in ſpecie quoad culpam memoria non fiat, ſed tantùm populi; & de ipſis in ſpecie quoad pœnam mentionem Deus faciat; quid hinc nobis intelligendum relinquitur? Quòd peccata iſta populi à principibus dimanarunt uel directè, uel indirectè, uel utroque modo. Quomodo enim punirentur principes pro peccatis populi, niſi eius peccatis aliquomodo communicaſſent?

NOTATIO.

DIRECTE eos peccatis populi cõmunicaſſe intelligas, ſi ad hoc, malum exemplum populo dederunt. Malum namque ſuperioris exemplum eſt ferè coactio quædam ſubditum ad peccandum impellens: & ideò tunc directè ad ſubditorum delicta dicitur ipſe ſuperior cadendi. Indirectè uerò inferiorum fornicationi cõmunicaſſe principes intelligas, ſi populum ex ſe taliter fornicantem non cohibuerunt. Ex quo enim erant principes; ipſis populum ad bonum ducere, à maloq; auocare, incumbebat. Alioquin officium ſuum adulterabant, tanquam ſolo nomine principatus contenti (ſicuti & adulter dicitur, qui rem ſibi ignobiliorem, utpotè uxorẽ alienã, præponit rei ſibi coniunctiori, utpotè uxori propriæ), & iccircò peccabant, ac per huiuſmodi negligentiam peccatorum populi cauſa indirecta meritò dicebantur. Quoniam

niam uerò, difficile eſt; principem aliquo dictorum modorum ſubditi populi delicta non cauſare; ideò propheta Dauid, utpotè princeps, ſpecialem circa hoc orationem faciebat domino dicens; Ab alienis, ſcilicet peccatis, parce ſeruo tuo. Quaſi dicat. Hoc ſuperiori cuilibet ualde difficile eſt, ac ſpeciali auxilio tuo opus habet ad hoc, nè inferiorum peccatis aliquo dictorum modorum implicetur. Credibile autem eſt (loquendo de principibus iſtis), quòd utroque modo fornicationis prędictæ a populo commiſſæ cauſa extiterint. Cùm enim dicatur abſolutè, quòd populus cum filiabus Madiam fornicatus ſit; & ſtatim de punitione principum ſubiungatur, relictum uidetur; ut intelligamus principes quoque fuiſſe fornicatos. Hoc uerò & inde conſpicitur; quòd, qui cum Madianitide concubuiſſe ſubiungitur, dicitur fuiſſe dux. Quis modò non uideat, ſi principes fornicati ſunt, malum exemplum, ultra peccatū proprium, populo fornicandi dediſſe? En cauſa directa. Et cùm populi fornicatio, & nulla de hoc à principibus ei facta increpatio, legatur; nonnè hinc intelligis, principes ipſos ſuo correctionis defuiſſe officio? En cauſa indirecta.

APPENDIX.

1 HINC habes, ꝙ in eodē genere peccati magis puniūtur hi, qui maiorē ſenſum, ideſt intellectū habere debuiſſent. Quia enim principes, ut ſic, maius cerebrū præ ſubditis habere debuerant, & non habuerunt; ideò grauius cæteris caſtigati ſunt. Hoc aduertant illi, qui multitudinem aliquam ſequuntur ad agendum malum; & ſciant, quòd non tantum peccant pari delicto cum multitudine, ſed etiam maiori; ſi prudentiores multitudine eſſe debuerunt. Secundò habes, quòd

2 Deus ſe habet per oppoſitum ad punitionem humanam. Nā homines aliqui aliorum iudices nonnunquam, ſi uiderint nobiles ſimul & ignobiles peccare; quid faciunt? Ab ignobilibus exigunt pęnas acerbas, & nobilibus parcunt; Dominos a caſtigatione liberos dimittunt; & in inferiores iſtis deſæuiunt; maiorum culpas per organum puniunt, cōniuent, & minorum delicta ſtatera diſtrictiſſima librant examine. Hic uerò Deum facere quid cernis? Totum contrarium. Tolle (inquit) cunctos principes, & ſuſpende eos contra ſolē in patibulis. Ecce. Quaſi non uidet culpas infimi populi, dū eius puniendi non meminit; culpas aut principum cunctorum aquilinis oculis cernit, dū eos ſæuerius caſtigandos mandat. Heu, Heu, quam toto cęlo, totaque terra (ut experientia in quibuſdam monſtrat ad ſenſum) diſtat terrenum iudicium atque ſupernum. Huius uerò diſtantiæ reſpectus (ut aiunt) humanus, VIATVRIS CVIVSQVE VANANVM, cauſa eſt.

3 ¶ Tertiò habes, quod potentes potenter torquebuntur, & duplicter. Potenter & dupliciter, inquam, quoniam illi potentes, qui officio ſuo deſunt, & prius, & atrocius, cæteris puniētur. Nam & prius de pęna principum hic a Deo mandatum, & atrocius. Non tantum enim occiſi ſunt principes (ut alij; de quibus dicitur a Moyſe; Occidat unuſquiſque proximos ſuos); ſed etiam ſuſpenſi in patibulis: nec tantum ſuſpenſi in patibulis; ſed etiam ibi ſuſpenſi contra ſolem. Quare contra ſolem? Vt ex ſolis radio, ac uerberatione, magis ardgerentur. Quare, in patibulis? Vt ab omni populo uiderentur; ac indè ſtrepitus continuo maior, populoque ædificatio naſceretur in bonum. Quemadmodum enim ex principum culpa ſcandalizatus eſt populus; ita ex illorum pęna ædificatus. Quis enim ardeat, atque torqueri, & ſi uel parū ſapiat, a malo, propter quod torquetur ille, non retrahatur? Hoc autem præſertim in animo cernentis ualet, ſi tortus ille ſit de maioribus.

4 Quartò habes conſequenter, quòd Deus puniendo aliquem multa bona facit. Reddit culpæ, quod ipſi debetur, ideſt pœnam; aſtantes uerò, ac reliquos, a culpa retrahit. Ex redditione illa iuſtus appellatur, cùm unicuique ſuum reddere iuſtitiæ ſit. Ex retractione iſta miſericors eſt, cùm aliquem à malo remouere clementiam inferat. Quintò conſequenter ha-

5 bes, quod iudex non puniens publicè, publicè puniendum magnam damni cauſam toti populo dat. Quoniam uerò dās cauſam damni damnum dediſſe uidetur; ideò iudex ille de toto damno indè ſecuto à domino caſtigabitur. Vis uidere, quantam dat cauſam damni? Quot potuiſſet a malo retrahere per alicuius punitionem publicam, tot in malo, quantum in ſe fuit, dimiſit per punitionem ſecretam. Ideo iudex talis crudelis iudicandus eſt, non miſericors, quippe qui ad bonū ſuperficiarium partis, quod erat non in publico pati, plus ni-

miò reſpexit. Quid ni, ad aliud plus nimio reſpexiſſe ipſum, non dixerim, quando inter bona præpoſterum ordinem ſeruauit? Rectus namque bonorum ordo (& hunc ipſe calcauit) eſt, ut bonum totius præponatur bono partis, præpoſterus autem (& hunc ipſe ſuſcepit) eſt, ut hæc è contrario.

NOTATIO.

EX præmiſſis omnibus agnoſce, quantis in periculis neſſitus principum, ac omnino ſuperiorum ſtatus. Mala enim punire; & a prioribus, ſi deliquerint, punitionem aſpicari, & publicè caſtigandos publicè, etiam ſi rectores extiterint, caſtigare, tenentur. Hæc autem quam obſeruata, noſtris maximè calamitoſis temporibus, difficillima ſint, aliorum eſt iudicium. Quò enim magis præualuerit reſpectus humanus, eò magis illa difficultas augetur. Quantum uerò talis per totum ferè orbem inoleuerit reſpectus illicitus, norunt omnes, ac indè ſeorſum ingemiſcunt uſque adhuc.

SVſpende &c. Vt auertatur furor meus ab Iſrael. *Text.*

Concl. 2. *Per aliquorum punitionem de multitudine parcit quandoque Deus toti multitudini.* [Ex eo.]

ECCE. Peccauit populus, peccauerunt populi principes; & tamen dicit Deus, quòd per principum dignam punitionem furor ſuus auertetur a toto populo. Nunquid nō de ſolis principibus mandat Moyſi in littera, ut ſuſpendantur? Vtique. Quorſum id mandat? Vt auertatur (inquit) furor meus ab Iſrael. *Ratio.*

NOTATIO.

ADVERTE hic multa. Primò miſericordiam Dei iuſtitia punitiua maiorem, tum ex hominum ipſorum numero, tum ex fine intento. Ex hominum quidem numero, quoniam per caſtigationem paucorum maior ſaluatur. Numero namque pauciores procul dubio fuerunt principes multitudine tota, & in immenſum ferè. Ex fine autem intento, quoniam ſalus multitudinis aſſignatur pro fine caſtigationis. Cū ergo finis magis intendatur ab agente quam ea, quæ ſunt ad finem, patet quòd ſaluare magis cupiebat Deus multos, quā caſtigare paucos. Nec mirū, quoniam ſaluare conuenit Deo ſecundum ſe; punire uerò per accidens, ideſt non niſi ſuppoſito peccato (ſecunda ſecundę). Quoniam uerò omnis cauſa per accidens reducitur ad cauſam per ſe (ſecundo phyſicorū), ideò iuſtitiam hanc punitiuam ad ſalutem ordinando reducit. Vide ergo miſericordiam eſſe finem intentum iuſtitiæ punitiuæ in hoc mundo. Et cùm hoc uideris intellige quod dictum eſt a pſalmo: Vniuerſæ uiæ Domini miſericordia & ueritas; & miſerationes Domini ſuper omnia opera eius. Secundò hic aduerte iuſtitiam Dei ſecretius operantem. Videtur ſiquidem ex hoc dicto (ſcilicet tolle cunctos principes &c.) nō punire ſubditos delinquentes, & tamen eos maximè punit. Principes enim populi ſunt aliquid, & quidem nobilius, populi. Vnde, ſi ipſi puniuntur, populi puniuntur; & quidem in nobiliſſima parte, ideſt in capite. Iuſtitia ergo maxima ſeruatur, cum pro delicto populi princeps punitur. 1 2

¶ Ergo multum omnibus optandum eſt, ut malefactores puniantur. Nam ſic optando, totius ſalutem exoptant. Ergo tale deſiderium non maleuolentiæ (ſi nil aliud miſceatur) ſignum eſt, aut crudelitatis, ſed charitatis potius, & miſericordię. Ergo Deus eſt multus ad ignoſcendum; quoniam ad paucorum pęnam multis alijs parcit. Ergo aliquorum pęna eſt quaſi interceſſio pro alijs. Quam bonus ergo Dominus, qui pęnam aliquorum facit eſſe remedium aliorum? *Coroll.*

AT illi comederunt &c. Iratus Dominus. *Text.*

Concl. 3. *Sacramentum Euchariſtiæ ſumptum à nobis Deum maximè placat.* [Ex eo.]

A b oppoſitis littera hæc præſentem concluſionem inſinuat, cum iratum Dominum introducit ex hoc, quòd filij Iſrael manducauerunt de idolotitis. Si enim idolotitorum manducatio fuit ratio, quòd Deus contra manducantes ſic uehementer iracunduit ualdè, utique (ab oppoſitis) Euchariſtiæ manducatio *Ratio.*

ducatio cauſa erit, quòd Deus erga manducantes huiuſmodi benignus exiſtet.

NOTATIO I.

1 ADVERTE hic multa. Primo, quòd ſicut idolotitum idolo imolabatur, ac in eius honorem manducabatur; ita Euchariſtia ſacra, dum offertur in altari Deo, imolatur, in quantum ſcilicet imolationis factæ in cruce memoramur per hoc, & contentus in ea iam pro nobis imolatus priſtinam uirtutem ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris nunc retinet. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. cano. 1.3. atque in honorē Dei ad manducandū ſumitur. Secūdò nota: ſicut idolotitū māducabatur ab idolatris corā idolo, ita Euchariſtia mānducari debet à Chriſtianis in templo. Non enim minorem reuerentiā debent Chriſtiani Euchariſtiæ deferre, quàm idolotitis pagani detulerant. Dic mihi. Quare in idolio tantùm manducabant idolotita? Quia illa ex oblatione idolo facta tam ſancta reputabant, ut illa iam extra idolium ferre ad manducandum reputarēt illicitum. Ex reuerētia igitur idoli hoc faciebant. Si ergo pagani ex oblatione ſolummodò tàm ſacra cenſebant idolotita, ut non niſi cum magna loci circunſpectione manducanda iudicarent; quam ſacram Euchariſtiam, ex magnitudine Chriſti Sancti Sanctorum in ipſa contenti, debent catholici iudicare, & cum quanta loci circunſpectione ipſam manducare? Hinc optimè à Cōcilijs ſanctorum patrum ordinatum accepimus, quòd in cameris Regū, uel aliorum dominorum, celebrari Miſſa non debeat, quamuis ſuper altari portatili; ſed tantùm in templo ſancto Dei, uel oratorijs ad diuinum cultū ſolummodo dedicatis. Hæc & plura habes à Conc. Trid. ſeſſ. 22. Dec. de obſer. & euitan. in celeb. Miſſę. Hoc autē factum etiam intelligas, nè à paganis tam magnum honorem circa idolotita ſua deferentibus iudicemur in die magno. Ob hoc non excluditur neceſſitatis caſus, quòd ſcilicet Euchariſtia, non poſſit ferri ad domos infirmorum, & ibi ab ipſis recipi cum debita reuerentia, atq; tremore. Quod & commendat, & præcipit idem Concilium ſeſſ. 13. cap. 6. Tertiò nota, quòd etiā in hoc uoluit diabolus ſimilari altiſſimo, ut cerneres, quòd ſua ſuperbia, qua in cœlùm conſcenderas olim Deo ſimilari cupiens (iuxta uaticiniū Pſalmiſtæ) aſcendit ſemper. In quo uoluit aſſimilari Deo? In hoc, quòd ſuis cultoribus eſcam manducandam ordinauit; ſicut & Deus ſuis in figura iam ordinauerat, ac in ueritate ordinaturus erat. Vtquid enim putas, quòd Deus de ſacrificijs partē (ut patet ſæpius in Leuitico) à ſacerdotibus comedendam, & intra ſepta templi ordinauerit? Id utique fecit Deus, ut ſacroſanctam Euchariſtiam, noui teſtamenti uerum ſacrificium fidelibus ad manducandum ſumendam præfiguraret. Factum hoc imitari uoluit diabolus cum idolotita ſic in ſuo honore manducanda perſuaſit. Ab oppoſitis igitur, ſeu ab inimicis, etiam teſtimonium ſancta Euchariſtia habet, quòd ordinanda erat.

¶ Quartò conſequenter nota, quòd oppoſita illorum, quæ cauſabant idolotita à paganis manducata, cauſat Euchariſtia ſancta fidelibus aſſumpta. Videamus igitur effectus idolotitorum, ut ſacramenti altaris poſſimus effectus ab oppoſitis cognoſcere.

NOTATIO II.

ILLORVM effectus in paganis qui erat? Audi de hoc Pſalmiſtam. Similes (inquit) illis fiant, qui faciunt ea; & omnes, qui confidunt in eis. Cum ergo pagani facta à ſeipſis idola per manducationem idolotitorum approbarent, atque pro ſigno confidentiæ in idolis huiuſmodi comeſtionē exercerent, patet, quòd præmiſſa Dauidis ſentētia de comedentibus idolotita uerificatur. Dicit itaque, ſimiles illis, id eſt idolis, fiant &c. In quo fiant idolis ſimiles? In eis omnibus quæ de idolis loquens præmiſerat. Audi: Os (inquit) habent, & non loquentur; oculos habent, & non uidebunt; aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt; non clamabunt in gutture ſuo. Quaſi uno uerbo dixerit. Idola ſunt omnium ſenſuum exercitio priuata. Habent quidem ſenſuum organa; ſed non habent ſenſuum operationes. Idolis igitur qui aſſimilantur? Homines habētes ſpeciem pietatis; uirtutem autem eius abnegantes; ſeu (ut alijs Apoſtoli uerbis loquar) qui cōfitentur ſe noſſe Deū; factis autem negant. Idolotita itaque manducantes os habent, & non loquentur, & cætera in Pſalmo prædicta habent pro effectibus proprijs. Quomodo habent os, & non loquunt? Quia ore ſuo nec ad Dei laudem, nec ad proximi ædificationem, nec ad ſuimet ſalutem, utuntur. Ideò, quaſi non haberent os, in ueritate reputantur. Id enim quod loquitur homo, quod unum illorum trium non ſonat; hoc totum pro non loqui accipiendum eſt. Si autem loqui inutilia pro non locutione iudicatur, quanta nō locutio erit, loqui nociua? Maior utique, & ualdè maior, iſtud non locutio dicendum uenit, quanto peccatum mortale maius eſt, quàm ueniale. De his habentibus os, & non loquentibus, dicitur in ſcriptura, quòd docuerunt linguam ſuam loqui mendacium.

¶ Quomodo habent oculos, & non uident? Quia oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram; ſeu (quod idem eſt) oculi eorum non in capite, ſed in calcaneo, ſunt. Qui enim nunquam cęleſtia, nec mortem, aut infernalia, nec ſuæ ſaluti conducentia, ſibi ſuperuentura, oculo mentis attendunt, tales, quaſi non habeant oculos, dicendi ueniunt. Hinc tales meritò uocantur (Prouerb. 1.) paruuli; quoniam non niſi quæ præſentia ſunt, ad ſenſum uident. Talis autem uiſio uerac iter appellanda eſt non uiſio; quoniam ad finem animarum noſtrarum non proficit. Quod autem ad finem non proficit, quomodo uocatur? Vanum, ut habet philoſophus in phyſic. Cum igitur uanum pro nihilo habeatur (ut omnes ſcripturæ clamant) non mirum, quòd talis uiſio pro non uiſione à propheta ſumatur.

¶ Quomodo uerò aures habent, & non audiunt? Quia corporeas aures habent ad audiendum; ſed non ad ea, quæ audierint, implendum. Vel corporalibus auribus curioſa, noua, minus utilia, delectantur audire magis; quam ſimplicia, ſolita, utilia. Vel corporalibus auribus etiam quæ Dei ſunt; dedignantur audire cum ad loca, ubi talia poſſent audire (puta ad prædicationem, ſacram lectionem, &c.) ire nolunt. Vel aures habent; ſed aures audiendi non habent. Quid eſt habere aures audiendi? Eſt ad correctionem ſui, ad informationem morum ſuorum, ad profectum animarum ſuarum, auribus percipere, quæ dicuntur. Eſt ex his, quæ audiuntur, attribuere ſibimet illa; quibus indigere ſe animus ſenſerit. Verbi gratia. Quod incontinens, quando incontinentia reprehenditur, illa ſibimet omnia per ſe dicta attribuat; & de ſua incontinentia propter uerbum auditum emendationem tunc proponat, ac huiuſmodi propoſitum opere poſtmodum exequatur. Hoc denotat Chriſtus, dum ſæpius in Euangelio, & per Beatum Ioannem in Apocalypſi, dicit: Qui habet aures audiendi, audiat.

NOTATIO III.

QVOMODO nares habent, & non odorant? Quia in eos non tranſit odor, de quo ſponſa loquebatur dicēs ipſi ſponſo cæleſti: In odorem unguentorum tuorum currimus. Hi non ſentiunt illum odorem, de quo dicitur ab Apoſtolo: Nos Chriſti bonus odor ſumus. Hi ab illo odore ſentiendo extranei ſunt, de quo dicitur: Ecce Odor filij mei, ſicut odor agri pleni. Hi odorem illum non ſentiunt de ſponſa Eccleſia, qui ſcribitur ibi: odor ueſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Hi fumum odoramentorū, quem de manu Angeli in conſpectu domini aſcendere teſtatur Apocalypſis, non agnoſcunt. Quare? Quia nares non habēt? Non: ſed quia nares habentes, ipſas non exercent. Ocioſæ ſunt in ipſis nares; non ipſis à creatore negatæ. Non ergo odorant prædicta, id eſt non guſtant, non in eis refocillantur; licèt aliàs quandoque nares ſuæ odoramenta materialiter ſentiant. Quare odoramenta quandoque materialiter ſentiunt? Quia nares habent. Quare illa nunquam formaliter ſentiunt? Quia non odorant, ſeu odorata non guſtant. Verbi gratia. Orationes, quæ dicuntur ab Apocalypſi odoramenta, quique faciunt, Chriſti uaria præconia, ac erga nos beneficia (hæc ſupra dicuntur, à ſponſa in canticis, odor unguentorum ſponſi) audiunt, narrant, legunt, uident; prædicationes, diuinas lectiones, doctrinam Chriſtianam (hęc ſupra dicuntur ab Apoſtolo bonus odor Apoſtolorum; ſiue propter hæc dicuntur Apoſtoli bonus odor Chriſti) plerumque audiunt, dicunt, pertractant; uitiorum abhominationem, uirtutum amabilitatem, mundanorum omnium uanitatem, Chriſtianæ legis ueritatem, ſolius Chriſtianæ uitæ fœlicitatem (hæc, & ſimilia, dicuntur ſupra ab Iſaac, odor agri pleni; cum ita ſolida ſint, & non uana,) uel per ſeipſos, uel per alios, quandoque agnoſcunt: at in nullo prædicto-

rū aliquā ſpiritus dulcedinē, aliquem internum aīe ſaporē, aliquem guſtum cœleſtem ſentiunt omnino; ac ſi talia ſancta officia minus exercerent. Nares ergo habent, inquantum huiuſmodi bona officia exequuntur; ſed non odorant in quantum ex ipſis nullum guſtum ſuauem utilitatis ſpiritualis reportant.

NOTATIO IIII.

QVOMODO manus habent, & non palpant? Quia quicquid operant, nihil eſt. Quare nihil eſt? Quia non ex charitate, non ex amore ſupernorum; ſed ex triſtitia, uel amore terrenorum illud omne operantur. Similes ergo ſunt pharisæis, de quibus à Chriſto dictum legimus, ꝙ omnia opera ſua faciunt, ut uideantur ab hoībus. Quid eſt, omnia opera facere, ut uideantur ab hominibus? Eſt habere manus, & non palpare. Manus enim eſt organum organorum, & ideò illi habere manus dicuntur, qui operantur; cū organum ſit propter operationem. Palpatur uerò id, quod eſt ſolidum, & ideo illud palpari non poteſt, quod uanū eſt, imò nihil. Cum igitur quicquid a peccatoribus, ut ſic, fit, ſit uanum, utpotè ad finem æternum non attingens: ideò tales tunc dicuntur habere manus, & non palpare, quando ſcilicet talia operātur. Oppoſitū huius ſcilicet habere manus, & palpare ſimul, ſuadebat nobis Chriſtus his uerbis: Videte nè iuſtitiā ueſtrā faciatis coram hoībus, ut uideamini ab eis: ecce diſſuaſio, quòd habeamus manus, & non palpemus. Audi, ut ſuadeat oppoſitum. Tu cum ieiunas unge caput tuum (inquit,) &c. nè uidearis hominibus ieiunās; ſed patri tuo. Item. Te faciente eleemoſinam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua &c. Item. Cum oraueris, intra in cubiculum tuum &c. Per hæc, & ſimilia, quid aliud in propoſito iſto dicere uoluit Chriſtus, niſi quòd debent Chriſtiani habere manus, atque palpare? Ad habēdum quidem manus ſuadet ibi; quia ad operandum: ad manibus uero palpandum, quia ad operandum propter amorem Dei tantummodò.

¶Quomodo pedes habent, & non ambulāt? Quia affectus ſuos in terra figunt, non ad ſuperna dirigunt. Ideò immobiles ſtant, non ambulant. Scis, quare immobiles ſtant? Quia in loco ſtrictiſſimo ſunt. Hinc fit, ut nec moueantur, nec, quādiu ibi fuerint, poſſint ſe mouere. Si autem in loco lato eſſent, utique moueri poſſent, aut mouerentur de facto. Inter loca omnia quid ſtrictius terra humano ſpiritui? Nil certè. Nam ex quo terra ſecundum reſpectum ad elementa, & cœleſtia, locus omnibus alijs ſtrictior eſt, reſtat, ꝙ & ſecundum reſpectum ad ſpiritum humanum alijs omnibus ſtrictior exiſtat. Id uerò præſertim apparet ex hoc, quòd omnis creatura, quantumcunque in ſe lata, ſpiritui humano ſtrictiſſima eſt. A fortiori igitur, de terra iſtud uerificabitur. Vis apertè cognoſcere, quòd omnis creatura reſpectu ſpiritus humani ſtrictiſſimus locus eſt? Agnoſce: hominem eſſe factum propter Deū, tanquam ſuum finem. Inter creata quæuis aſpice, ſi aliquem reperias Deum, ſi aliquem reperias Deo proportionatum, ſi aliquem reperias in omnibus abſolutè perfectionibus infinitum. Cum autem nullum horum repereris, cōfitere tunc, quòd omnia creatura etiam ſimul ſumpta reſpectu ſpiritus humani locus & anguſtus, & anguſtiſſimus, eſt. Quinimò terra creata ſimul afflictiq; ſpiritus ſunt, ſi ſpiritus humanus illis per inordinatum affectum inhæreat. Conſequēter ergo immobiles erunt illi, qui ad terrena, imò creata quæuis, nimio afficientur. Tales habebunt igitur pedes, & non ambulabunt. Pedes quidem habebunt, quia affectum ſuum in rem aliquā exercebunt; ſed non ambulabunt, quia in loco arctiſſimo affectus ſuos collocabunt. Ab hoc (.ſ. habere pedes, & non ambulare) nos diſſuadebat Chriſtus, quando nobis clamabat; Nolite theſaurizare in terra, ubi tinea, & erugo demolit, & vbi fures effodiunt, & furantur. Quaſi dixerit. Si theſaurizaueritis in terra, pedes quidem habebitis; quia cor ueſtrum .i. affectus cordis ueſtri circa terrena occupabitis, ſed tamen non ambulabitis; quia in loco artiſſimo, utpotè a tinea, ſupradictiſque circundato pedes poſuiſtis. Ad contrarium verò (.ſ. habere pedes, & ambulare) nos inuitabat Chriſtus Dominus, quādo dicebat: Theſaurizate uobis theſauros in cœlo, ubi neque tinea, neque erugo demolitur; & ubi fures nō effodiunt, & furantur. Ac ſi dixiſſet. Si in cœlo theſaurizaueritis, tūc & pedes habebitis; quū cordis ueſtri deſideria erga ſuperna exercebitis; & ſimul ambulabitis, utpote in loco ſpacioſo, puta nec à tinea ſimilibusq; cōtrarijs moleſtato, pedes ueſtros poſueritis. Sententias ſimiles (huc infrà, ſiue nunc, ſiue ſupra, allatæ ſunt) ſacrarum ſcripturarum ad ſenſus hic poſitos inflectere poteris, tanquam ex dictis, aut dicēdis, inſtructus. Non enim quæcunque afferri poſſent de ſcripturis, afferre intentionis noſtræ fuit, eſt, uel erit; ſed tantùm aliqua tanquam ex his ſimilia digito demonſtrantes, adducere intendimus.

Eccleſ.

Nota pro ſemper.

¶Quomodo non clamant in gutture ſuo? Quia guttur, habent plenum. Nam habens guttur plenum clamare non poteſt, ut patet. Vis uidere, quòd huiuſmodi peccatores plenum habent guttur? Ecce. Guloſitates, ebrietates, cōmeſſationes, adeò ſequuntur, adeò in ipſis delectantur, ut eorum Deus uenter ſit, & eorum animus in patinis ſemper exultat. Quòd ſi ieiunarent, ſi abeſu quandoque abſtinerent; tunc clamare poſſent in gutture ſuo, utpotè nil in gutture impediēs uocem habentes. Ad clamandum igitur in gutture hortabatur nos Deus, quandocunque ieiunium, abſtinentiam, ſuadebat; uel etiam quando crapulam, inſolētiam, gulam, diſſuadebat.

NOTATIO V.
AVREA.

QVINTO igitur ab oppoſitis manducantes digne Euchariſtiam os habent, & ēt loquentur, & cętera in pſalmo expoſita pro ſuis effectibus. Hinc igitur ſextò coniectata quilibet de ſeipſo poteſt, utrum dignè Euchariſtiā ſumat, tanquam ab effectibus ad cauſas argumētando. Verbi gratia. Si uideat ſe habere os, & loqui (.ſ. uel ad honorem Dei, vel ad profectum ſui, uel ad vtilitatem proximi, quod ſit ſpirituales eleemoſynas exequendo, quæ ſunt; Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.), hoc bonū ſignū eſt, quòd Euchariſtiā dignè acceperit. Si cernat, ſe hēre oculos, & uidere (.ſ. vel beneficia diuina infinita, uel propria delicta, uel proximorū defectus, illa ad recognoſcendum benefactorem, iſta ad lamentandum ſe peccatorem, hos ad ſubleuandum neceſſitatem proximalem), id bonum ſignum eſt, quod ſacroſanctā decēter communionem aſſumpſit. Si inſpexerit, ſe habere aures, & audire (.ſ. diuina mandata, ſuperiorum monita, æqualium, uel inferiorum conſilia, ad faciendum ea) tunc bonum ſignum eſt, quòd ſacroſancta utiliter paſcitur Euchariſtia. Si, ſe nares habere, & odorare (.ſ. orationes, conciones, ſacras lectiones, atque Chriſti præconia, legemque, ac alia diuina, guſtādo) conſpiciat, ſignum bonum illud eſt, quòd Euchariſtiā ad ſalutem comedit. Si, ſe manus habere, & palpare (.ſ. cibū nō pereuntem, ſolidam operationem, meritoriam actionem, exequendo) agnouerit, id ſignum exiſtit, quòd ſacra Euchariſtia utitur ad uitam. Si, ſe pedes habere, & ambulare (.ſ. affectū ſuum circa diuina, circa ea, quę ſurſum ſunt, circa ea, quę nō uidentur, circa æterna, occupando, inibi figendo, inibi ſe fixū ad ardorem uſque charitatiui actus tenendo) ſenſerit; hoc ſignum eſt, quòd Euchariſtiam rectè manducat. Si, ſe guttur habere, & in gutture clamare (.ſ. ieiunando, cibum ibi ſuperfluū non apponēdo, preces feruidas ad inſtar curſus uelocis, quas iaculatorias uocant, illas in cęlum mittendo) nouerit; tunc ſignum bonum habet, quòd Euchariſtia Sanctiſſima nutritur ad ſalutem.

¶Sextò denique conſequenter habes, quòd mandocare 6
idolotita mortem, quæ omnium ſenſuum (quod ait Pſalmus præcedens) priuatio eſt, cauſāt: manducare uerò Euchariſtiā uitam, quæ omnium illorum ſenſuum uiuifica operatio eſt, abſque dubio confert.

NOTATIO VI.

QVAE dicta ſunt de idolatris idolotita manducantibus, aptari quoque poſſunt ad peccatores quoſlibet. Quid? Imò & ad manducantes Euchariſtiam indignè. Nā & propter mandocationem uoluntariam noxiorum, uitiorū ſcilicet, & propter minus benè uoluntariam manducationem vtilium, Euchariſtiæ .ſ. ſequitur in comedente mortis euētus. Mala ergo male manducare, id eſt illis aſſentire, fugiamus; ac bona bene manducare, id eſt illa proſequi, ſatagamus: & uitā tunc, non mortem, indè ſpiritualem hauriemus. In bonis nāque faciendis ſemper meminiſſe nos oportet illius (extra de colluſione detegenda capitulo primo in Gloſa), quòd Deus remunerator eſt non nominum, ſed aduerbiorum. Quid eſt nomen? Oratio, ieiunium, mādūcatio, confeſſio &c. Quid eſt aduerbium? Bene. Hinc ut uidebis, ꝙ nō omnis qui orat, ieiunat, Euchariſtiam manducat, confitetur, prædicat, & alia id genus facit remunerandus uenit a Deo; ſed tantùm qui iſta bene facit. Non ergo bonum facere ſufficit ad ſalutem, ſed bonum

Aduerb.

nam bene facere. Hoc annotatum ibi fuit à Chriſti præcurſore, Facite fructus dignos pœnitentiæ.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

Præsens concluſio 3.cap.25. deſtruit hæreſes Euthuſiaſtarũ dicentium, Euchariſtiæ ſacramẽtalem cibum nec prodeſſe nec obeſſe: Et Tandem dicentis, corporis ſanguinisque Chriſti ſumptionẽ nihil prodeſſe ad ſalutẽ. Patet ſiquidem hic totum oppoſitum, ut uiſum eſt. Damnãtur, & meritò, ac per hoc concluſio prædicta confirmatur ab Eccleſia in Miſſa de feſto corporis Chriſti dicente: Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inęquali, uitę, uel interitus. Mors eſt malis, uita bonis; uide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus. Itẽ a ſupra cap.9. con.6. & ab Exo.16.con.6. Reprobatur & a Concilio Trid. ſeſſ.22.cap.2. Docet Sancta Synodus, ſacrificium iſtud, quod in Miſſa peragitur, verè propitiatoriũ eſſe &c. Huius quippè oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pęnitentię cõcedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Hæc ibi. Et cano.3. Si quis dixerit, Miſſę ſacrificium nõ eſſe propitiatoriũ &c. Anathema ſit. Vide Sanctæ Eccleſiæ fidiſſimum Doctorem Diuum Thomam 3.q.79. articulis omnibus, præſertim 1.3. Item dãnatur à Gen.49.con.2. Item a Chriſto Io.6. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita. Et multa alia huiuſmodi ibi habes pro hæreſum antedictarum damnatione, quæ dicta D.Io. Chryſoſtomus ſuper Ioan. inter cætera de dignè Euchariſtiam ſumentibus ait: Vt leones flammam ſpirantes: ſic ab illa menſa diſcedimus terribiles effecti diabolo. Hęc ille. Itẽ ab Auguſtino in ſermone ad infantes qui loquẽs de Euchariſtia inquit: Iſta fratres ideò dicũtur quia in eis aliud uidetur, aliud intelligitur. Quod uidetur ſpeciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Item a S. Thoma in ſermo. de ſacramento Euchariſtię. O pretioſum & admirandum conuiuium, ſalutiferum, & omni ſuauitate repletum: & poſtquã ſingillatim particulas primas declarauerat, ueniens ad tertiam .ſ. ſalutiferum, ait: Nullum ſacramentum eſt iſto ſalubrius. Quo delentur peccata, uirtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Hæc ibi. Item a Pſalm. 22. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. Vide tu D. Iõ. Chry. ſupra pro huius dicti Pſal. expoſitione. Item a Cyrillo ſuper Ioã. Viuificat corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius uitæ, corpus eſt, uirtutem incarnati uerbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo uniuerſa & uiuunt, & ſunt. Hæc ille.

Text. PHinees filius Eleazari &c. Auertit iram meam à filijs Iſrael; quia zelo meo commotus eſt contra eos, ut non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo.

Concl. 4. *Punitio, quæ fit à ſacerdotibus in nos, eſt quædam placatio Dei erga nos.* [Ex eo.]

Ratio. Ecce. Deus uolebat ſeuerius caſtigare Iſraelitas propter peccatum idolatriæ, & (ut dicitur hic) uolebat eos delere. Quid factum eſt? Vnus Iſraelita filius ſacerdotis caſtigauit perſonaliter facinus nouum in conſpectu populi contra duos, & Dei furor quieuit.

EXAMEN I.

VIos, quam bonus Dominus, & ad miſerendum facilis. Hinc etiam agnoſce, quòd punitionem a ſacerdote nobis pro delictis noſtris impoſitam libenter acceptare debemus. Eſt ſiquidem illa punitio dulciſſima reſpectu punitionis a Deo nobis reſeruatæ, ſi hanc non ſubiuerimus. Ecquis non uideat, punitionem iſtam fuiſſe plus ſaluberrimam uehementer, quam nociuam? Nocuit enim duobus, ſalubris fuit multò pluribus. Zelo (inquit) meo commotus eſt contra eos, ut nõ ipſe delere filios Iſrael in zelo meo. Si igitur tam parua caſtigatio ab alio contra uoluntatem patiẽtium exercita profecit in ſalutem plurimorum, quantò magis caſtigatio uniuſcuiuſque à ſe uoluntariè aſſumpta in præſenti fiet in ſalutem ſumpſius in futuro? In ſalutem (inquam) duplicem; tum quia a Deo amplius non punietur; tum quia a Deo de punitione, qua ille ſemetipſum puniuit, remunerabitur. Caſtiget ergo ſe unuſquiſque libenter, uel a ſacerdotibus caſtigari uolens patiatur; quoniam plus tunc acquirit, quam perdat. Sic enim cum Deo uſuram ſaluberrimam facit, & ſuimet uexationem in futuro uiliſſimam parua commutatione euadit. Hinc agnoſcas, Sanctos Dominicos, Franciſcos, Antonios, ac ſimiles, ob hoc de ſuis peccatis a ſemetipſis pęnas exegiſſe grauiſſimas. Grauiſſimas (inquam) ſecundum ſe, aut non reſpectu purgatorij. Huius namque reſpectu leuiſſimæ fuerunt; atque ideò illi ſancti prudentiſſimi negociatores appellati ſunt. Quid ni prudẽtiſſimos negociatores illos appellauerim; & illorum negociationem fuiſſe bonam, imò optimam, dixerim, cum uiliori admodum precio & maximas a ſe pœnas expulerint, & maximas diuitias acquiſierint? Non mirum igitur, ſi in purgatorio puniuntur atrocius homines, uel in infernum detruduntur; quoniam maxima illa mala uili redimere, maximaque bona uili comparare, potuerunt, & neglexerunt. Imprudentiſſimi ergo fuerunt. Ea propter omnes tales ſtulti uocantur a Salomone ibi; Stultorum infinitus eſt numerus; & tales animæ uirgines fatuæ in Euangelio nuncupantur.
3 Nota tertiò, quòd bonitas paucorum operit quandoque malitiã multorum. Hoc autem uidemus in quotidiana experientia. Quomodo enim ſtarent multæ ciuitates, oppida, communitates, atque ſimilia; niſi hoc eſſet? Ex quo enim plurima uitia in talibus locis uidemus, eaque loca non abſorberi pro facinorum qualitate cernimus, dicere aſtringimur hinc, quòd paucorum reſpectiuè bonorum numerus iram Dei contra talia loca ſuſpendit. Recole hic, quid dixerit Deus ad Abraham orantem pro Sodoma &c. Geneſ. 18. & quod dictum eſt nunc facilè percipies.

EXAMEN II.

ISte Phinees in facto iſto figurauit Chriſtum. Sicut namque Phinees intuitu Deus pepercit populo Iſraelitico, ut non deleret eos; ita Chriſti ſacerdotis intuitu Deus toti generi humano indulſit, nè ipſum de terra tolleret, & de cœlo totaliter deleret. Et ſicut Phinees zelo Dei motus eſt ad caſtigandum malefactores illos; ita Chriſtus zelo Dei commotus eſt ad caſtigandum uerbis omnes mundi peccatores (ut in Euangelio apparet de multis reprębenſionibus eius contra uitia), & caſtigandum factis templi Dei coinquinatores. Quẽadmodum etiam Phinees coram toto populo (quaſi nullum formidans, nullius perſonam reſpiciens) talem punitionem fecit; ita Chriſtus coram toto populo (utpote palam loquens, & in ſynagoga, quò omnes Iudęi conueniebant) ſimiles repræhenſiones, ac de templo eiectiones, faciebat. Sicut etiam Phinees zelando honorem diuinum meruit ſacerdotium ſempiternum; ita Chriſtus ſacerdos factus eſt in æternum ex zelo, quem propter honorem paternum habuit. Vis hoc uidere? Ex zelo honoris paterni factum eſt, ut Chriſtus ſe cruci affigi uoluerit, ut in ſeipſo caſtigationes maximas libens ſuſceperit, ut ſeipſum in ara crucis ſacrificium pro nobis Deo obtulerit. Et in hoc ſuperauit ipſum Phinees Chriſtus, quantò durius eſt de ſe pęnas expetere, quam de alio. Zelus enim Chriſti compulit eum ad expectandum pęnas de ſe, qui tamen ſolummodo ipſum Phinees compulit ad expetendum pęnas de alio: & conſequenter zelus fuit maior Domini in Chriſto, quà in ipſo Phinees. Nam zelus Domini eſt tunc maior, uel minor in aliquo, quando ipſum ad difficiliora, uel minus difficilia, faciẽda pro honorẽ Domini aſtringit. Quid autem eſt, ſacerdotem eſſe; niſi hoſtias pro populi delictis offerre? Et quoniam hoſtia illa Chriſti conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, idest habet uirtutem non temporariam, ſed æternò manẽtem: ideò tunc per crucis mortificationem nõ tantum ſacerdos, ſed ſacerdos in æternum factus eſt.

Aureum imitandum.

Apoſtolus ad heb.

¶ Quemadmodum tandem ipſe Phinees in facto iſto fuit mediator inter Deum, & homines; ita Chriſtus in facto mortificationis ſuæ fuit mediator inter Deum, & homines. Quid fecit Phinees? Deum iratum placauit, ipſum Deum ad indulgendum populo induxit, ipſi Deo populum reconciliauit. Quid fecit Chriſtus? Illa, quæ Phinees; ſed nobiliori modo. Iccircò propter illa uterque eſt mediator; ſed Chriſtus tantã eminentiori modò. Quomodo eminentiori? In infinitum. Nam Chriſtus etiam Deus fuit, quod unque Phinees ipſe nõ extitit. Eminentiori autem modo pro nunc, ut littera offert,

mediatorem dicimus fuiſſe Chriſtum inquantum univerſalis eſt mediator, qualis Phinees non fuit. Vniuerſalis (inquã) tùm ratione hominum reconciliatorum, tùm ratione ſalutis per reconciliationem allatæ. Ratione quidem hominũ; quia omnes quoſuis homines, & non tantum iudæos (ut Phinees) reconciliauit. Ratione uerò ſalutis allatæ; quia non tantum corporalem (ut Phinees), ſed etiam ſpiritualem, uitam reconciliatis attulit. Ratione etiam ſalutis allatæ, quoniam non tranſitoriam per tempus (ut Phinees), ſed æternò manſuram, ſalutem donauit.

EXAMEN III.

ACTIO iſta ipſius Phinees tantam uirtutem habuit ad merendũ ex hoc, quòd zelo Dei motus eſt ad agẽdum, quod fecit; non ex hoc, quod tale, quid præciſè fecit. Id notatur in litera, quando dicitur, quòd zelo Dei commotus eſt contra eos. Quaſi dicat. Licèt actio ipſius Phinees fuerit occiſio; tamen, quia zelo Dei idest auctoritate Dei facta eſt, ad placandum Deum modò prędicto ualuit. A Spiritu enim Sãcto actus eſt ad illud exequendum. Hoc modo & B. Apollonia, ut ſe in ignẽ proijceret, a Spiritu ſancto acta fuit. Hoc eodem modò opera noſtra, quãmuis de ſe non condigna, uitæ æternæ meritoria ſunt, quoniam a Spiritu ſancto in nobis agũtur. Tolle zelum Dei ab actione iſtius Phinees; iam actio eius nihil meretur æterni: adde zelum Dei; iam actio eadem in littera narratorum memoria eſt. Tolle ſimiliter gratiã Dei ab operibus noſtris; iam noſtræ iuſtitiæ uelut pannus menſtruatæ ſunt: adijce illis gratiam Dei; iam opera noſtra ſiunt in nobis fons aquæ ſalientis in uitam æternam. Ecce quid importat, ly zelo meo commotus eſt.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXVI.

Text. ISta eſt sũma filiorũ Iſrael ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta, &c. Fueruntque uiginti tria millia, quia nõ ſunt recenſiti inter filios Iſrael. Inter quos nullus fuit eorum, qui antè numerati ſunt à Moyſe, & Aarõ in deſerto Synai.

Concl. 1. *Eccleſia ſancta Dei in numerum mirabilem augmentanda erat: ſiue excreſcere breui tempore mirabilis debuerat.* (Ex eo.)

Ratio. MIRABILIS ualdè, ſi inſpiciantur litteræ circunſtantiæ, multiplicatio Iſraelitarum apparebit. Quæ ſunt litteræ circunſtantiæ? Quòd nullus eorum, qui numerati ante fuerant, ſunt nunc recenſiti pręter duos; quòd in deſerto iſta numeroſitas noua generata eſt; quòd in breui admodum tempore facta eſt; quòd in totum aſcẽderunt ad ſexcenta milia, & uiginti quatuor milia ſeptingẽti triginta; ſolummodò a 20. annis, & ſupra, & potentium ad bella procedere, idest ſolum maſculini generis. Nota tamen, quòd ex 23. millibus de tribu Leui maſculinitatis ſeruata eſt, non prædictus annorum numerus. Nam iſti tantùm de tribu Leui ab uno menſe, & ſupra, numerati ſunt. Omnibus his in unum penſatis pluſquam miranda uenit iſta multitudo.

EXAMEN.

CIRCA primam circunſtantiarum dictarum aduerte, ꝙ loquit de numeratione facta in primo capitulo huius libri Numerorũ. Ex his, qui tũc numerati fuerunt, nullum in præſenti recenſitum fuiſſe; & tamen in tantum incrementum aſcendiſſe, uix credibile uidetur. Et reuera, niſi diuina id teſtaretur pagina, ad hoc credẽdum inclinaretur facilè nemo.

Nunc autem, diuino intonante eloquio, mens humana in captiuitatem credulitatis huius ſe redigit libenter, ſciens, quòd Deus plus admodum poteſt facere, quã homo quilibet, imò quam omnis creatura ſimul ualeat cogitare. Quis Iſraelem & in loco tùm infructus, tùm ſolitudinis, tùm uariæ belligerationis, tùm multi ſudoris, tùm plurimæ tribulationis; & in tẽpore, tùm breuiſſimo, tùm anguſtiſſimo; & in tẽtorijs minus, domo propria, accõmodatis; & inter annonam tam frugalẽ tam parcam, tam concupiſcentiæ minus, delicijs uarijs, amicam; Quis (inquam) talem tali loco, tali tempore, tali inquiete, tali uictu, in tãtam filiorum excreuiſſe ſegetem, crederet? Omnia uerò, ultra litteram, in figura contingebant illis. In figura cuius? Quòd populus fidelis chriſtianus breui tẽpore in grandi numero habitaturus erat; quòd ibi admodum uirtutibus augeri de die in diem debebat; quòd ſolitudo, iter, afflictio, temporis breuis conſideratio, deliciarum reſecatio, fuerant optima atque methodica uia ad fructificandum mirabiliter in uita ſpirituali.

COROLL. MAGNVM, AVREVM.

QVANTÒ igitur magis homo ab aliorum frequentia ſeiungitur, tantò magis ad ſeipſum coniungitur; quantò magis ab alijs ſeparatur, tãtò magis in ſeipſo colligitur; quantò magis fugit homines, tãtò magis aſſequitur uirtutes. De huiuſmodi ergo deſerto locutus eſt Pſal. dũm ait: Pingueſcent ſpecioſa deſerti. De huiuſmodi locutus eſt Apoſtolus, cùm dixit: Plures filij deſertæ magis; quàm eius, quæ habet uirum. Quò itaque minus aliquid in exterioribus occupatur, atq; fructificat; hoc magis in interiorib. delectatur, ac proficit: quò minus ad exteriora protenditur, hoc magis ad interiora extenditur: & quò minus in externis inſirmatur, eò amplius in internis roboratur. Exemplum de ſtatera. Quando una pars ſtateræ eleuatur, altera neceſſariò deprimitur, & èconuerſo. Sic in propoſito accidit, ꝙ quando ad extra quis effunditur, iſte ab intra euacuatur; & dum in exteriori homine uult apparere, is in interiori homine quęrit deficere. Eleuetur ergo externa cõuerſatio, interior deprimetur neceſſariò. Tollatur ſeu deprimatur, conuerſari exterius, eleuabitur conuerſari interius. Ergo uia ad ſeipſum in libertate ſpirituali poſſidendum, eſt, quantum, licitè potes, uale dicere exterioribus quibuſcunque clauſo (inquiebat Ieſus) oſtio, ora patrem tuum. Ecce quòd claudere ſe ab extrũdo in exteriora eſt bona uia ad intrandum in interiora; & hinc ad ſuperiora. Econuerſo igitur exire in exteriora eſt facilis uia ad priuandum ſe ab interioribus ad interiora; & cõſequenter ad ſuperiora. Ergo ſeruare ſilentium eſt accommodata uia ad acquirendũ uitam ſpiritus, ad in ea proficiendum, ad in ea uſque ad mortem fœliciter perſeuerandũ; ſi tamen ſilentium eò uſque continuetur. Tãtò namque maiore, uel minore, tẽpore durabit ſpiritus, quantò maiore, uel minore, durabit ſua nutrix. Nõ exire.n. ad extra (quod ex parte cauſat ſilentium) eſt introitus ad intra, & conſequenter uitæ ſpiritualis nutrix. Ergo nõ mirum, ſi religionum patres omnes ſilentium ſtrictiſſimè & ſeruarunt, & ſeruandum mandauerunt. Mirabilem namque ſpiritualem excreſcentiam in breui (ut hic figuratur) faciet ſolitudinem bene amãs, atque in ea uiuens, qua excreſcẽtia, imò & habitus uirtutibus, priuabitur quiſquis huic manſioni in deſerto contumeliam fecerit. Secundũ enim contumeliæ huiuſmodi proportionem erit & uitæ interioris deficientia. Ergo non mirum, ſi patres illi & clauſtra, & cellas, & lectionem in menſa, & quæque ſibi tùm quoad animam, tùm quoad corpus neceſſaria intra monaſteriorum clauſuram, habere uoluerunt; ut cõuentus ipſos deſertum locum iure uocare poſſes, adeò a ſecularium omnium ſtrepitu quolibet undique ſe communierunt. Et quid dicam? Cœnobia ipſa mortem mundo, cœnobitasque mortuos mundo, appellitarunt. Ergo mors operatur in nobis (iuxta Apoſtolum) uitam, ſcilicet ſpiritus. Ergo ab oppoſitis uita laxata foris, operatur in nobis mortem ſpiritus.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Quaſi dicat. In ſolitudine fiũt faciliter ſemitæ Dei rectæ, idest decẽter Deo ſeruitur. Solitarium igitur eſſe propter Deum eſt facilis uia ad dignè ſeruiendum Deo. Hoc autẽ maximè uerificatur de incipientibus ſeruire Deo, id quod Chriſtus exemplo ſuo ſignificare uoluit. Quando? Quando in initio ſalutis noſtræ exequendæ in deſertum, ubi quadrageſimam ieiunauit, ſeceſſit. Licèt enim hoc fecerit ad ſignificandum, quòd deſertum (idest ſolitarium eſſe) eſt bo-

na uiſa ad conſeruandum hominem in baptiſmali innocẽtia (ideo poſt baptiſmum mox deſertum petijt); tamẽ etiam propter ante dicta ſignificanda (quandoquidem demum in unũ reducuntur) idipſum facere noluit. Vel ad ly (Euangelium) Clauſo hoſtio &c. (ſupra) Vel &c.

Text.

POſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit dominus ad Moyſen &c. Numerate &c. cunctos, qui poſſunt ad bella procedere.

Concl. 2. *Multum cauendum eſt, nè mali eant ad bellum ſimul cum bonis militibus, & hoc quantum fieri poteſt.* [Ex eo.]

Ratio. NOLVIT dominus, vt proceſſuri ad bellum numerarentur antequam mali tollerentur de medio. Nonnè id annotauit littera cùm dixit, numeratos fuiſſe potentes procedere ad bella ex mandato Dei, poſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt? Potuiſſet quidem dominus, numerari facere milites, antequam mali extinguerentur; ſed ideò noluit, vt nobis concluſionis huius documentum intimaret. Potuiſſet & littera mãdatum de numeratione populi militaris edicere abſque ly Poſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt; ſed ideò noluit, ut concluſionem hanc ad litteram addiſcere cogeremur.

NOTATIO I.

PER bonos milites in concluſione poſitos intellige quoad mores; per malos itidem. Aduerte quoque, quòd hæc cõcluſio conuenit maximè obſeruari a principibus illis quorum militiam indicere intereſt. Si concluſionem hic propter ſ morem domini minus obſeruare ſatagunt, ſaltem propter mundi honorem, nè ſ. in bello uincantur, idipſum cuſtodire contendant. Ad ſequentem notationem, cuius me alias meminiſſe reor, inſpiciant: & quod nunc de bello perdendo tetigi uerisſimum eſſe, utpotè a Spiritu Sancto dictum, agnoſcãt.

NOTATIO II.

IN ſeptimo Ioſuè capitulo propter unum tantummodo malum fuiſſe turpiter in bello ſuperatum Iſraelem uidebis; ſcilicet propter hominem, qui de Anathemate ſurripuerat. Quantò igitur magis, ſi Achan iſte fuiſſet excommunicatus, aut nephandiori ſcelere inuolutus? Imo adhuc ibi leges, quòd & in bellis omnibus uenturis ſuperandi erant alij boni Iſraelitæ tandiù, quandiù hominem illum in ſuo comitatu habuiſſent. Audi litteram circa hoc mirabilia ſatis dicentem. Nec poterit (inquit ibi Deus) ſtare Iſrael ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt Anathemate: Nõ ero ultra uobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Vides nè, quæ, & quanta mala uno exercitui propter unum malum militem & euenerunt, & euentura dicantur? Vnus nonnè cauſa fuit, quòd ab Hai totus exercitus illuc miſſus uaſtatus eſt? Nunquid non unus ſolus omnium iſtorum malorum ſequentium cauſa prænunciatur, niſi tollatur de medio? Quæ ſunt illa mala? Quòd non poterit amplius ſtare Iſrael contra hoſtes ſuos; quod eos fugiet, quòd dominus non erit ultra cum Iſrael. Vbi notato, quòd Deus in paucis uerbis infinita mala concluſit. Non ero (inquit) ultra uobiſcum. Nonne ad hoc, quod non eſt dominus cum aliquo, ſequuntur omnia mala tùm temporalia, tùm ſpiritualia?

¶ De temporalibus expertis in ſacris litteris, aut in quotidiana experientia liquet. Nam temporalia huiuſcemodi perſonis, cum quibus dominus non eſt, uertuntur in muſcipulã, & laqueum animarum ſuarum. Aliquando quæ multò tempore acquiſita fęliciter ſunt, in uno puncto, præter omnem opinionem, pereunt. Aliquando facultates ipſæ ſunt cauſa, quòd talia temporalia poſſidens occidatur, aut occidi tentetur. Plerumque ſuum poſſeſſorem die ac nocte tormentant, anxium reddunt, uarijs cogitationibus angunt; & quos habent poſſeſſores, illos faciunt ſuos martyres: & ſaltem cum fructu martyres facerent illos. Nam cum ſępius incurrant huiuſmodi circa diuitias mala, quæ timebant; nonnè illos factos fuiſſe diuitiarum martyres abſque fructu conſpicis? O quantus labor iis quibuſcum non eſt Deus, eſt in acquirẽdo diuitias; quantus timor in poſſidendo; quantus dolor in amittendo. Norunt ipſi melius, qui tales exiſtunt: Et utinam ex notitia iſta reſipiſcerent in bonum.

¶ De ſpiritualibus autem malis quantum uerificentur de his cum quibus non eſt Deus, patet in horas. Tales enim contra hoſtes ſuos ſpirituales non poſſunt ſtare, ſed quamprimũ ſuggeſtiones illorum malas audierint, illis ad plenum conſentiunt. Quinimo ſi non ab inimicis tententur, ipſimet in ſeipſos inſurgunt, & ſibiipſis uel cogitatione, uel opere tentatio ſiunt. Ipſimet ſibi hoſtes ſui tranſeunt, & ſibi maiores hoſtes, ipſis extraneis hoſtibus, efficiuntur. O mira res, & miſeriarum omnium deteſtabilior miſeria; non tantum non poſſe ſtare contra hoſtes, ſed etiam officium hoſtium contra ſeipſos uel etiam contra proximos aſſumere, & hoſtibus externis efficacius certare. De talibus aiebat pſalmiſta; Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Tales etiam annotauit Hieremias dolens ibi; Manum ſuam dederunt Aſſyrijs. Quomodo? Non tantum quia ipſis Aſſyrijs dederunt aſſenſum; ſed etiã quia pro Aſſyrijs pugnauerunt. Vide, quam malus ſenſus iſtorũ ac reprobus. Contra Aſſyrios pugnare debuerant. Parũ fuit talibus, quòd contra Aſſyrios non pugnarent; niſi etiam pro Aſſyrijs cõtra ſemetipſos pugnaſſent. Vnde non mirum, ſi ſtipendia ab Aſſyrijs, ut pote ipſorum militijs ſeruientes, receperunt, recipiunt, ac recipient; quæ eiuſmodi ſunt. Ab Aſſyrijs nanque (Hoc enim iuſtum eſt; ut ſtipendia ſuis militibus dentur) in captiuitatem, in cæcitatem, in cordis obdurationem, in impęnitentiam finalem, & tandem in æternam mortem, deducentur. Ibi ab ipſis flagellabuntur, uarijsque modis ineffabilibus affligentur æternò. Quare? Quia illis aſſyrijs prædictę perſonæ militauerunt. Et idcircò iuſtè ab illis ſtipendia recipient. Radix omnium iſtorum tùm ſpiritualiũ tum tẽporalium malorum quæ fuit? Quod illæ perſonæ nõ fuęrunt cum Deo, & meruerunt, quòd Deus non eſſet cum eis. Non ero (inquit) uobiſcum. Quare? Quia unus ueſtrum pollutus eſt. O grandis iuſtitia.

NOTATIO III.

HINC, ſi uideas modernorum chriſtianorum quorundam militum uitam; miraberis, quòd aliquando ſuos inimicos uincant, tantum abeſt, ut mireris; quod ipſi a ſuis hoſtibus ſæpius uincantur. Non enim unum tantum, ſed plures ipſi Achan ſimiles in bello chriſtianorum modernorum quorundam cernes. Quid ergo? Vincent nè, inquies, illi? Non. Quare non? Quia Deus, quod facturus erat in tempore nouiſſimo circa fidelium militiam, hoc ipſum antiquo tempore demonſtrauit, & non eſt ad inſtar hominum mutabilis. Quo antiquo tempore? Audiſti iam de tempore Ioſue, & de tempore Moyſi. Quid factum eſt tempore Moyſi? Annumerati ſunt milites, poſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt. Cùm audis hoc a Deo mandatum, ſcias, tunc Deum uoluiſſe oſtendere fidelibus modum uincendi in prælio. Si enim non uoluiſſet hoc Deus, non curaſſet, an milites numerandi eſſent mali: nunc autem id curat, quoniam illos, ut uincant promiſſionis terræ incolas, ad prælium mittere uult.

¶ Ex his ſupradictis facile coniectabis, quantum opus ſit, nunc temporis maximè, orare pro fidelibus in bellum contra infideles deſcendentibus. Nam ſi orationibus, inquies, Deus placatus uictoriam non tribuat, actum eſt de nobis; quoniam ſi tantum prædictis ſimilium militum uitam inſpiciat, tunc ad pugnandum contra Chriſtianos, non ad pugnandum pro illis animabitur. Orationibus ergo maximis inſtabis tempore belli, & magis pugnabis tu domi exiſtẽs, quam quicunque fidelis, uel infidelis in campo repertus. Nã fidelis contra infidelem tñ; infidelis uerò contra fidelẽ tantummodo, exurget in corporali pugna. Tu autẽ orando, & contra fidelẽ alias malũ primò, & contra infidelẽ ſecũdò, cõſurges. Cõtra fidelẽ ſanè, ut eius malitia, q̃ uictoriæ obſtaut, impediat; contra infidelẽ uerò, ut ipſum magna cum laude proſternas. Hanc utique citò proſterneres, niſi uita militum quorundam Chriſtianorum te impediret; ideòque te primò contra fidelem pugnaturum eſſe, quam contra infidelem, prædixi. Quoniam autem uita plus impedit quandoque alterius, quam proficiat oratio ab alio fuſa pro illo, non ob defectũ orationis uel orantis, ſed illius, pro quo oratur, 2. 2. q. 83. ar. 7. ad ſecundam; ideo non miraberis, ſi factis orationibus adhuc infideli uictoria contra fidelem datur. Siuè igitur uictoriam, ſiuè nõ, obtineerint Chriſtiani; Deo gratias te referre debere ex ſupradictis agnoſces. Si enim uictoriam fidelibus donauit, miſericordiam eius laudabis; ſi autem con

trariam

tractum præſtiterit, iuſtitiam ipſius commendabis. Sic ergo ſemper quocunque belli euentu dato, ingratorũ actione periſtitis, & hoc a ſacris litteris edoctus. Præmiſſa bene memoriæ ſemper.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Nunc clarificatus eſt filius hominis. Nunc. Quando? Quando Iudas exiuit de conſortio Apoſtolorum. Oſtendit ergo Chriſtus in loco illo, quod mali ſi ſint in bonorum conſortio, multum eos impediunt. Nam (ut infra habetur) impediunt eos a claritate, idest á gloria bona, quam bonum poſſent habere apud Deum, & homines. In magni ergo momenti rebus impedimento ſunt bonis hominibus. Sic in propoſito. Poſſent boni milites clarificati apud Deum & homines, propter Deũ ſcilicet pugnãdo, & habendo uictoriam; & tamẽ ab illa clarificatione multotiens impediuntur ex cõſortio malorum commilitonum. Dupliciter autem clarificationem illam impediunt á bonis. Vno modo, quia in peccatis exiſtunt; alio modo, quia orationes factas ab Eccleſia ad totius exercitus ſalutem peruenire (ſaltem quantum in ſe eſt) non ſinunt. Hinc eſt, quòd plerumque orat Eccleſia pro militibus, & tamen uictoriã non habent. Hoc ne eſt propter defectum orationis Eccleſiæ? Abſit. Nam ſemper exauditur in orationibus ſuis. Sed eſt propter defectum illorum, pro quibus fundit orationem. Nam ſicut radius ſolaris, oppoſita nube denſiſſima, ſeu feneſtra clauſa, nõ poteſt peruenire ad locum, quò ablatis illis obſtaculis, perueniret, ita oratio orationis Eccleſiæ ſanctæ plerumque, ex oppoſitione nebuli peccati eius, pro quo deprecatur, peruenire non poteſt ad illum; ad quem tamen, ſublatis illius peccaminoſis obſtaculis, facillimè perueniet. Vel ad ly &c.

Exempl.

Text. ET factum eſt grande miraculum; ut Chore pereunte filij eius nõn perirent.

Concl. 3. *Quandoque filij pro peccato parentum non puniuntur, nec etiam corporaliter; ſed ſoli parentes. At hoc rariſſimum eſt.* [Ex eo.]

Non aſcriberet littera miraculo, & grandi quidem, quòd filij pereunte patre non periſſent; ſi hoc non eſſet ordinarium, quòd ſcilicet filij ſceleratorum patrum puniuntur corporaliter pro parentibus. Similiter non annotaſſet ſic uigilanter, filios hos non fuiſſe punitos ob peccata patris, ſi quandoque filij iniquorum nullas pro peccatis parentum pœnas temporaliter darent.

EXAMEN.

1 PROPTER diuerſas cauſas putare poſſumus, quòd iſti filij non ſint caſtigati, patre ſceleſto caſtigato. Primò, quia iſti filij non conſenſiſſent peccato paterno. Nam tunc puniri ſpiritualiter non debuiſſent. Licèt enim aliquando (ut ſæpius) puniatur corporaliter pro patre bonus filius, tamen ſpiritualiter nullus punitur, niſi pro peccato proprio. Quia uerò pœna ipſius Chore & ſpiritualẽ pœnam (nã uiuus, cùm abſorptus eſt á terra deſcendit in infernum) includebat: ideò filij boni, poſito quod iſti innocentes fuerint, ſali pœna ſubitaneæ abſorptionis caſtigari nõ debuerũt. 2 Secundò poſſumus dicere, quòd iſtud fuit particulare iudicium Dei, ut ex duobus in eodem crimine exiſtentibus unus per miſericordiam aſſumeretur, alter per iuſtitiam in pœna relinqueretur (ut in Euangelio Matth. 24. Chriſtus ait). Et hoc eſt magis ueriſimile, quàm primum, cum litteræ phraſis huic modo dicendi fauere magis uideatur. Quid ait littera? Quòd hæc diuerſitas patris ad filios non ſolum miraculo, ſed grandi miraculo, attribuenda eſt. Multo miraculum maius uideretur, quòd filij exiſtendo in eiſdem peccatis cum patre puniti nõ fuerint cum patre, quàm quòd filij exiſtendo ſine peccatis paternis pœna paterna caſtigati non ſint. At ſi dicêres, quòd pœna illa poterat circa filios innoxios temporaliter tantum fieri (poterat ſiquidem Deus abſorberi eos facere à terra pro peccato patris, abſque hoc, quòd deſcenderent in infernum); & conſequenter quòd, filios taliter non fuiſſe pro patre punitos, miraculum eſt: reſponderetur, quòd id miraculum quidem tunc fuiſſet, at non taliter grande, ut littera inſinuare uidetur. Vult enim textus (quantum apparet) innuere, quòd id fuit grande miraculum circa prouidentiam Dei. Et uerè, ſi fuerunt noxij filij Chore, fuit pluſquam mirabile hoc; itaq; magis mirabile fuit, quòd eò filij complicum (ſcilicet ipſius Dathan, & Abiron) fuerunt eadem pœna cum patribus ſuis caſtigati. Quis non de hoc tã diuerſo iudicio diuino ſtupeſcat? Quis hoc non mirandũ, imò miraculum, & grande miraculum, uocet? Quis hinc cum Apoſtolo non exclamet; O altitudo diuitiarũ ſapientiæ Dei, quàm incomprehẽſibilia ſunt iudicia eius? Et cum Propheta illud: Iudicia Dei abyſſus multa? Quis ex hoc facto commotus iudicia Dei finalia circa ſe non timeat; & cum timore, ac tremore ſuam ſalutem inſtanter operetur? Quis in peccatis uiuere audeat, uidens ipſum Chore, timendo, quòd ſimul cum eo ab ipſiſſimo iudice, qui tunc erat, ſimili caſtigatione puniatur? Quis in peccatis exiſtens deſperare audeat, uidens filios ipſius Chore, ſperando, quod ſimul cum eis ab ipſiſſimo miſericordiarum patre, qui tunc erat, cruciationem ſupplicionum eccipiat? Mira igitur res, mirum negocium, mira prouidentia Dei, mirabile factum; Exempla mirãda, circa ſalutem cuiuſque documenta indè trahimus. Ea propter opinio iſta ſecunda mihi accommodatior uidetur; ut quæ omnis ex parte paſſim grande miraculum prætendat.

Vide ſeq. textum ſerius.

APRENDIX.

HINC habes primò, quòd circa iudicia diuina non debemus temerarij eſſe; ſed de ipſis, tanquam grandibus miraculis ſemper admirari, & in ipſis, tanquam grandibus, miraculis Deũ ſemper glorificare, gratias infinitas inde ipſi reddendo. 2 Secundò habes, quòd prædeſtinationem capere hanc; quare ſcilicet Deus huic miſericordiam, illi uerò iuſtitiam faciat, eſt impoſſibile. Hoc enim inſinuauit nobis littera, quando factã illorum diuerſitatem, grande miraculum appellauit. Quaſi diceret: Sicut miraculum uerum excedit totius naturæ creatæ potentiam, inquantum ab ipſa non poteſt fieri; ita diuerſitatis huius cauſam, ſeu iudicia iſta diuina, totalis intellectus creati percipere non poteſt. Nec tantum hoc percipere ipſi impoſſibile eſt; ſed etiam uehementer impoſſibile. Hoc manifeſtare nobis uoluit littera, dum non ſolùm miraculum, ſed grande miraculum, idipſum nominauit. Si miraculũ eſſet, profectò nobis omnib⁹ impoſſibile foret; nũc autem quia grande miraculum fuit, ideo nobis uehementer impoſſibile dicendum eſt. Hanc impoſſibilitatem inſinuauit Chriſtus Dominus, quando de huiuſmodi iudicio loquens talis rei deciſionem poſuit in pectore Patris. Hoc etiam fecit Pſalmiſta. Quid ait Chriſtus? Quod ideò Pater Deus abſconderat magnalia ſua a ſapiẽtibus, & ea reuelarat paruulis; quia ſic placitum fuerat ante ſe. Quid ait pſalmiſta? Saluum Dominus me fecit, quoniam uoluit me. Quaſi ab utroque dicatur: Quid quærunt homines circa particularis huius prædeſtinationem uel reprobationem? Huius rei cauſam tunc capient, quando placitum Dei capient. Quoniam uerò capere hoc naturaliter eſt impoſſibile; ideò illius diuerſitatis rationem capere impoſſibile eſt. In uanum igitur laborant homines, iſtud ſecretum quærendo; tùm quia hoc non inuenient, tum quia in iudicare id uolendo errabunt. Hoc ipſum tetigit B. Auguſtinus ſuper Iohannem, dùm ait: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli uelle iudicare; ſi non uis errare.

Tertiò habes, quòd filij debent parentibus crebrò ſuadere, ut bene uiuant; ut reſtitutionem, ſi aliena habent, faciant. Nam filij ſibi ipſis timere debent, nè puniantur pro peccatis parentum ſuorum. Vidiſti nanque hic, quòd, quando filij non puniuntur pro delictis parentum, grande miraculum eſt, & conſequenter, quòd filios puniri pro peccatis illorum ordinariũ eſt. 3

Quartò habes (ſuppoſito quòd iſti filij ideò puniti nõ ſint quia non eodem cum Chore peccato peccauerunt), quod ordinarium eſt, filios aſſimilari parentibus in malis moribus; & quòd quando contrarium accidit, eſt ualde mirandum. De quo miratur littera, ſtante ſuppoſitu? Quod filij Chore non ſint imitati patrem ſuum in malis illis moribus. Inſinuat igitur non eſſe mirandum, quando filij in malis moribus parentes imitantur. Conſequenter igitur. 4

Quintò habes, quòd multum intendere debent ad hoc parentes, ut ſuis filijs bonum exemplum dent. Alioquin ſuos filios non quocunque modo ad peccandum inuitabunt exemplis; ſed fermè cogent. Nam quia fermè coactio talis eſt, & non ſimplex inuitatio; ideò tantoperè miratur littera, ſi nõ ſequatur malus effectus in filijs. Vita ergo bona parentibus eſt neceſſaria tũ propter ſeipſos, tùm propter filios. Vndè ſi bene uiuunt, & ſibi, & filijs bene uiuunt; ſin male; & ſibi, & filijs malè. Vnde reddent rationẽ pro filijs. Quod autem de parentibus reſpectu 5

ſpectu filiorum diximus, tu id de maioribus reſpectu quorumcunque ſuorum ſubditorum intelligas.

¶ Applica ad ly (pſalmus) Cum ſancto ſanctus eris; & cũ peruerſo peruerteris. Tenendo enim, ſeu ſupponendo, quod filij iſti peccato patris non conſenſerint, dicimus, quòd hoc dictum, cùm peruerſo peruerteris, ordinario curſu intelligitur, non autem neceſſario. A ſimili dico de ly cum ſancto ſanctus eris. Et quia priuilegia nõ oĩbus dantur; ideò tenendus nobis in conſeruando ordinarius curſus eſt; non autem periculum admittendum. Hoc eſt. Ab malorum, diſſolutorum, & multò magis noxiorum cauere debemus conuerſatione; non autem, ét cum ſpe quadã ab allorũ contagionibus (quod difficile eſt) nos puros conſeruandi, cõuerſationes taliũ admittere.

NOTATIO I.
TEXTVALIS.

CREDEBAM ego, me ſuperius (16. cap.) annotaſſe ſequentia; quoniam ibi proprius locus à textu expoſtulatus eſt. Quia tamen certus non ſum de hoc, & annotatio multum eſt neceſſaria; ideò hic talia à textu illo inſinuata locabo. Dicit itaque textus ſupra 16. c. Nolite tangere, quæ ad eos pertinent; ne inuoluamini peccatis eorum. Hic quid notas? Quòd uxor, filij, domeſtici, & multò magis alij, debent abſtinere à contrectatione rerum per uſuram à patre, à fratre, ab auo &c. extortarum. Nam ſi aliter faciunt, inuoluuntur peccatis eorum, ſcilicet uſurariorum. Hoc enim in littera præſenti clarè habetur, cum populo de impijs dicitur; Nolite tangere quæ ad eos pertinent, nè inuoluamini peccatis eorum. Non licebit ergo uxori uiuere de bonis uiri ſui non habentis aliud, quam uſuras, nec filio de bonis patris, nec ſorori de bonis fratris nec &c. Non licebit ergo rem furatam emere, uel cum fure illam comedere, uel illa uti, ſcienter ſemper loquẽdo. Et, ſi tales peccatis principalium illorum uſurariorum &c. quorum res antedictas tangunt, inuoluuntur, tales proculdubio non tantum peccabunt ſic faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenebuntur. Hinc fit, ut filius habens, etiam ab immemorabili tempore, antecеſſorum hæreditatem, uel quippiam aliud malè ab ipſis anteceſſoribus acquiſitum; ut (inquam) talis filius bona conſcientia tenere prædicta non poſſit, & ad reſtitutionem teneatur. Vnde quotieſcunque nouo animo non reſtituere deliberat, toties recens mortaliter peccat. Mitto, quòd ſemper, dùm iniuſtè retinet rẽ alienam, perſeuerat in ſtatu damnationis. Ecce, propter quid in textu dictum fuit; &c. Nè contingerent res, quæ ad impios de facto pertinebant, ſi ab illorum peccatis immunes eſſe uellent.

NOTATIO II.

DE uxoribus, filijs &c. qui aliter uiuere non poſſunt, niſi expenſis uiri, patris &c. uſurarij, uel alias rerum proximorum detentoris, de illis (inquam) aduerte, quod tenentur in conſcientia agere interim fideliter negocium oppreſſorum apud uirum, patrem &c. alioqnin ſecuri non ſunt in cõſcientia, ueſcendo alienis, ſiue utendo. Verbi gratia. Illa perſona dicitur fideliter agere apud uirum, apud patrem &c. negocium oppreſſorum, quæ animo uero, quantum poteſt, hortatur uirum, patrem &c. ad reſtituendum aliena. Tunc. n. huiuſmodi perſona facit de neceſſitate uirtutem. Quomodo? Neceſſitata quodammodò eſt ad utendum alienis, quod non licet abſolutè; & facit taliter, ut utatur alienis in caſu quo licèt. Nam mihi licitum eſt recipere ſalarium ab eo, cuius negocia facio, cum nemo militet ſuis ſtipendijs unquam. Illa autem perſona, quæ aliàs non miniſtra oppreſſi erat, nunc fit apud oppreſſorẽ illius miniſtra, & ſic licitè miniſterij ſui ſtipendia recipit ab eo, cuius miniſtra efficitur. Sic ergo de neceſſitate fecit iſta perſona uirtutem; quia de non miniſtra fecit ſe miniſtrã oppreſſi; ut alienum faceret ſuum. Nec refert, quòd oppreſſus id neſciat; quoniam eius ſcire, uel neſcire, ſe habet per accidens in hoc caſu. Mereor enim ego miniſter talis in bonum ſuſtentari de facultatibus illius talis ex eo, quòd fideliter ago negocia illius; non ex eo, quòd ille ſcit hoc, uel non

CONCLVSIONES
EX NVMER.
CAPITVLO XXVII.

TOlle Ioſuè filium Num &c. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote &c. Ad uerbum eius ingredietur, & egredietur ipſe, & omnes &c. & cætera multitudo. Text.

Concl. 1: *Secularis poteſtas, atque principatus eſt dependens à ſpirituali, ac ei obedire in omnibus tenetur.* [Ex eo.]

VIDE. Ipſe Ioſuè à domino ſuper populum dux eligitur; nec tamen uult quòd iſtum ducatum habeat, uel exequatur; niſi præſente ſacerdote, uel ſecũdum eius conſilium. Qui (inquit) ſtabit coram Eleazaro ſacerdote. Quare id uoluit Deus? Vt ſacerdos ex ſui præſentia approbare uideretur factum. Ad uerbum (inquit) eius egredietur, & ingredietur. Quare dixit hoc Deus? Quia oſtendere uolebat, quòd ſecularis quælibet poteſtas nil, niſi de conſilio ſacerdotis debet facere; quòd ipſi ſacerdoti debet in cunctis obedientiam præſtare, & ſe ſacerdotali dignitati, quantumcunque princeps exiſtat, ſubiectum recognoſcere. Ratio.

APPENDIX.

HINC habes, quòd Imperialis poteſtas eſt Pontificatu, 1
præſertim maximo, inferior; quòd illi Pontificatui debet obedire in omnibus; & omnia de illius conſilio rationabiliter præſumpto, uel expreſſo, facere. Si enim de antiquo ſacerdote id uerum erat, multò magis de nouo. Si ergo dux tẽporalis totius populi tunc fidelis ſummo ſacerdoti inferior erat, & ipſo inferiorem ſe reputare debebat; ita dux totius populi chriſtiani temporalis. i. Romanus Imperator, ſummo antiſtite & inferior eſt, & ipſo ſe inferiorem reputare debet. Se- 2
cundò habes, quòd Imperator prędictus cõſulere debet ſummum antiſtitem, ſi quid agendum eſt; non autem è conuerſo. Non enim hic dicitur, quòd Eleazar in agendis conſulat ipſum Ioſuè; ſicut dicitur, quòd ipſe Ioſuè conſulat in agendis Eleazarum. Vult ergo Deus, ſacerdotalem dignitatem in maximo precio haberi à fidelibus quantumcunque temporali dignitate fulgeant. Tertiò conſequenter habes, quòd contra 3
hanc Dei ordinationem facere uidentur hodiè multi, qui in tàm parua conſideratione ſacerdotium habere ſe oſtendunt. Nunquid non inter chriſtianos reperies aliquas poteſtates temporales iubenti Papæ ſic, uel ſic, obedire nolle; aut ad obediendum ſe difficiles, uel per inuentas excuſationes, uel per alium modum, exhibere? Nunquid non alicubi reperies, uolũtates Papę nõ poſſe intimari populis, uel ab ipſis obſeruari; niſi prius à terrenis principibus ſubſcriptæ fuerint, ut publicis executioniq; mandentur? Quod ſi faciũt terreni principes, vt magis ſui populi moueantur ſaltẽ per timorẽ (uidendo. ſ. quod ſuus etiam princeps id expreſsè mandat) ad obediendum ſummo Pontifici, uel ciuitatis Pontifici in his, quæ ad ipſum attinent, non audeo illos principes damnare, hoc tantùm conſiderato. Sed forſan meliùs eſſet, ſi ſemel pro ſemper ſuis populis intimarent, quod uolunt omninò pro tempore futuro quocunq; litteras papales obſeruari: & quòd magis uitabunt ſeipſos populi tranſgrediendo quandocunq; uoluntatem Pontificiam, quàm ſuã propriam. Hoc modo populi in timore ſeruarentur, ac in reuerentia reſpectu dignitatis Pontificiæ in dies creſcerent. Sic autem faciendo (ut de aliquibus præmiſſum eſt) reuerentia ad ſacerdotium in populis minui, & hoc defectu principum talium, uidetur. Si uerò poſtmodum aliquid cauſæ nouiter emerſerit, qua fiat, vt minus bonum, hanc, uel illam, pontificiam bullam publicari uidea-

tur

tur: tunc, publicationi interim ſuperſedēdo, de tali caſu certior fiat ſummus Pōtifex; & iudicium ſuum expectetur. Hęc tamen abſque ullius præiudicio dicta ſint.

NOTATIO.

SI in teſtamento ueteri tantus habebatur ad ſacerdotes reſpectus, multò magis abſque comparatione in nouo debet haberi. Nam ſacerdotes antiqui (ut millies diximus) ſacerdotibus nouæ legis in dignitate comparandi nō ſunt. Dedecus ergo maximum Chriſtiano principi eſſet, ſi minorem nè dicam ſi non maiorem nouis ſacerdotibus reuerentiam deferret, quam faciebant antiqui: Et quid amplius dicam? Si à ſanctis antiquis addiſcere hoc nolumus, ſaltem à paganis poteſtatibus hoc addiſcamus. Hiſtorias ſanctorum lege, & uidebis, quòd ciuitatum præfecti quandoque Chriſtianum aliquem priùs totum dimittere uoluiſſent liberum; ſed hoc non faciebant, nè uiderentur agere contra pontifices templorum ſuorum. Hoc patet de illo qui ſanctā Agnetem tormentis priùs addixit, poſtea, cum filius ſuus à ſancta Agnete fuiſſet ſuſcitatus, eam liberare uolebat: Sed (ait legenda,) nè uideretur contra templorum pontifices agere, relicto pro ſe uicario, triſtis abſceſſit. Vide quantum deferebant honoris paganorum templorum pontificibus. Timeo, nè paganorum facta iſta ſint in aliquorum Chriſtianorum damnationem.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

ISTA Concluſio 1. cap. 27. deſtruit errores Marſilij cuiuſdam de Padua, & Ioannis de Ianduno (ut refert Cardinalis Turrecremata, de Eccleſia lib. 4. cap. 37.) dicentium, quòd ad Imperatorem pertinet corrigere Papam, ac inſtituere; & quod Papa ſit ſuper Epiſcopos, Archiepiſcopos, ac ſimplices ſacerdotes, eſt ex conceſſione Imperatoris, & ſicut conceſſit, ita reuocare poteſt. Item errorē Anaſtaſij Imperatoris dicentis, quòd Papa debebat potius ipſi morem gerere, quàm ipſe Papæ. Item errorē Io. Vuiclef (quem recitat Concilium Conſtantienſe) dicētis: Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles, niſi forte à Cæſare. Item errorem Ioannis Huſſ, quē Concilium Conſtantiēſe refert, ac damnat, ſeſſ. 15., dicentis, quòd Papalis dignitas à Cæſare inoleuit, & Papæ præfectio, & inſtitutio à Cæſaris potentia emanauit. Patet enim hic quod poteſtas Eccleſiaſtica eſt maior, quàm ſecularis; & conſequenter quòd omnes illæ poſitiones ſunt erroneæ. Pro tanto enim ſolum hic adductæ ſunt, pro quanto ſecularem poteſtatem ſuper Eccleſiaſticam, ſeu ſpiritualem ſtatuere præſumunt. Damnatur, & a Cōcilio Conſtantienſi Vuicleficus ille error ſeſſ. 8. & conſequēter alij inquantum cum illo conueniunt in plus tribuendo imperatoriæ poteſtati, quàm Papali. Item à Concilio magno Floren. ſub Eugenio 4. ſeſſ. ult. in literis Sanctæ unionis, quādo ſcilicet, & Græci, & Latini unū in uno ouili fuerunt. Definimus, Sanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in uniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri principis Apoſtolorum, & uerum Chriſti uicarium; totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere: & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi uniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur. Hæc ibi: Nota ly Caput, ly Omnium Chriſtianorū ly Patrem, ly Regendi, ly Vniuerſalem Eccleſiam, & uidebis, ſi rectè ſuper hæc diſcurras, quòd Imperator, & à fortiori, quicunque alius Rex, dux, &c. non eſſet de Eccleſia, niſi Papam pro patre, pro capite, pro rectore, & ſeipſum pro filio, pro membro, pro ſubdito reſpectu illius teneret. Vide ergo, illos errantes, quantum eſt de ſe, auferre Imperatorem de Eccleſia (quod eſſet omnium malorum peſſimum) dum ſtatuere illum contendunt ſuper Papam. Nonnè uides igitur, quòd imperatoriam maieſtatem maximè deſtruunt, cum ipſam ſic attollere uidentur? Similes utique illis, de quibus dicitur in Pſal. 101. Qui laudabant me aduerſum me iurabant. Damnatur, & à diſtin. 96. cap. Quis dubitet. Ibi enim Gregorius ſcribens ad Hermanum Metenſem Epiſcopum inter alia dicit: Nonnè miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrē, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſubijcere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe, & ſolui? Hæc ibi. Quæ ſi iunxeris cum intellectu Concilij Floren. ſupra, uidebis apertè inſaniam prædictorum. Item ibid. Duo ſunt, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas &c. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi uoluntatem. Talibus igitur inſtitutis, talibus fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alij reges, alij Imperatores excōmunicauerunt; Beatus Innocētius Papa Archadiū Imperatorem excommunicauit. Beatus Ambroſius, licèt ſanctus, non tamen uniuerſalis Eccleſię coepiſcopus Theodoſium magnum Imperatorem excommunicans ab Eccleſia excluſit: Qui etiam in ſuis ſcriptis oſtendit, quòd aurum non tam ſit precioſius plumbo, quam regia poteſtate ſit altior ordo ſacerdotalis. Hæc ibi Gelaſius Papa ad Anaſtaſium imperatorem. Condemnantur, & ab Innocentio 3. ſcribente Conſtantino Imperatori. Noſſe debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cęli; luminare maius, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti. Vtrunque magnū, ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt uniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id eſt duas inſtituit dignitates, quę ſunt Pontificalis authoritas, & regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, maior eſt; quæ uerò carnalibus, minor; ut quanta eſt inter ſolem, & lunam, tanta inter Pontificē, & reges, differentia cognoſcatur. Hæc ille, extra de maiorit. & obedien. cap. Solitæ.

CVi reſpondit Moyſes: Prouideat dominus &c. hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc. *Text.*

Concl. 2. *Charitas adeo non quærit, quæ ſua ſunt, ut etiam mortis propriæ dolorem obliuiſci faciat quandoque propter proximi ſpiritualem utilitatem.* (Ex eo.)

Ratio. LOQVITVR dominus Moyſi de morte acerba illi uehementer (utpotè quæ non tantùm uita, ſed etiam ingreſſu terræ ea iamdiu deſideratæ, ipſum priuaret): & Moyſes mortis dolorem non attendens de ſpirituali ſalute populi eſt ſolicitus. Augetur & admiratio charitatis Moſaycę: tum quia nullum proſſus, uel minimum, de ſui morte uerbulum facit; tum quia è ueſtigio tunc tunc de morte loquenti domino ſalutem aliorum proponit.

Not. ¶Hic uides, quòd fortis eſt, ut mors, dilectio: uides (inquā) quòd hoc figuratè dictum eſt. Quæ ibi figura eſt? Illa qua minus dicitur, & plus ſignificatur. Dicitur enim hic, quòd charitatis dilectio eſt fortis, ut mors, & tamen ſignificatur, quòd talis dilectio eſt fortior morte. Vides namque in Moyſi, quomodo intelligatur. Dilectio Moyſi nonnè fuit fortior morte? Vtique: alioquin dilectio non maiorem ſolicitudinem cauſaſſet pro populo, quàm pro ſeipſo, id eſt quam pro corporali ſuipſius morte.

PRouideat &c. abſque paſtore. *Text.*

Concl. 3. *Eccleſia, ſi ſapienter gubernanda ſit, opus eſt, ut habeat uiſibile caput.* (Ex eo.)

Ratio. MOYSES tùm aliunde, tum per experientiam edoctus, quòd ſine capite uiſibili ſynagoga gubernari decenter non poſſet, de capite ei præficiendo plurimum ſolicitus exiſtit; ut ſup. cō. 2.). Facto igitur ſuo ſic cauſato probat ueritatē conclu.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

HÆC concluſio 3. cap. 27. deſtruit hereſes Io. Huſſ. (ut refert Concilium Conſtantienſe) dicentis: Non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia conuerſetur, et conſeruetur. Et Chri-

ſtas, ſiue talibus capitibus monſtruoſis, per ſeruos ueraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet. Et Apoſtoli, & fideles ſacerdotes Domini ſtrenue in neceſſarijs ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium introductum, & (ut recitat Cardinalis Turrecremata, de Eccleſia lib. 4. par. 2. cap. 38.) ſic facerent, deficiente, per ſummè poſſibile, Papa uſque ad diem iudicij. Patet enim hic totum oppoſitum conſideranti litteram. Pro inconuenienti nanque magno habet Moyſes, quòd populus tunc fidelis remaneat abſque paſtore uiſibili, qui continue conuerſetur cum populo, & uideatur ab ipſo. Nam ex eo quòd ſeipſum Moyſes non poſſe amplius conuerſari cum populo .i. uiſibiliter uiuere inter illos ſciebat, cum per mortē impediretur, qui ibi imminebat, orauit pro ſucceſſore ſuo, ut .ſ. per ſucceſſionē & huius, & illius, atque alterius deinceps, continuaretur officium paſtorale uiſibiliter in ſynagoga. Quod utique deſiderium Moſaycum per orationem ſuam inuentum non fuiſſet à Domino exauditum, ſi iudicaſſet bonum eſſe, uel melius Eccleſiam ſuorum fidelium uiuere in terris abſque præſentia uiſibili paſtoris. Nunquid Deo tunc, qui populum illum pro peculiari ſibi elegerat, peculiariterque gubernabat, defecerunt uires, & ſapientia ad gubernandū, quando & Moyſem uiſibilem paſtorem populo illi præfectum durare uſque nunc noluerat; & ſucceſſorem loco Moyſis pro regimine populi (orationi Moſayce annuēdo) dare diſpoſuit? Abſit blaſphemia intolerabilis hæc. Cur ergo, etiam quòd ipſemet gubernaret populum ſpeciali prouidentia, uoluit ſibi adhibere coadiutores? Non ad iuuandum ſe Deum; ſed ad iuuandū populum; deferendo .ſ. ei, quæcunque præcepiſſet Dominus, ut miles uidiſti factū fuiſſe a Moyſe, qui paſtor uiſibilis a Deo pro populo electus fuerat. Quoties .n. audiſti, quòd Deus Moyſi dicebat. Præcipe populo hæc uel illa, & Moyſen iuſſa Domini erga ſalutē populi adimplentem? Nunquid non ad hoc propoſitum legis, quòd Moyſes erat ſequeſter inter Deum, & Iſraelem? Nunquid non & Apoſtolus (Hebr. 5.) dicit, quòd Pontifex conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut pro populo intercedat; & conſequenter quòd eſt mediator uiſibilis inter Deum & populum? Utique. Si ergo uoluit Deus ſemper cauſas uiſibiles ad regendam ſynagogam, cur nunc eas nō uelis ad regendū Eccleſiam? Imò ex hoc neceſſario concludi oportet quòd idipſum uelis; quoniam a figura ad figuratum procedimus. & figuras antiqui teſtamenti (omnia ſiquidem in figura contingebant illis) neceſſe eſt adimpleri, & adeò perfectè, ut nec iota quidem unum, aut unus apex prætereat a lege, donec omnia fiant. Damnantur quoque & per Conſequens iſta concluſio confirmatur à Concilio illo Conſtantienſi Seſſion. 15. poſtquam illas uerbatim recitauerat. Damnare etiam eas multipliciter potes per dicta Conciliorum, ſcripturarum &c. poſita in Elucid. Adde numer. 65. 76. 78. 94.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXVIII.

Oblationem meam, & panes, & incenſum &c. offerte per tempora ſua.

Concl. 1. *Non tantùm ſubſtantia officij diuini penſanda eſt, utrum ſcilicet dicatur officium; ſed etiam tempus, & modus officij, qua ſcilicet hora dicatur, penſandum uenit: & ſimiliter de alijs in honorem diuinum ordinatis (puta miſſis, feſtis &c.) dicendum.* [Ex eo.]

Dominus non ſolicitatur modò de oblationibus ab Iſraele faciendis, ſed etiam de tempore quo fiant. Sub tempore autem etiam eo intelligit modum. Nam (ut in tex. patet) ſecūdum tempora diuerſa uariabatur & modus proportionaliter; puta in ſacrificijs, eorum oblationibus &c.

APPENDIX.

Hinc habes, quòd ſeruitium Deo exibitum tempore debito eſt illi charius, quam ſeruitium extra tempus ordinatum illi exhibitum. Secundò habes, quòd non mirum, ſi Angelus per uiſionem ſequentem unum ſanctorum patrū informauit. Apparens nanque Angelus ſancto cuidam patri deferebat ei uuam acerbam, quando ante horam officij perſoluebat officium; uuam autem marcidam ferè, quando poſt tempus debitum; uuam maturam uerò, ac bene diſpoſitam, pulchram, & ſuauem; quando tempore ſuo. Hac uiſione quid intelligi dabatur? Quod ſeruitium Deo factum in tempore ſuo eſt illi gratius, quam ſi extra tempus, ſiue præueniendo, ſiue tardando, exhibeatur. Hoc uerò illud eſt, quòd hic antea præfigurauit Dominus. Odoris (inquit) ſuauiſſimi. Ac ſi dicat. Si offerantur huiuſmodi mihi temporibus ſuis, erunt mihi ſuauiſſima; ſi uerò extra tempora ſua, minus erunt ſuauia.

1
5
In uitis Patrum.

PRO ECCLESIA SANCTÀ DEI.

Hæc Concluſio 5. cap. 58. ualet ad deſtructionem errorum pauperum de Lugduno dicentium, quòd in horis canonicis cantandis, dicendiſque, fruſtra conteritur tempus. Item, errorem Eraſmianum (Hic inter concluſiones Eraſmi ſuſpectas uel ſcandaloſas adducitur a Iacobo Lop ſtunica, poſt ſuum itinerarium) dicentem, quod ſacerdotes nimium prolixis precibus, hiſque præſcriptis aliquoties, ineptis, ac ridiculis, nē dixerim impijs, onerati ſunt. Patet enim, hinc totum contrarium ſequi. Nam ſi in dicendis horis canonicis aut cantandis contereretur fruſtra tēpus; Deus, qui de temporis amiſſione uehementer curat (cùm amittere tempus ſit & peccatum, & magnum peccatum) non præciperet, quòd in colendo ſeipſum tot tempora prolixa (ut in textu) punctatim obſeruarentur. Item ſi per huiuſmodi cultus nimium onerari homines, iudicaret Deus; non tot, tantiſque ritibus grauaret eos (ſi tamen grauamina dicenda ſunt) quoniam Deus ipſe nihil ſuperfluum, inualidum, aut nimium; ſed omnia in numero, pōdere, & menſura, facit. Quod ſi negatur aliquod uel fruſtratorium, uel nimium, uel (per conſequens loquendo) ineptum, uel ridiculum, uel (quod magis abſit) impium, eſſe in figuris his; multò magis per hoc negantur talia fore, & eſſe in figuratis. Inter quæ figurata, ad cultum Dei pertinentia non minimum, aut uulgarem locum tenent horæ canonicæ. Dixi ſupra ly Si tamen grauamina dicenda ſint, ad deſignandum, quòd iſta (ſicut nec alia) quæ uertuntur in ſeruitium Dei, ut talia ſunt, re uera non ſunt grauamina, nec pro grauaminibus habenda ſunt; ſed maxima à Deo nobis facti fauores ſunt, & pro fauoribus talibus ueraciter tenenda ſunt à nobis. Damnantur autem etiam errores prædicti, & conſequenter præſens concluſio confirmatur, a ſummis Pontificibus, & quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad tempus connotatum, officij, extra de celebrat. Miſſar. cap. Presbyter, & quantum ad modum dicendi officium ibid. cap. Dolentes. Cōſequenter enim dum præcipiuntur hæc, oſtēditur apertè, & quòd non ſunt inepta, uana, nimia, ridicula, neque impia; & quòd non conteritur fruſtra tempus in his dicendis, ſeu cantandis. Adde, quòd cantus inuentus eſt à. ſſ. B. Ambroſio, & Auguſtino &c. (ut habes in hyſtorijs Eccleſiaſticis), & per conſequens, quòd iſti ſancti facto ſuo damnarunt omnes, qui dicunt, quòd in cantandis ijs, quæ ad Deum pertinent, conteritur tempus. Vide Leuitic. 56. con. 9. Et Compend. Alb. Mag libr. 6. cap. 37. Schol. Cæterum circa illud ſupradictum cap. Dolentes, diligētiſſimè notabis, quòd ibi fit à Papa præceptum de modo dicendi horas canonicas in uirtute ſanctæ obedientiæ, & conſequenter obligans ad peccatum mortale tranſgreſſores. Sic enim ibi dicitur; Diſtrictè præcipientes in uirtute obedientiæ, ut diuinum officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent pariter, & deuotè. Vbi ly ſtudioſè refertur ad intellectū, & ly deuotè ad affectum. Vt ſcilicet & intellectum ad officium diuinum applicemus (uel quātum ad uerba, & ut diſtinctè proferatur, & nè dicatur unum pro alio, uel quantum ad ſenſum uerborum, ut percipiat mēte, quæ dicit ore; uel quantum ad gratiam poſtulatam; puta obedientiam, caſtitatem, paupertatem, humilitatem, charitatem &c. Vel quātum ad Chriſtum crucifixum, ſiue quoad di-

Seruire Deo non graue, ſed ſignare eſt.

uinitatis

uinitatis maieſtatem, ante quam ſtas, quam tremunt cœlorũ poteſtates, &c. ſiue quoad humanitatis myſteria, ſcilicet natiuitatem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, &c.) & affectũ; intus uidelicet ſentiẽdo, & guſtando, quàm in ſua maieſtate, humanitatiſque bonitate ſuauis eſt Dominus. Vt uidelicet imitemur in præmiſſis Pſalmiſtam dicentem; Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine? Super mel ori meo: Et, Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi, & anima mea, quã redemiſti: Et, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum uiuum: Et, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timentibus te? Et (breuiter) illud in hymno B. Auguſtini dictum obſeruemus, ſcilicet quod lingua foris perſonat, intus affectus ſentiat. Vult ergo Rom. Pontifex per illud præceptum, quòd homo ſeipſum totum in Deum conuertat, eique ſe totum ſuauiter immergat; quando mediante diuino officio infinitam eius maieſtatem alloquitur. Debet igitur homo, ut peccatum mortale in modo dicendi officium euitet, habere intentionẽ uacandi Deo (uno illorum quatuor modorum præmiſſorum, uel quantũ ad uerba &c.), quando accedit ad perſoluendum officium, & poſtea quotieſcunque ſe, præter intentionem, uagari mente extra officium comperit, tenetur ſtatim curam adhibére ad reuocandum mentem ad attendendum officio. Ex hac obligationis forma (quam concedunt omnes) inferas tu unum utiliſſimũ, & dices: Si quis præter intentionem ab attentione officij digrediens tenetur ſub peccato mortali retrahere mentem ad officium (ut dictum eſt): ergo quia exiſtens iam per attentionem intra officium tenetur multò magis ad non dandum occaſionem (ſiuè loquendo inter diuina, ſiue &c.) ſibi, uel alijs diuertẽdi mentẽ ab attẽtione officij. Hoc argumẽtũ, ſeu potius hanc demonſtrationem, bene notabis pro te, & alijs; contra ex e ſlantes excuſationes in peccatis dicendo: Non putaram, aut de hac ultimo dicta digreſſione ab officio, nec feci, nec facio mihi conſcientiã. Nam ignorans ignorabitur 1. Corin. 14. & conſcientia erronea non excuſat. 1. 2. q. 19. ar. 6. Et cæcitas mẽtis, ariditaſque, ne dicam nullitas ſpiritualis affectus inde ſequens per experiẽtiam in multis, teſtimonium reddit obligationis a nobis prædictæ.

Text. AGnos immaculatos anniculos duos quotidie &c.

Concl. 2. *Hic quotidiè, ſcilicet mane ac ueſpere, debemus nos totaliter per orationem offerre Deo; in unionẽ paſſionis qua ſe patri ſuo obtulit pro nobis.*

Ratio. MANDAVIT Dominus, ut ſibi offerrẽtur quotidiè duo agni anniculi immaculati, ſcilicet mane, ac ueſpere; & hoc uſq; in ſempiternũ. Cùm itaque nõ amplius durent cærimoniæ legis, dicendum eſt, quod hinc moraliter aliquid a nobis quotidiè faciendum inſinuabatur. Et quid eſt illud? Quod nos in concluſione prædiximus.

Not. ¶ Per agnum anniculum immaculatum ſignificabatur Chriſtus, per oblationem illius paſſio Chriſti. Miſſa autẽ, quæ eſt Chriſti paſſionis memoriale perenne cùm non dicatur in ueſpere, ſed tantum in mane, non uidetur per iſta uerba (ſi ly Mane attendatur) uſquequaque ſignari: maximè tẽpore moderno, quando in ueſperi miſſa non celebratur. Abſolutè quidem, ideſt non attendendo illud tempus ad litterã, ueriſſimum eſt, quòd per oblationem iſtorum agniculorum unius Chriſti paſſionis memoriale, ideſt miſſa celebrãda quotidiè in Eccleſia Dei ſignificatur. Attendendo igitur tempus, ſcilicet ly Veſpere, ad litterã dicimus, quod oblatio, qua ſeipſum unuſquiſque in unionem paſſionis Chriſti per orationem offert, figurata eſt. Dum igitur tùm ueſpere tùm mane ſeipſum Deo quiſque modo prædicto offert, hoc Dei mãdatum adimplet. Suauiſſimum autem huiuſmodi ſacrificiũ eſt Domino, tum quia fit in memoriam paſſionis filij ex charitate, obedientiaque paſſi, tùm quia fit in configurationem talis paſſionis, tum quia conſequenter in memoriam patris (ut modo noſtro diuina balbutiamus) reducimus obedientiam tantam ſui dilectiſſimi filij, tùm quia quotidiè his id facimus. Quis pater audita obedientia tanta unigeniti ſui non emolliatur ad alicuius propter amorem talis unigeniti condeſcendẽdum precibus? Idcircò optimum eſt non tantum in memoria, ſed etiam in exterioribus ſignis (puta in crucibus, flagellationis columna, & alijs Chriſti Domini noſtri paſſionis inſignijs) paſſionem unigeniti Dei patris tenere, ac circũferre. Nam, ut uidendo hic maximã Chriſti erga nos charitatem, ad ipſius amorem accendimur, & ſic patri offerendo ſui nati maximam obedientiam, ab ipſo quicquid uolumus facilliter (niſi aliud obſtet) impetramus. Hanc oblationem quotidiè tùm mane, tùm meridie, tùm ueſpere, tùm die, tùm nocte, ſancta Deo facit Eccleſia; ad ideò nobis id ſuo exemplo faciendum ſuadet, quando in orationibus ſuis ſemper ad filium terminatur, dicens; Per Chriſtum dominum noſtrum, aut ſimilia. Quid tunc per hoc facere intendit? Omnia illa, quę ſupradiximus; ſcilicet charitatem, ac obedientiã, in ſummo rememorari; quãs Chriſtus dominus in paſſione mõſtrauit. Et hoc propter finem iam antè uarratum. Hinc potiſſimè fit, quòd orationes Eccleſiæ ſanctæ ſemper exandiuntur; & Deo gratæ exiſtunt.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Petite, & accipietis. Petite ſcilicet in nomine meo, ſecundum quod ex littera B. Iohannis Euangeliſtæ elicitur. Ibi enim dicitur; Vſque modò non petiſtis quicquã in nomine meo: Petite, & accipiens &c. Nonnè uides, hinc clarè haberi, quòd petant in nomine Chriſti, ſi accipere uolunt? Vel ad ly &c.

Text. LIbabitis uini quartam partem &c.

Concl. 3. *Sacramentum altaris, etiam quoad ſpeciem uini, figuratum eſt antiquitus.* [Ex eo.]

Ratio. In ſacrificio iugi, quid Chriſti paſſionem denotabat, offerebatur etiam uinum. Quare? Quia in ſacramento altaris nõ tantum panis; ſed etiam uinum tanquam materia exhibenda erat. Paſſio autem Chriſti uocatur ſacrificium iuge; quia ſemel paſſus Chriſtus conſummauit in ſempiternum ſanctificatos; & quia paſſio Chriſti eſt tanquam balneum in quo loti ſanantur omnes quocunque tempore.

¶ Hoc ſacrificium, in quo ſcilicet uinum cum carnibus agni interueniebat, hi tantum in ſanctuario, quia tantum in Eccleſia licet celebrare. Sed de hoc aliàs priùs dictum eſt.

COROLLARIVM.

Pſal. ERGO Eucbariſtia lætificat cor hominis. Nam uini proprium eſt lætificare cor hominis. Ergo Euchariſtia dat ſpiritum multum deuotionis. Nam uinum ſuggerit multos

Philoſ. ſpiritus. Ergo facundum facit Euchariſtia; ac uerbis efficacioribus; plurimiſque ad ſalutem proximi referrunt. Nam uini proprietas hæc eſt, ut uerba multiplicet in ore, & ad loquẽdum inuitet. Vnde Horatius. Fœcundi calices quem non fecere diſertum.

Text. QVarum Dies prima uenerabilis, & ſancta erit. Omne opus ſeruile non facietis in ea: offeretiſque &c.

Concl. 4. *Feſtiui dies ad duo inſtituti ſunt, ſcilicet ad ceſſandum tunc ab operibus ſeruilibus, & ad magis inſiſtendum diuinis obſequijs.* [Ex eo.]

Ratio. INSPICE ad omnes ſolemnitates hic, & in ſequenti capitulo, memoratas, & uidebis, quòd Deus ob duo illa feſtiuitates inſtitutas inſinuat. Non (inquit) facietis omne opus ſeruile in ea: Ecce primum in concluſione poſitorum. Offeretiſque (inquit) holocauſtum incenſum domino &c. Ecce ſecundum illorum.

EXAMEN.

SI rectè inſpicias, ubique hic cernes, quod Deus uoluit plus honorari diebus feſtiuis, quam alijs. Nam plura ſacrificia in feſto ſecũda mandata reperies, quam diebus non feſtiuis. Hinc uidebis conſequenter, quod intentio Dei fuit hæc ut uacationem ab operibus corporalibus conuerterent in occupationem circa opera ſpiritualia. Non ergo, ut ocientur, factæ ſunt feſtiuitates; ſed ut fructuoſius negocientur. Totũ temporis reliquum corporeis neceſſitatibus iuuandis indultum eſt. Feſtiuum autem tps alæ profectus maiori deſtinatũ eſt. Et nota, quod animæ cura etiam in huiuſmodi temporibus anteferẽda corporis ſolicitudini monſtrata eſt; licet plures dies uniuerſaliter operibus ſeruilibus concceſſi fuerint. Nam in feſtis diebus oblationibus magis inſiſtebant (ut in littera patet) & nullum opus ſeruile faciebant: In profeſtis autem, licèt opera ſeruilia facerẽt, tamen de oblationibus etiã

tunc

tunc faciendi habebant mandatum. Quare hoc? Vt cognoſcas, habendam curam maiorem de anima, quam de corpore. Hoc etiam factum eſt, ut ſcias modum, quo de anima ſolicitem. Quis eſt iſte modus? Vt quando de re animarum agitur, tanto deſiderio circa id occupari debeas, quòd omnia corporalia in obliuionem tradas. Hoc uoluit innuere Chriſtus diſcipulis, quando eis ad prædicandum miſſis dicebat: Neminem per uiam ſalutaueritis. Hoc & Chriſtus ipſe in ſeipſo monſtrauit, quando noluit prædicationem dimittere, etiam quòd mater ſua (ut ſibi relatum fuit) foris ſtãs quæreret loqui cum eo. Nonnè dimiſit etiam in triduo illo matrem, quando circa res diuinas uoluit occupari audiendo, & interrogando Doctores in templo? Nonnè, & reſponſio tunc data ad matrem idipſum, quod diximus, oſtendit? Quid eſt, (inquit ibi Chriſtus) quòd me quærebatis? Neſciebatis, quòd in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? In his omnibus ergo uides apertiſſimè, quod ſalutis animæ cura non tantum cuilibet alteri curæ præponenda eſt; ſed etiam quòd dum ipſam animæ curam agimus, omniũ aliorum obliuiſci debemus. Hæc autem duo in figura oſtenſa ſunt hic, quãdo mandatum a Domino eſt, quòd in die ſabbathi nullum opus ſeruile faciendum eſſet.

¶ Animæ (dum) cura omnibus præferenda eſt, ſiue ſit cura animæ aliorum, ut nobis. x. Curſus dominus de animæ aliorum cura id monſtrauit, ergò à fortiori, de noſtræ. Nota quoque, quòd in mandato de diebus feſtalibus oſtẽſum eſt unum ſecretum, contra quod multoties agitur. Quid eſt illud? Audi. In diebus illis quamuis ſeruilia facere poterant; ſed tamen cum hoc ad oblationem quotidianã duorum agniculorum aſtringebantur. Hoc mandato inſinuauit Deus, quòd homo nunquam debet tantùm ſolicitari circa corporis, ſiue ſui, ſiue alieni nutrimenta, ut animæ curam dimittat. Huius figura fuit iſtud mandatum. Ex hoc etiam uoluit nos cognoſcere Deus, quòd anima corpus gubernare debet, non è conuerſo. Nam in die gubernationis corporis interueniat anima, in die uerò gubernationis animæ non interueniat corpus. Quid eſt animas tunc interuenire? Vt gubernet corpus, id eſt ea, quæ pro corporis ſuſtentamine fiunt, ne ſcilicet in peccato fiant. Hoc eſt contra quoſdam mercatores, qui mille mendacia adiurando dicunt, ut ſua uendant, uel aliena emant. Et ſic aduertant etiam illi, qui in ſeruilibus operibus faciẽdis multa peccata committunt. Quare hic nõ interueniat corpus? Ne per ſui corruptionem aggrauet animam, & deprimat ſenſum multa, id eſt alta, ſeu cœleſtia cogitantem.

¶ Ex eodem etiam loco notabis, quòd diebus quoque feſtiuis debemus Curiam Dei ſectari, & prædicationem, quando prædicatur, & tempora ſeruilia excipias. Alioquin ipſis litaniis, ut ueteris ſacrificio; quibus mandatum eſt hic, ut ſacrificium quoddam offerretur. Hoc autem quotidianũ ſacrificium offerunt ad sacerdotes: tum quia continuum ſacrificium celebrant, tum quia communicant ſpiritualiter; licèt enim ſolus ſacerdos comedat ſacramentaliter, tamen inde omnes aſtantes ſanctificantur. Hoc etiam accidit in ciborum. Quando enim quis comedit, ſolum os manducat, non manus, aut pes; & tamen ex ſolius oris comeſtione omnia membra corporis confortantur. Ita eſt de corpore myſtico, quod eſt Eccleſia ſancta. Sacerdos namque eſt os, oculi, uel contemplatiui, manus actiui, aures iudices, brachia milites, uentres mercatores, pedes laboratores. Ex manducatione igitur ſolius oris myſtici, id eſt ſacerdotis, corroborantur cætera membra. Id ne eſt, quòd ſacerdos poſt communionem dicit: Quod ore ſumpſimus domine &c. non Quod ore ſumpſi. Apertè ergo faterıs, ſe in illo actu comedere, tanquam os omnium, per quod os membra uniuerſa cibum illum ſumpſerunt. Ex hoc, ne accedentes ad miſſam debeant eſſe ieiuni proportionaliter cũ ſacerdote. Quid eſt proportionaliter? Quod ſicut ſacerdos debet de neceſſitate eſſe ieiunus, ita illi ex congruitate. Nam quia ſacerdos Euchariſtiam manducaturus eſt & ſpiritualiter, & ſacramentaliter, ad eius ieiunium ſumendi obligatur, quàm illi, qui tantum ſpiritualiter eam ſumpturi ſunt, ſcitote quòd congruitas illa attendatur. Per hoc, quòd is maxime attendat, qui in Deum per orationem, & animus eius efficacius ſurgat, quam ſi prius manducaſſet. Nam ex ea quæ ſunt rei faciendæ attendens, melius potius intentus, quam ad diuinas rebus attenderet. Modo per cibum in alia ſcientia, & orationis intellectu, duobus (ſcilicet diuinis, & orationis) attenderet, anima autem uni tantum (ſcilicet orationi), & ideo melius in orando proficit ante cibum, quam poſt. Congruitas etiam illa penſatur penes ea, quæ apud nos ſunt. Quæ ſunt ea? Quod locuturus cum rege, uel Papa, à comeſtione cauet antequam illis alloquatur, & id propter reuerentiam. Papa autem, uel Rex, quid ſunt reſpectu Chriſti ſacramentaliter in miſſa aſſumendi; uiſi uermes, imo nihil? Magnam ergo incongruitatem facit Chriſtianus, qui ad miſſam, præaſſumpto cibo materiali, accedit. Vnde, ſi ad ad hoc inuitetur, reſpondere debet: Nolo nunc comedere, quia mihi incumbit loqui cum rege, uel Papa. Sic igitur non paſtus materialiter, melius paſcetur ſpiritualiter; & ſentiet quod dico.

PRO ECCLESIA SANCTA DEI.

CONCLVSIO præſens 4. cap. 28. ualet contra errorem quorũdam (ut legitur in ſumma Fratris Yconeti 5. p. 2. manu ſcripta in Bibliotheca Vaticana) dicentium, feſtis diebus operandum eſſe, quia opus bonum eſt. Patet enim hic; quòd diebus feſtis eſt à ſeruilibus, ſeu mechanicis, operibus abſtinendũ. Damnatur & multoties a ſcripturis, puta Gen. 2. Exo. 16. 20. 35. Leuit. 23. tam apertè, ut merito uideatur mirum nimis quomodo, his ſtantibus, potuerit unquam in mentem cadere alicuius prædicta hæreſis. Dicitur enim in Geneſi, quòd Deus ſanctificauit diem ſeptimum, & benedixit ei, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo. Vbi uide concl. 3. & c. expoſitionem noſtram. Exod. quoque 16. dicitur. Hoc eſt quod locutus eſt dominus. Requies ſabbathi ſanctificata eſt Domino. Quia ſabbathum eſt Domino, nõ inuenietur (ſcilicet mãna) hodie in agro. Sex diebus colligite, in die autem ſeptimo ſabbathũ eſt Domino; idcircò non inuenietur. Cras (ſcilicet die ueneris) quodcunque operandum eſt facita; & quæ coquenda ſunt, coquite. Ecce in caſu mannæ etiam feriandum eſſe ab operib. colligẽdi die ſabbathi; & Deus nõ pluebat illo die manna, ut nobis occaſionem daret uacandi ab operibus diebus feſtiuis. In Exo. 20. dicitur. Memẽto ut diem ſabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies opera tua. Septimo autẽ die ſabbathum Domini Dei tui eſt. Nõ facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt: & requieuit in die ſeptimo. Idcircò benedixit Dominus diei ſabbathi, & ſanctificauit eum. Quid clarius, quam iſta uerba Domini, ad oſtendendum, quòd diebus feſtis (quæ per ſabbathum uniuerſaliter intelliguntur) ab operibus eſt ceſſandum; & conſequenter ad condemnandum hæreticalem prædictum errorem? Et nota, quòd in diebus feſtis non tantùm paterfamilias iubetur a talibus operibus ceſſare; ſed & facere, quòd omnes quouis modo ad curam ipſius pertinentes, includendo etiam iumenta, ab ipſis operibus maneant feriati, adeò ſtrictam de ceſſatione mechanica pro illis diebus mãdatam obſeruari intendit Deus. Vbi & declarat, ſanctificationem, & benedictionem illam feſtorum ſub nomine ſeptimæ diei, quæ narratur. Gen. 2. eſſe intelligendam de ceſſatione ab operibus noſtris. Alia loca ſupra citata ſacræ ſcripturæ uidetis; & cito omnia iſta tam quam figura intelligi, & principaliter quidẽ, de figurato, id eſt de feſtis noui teſtamenti, cum finis ſit magis intentus, quam ea quæ ſunt ad finem; & figuratum ſit finis, figura uero ſit ad finem (ut patet). Quod autem in errore illo adducitur pro ratione ab illis errantibus, quod opus bonum eſt, non eſt ad propoſitum, neque ab eis intellectum. De bonitate enim quæ morali, non de bonitate naturali, de qua illi concludunt, loquimur quando opus mæchanicum dicimus eſſe malũ in diebus feſtis. Quis enim neſciat, quòd opus mechanicum ſecundum bonitatem naturalẽ eſt etiam in die feſto bonũ? Sic & carnes in quadrageſima ſunt hac bonitate bonæ. Sed totaliter ſunt hæc extra propoſitum, nec ſunt digna audiri à ſapientibus, uel mediocriter de rebus ſacris catholicorum inſtructis. Quis etiam neſciat, quòd bonitate morali illa bona eſſe non poſſunt, quæ ab omnium bonorum morum inſtitutore prohibentur? Implicat enim contradictionem, quòd ſcilicet hoc ſit prohibitum a Deo, & ſit bonum morali bonitate. De his uideas Leuitic. 23. con. 5. & Gene. 2. con. 3.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXIX.

Text. HÆc offeretis Domino in ſolemnitatibus ueſtris, præter uota, & oblationes ſpontaneas &c.

Concl. 1. *Quæ ſunt neceſſitatis prius ſeruari debent, quàm quæ ſunt libertatis.* [Ex eo.]

Ratio. VTOR. Non uult Deus, quòd Iſraelitæ præponant oblationes ſpontaneas oblationibus à ſeipſo præceptis; ſed per ſeriē litteræ innuit contrarium. Ac ſi dicat. Illas oblationes, quas faciendas uobis cōmiſi, magis cordi habebitis, quàm ueſtras ſpontaneas; ac ideò illas offeretis priùs, poſtea (ſi facultas ſuppetet) offeretis ueſtras. De meis ampliori cura ſolicitabimini, quam de ueſtris. Mea enim mandata ſunt neceſſitatis: ueſtra autem uota emittenda ſunt libertatis, licèt poſtquam fuerint emiſſa, ſint neceſſitatis.

APPENDIX.

1 HInc habes primò, quòd mandata ſunt anteponenda con-
2 ſilijs. Secundò conſequenter, quòd plus debet quis zelare pro mandatis Decalogi ſeruandis, quam de quibuſcunque cæremonijs, uel particularibus obſeruantijs, quarumcunque religionum, ſiue de quibuſcunque hominum legibus, atque præceptis. Iſta namque obſeruare licèt bonum ſit, & quandoque neceſſarium, atque ad ea ſeruanda perfectè omnes anhelare debeant; tamen illis immediatè diuinis mul-
3 tum poſt ponenda ſunt. Tertiò habes, quod illi malefaciunt, qui orationes proprias ex deuotione dicendas ieiunio ſtomacho dicendas curant; quam orationes, ſiue officia quæ ſunt de neceſſitate. Pariter illi, qui in templo, uel aptiori loco, ſpontaneas orationes fundunt, & neceſſarias extra templum, uel in loco minùs apto ſoluen-
4 das æſtimant. Quartò habes, quod illi decipiuntur, quæ qui de ieiunijs ſuis magis curant, quàm de ieiunijs Eccleſiaſticis. Quidam enim tali die, puta ueneris Martij, ea deuotione ieiunant ſolo pane & aqua contenti, qui ex tali ieiunio ſe ad Eccleſiaſticum totius quadrageſimæ ieiunium ineptos reddi cognoſcentes parum de hoc ſcrupuli habent, magis de ſuo deuotionis ieiunio zelantes, quàm de neceſſitatis. Tales oporteret inſtrui, ut quæ neceſſitatis ſunt placentia magis Deo agnoſcant, quam quæ non ſunt huiuſmodi neceſſitatis. Quæ neceſſitatis ſunt prius adimplere ſtudeant, quàm quæ ſunt ſuæ uoluntatis. Præuideant, nè ex tali ieiunio inhabiles reddantur ad ieiunium quadrageſimale. Et ſic ſecundum complexionem ſuam regantur, aut taliter ieiunando, aut non. Si ieiunauerint taliter ſine prædicto periculo benefaciēt (quandoque, & plura in memoriam paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti pati deberent oēs,) ſi prouidentes periculū non taliter ieiunabunt, etiam benefacient. Et tunc tantùm in deſiderio tale ſtrictum ieiunium exerceant; quoniam facultate ſublata operis, bonam uoluntatem altiſſimus computat pro opere. Alioquin nouerint cuncti qui ieiunium neceſſitatis propter ieiunium ſolum modo (ut aiunt) deuotionis ſcienter omittunt, quòd hoc non eſt ieiunium, quod elegit dominus; ſed quod ipſi elegerunt. Conſequenter ergo non expectent à domino retributionem; ſed à ſeipſis defectionem.

5 ¶ Quintò habes, quòd iſta debent facere ex ſuperogatione euidenti prout o prius de adimplēdo, quod neceſſarium eſt. Hoc ſignificatur hic, cum ad filios Iſrael dicitur, quod offerant plura ſacrificia in die feſtiuo; Abſque (inquit) holocauſto ſempiterno, ſacrificioque eius, & libamine. Quaſi dicatur. Id quod eſt ordinarium non dimittatur, etiam quòd ſeruetur extraordinarium. Sextò habes, quòd ſapientiſſima diſcretione uſi ſunt fratres prædicatorum ordinis, dùm per conſtitutiones ſuas non, niſi in die Veneris ſancti, mandant fratribus omnibus ieiunium in pane, & aqua. Tunc enim nullum ferè periculum debilitatis eſt ſequuturo ieiunio nocituræ; quoniam iam in calce quadrageſimæ id ſeruatur. Et ſi dicas, quòd de complexione ualidiore fratrum præſumere debebant, ac ideò ieiunia ſic ſtricta ſæpius mandare; reſpōdetur, quòd non id præſumere debuerant. Nam conſtitutiones, uelut leges, dantur omnibus. In his autem, quæ dantur omnibus, habenda eſt ratio imperfectorum ſiue corpore, ſiue anima, ut patet ſapientibus, & in lege humana, & in lege diuina. Relinquit tamen conſtitutiones ipſæ unumquemque in arbitrio ſuo, ut ſecundum menſuram uirium ſuarum poſſit etiam crebriùs tali ſtricto ieiunio ſe caſtigare.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXX.

MVlier quę eſt in ætate adhuc puellari, ſi quippiā uouerit; & iuramento conſtrinxerit &c. Text.

Concl. 1. *Vouere poſſunt ſubditi licitè abſque licentia ſpeciali prælatorum ſuorum.* [Ex eo.]

ECCE. Mulier adhuc ſubdita patri non reprehendit, ſi uotum uoueat, imò ſi uoto emiſſo iuramētum adiungat. Nō dicitur etiam, quòd uotum illud ſit inualidum, ex quo ſine ſcitu patris factum eſt; imò innuitur quòd uotum ualeat; niſi pater contradixerit. Idem dicitur de coniugata. Hoc, à ſimili intelligendum relinquitur de omnibus ſubditis. Ratio.

APPENDIX.

HInc habes, quòd falſa illa opinio eſt, quæ dicit, religioſos non poſſe licitè uouere abſque licētia prælatorū ſuorum. Ex littera enim habetur aperte, quòd poſſunt; imò quòd adimplere illa uota tenetur, quouſque prælatus cōtra- 1
dicat. Habes conſequenter, ſecundò, quòd ſi prælatus nū- 2
quam ſciret hoc, ſemper ſubditus obligaretur ad implendū uotum illud. Nam ſi non ſcit illud prælatus, contradicere nequit, quæ tamen contradictio exigitur neceſſariò, ſi à uoto implendo ſubditus excuſare debeat. Imò etiam ſi ſciret prælatus uotum ſubditi, & taceret; adhuc ſubditus obligatur ad ſeruandum uotum ſuum. Tertiò habes, quod nō 3
requiritur neceſſariò, ſubditum poſt uotum ſuum emiſſum conſulere prælatum, utrum uelit, uel nolit, ſe adimplere uotum. Per totum enim hoc capitulum nō habetur iſtud: quòd tamen, ſi neceſſarium foret, prætermiſſum non fuiſſet. Quid ibi dicitur? Si cognouerit pater, uel maritus. Quaſi dicat. Non dico, ut uotum tuum patri, uel marito, manifeſtes; ſed ſi aliquo modo hic, uel ille, cognouerit. Imò uideretur non benefacere is, qui nouit; ſi pro libito ſuo manifeſtaret ſuperiori ſe nouiſſe, ac ideo poneret ſe in periculo retractationis uoti ſui à ſuperiore. Debet ergo ſubditus, qui inſcio prælato uouit, adimplere uotum ſuum, abſque hoc, quòd illud manifeſtet prælato. Quòd ſi caſus neceſſitatis occurrat manifeſtandi illud; puta, quia non poteſt exire clauſtrum ad uotum implendum ſine licentia prælati, uel quia ſubdito uidetur difficile adimplere uotum, & uellet ipſum commutari; tunc prælato ſuo, abſque reprehenſione (quod uideam) manifeſtare poteſt uotum ſuum; & illius iudicium ſuper hoc exequendo, uel non exequendo, expectare.

NOTATIO.

ADVERTE, quòd non eſt neceſſarium, ſubditos explicare conditionem in uotis ſuis. Non. o. dicitur hic, quòd mulier talis uoueat cum iſta conditione expreſſa, ſi ſcilicet placuerit, uel non diſplicuerit, marito uel patri; ſed dicitur abſolutè, ſi uotum uouerit. Alioquin nulla differentia eſſet inter uota ſubditorum, & non ſubditorum, quam tamen eſ-

ſe

ſe magnam textus eloquitur. Nam dicit de non ſubditis, puta uiris, quòd ſi uouerit quis corũ, adimplebit omne, quod promiſit. De ſubditis uerò dicitur, ut audiſti. Subditis ergo relinquitur ſuperiorum uoluntas ſuper uotum ſuum; cæteris uerò nihil relinquitur. At ſi uota illa ſubditorum conditionata eſſent omnino dicenda ex hoc; tunc nulla prorſus differentia eſſet inter uota ſubditorum. Si enim non ſubditus uoueat conditionaliter, tunc & ipſe conditioni uenienti, uel non uenienti, ſtat; imò & poteſt expectare conditionem licitè ad uidendum, ſi uotum ſuum adimplere teneatur, uel non. De uotis autem ſubditorum ſit abſolutè factis non eſt idem iudicium, ut prædiximus. Nam tenentur ſtatim adimplere uotum ſuum, nec exigitur, ut de hoc (niſi in caſu) iudicium ſuperioris expectent.

¶ Ergo uotum ſubditi eſt abſolutum uerbaliter. Si enim eſſet conditionatum uerbaliter, tunc non ligaret ſubditum ad ſui obſeruationem ſtatim, ſed tñ conditione adueniente (puta; qñ ſuo ſuperiori placeret) ſi uerò eſſet abſolutum omnino realiter, tunc ſuperior non haberet poteſtatem pro libito ſuo retractare uotum illud. Hanc autem poteſtatem pro libito ſuo habet. Quis dicit hoc? Littera plana. Dicit enim, autem quod ſi pater &c. audito uoto, contradixerit &c. Non autẽ dicit ſi contradixerit motus ex cauſa legitima. Sic nãque, etiam ꝙ non eſſet pater, contradicere pōt, ideſt declarare, quòd talis tunc non tenetur ad obſeruationem uoti. Vt ergo ponamus differentiam inter patrem, maritumq́; ac prælatum, & inter alios non patres, non maritos, non particulare prælatum (puta, ut eſt in religionibus) denotandum uidetur, quod poteſt pater &c. pro libito ſuo uotum ſubditi inualidum reddere. Accedit huc, quòd in littera non taxatur pœna patri, uel marito; ſi contradixerint uoto ſubditi. Hanc autem pœnam innuiſſet; ſi pater, uel maritus, ſic faciẽdo peccaſſent. Ratio autẽ, ꝙ liberè huiuſmodi ſuperiores poſſint uota ſubditorũ talium irrita facere, tangitur in textu, cũ dicitur in fine capituli: Iſtæ ſunt leges &c. Quæ in puella ætate adhuc ætate eſt, uel quæ manet in paternis domo. Quaſi dicat: Ideò pater &c. poteſt liberè retractare uotum ſubditi, quia ſubditus eſt adhuc iuris paterni, & conſequenter quicquid eſt ſubditi. Hinc enim fit, ut ſubditus non potuerit ſimpliciter abſolute promittere aliquid nec Deo, nec hominibus; quoniam nil proprium ſimpliciter abſolutè, ſic manens habebat. Vnde ille, cuius eſt ſubditus, poteſt de uoto ſubditi libere diſponere, tanquam de re ſibi propriã. Nec tamen ideo mireris de hoc, quòd dicitur quaſi in calce capituli, cum præmiſſis non ſit contrarium. Quid ibi dicitur? Quòd ſi pater &c. tacuerit primò, ac deinde contradixerit, portabit iniquitatem eius. Hoc enim dicitur; quia uotum iam per patrem &c. ratificatum eſt. Quoniam uerũ pro ſua uoluntate, abſque legitima cauſa, uoto iam approbato contrauenire, peccatum eſt illi, qui id approbauit antè; ideo hoc dicitur in littera, quod illatum eſt.

COROLLARIVM.

Ergo uotum ſubditi in his, in quibus ſubditus eſt, eſt mixtum. Conſequenter dic quòd in omni uoto ſuo intelligitur auctoritas ſuperioris excepta (ideſt quòd poſſit huic aſſentire, ut impleatur a ſubdito, uel diſſentire) etiam quòd non apponat illam expreſsè, ut diximus. Conſequenter etiã dic, quod malefaceret ſubditus, ſi uoto a ſe emiſſo apponeret conditionẽ ſuperioris authoritati contrariam. Verbi gratia. Si diceret: Voueo facere hoc etiam quòd ſuperiori diſpliceret, uel non placeret. Tunc enim, quantum eſt in ſe, euacuaret aliquo modo ſubditus iuriſditionem ſuperioris reſpectu ſui. Hoc autem eſt peccatũ. Item conſequenter dic, quòd ſubditus ſemper, & dato quòd ſuperior contradicendo peccaret, eſt in cõſcientia ſecurus. Nonnè ſuperior, ſi iam approbatum uotum retractet poſtea, peccat? Vtique. Et tamen in textu non dicitur, quòd ſubditus portabit iniquitatẽ tranſgreſſionis uoti obediendo tunc illi prælato; ſed quod ipſe prælatus portabit iniquitatem eius, ſcilicet tranſgreſſionis uoti, uel eius, ſcilicet ſubditi alias (niſi ſuperioris auctoritate fulciretur) pro uoto trãſgreſſo puniendi. Conſequenter habes hinc apertiſſimè, quòd obedientia in dubijs, etiam quòd peccatum ſub dubio interuenit, excuſat. Nonnè certus eſt interuenire peccatum, dùm retractatur primò placitum uotum; & tamẽ obedientem ſubditum impunitum abire, ſuperiorem uerò eius pœnas portare? Superiori itaque aſcribitur peccatum, ſi mandando erraret, non autem obedienti; dummodò non contineat manda-

tũ manifeſtum errorem. Grandis certè ſecuritas ſubditorũ, & grande periculum ſuperiorum. Iſtud ultimum pro ſemper bene nota.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

HÆc Cõcluſio .1. cap. 30. facit ex abundanti cõtra errorem Lampetianorum dicentium, uota omnia tum priuata, tùm monaſtica eſſe damnãda, propterea quòd uideatur neceſſitatem, & coactionem quandã hominibus inferre. Patet enim hic de uotis etiam ſubditorum, ſine expreſſa licẽtia prælatorum ſuorum (dummodo ipſam in uotis ſuis ſubintelligant) quòd licitè fiunt; de quibus tamen uotis minus uidebatur, quod eſſent licita. Damnatur & ille error alibi Elucid. pri. par. ar. nu. 407. & Geneſ. 31. Con. 3. Damnatur & à pſal. 75. Vouete, & reddite domino Deo noſtro. Ibi enim (ut patet) hortatur nos Spiritus ſanctus ad uouendum. Nec obſtat, quod obijciuot aduerſarij de libertate hominis; quòd ſcilicet nemo ſe debet priuare bono, quod ei Deus donauit; & conſequenter libertate, quam nobis pro magno bono donauit Deus. Reſpondetur enim ad hoc, quod ſicut non poſſe peccare non diminuit libertatem (ut patet) de ſanctis in patria & Deo; ita etiam neceſſitas firmatæ uoluntatis in bono non diminuit libertatem. Talis autem eſt neceſſitas uoti; quæ conſequenter ſecundũ prædicta, habet quandam ſimilitudinem cum confirmatione beatorum, inquantum uotum firmat uoluntatem in bono. Vnde Auguſtinus in epiſt. ad Armentarium & Paulinam ait; Felix neceſſitas, quæ nos compellit ad meliora. Nec etiam obſtat aliud ab ipſis obiectum; quòd ſcilicet qui uouet, periculo ſe exponit, quia poſt uotum non poteſt licitè quod prius licitè poterat, ſecundum Auguſtinum in epiſt. præmiſſa dicẽtem: Quia iam uouiſti, iam te obſtrinxiſti; aliud facere tibi nõ licet. Nullus uerò (inquiunt) debet ſe periculis inijcere. Reſpondetur enim, quod periculum eſt in duplici differentia; & ꝙ de periculo, quod eſt extra propoſitum, illud loquuntur; & conſequenter ignorantiam ſuam oſtendunt, & nihil concludunt. Quando enim periculum naſcitur ex ipſo facto (in quo ſenſu intelligitur ly Nullus ſe debet periculis inijcere) tunc factum illud non eſt expediens; puta quòd aliquis tranſeat per pontem ruinoſum ſuperpoſitum fluuio. At ſi periculum immineat ex hoc, quod homo deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc illud factũ eſſe expediens; puta expediens eſt aſcendere equum, quamuis periculum immineat cadenti ex equo. Alioquin oporteret ab omnibus bonis ceſſare; quoniam per accidens ex aliquo euentu poſſunt eſſe periculoſa. Vnde contra tales qui propter pericula huiuſmodi ſecundo loco dicta dimittunt bona, dicit ſcriptura. Eccleſiaſtici 11. Qui obſeruat uentum, non ſeminat; & qui conſiderat nubes, nunquam metet. Modò ad rem. Periculum non imminet ex ipſo uoto homini uouenti; ſed ex culpa hominis per mutationem uoluntatis tranſgredientis uotum. Quod declarare uoluit Auguſtinus hic uerbis in ead. Epiſt. Non te uouiſſe pœniteat; imo gaude, iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Damnatur & a Leuit. 27. concl. 1. & Numer. 15. conclu. 1. & Geneſ. 3. con. 2. A tempore uſque Apoſtolorum uota in nouo teſtamento fieri ceperunt. Nam (ut inquit S. Doctor Eccleſiæ. 2. 2. q. 88. ar. 4.) Apoſtoli intelliguntur uouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſecuti. Vnde poſſumus inferre, quòd Apoſtoli fuerunt primi religioſi, & priuatorum religioſorum norma, qui iſta in profeſſione ſua uouent; de quibus uide ſanctum ipſum Doctorem 2. 2. q. 186. ar. 6.

Mvlier ſi quippiam uouerit &c. cognouerit pater &c. *Textus*

Concl. 2. *Quæcunque ſunt à Deo, ordinata ſunt.* [Ex eo.]

Conclvsio hæc adeò uera eſt, ut etiam in pertinentibus ad ſe Deus uelit ordinationem iſtam. Vide non uult Deus, ſibi reddi uotum a ſubdito factum, ſi prælatus ſubditi contradicat. Iura ergo patris, uel alterius ſimilis prælati, non uult infringere, etiam ſub prætextu honoris proprij. Quare? Quia ius patris ſuper filiũ tale Deus ſtatuit. Hinc eſt, quod prædi- *Ratio.*

ctum ius neque ipſe Deus uult infringere, neque multò minus a quocunque alio uult infringi. Vult quidem honorari Deus, ſed cum ordine premiſſo. Vndè quicquid honoris, cõtra talem ordinem, reddere Deo obi finxeris, non honor hic, ſed inhonor; non reuerentia, ſed irreuerentia; non Dei placatio, ſed irritatio eſt.

NOTATIO.

Matt. 15. ISTVM capituli paſſum debuerant annotare phariſæi illi, qui filijs dicebãt, ut contra uoluntatem paternam templo Domini aliquid de domo offerrent. Si hoc annotaſſent, exercitionique mandaſſent, uidiſſent, ſe (ut Chriſtus illis aiebat) fuiſſe cauſam filiis, nè honorarent parentes proprios. Non ergo excuſabantur à peccato illo phariſæi, quoniam de ordine præfato hic anoquirus edocti manifeſtè fuerant. Hunc locũ inſpiciant etiam illi, qui pueros infidelium poſſe licenter baptizari inuitis parẽtibus affirmant, & ſe in hoc multum errare cognoſcant. Circa hoc ipſum uerò Diuum Thomam Doctorẽ angelicum admirentur, qui non modò illis contrarium, textuique huic conſentaneum, tenet; ſed etiam pro ſuæ determinationis ratione ex iſta littera elicitam rationem adducit. Ius enim parẽtum in cauſa dicit eſſe, nè pueros illos inuitis parẽtibus liceat baptizare. 2. 2. q. 10 ar. 12. & 3. par. q. 68. ar. 10. Hũc capituli locum uideant filii, & ſe à parentibus nihil ſurripere poſſe cognoſcant. Quantum parentibus ſuis obedire teneantur, hinc addiſcant. Poſt Deum ſe in uita præſenti nullum habere maiorem parentibus ſuis hinc eliciant; & ideò ex hoc moti ad illis ubique ſubueniendum magis inardeſcant. Ad hunc locum etiam proſpiciant parentes, aliique huiuſmodi ſuperiores, & quantum a Domino honorati ſint hic uiuaci mente contemplentur; quando uiderint, Deum nolle infringere ius ipſorum paternum, etiam in caſu concernente honorem diuinum modo dicto. Quod cùm fecerint, gratias immenſas agant altiſſimo; & ſe, ſuaque omnia, ea tanto beneficio moti Deo dedicent, conſecrent, in perpetuum donent.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Munus, quodcunque eſt ex me, tibi proderit. Contra hanc traditionem phariſæorum ibi diſputat Chriſtus uolens oſtendere inhonorari parentes ex hoc, & conſequenter honorem Dei taliter incompactè quæri non debere, abſque ordine ibi taxato: Honora patrẽ tuum &c. Contra eandem traditionem diſputat, & hic Deus (ut patuit); excepto quòd aliquid plus hic contra illam iudæorum regulam affertur. Non enim ſolum monſtratur hic, quòd filij non poſſunt ea, quæ parentibus neceſſaria ſunt, auferre ab illis, ut offerant Deo; ſed & quòd, etiam ſi illa cum iuramento Deo uouiſſent, dare Deo inuitis parentibus licitè nequeunt. Ecce, quantum ueritatis habeat illud, quòd religioſus non habet neque uelle, neque nolle; ſed omnia ſua ſunt in manu prælati. De religioſis inquam, quia a ſimili, ſeu à fortiori, reſpectu ſubditorum in littera poſitorum loquor. Hinc uideas, quòd uxor, filijſfamilias, & ſimiles, nõn poſſunt ludere. Nam nummos alienare inuitis parentibus, marito, ſuperiore (ut religio habet,) non poſſunt, & conſequẽter nec uincere modo licito. Sic enim ſtarent ſemper in lucro; nunquam autem damno, id quod nulli eſt licitum in quocunque temporali commercio. Vis hoc uidere? Si a ſubdito tali ludo, uel aliomodo, quis uincit aliquid; iſtud aliquid non eſt uincenti; quoniam iſtud non poterat, cùm eius non eſſet, a tali ſubdito alienari. Conſequenter igitur iſte uincens ſemper ad reſtitutionem tenebitur, niſi à ſuperiore ſubditi uicti fiat ſibi relaxatio. Prædicta a fortiori, hinc ad litteram, trahuntur, ut conſideranti patet. Niſi ergo ratihabitio excuſet ſubditum ſerio ludentem, non uideo, quomodo a peccato excuſetur. Hæc autem ratihabitio in magna pecuniæ quantitate uidetur ſaluari non poſſe; ſecus quãdoque in parua. Videant igitur tales ſubditi, nè & ſe, & colluſores, peccato inuoluant quodammodo furti. Aliud & hic te aduertiſſe credo, quòd nullum iuramentum ſubditi talis eſt omninò firmum. Nam omne tale poteſt licitè a ſuperiore ſuo retractari, ut clare ſonat littera. Etenim ſi iuramentum Deo præſtitum, cum uoto ſimul; quid de iuramento quocunque dicemus cuicunque alteri præſtito? Vide, quàm ſtrictè uoluerit Deus ſeruari obedientiam erga ſuperiores ſuiipſius amore. Vel ad ly &c.

Text. MVlier ſi quippiam uouerit &c. & cognouerit pater &c.

Concl. 3. *Poſſunt prelati irritare uota ſubditorum ſuorum.* [Ex eo.]

Ratio. Vt, o a premiſſa immediatè circa conclu. ſecundam & ſufficit.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXXI.

Text. VLciſcere filios Iſrael de Madianitis &c. qui poſſint ultionem domini expetere de Madianitis &c.

Concl. 1. *Vlciſci ſuam patriam, uel honorem domini de inimicis licitum eſt; authoritate principis accedente.* [Ex eo.]

Ratio. VVLT hic Deus, quòd Moyſes ulciſcatur filios Iſrael de Madianitis, & iſta ultio uocatur à Moyſe ultio domini, ideſt licita. Quid Moyſes? Dux ſuper Iſraelitas. Ergo principi licet ulciſci iniurias factas ſubditis ſuis. Quod ſi iniurias factas ſubditis ſuis. Multo magis iniurias factas Deo. Ergo principi licet occidere peccatores, malefactores, ſeu pacem turbantes.

APPENDIX.

1 HINC habes, quòd licitum eſt Chriſtianis pugnare cõtra Turcas. Nam Turcæ, aliique infideles, iniurias irrogant Deo, dùm & in ipſum non credunt, & alios à fide huiuſmodi auertere uariis modis inquirunt. Secundò habes 2 quòd fideles in bellando contra infideles debent habere iſtã intentionem, ut ſcilicet ulciſcantur honorem domini. Qui (inquit littera) poſſint ultionẽ dñi expetere de Madianitis. Non ſine cauſa dictum eſt hoc: ſed ut oſtendatur, qualem intentionem habere debeant fideles, dum contra infideles prælia committunt. Si ergo haberent hanc intentionem, quæ in littera tangitur (bona uita, de qua alias ſupra, ſeruata) facillimè ad uictoriam peruenirent. Huius facilitatis cõiecturam maximam facit, quòd iudæi iſti hac intentione uallati contra Madianitas ipſos citò uicerunt. Idipſum ſuadet Dauidis pueruli bellum contra Goliath, quando ipſum gigantem in primo belli congreſſu deuicit, ſpoliauit, decollauit. Quid dixit Dauid contra infidelem illum procedens? Ego (inquit) uenio ad te in nomine domini exercituum, cui tu exprobraſti. Ac ſi dixiſſet. Venio ad pugnam, ut domini Dei ultionem expetam de te. Ratio autem dictorum nunc eſt, quia tunc dominus Deus, quoniam de ultione ſui nominis ab fidelibus ageretur, bello fidelium talem intentionem habentium adeſſet. Nam bellum ſuum dominus fieri formaliter (ideſt ſecundum militum intentionem) uideret, & conſequenter honorem proprium ſuum in militibus, ſeu per milites illos defenderet. Sed dices. Quare non defendit Deus honorem ſuum per milites Chriſtianos, etiã qui non habeant prædictã bonam intentionem? Nonnè, etiã intentione tali à militibus ſublata de honore domini agitur quando contra infideles pugnatur? Vtique etiam tunc de ipſius honore agitur; ſed ideo per milites Chriſtianos non defendit honorem ſuum, quia alia uia ipſum defendere poteſt, atque defendit. Nè credas, Deum honoris ſui oblitum dùm Chriſtianos milites uinci ſinit ab infidelibus; quoniã infinitas alias uias habet, præter iſtam, ad defendendum honorem ſuum. Quid amplius dicam? Tunc cum ſuum honorẽ defendere nõ creditur, eadẽ prorſus uia, qua id credit, honori ſuo maximè conſulit. Argumentum ergo admirantium illud teneret, ſi nullum alium Deus haberet modum pro defendẽdo honore ſuo, niſi facẽdo milites chriſtianos habere uictoriam. Tenendum itaque firmiter eſt, quòd Deus non indiget chriſtianis militibus; ſed chriſtiani milites indigent Deo, nec Deo gratiam faciunt (iuxta illud: Serui inutiles ſumus) milites chriſtiani pugnando pro illius honore;

ſed

Sed magis Deus gratiam fauoris magni facit chriſtianis militibus, eligendo illos pro defendendo honore ſui ſanctiſſimi nominis. Hoc ſi penſauerint milites chriſtiani, cognoſcent, quòd Deus non obligatus eſt, etiam quòd de diuino honore agatur, ad dandum illis uictoriam: Et conſequenter ad hanc obtinendam a Deo per illam ſanctam intentionem cordialē ſincere conabuntur. Meminerint, in confirmationem præmiſſorum, milites chriſtiani, quòd Deus non eſt remunerator nominum, ſed aduerbiorum (extra de collatione detegē. da c. 1. in gloſa). Vnde quamuis pugnauerint (hoc pro nomine ſumitur) materialiter in honoris diuini ſeruitio, non propter hoc uictoria remunerabuntur. Nam in illorum actione aduerbium adhuc non extitit. Quod eſt illud aduerbiū, cuius Deus remunerator eſt? Bene. Hoc autem aduerbium præmiſſa bona intentio, ſi recta illo in actu ſit, includit. Nō igitur ſimili ra intentione (ut in pluribus communiter fit) ad bellandū contra infideles deſcendant. Alioquin de uictoria perdita non admirentur uel tantillum; ſed de uictoria quandoque habita, ſic procedēdo, mirentur; quoniā illud de natura ſui (auxilio diuino incluſo) ad tale bellum ſequitur, illud de maxima miſericordia Dei. De ſeipſis ergo doleant milites chriſtiani, ſi perdant, non de Deo. Habeant intentionem, qualem hic apertè Moyſes, & belli euentum, qualem milites a Moyſe inſtructi habuerunt, faciliter habebunt. Laudandus tamē eſt in omni euentu Deus, etiam ſi contrarium accideret, quoniam iudicia ſua abyſſus multa. Secundum regulam, nihilominus præmiſſam in textu temetipſum dirige, & animo forti eſto; quoniam diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum. Tuum enim eſſe noueris, regulam prænotatam ſeruare ad unguē, non autem inueſtigare iudicia Dei, quæ, licèt iuſtiſſima ſemper, tamē incomprehenſibilia ſunt. Relinque igitur Deo iudicia ſua, ut ſecundum quòd ſibi uidetur bonum, faciat, tu autem ad præſcriptam normam compone teipſum cum tuis, nolens interim ſapere niſi ad ſobrietatem.

¶ Tertiò habes, quòd ex hoc textu non licebat arguere iudæis, ſe licitè poſſe odire inimicos ſuos priuatos, ac de illis ultionem expetere. (quod uerò dixi de hoc textu, intelligas de quibuſcunq; ſimilibus) Aliud eſt enim zelo iuſtitiæ, ordine ſeruato, aliquem communem inimicum, odire ac perſequi; & aliud eſt contra particularem hoſtem ex liuore uindictæ paſſionibus odij agitari. Illud bonum eſt, & hic approbatum, iſtud malum, & nullibi approbatum, imò in Euangelio (diligite inimicos ueſtros; benefacite his, qui oderunt uos &c.) contra falſo id, tanquam in hoc textu cum ſimilibus fundatos, approbantes reprobatum. Regula enim generaliſſima hæc eſt, quòd nemo in cauſa propria debet eſſe iudex, uel dicere ſibi ius.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Audiſtis, quia dictū eſt antiquis. Odio hebis inimicū tuū. Ibi doctores inquiunt iudæos id traxiſſe ex hoc, q Deus uoluit, Iſraelitas expetere uindictā de Amalechitis, & ſimilibus, ut hic patet. Hanc autem iudæorum deductionem ex huiuſmodi locis, friuolam eſſe uidimus. Nam ab iniurijs contra Deum factis, quas ſupportare impium eſt, iniurias in teipſum factas, quas ſufferre laudabiliſſimum eſt, tranſitum faciunt arguendo, id quod etiam parum in logicis eruditus uelut ridiculum argumentum exſibilaret. Deum itaque, ſeu patriam, ſeruato iuris ordine ulciſci nobis zelo iuſtitię de inimicis noſtris licitū eſt; non autem uel tantillum odij contra priuatos hoſtes inferre.

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

DICTA concluſio 1. cap. 31. ualet contra errorem Steblorum dicentium, quòd uim ui repellere non licet. Patet enim, hinc haberi totum cōtrarium. Damnatur & hic error a Sorbona (ut ait Staphilus lib. de Lutetanor. inter ſe concordia) i. a ſolemni ſchola, ſeu uniuerſitate Pariſienſi inter alios Luteri articulos. Luterus enim & hunc errorem, ne quid zizaniorum colligendo prætermitteret, amplexus fuerat. Damnatur & a Leone X. ſacro approbāte Concilio Lateranenſi Seſſ. 10. in Bulla Regimini uniuerſalis Eccleſię. Ibi enim facto ſuo reprobatum declarat errorem prædictum per hoc, quòd contra laicos offendentes quoquo modo libertatem Eccleſiaſticam ualidiſſimis armis ſpiritualibus inſurgit. Et Principes terrę, puta Imperatorē, Reges &c. præcepto obedientiæ conſtringit ad procurandum, ut talia à ſe ſtatuta contra uim Laicorum illorum faciant obſeruari diligenter a ſuis ipſorum ſubditis. Damnatur & a iure naturali. Nam ius naturale dictat, ut uim ui repellere quis poſſit, cum moderamine inculpatæ tutellæ. Damnatum, a fortiori, intelligas fuiſſe errorem illum a Clemēte V. in Concilio Vienenſi, De homicid. uoluntat. uel caſuali cap. Si Furioſus. Papa enim per hoc, quòd ibi determinat, illum, qui aliter mortem uitare nō ualens ſuum occidit, uel mutilat inuaſorem, nō incurrere irregularitatem, demonſtrat apertè, quòd licitum eſt uim ui repellere, cum moderamine inculpatæ tutelę. Vide Clementinar. lib. loco citato. Facit contra errorem prædictum Gen. 16. con. 2. & Leuitic. 20 con. 1. & Nume. 5. con. 8 ubi mōſtratur, quòd Principes benefaciunt occidendo malefactores Applica huc (ut decet).

EGreſſi ſunt Moyſes, & Eleazar ſacerdos &c. Tu, & Eleazar ſacerdos tollite ſummam eorum &c. *Text.*

Concl. 2. *Sine conſenſu ſacerdotis ſummi non debēt aliquid attentare principes chriſtianorum.* [Ex eo]

VIDES hic, quod Princeps ſynagogæ Moyſes in temporalibus nihil decernit ſine præſentia ſacerdotis. Et hoc ſuum procedere à Deo mandatum eſt, ac approbatum, ibi; Tollite ſummam eorū &c. tu, & Eleazar ſacerdos. Ergo (à contrario ſenſu) oppoſito modo procedere eſt à Deo hic reprobatum. *Ratio.*

¶ Hæc ſupra in fine capituli 27. annotata ſunt, tamen bonum eſt iſta replicare quandoque, quoniam gutta cauat lapidem non ui, ſed ſæpè cadendo. *Not.*

PRO ECCLESIA
SANCTA DEI.

PRÆSENS concluſio 2. cap. 31. deſtruit ex abundāti hæreſim pauperum de Lugduno dicentium, quod Pontifici ſummo non eſt præſtanda obedientia. Patet enim hic, quòd non ſolum obedientia illi præſtanda eſt; ſed & ſumma obedientia, dum hic moſtratum ſit, quod in omnibus magnis negocijs Rom. Pontifici terrarum principes obedire debent. Damnatur & à B. Cypriano Epiſcopo & Martyre lib. 1. Epiſto. 3. ad Cornelium Papam. Neque (inquit) aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, niſi indè q ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex uice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria obtemperaret fraternitas uniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegiū quicquam moueret. Ex his Cypriani uerbis ueriſſimis uides, quantam uiam hæreſibus, ſchiſmatibus, alijſque erroribus intendebat diabolus aperire hominibus per illam nefandiſſimam hæreſim pauperum de Lugduno prętextatā. Ablata ſiquidē obedientia à ſummo omnium uertice, qui omnes alios gradus Eccleſiæ (ſecundum Concil. Florentin. Seſſ. ult. in litter. Sanct. union.) gubernare iure ſuo debet ex inſtitutione Chriſti rectiſſima; quid aliud reſtat, niſi turbo denſiſſimus, caligo, & poteſtas tenebrarum, & confuſio totius orbis terrarum omni Babylone cōfuſior? Item damnatur a Decret. 24. q. 1. cap. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere non poteſt Deum patrem, qui uniuerſalis Eccleſiæ non tenuerit unitatem. Hæc ibi recitantur ex Cypriano in tract. de ſimplic. prælatorum. Item ab eodem Cypriano lib. 2. epiſ. 8. ad Cornelium Papam. Cùm Paulus Apoſtolus dicat: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne una. Sacramentum iſtud magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Cum hoc, inquam, Beatus Apoſtolus dicat, & Chriſtum pariter, atque Eccleſiæ unitatem indiuiduis nexibus cohærentē, ſancta ſua uoce teſtetur; quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum ſponſa Chriſti, atque in eius Eccleſia non eſt? Hæc ibi. Item a Leone IX. in epiſ. contra præſumpt. Micha. & Leo. Archiepi. cap. 26. ubi allatis multis ſcripturis oſtendentibus, quòd non poteſt placere Deo patri qui offendit matrem Eccleſiam, cōcludit dicens, uelut etiam quidam ſapientum ſeculi ait. Nè matrem offendas, dum uis bonus eſſe parenti. Prędicta applices tu contra errorem illum; & ſcies, quum obediens Papæ, non obedit, ſed infenſus eſt Eccleſiæ.

Text. VNam animam de quingentis &c. dabis Eleazaro ſacerdoti; quia primitię Domini ſunt. Ex media quoq; parte filiorum Iſrael accipies quinquageſimum caput hominum &c. & dabis ea Leuitis &c.

Concl. 3. *In diſtributionibus fiendis, etiam rerum corporalium, ſacerdotum prima pars debet eſſe; mox clericorum, deinde laicorum.* [Ex eo.]

Ratio. TV uides hic, quòd diſtributiones fiunt prædæ, & quòd prima pars de mandato Domini datur ſacerdoti Eleazaro, ſecunda uerò Leuitis, & tertia laicis. Notabis autem, quòd per primam intelligitur & ordo, & nobilitas rei. Non tantùm quòd prima fuit illa pars data ſacerdoti, quia ante omnes ordinata eſt, ſed etiam quia nobilior alijs omnibus fuit. Litera namque, appellat illam partem primitias (Quia, inquit, primitiæ Domini ſunt), & conſequenter illi, quod diximus, accommodatè ſubſeruit. Nam primitiæ (iuxta gloſam) ſunt primæ in ordine, & in dignitate.

¶ Pars datur clericis, non abſolutè, ſed clericis, qui excubant in cuſtodijs tabernaculi Domini. Nónè id uigilanter expreſſit litera? Quare hoc? Vt indè agnoſcas, quod clericis reſidentibus, ſuumque officium exequentibus, debetur annona; non autem aliter. Hinc eſt, quòd canonico non officianti Eccleſiam ſuam præbenda proportionaliter minuitur, & quandoque omnino tollitur. De hoc definitum fuit, a Leone. X. Concilio Lateranen. approbante. Vide Concilium Lateranenſe Seſſ. 9. c. 9. & Compend. Alb. li. 6. c. 3. Schol.

APPENDIX.

HInc habes, quòd clericis, ut ſic, non debetur præbenda; ſed clericis, ut ſuum munus exequentibus. Vndè non dicitur hic, quòd dent Leuitis; ſed Leuitis, qui excubant &c. id eſt ſuum faciunt officium. Nonnè & Apoſtolus hoc habet? Si nos nobis (inquit) ſpiritualia ſeminamus, non magnum eſt, ſi carnalia ueſtra metamus. Vide, quod ideò carnalia id eſt temporalia ſubſidia metunt, quia ſpiritualia ſeminant. Si ergo ſpiritualia non ſeminauerint, temporalia metere non debebunt. Secundò conſequenter habes, quòd a fortiori, non debentur uictualia religioſis non habentibus ordines; niſi horas canonicas dicant. Clerici enim ſunt in ſacris; & tamen, niſi ſuum munus faciant, uictualia non recipiunt. Eſſe autem in ſacris maius eſt, quàm non eſſe in ſacris. Tertiò conſequenter habes, quòd religioſi etiam non profeſſi tenentur ad officium (ut etiā S. Antoninus Archie. Florentinus, in ſumma De ſ[illegible]erunt, tenuit); ſi uictualia ab Eccleſia recipiunt. Quartò conſequenter & conuerſi profeſſi (ut Petrus de Palud. & S. Antoninus in ſumma maiori, tenēt) obligantur ad aliquid pro officio, ex quo ſtipendijs eccleſiaſticis potiuntur. Vltimò habes, quòd quicunque uult, ſalua conſcientia, de rebus Eccleſiæ (quæ ſcilicet uel Eccleſiæ immobiliter ſunt, ut poſſeſſionum prouentus, uel Eccleſiæ mobiliter ſunt, ut quotidianæ eleemoſynæ) uiuere, debet quoque Eccleſię, iuxta conuenientiam ſibi, deſeruire. Seruitus autem iuxta conuenientiam profeſſo eſt officium diuinum Eccleſiæ illius perſoluere. Diſcurre autem per te, & uidebis, iſta prædicta fundari in textu, adiunctis Doctoribus ſupra citatis.

RESPONSIO TAC. OBIE.

DAtur de præda clericis, qui domi manſerunt. Mirum certè! Qui enim non laborat, nō manducet. Quomodo autem in bello laborarunt, ſi domi manſerunt? Et tamen non tantùm illis quæcunque pars prædæ datur, ſed prima pars. Signum igitur hoc eſt, quòd in prælio fuerunt, ibique magnā belli partem geſſerunt. Quomodo? Orationibus ſuis, ac ſacrificijs. Plus enim contra hoſtes arma ſpiritualia, quam carnalia, proficiunt. Hoc patuit in prælio contra Amalech; ubi uictoria Moyſi oranti magis, quam ipſi Ioſue materialiter pugnanti, attributa eſt. Hoc & hic denotatum eſt, quando non tantùm pars prædæ, ſed etiam primitiua pars illius, datur ſacerdoti. Et quid eſt, quòd etiam multitudini reliquæ, quæ in bello non fuit, datur de præda? Quia reliqua multitudo domi remanens pro belligerantibus orauit. Sed quia non tam ualuerūt (cæteris paribus) preces multitudinis, ſicut preces ſacerdotis, ideo primitiua pars ſacerdoti, non autem multitudini reliquæ datur.

COROLLARIVM.

ERgo clerici debent tempore belli orare pro pugnantibus. Hoc innuatum eſt hic, quādo præda de bello concepta data eſt primo clericis. Ergo pugnantes manualiter nō debent ſpernere clericos propter hoc, quòd in pugnā corporaliter non deſcendunt. Imò debet fidere magis in orationibus clericorum de uictoria habenda, quam in proprijs manibus. Ergo laici domi remanentes debent (uel orationibus, uel ieiunijs, uel eleemoſynis, uel huiuſmodi) iuuare illos, qui corporaliter ad pugnam iuerunt. Hoc trahitur ex alio paſſu conſiderato, quòd ſcilicet etiam laicis domi remanentibus datum eſt de præda belli. Ergo quando bellum agitur, debet communiter agi. Hinc enim eſt, quòd omnes bello fauorem, modo ſuo, præſtare tenētur. Niſi enim eſſet res communis belli, non ad omnes, etiam domi manentes, pro uictoria precibus iuuare pertineret.

Text. QVi occiderit hominem, uel occiſum tetigerit, luſtrabitur &c. Et de omni præda, ſiuè ueſtimentum fuerit, ſiuè uas &c. expiabitur. Aurum, argentum, æs, ferrum &c. purgabitur &c. quicquid autem &c. aqua expiationis ſanctificabitur. Lauabitis ueſtimenta ueſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.

Concl. 4. *In prælio ſpirituali non debemus uerbis contēdere cum hoſtibus ſpiritualibus; quoniam impoſſibile ferè eſt, quòd ex illa uerborum contentione, etiam quòd tandem uinceremus maculam aliquam non contrahamus.* [Ex eo.]

Ratio. VIna. Iſti Iſraelitæ prædam ab hoſtibus ſumunt, ipſam contingunt; & tamen ex hoc aliquam immunditiam contraxiſſe denunciantur. Niſi enim contraxiſſent aliquid maculæ, non eſſet, quòd expiarentur, uel ſanctificarentur. Quid hoſtes Iſraelitarum? Hoſtes ſpirituales fidelium; ſcilicet mundus, caro, dæmonia. Cur, etiam quòd prædam ex ipſis hoſtibus acquirēt, maculoſi reddūtur aliquo pacto? Quia ex pugna ſpirituali habita uerbis in phantaſia (ut in append. ſequen. declaratur) ſuperfluè cōtendendo etiam quòd tandem uincamus, uix ſine macula ueniali euadimus. Pugna nāque noſtra talis ut plurimum aliquid imperfectionis habet, etiam quòd mortiferum in pugnando peccatum uitemus.

APPENDIX.

HInc habes, quòd parum cum aduerſarijs noſtris debemus loqui, etiam diſſentiendo a propoſitis nobis ab illis. Hoc tantum norint illi, qui in mente ſolent quaſi ſemper cū inimicis illis contendere. Illos ad primū motū allidant petræ, quæ Chriſtus eſt, ſuper cor ſuū, in ſignū. i. in proteſtationem non conſenſus, crucis ſignaculū ſtatim faciant; poſtmodū inimicis huiuſmodi tentantibus reſpondere dedignentur. Sic fiet, ut ſecurius, abſque leui etiam macula, ex prælio uictoriam reportent. Exemplum (hoc etiam ſi recte memini, habuiſti ſupra) clarum aſſumere de ſponſa. Si enim ſponſa uiro ad malum ipſam inuitanti multis uerbis reſpōdeat, ſuſpecta, etiam quòd bona dicat, redditur. Quid ergo debet facere? Vt primum malum illum uirum audierit, claudat hoſtium, claudat feneſtram, indignabunda recedat, & fidem ſibi ſancti matrimonij proponat. Sic & animę Chriſtianæ faciendum eſt, cum ſuorum quempiam inimicorum uel leuiter inſurgere ſentit. Claudat oſtium oris ſui, indignatam faciem auertat ab illo, ad Chriſtum ſuum uerum ſponſum faciem ſerenam attollat. Sic fiet, ut maculam nullam ex uictoriæ præda contrahat. Vide Gen. 3. conc. 3. & uicis ſim iuuaberis. Secundò habes, quòd ex actis, uel factis, uno

fide-

fidelium, ſeu malorum quorumcunque, debemus nobis deſeruire in his ſolummodo, quæ bona ſunt, reſecando interim omnia, quę uel ſunt mala, uel mali ſpeciem habent. Hoc denotat illud, quòd expiātur ab hoſtibus accepta, antequam in uſum iudæorum admittantur, diſt. 37. cap. Qui de menſa & cap. Si quid ueri.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXXII.

NVnquid fratres ueſtri ibūt ad pugnam, & uos hic ſedebitis? &c.

Concl. 1. *Pro inconuenienti magno habetur, quòd aliqui de una ſocietate uelint non participare de tribulationibus, laboribus, iuſtis guerris, cum ſocietate illa.* [Ex eo.]

IPSI de tribu Ruben, & Gad erant de corpore uno, ſcilicet Synagoga illa, aliſque ſunt Moyſi, uelle ſeipſos abſentare a pugna imminente toti congregationi. Quid fecit Moyſes? Hac æſtimatione audita in iram bonam concitatus eſt, eoſque à tali uoluntate multipliciter, reprehendentis more, compeſcuit. Propoſuit nanque primò; quòd hoc erat dedecus magnum, nolle ſcilicet cum alijs de corpore ſubire labores. Nunquid (inquit) fratres ueſtri ibunt ad pugnam, & uos hic ſedebitis? Quaſi dicat. Hoc maximè dedecet; etiam in cogitando, & de hac cogitatione debetis uos præ rubore confundi. Propoſuit illis ſecundò, quòd hoc uelle erat ſubuertere mentes filiorum Iſrael, ne tranſire audeant ad locum à Deo promiſſum. Cur (inquit) ſubuertitis mentes filiorum Iſrael &c.? Quaſi dicat: Etſi hunc finem, ſcilicet Iſraelitarū mentium ſubuerſionem, ex hac ueſtra petitione non intenderetis; tamen id ad ueſtram petitionem facillimè ſequeretur. Vnde uos de hac ſubuerſione culpandi eſtis; quoniam prœuidere debueratis, quidnam ad ueſtram poſtulationem ſequi poterat, antequam poſtularetis iſtud. Sic ergo, ſiue formaliter, ſiue materialiter, ſinis præmiſſus ſequatur; culpandi omninò etiam de hoc, eſtis. Nam tam apertum eſt quòd ad petitionem ueſtram ſequi poterat populi mentis ſubuerſio, ut actus cedat in naturam ſuæ formæ. Tunc enim taliter accidit, quòd ſcilicet actio cedit in naturam ſuę formæ; quando per ignorantiam nimis craſſam attendere paruipendimus ad ea, quæ conſequuntur, & maximè ſi alias conſecuta ſint. In propoſito autem eſt ſic. Nam patres ueſtri prius ex abſentatione ſimili (ſupra 13.) mentes Iſraelitarum ab ingreſſione terræ amouerunt. Vos igitur excuſati non eſſetis, id petendo, de inconuenienti perturbationis ſecuturo; quoniam ultra hoc, quòd de natura ſua ad ſimilē poſtulationem ſequitur populi pręmiſſa ſubuerſio, exemplum huius ſequellæ habuiſtis in patribus ueſtris. Propoſuit illis tertiò, quòd tale quid maximè diſplicebat Deo. Hoc autem ex euentu probauit tali, quod ſcilicet Deus illos patres a uiſione poſſeſſionis terræ priuauit; inſuper & illam generationē in multa fatigatione conſumpſit. Propoſuit igitur quartò conſequenter illis Rubenitis, & Gaditis, quòd a Deo miſerabiliter occiderētur, ſi talem poſtulationē ſic præciſè proſequi attentarent. Propoſuit quintò illis, quòd Caleb, ac Ioſue ex oppoſito patrum illorum, & conſequenter petitionis nunc ab eis propoſitæ, facientes remunerati à Deo ſunt, & conſequenter uoluntatem Dei, ſic faciendo, impleuerunt. Voluit ergo per hoc quaſi dicere Moyſes: Veſtra petitio eſt cōtra uoluntatem Dei, pœnamque meretur, ſicut illorū duorum actio fuit ſecundum uoluntatem Dei, ac pręmiari promeruit. Propoſuit ſextò illis, quòd in hoc erant illi incrementa, & alumni hominum peccatorum, & quòd ſic loquēdo, furorem domini cōtra totū Iſrael augebant. Vidiſtin unquam Moyſen tàm furibundum; tam ita percitum, tam reprehenſorem acerrimum? Et tamen erat mitiſſimus. Ergo niſi petitio huiuſmodi (ſi abſolutè, ut ipſe intellexit, & illi forſan primò intellexerunt, intelligeretur) illicitiſſima eſſet; ad eamque deſtructio maxima bonorum, maximaque malorū conſtructio, ſequeretur, ne credas tàm mitiſſimum hominē tantopere accenſum fuiſſe. Propoſuit ſeptimò, quòd ſi noluiſſent ab iſta poſtulatione reſipiſcere, futuri erant cauſa necis omnium in ſolitudine. O quàm peſſima igitur cogitatio illorum, ſi per hoc laboribus ſui corporis communicare recuſarunt.

APPENDIX.

HINC habes primò, quòd multò magis dedecet, nolle capitis ſui Chriſti chriſtianos paſſionibus communicare, atque quòd ad hanc illicitiſſimam uoluntatem multa abſurda, quorum omnium ipſi ſic nolendo cauſa ſunt, faciliter conſequuntur. Secundò habes, quòd hoc nolle Deo maximè diſplicet; & tantò magis, quantò terra uiuentium potior eſt terra promiſſionis. Ideo nanque Deo iſtorum cogitatio diſplicebat, quia toti Iſrael uoluiſſet promiſſionis terram donare. Cū igitur magis terram uiuentium fidelibus dare deſideret, faciendum eſt, quod multò magis illud nolle prædictum diſplicet altiſſimo. Tertiò habes, quòd Lutherus hoc ipſum, quod hic tam uehementer abhorret Moyſes, dogmatizare non erubuit; ignarus, atque indoctus ſacrarum litterarum. Quòd modo dogma intulit? Quòd pœnalia opera exequi non tenemur, nō debemus, imo quod iniuriam, illa exequendo, facimus Chriſto, ut qui Chriſtus pro nobis affluentiſſimè ſatisfecerit. Neſciebat iſte miſellus, aut neſcire ſe fingebat, quòd opera pœnalia aſſumere debet Chriſtianus, nō ut ſatisfactionem Chriſti faciat ſufficientem; ſed ut Chriſto capiti ſuo ſe, ſuam qualemcunque ſatisfactionem apponendo, conformet. Demus interim, non concedendo (Nam opera noſtra, iuxta ſenſum catholicum etiam ſatisfactoria ſunt Concil. Tri. ſeſſ. 14. cap. 8. & can. 13, Add. q. 12. 13. &c.) quod opera noſtra pęnalia nō ſatisfacerent; nonnè ad hæc ad ipſa ſudeūda tenebimur, aut ſaltē ex pęnalitatū uoluntaria aſſumptione laudabimur? Vtique. Nam ſicut indecens, atque illicitum eſt, capiti fatigato nolle conformari; ita commendabile, ac licitum eſt, tribulato capiti uelle conformari. Si nanque Moyſes commendabile reputauit, quod Rubenitæ cum Gaditis fratribus laborātibus conformarentur, & uituperabile duxit oppoſitum etiam cogitare, multò utique magis iſtud lutheranum dogma abhominatus eſſet, quo capiti laboranti nos adaptari compatiendo nolunt; & chriſtianum documentum pro ſuauiſſimo deguſtaſſet, quo prædicant, ſub capite ſpinoſo non decere membrum fieri delicatum. Capiti nanque, tanquàm digniori, plus obligamur, quam cæteris membris: quādoquidē & experientia teſte ſentimus, quod dolente capite cætera membra languent; non autem ſic eſſe conſpicimus in cæteris membris ad inuicem. Exempl. Et quid amplius? Adeo iſta lutheranorum ueſania increbuit, ut nec in die paraſceues Chriſto patienti, uerbis, corde, aut lachrymis, compati uelint; imo de hoc ſcrupulum ſibi, alijsque faciant, ſi compaſſionem talem non dico habuerint, ſed etiam ſi habere deſiderauerint. O ingratiſſimi filij. Imo non Chriſti filios, ſed Antichriſtos rectè appellauerim. Quis enim filius patrem uideat, uel audiat, in furca ſuſpenſum; & non doleat, & non gemat, & non compatiatur? Quod ſi nō fecerit, non uerus filius, ſed ſuppoſititius adulterinus nothus, ſeu fictus nuncupabitur in uero iudicio. Hic ubi (prudens lector) Salomonis factum admirabile in ſimili caſu occurrat. Quodnam factum? Illud, quo ueram matrem infantuli uiui, duabus meretricibus garrientibus, adinuenit faciliter. Exempl. Quomodo fecit? Ad commotionem uiſcerum mulieris ſuper diuum comminatum in filium aſpexit, & ex hoc effectu ad cauſam cognoſcendam, ſcilicet ad matrem infantuli, infallibiliter aſcendit. 3 Reg 3. Cuius enim uiſcera ſuper damno filij comminato commoueri uidit, hanc eſſe matrem infantuli percepit: cuius autem è contrario nullam compaſſionem, imo iucundam exultationem, ſuper hoc facto didicit; hanc non eſſe matrem infantuli protinus enunciauit, ac pro ueriſſimo iudicio a toto Iſraele acceptatum fuit. Ex prædicta Salomonis ſententia quid habes? Quòd Lutherani & ſimiles non ſunt ueri filij Chriſti, ſed contra filios Chriſti; non ſunt pro Chriſto, ſed contra Chriſtū; non chriſtiani, ſed antichriſtiani. Qui ſcis iſta de illis? Ex præmiſſo ipſorum dogmate, Salomonis iudicio iuncto. Audi. Dogmatizant illi, (ut prætactum eſt) ut non compatiamur Chriſto paſſo nec etiam lachrymis: ergo nec ipſi compatiuntur Chriſto; imò nolunt compati; imò gloriantur, ſe non compati. Iſtud eſt factum illorum. Tu qui Salomonis uerum iudicium ab effectu ad cauſam ſupra uidiſti, quid inquies? Ex effectu utique ad cauſam agnoſcendam,

à tanto ſapiente inſtructus, aſcendes & tu. Quomodò? Si horum uiſcera non commouentur ſuper mortem, nō tectatam ſolum (ut illius infantuli) non breuiſſimam ſolùm (ut fuiſſet illius paruuli), non abſque ignominia ſolùm (ut illius pueruli, ut pote nōdum cogitatione ignominiæ habentis) ſed mortem de facto illatam, mortem prolixā, mortem ignominioſam; non infantuli, ſed creatoris ſui, ſed redemptoris ſui, ſed largiſſimi per ſingula momēta benefactoris ſui, ſi (inquam) ſuper talem mortem non commouentur horum uiſcera, ſignum hoc eſt, quòd nō Crucifixi huius filij, ſed inimici eius, exiſtunt. Inimicorum enim eſt lætari de morte alterius. Nūquid non illi lætantur in die (ut dictum eſt) paraſceues? Hæc dies, inquiunt, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur

5 in ea. Quintò habes, quòd contra iſtos lutheranos ſic dogmatizantes Moyſes, & conſequenter omnes ſimiles Moyſi, exurgere debent; eorumque ſequellam uarijs modis compe

6 ſcere. Sextò habes, quòd hi ſunt incrementa, & alumni peccatorum; & quòd ſic docendo augent furorem Domini contra populos omnes illis ipſis credentes; & quod conſequenter ſunt cauſa necis omnium iſtorum populorum. Peſſima igitur talium lutheranorum præmiſſa doctrina eſt; tùm quia in ſe mala, tum quia tantorum malorum cauſa eſt.

2. ¶ Applica ad ly (Euangelium) Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Vel ad ly (Euangelium) Abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidiè &c. Ecce, quia Chriſtus paſſus eſt, & nos pati debemus. Tollat (inquit) crucem ſuam, & ſequatur me. Non ait, Et præcedat me. Si enim hoc diceret; mōſtraret, quod nos debueramus pati, antequam ille pateretur; ſed poſtquam ille paſſus fuiſſet, non deberemus forſan pati. Hoc namque remanſiſſet in dubio. Nunc autem per ly Et ſequatur me, totaliter hoc dubium excluditur. Si enim ad inſtar illius debes tollere crucem (Nam hoc eſt, accipere crucem tuam, & ſequi eum), utique ſupponitur per hanc locutionem, quod ipſe Chriſtus iam prius tulit crucem. Niſi enim hoc ſupponeretur, ſolummodo diceret Chriſtus, Talis tollat crucem ſuam amore mei. Nunc autem dicit: Poſtquam ego tuli crucem meam, & ipſe tollat crucem ſuam. Id quòd ad Zebedęi filios (quamuis ſibi conſobrinos) apertiùs intimauit ibi; Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ac ſi dixiſſet. Mea bibitio calicis non excuſabit uos ab hoc, quòd non debeatis bibere calicem amore mei; ſed magis inuitabit uos ad hoc. Vt igitur eamus in paradiſum, duo neceſſaria fore monſtrauit; paſſionē ſcilicet ſuā, & paſſionē noſtrā ad ſui imitationē aſſumpta. Præcedit ergo Chriſti paſſionē, & tamē noſtram cuiuſque neceſſario ſubſequi, ſi ſaluari uolumus, demonſtrat his uerbis Chriſtus. Vel &c.

Text. C Vr ſubuertitis mentes filiorum Iſrael, nè tranſire audeant &c. & uos cauſa eritis necis omnium.

Concl. 2. *Vnius, uel paucorum defectio ab aliquo negocio eſt cauſa, quod multi deficiunt ab illo negocio.* [Ex eo.]

Ratio. I s t i duo ſi remanſiſſent, quàm tranſiſſent Iordanem; totius Iſrael ad illorum exemplum timuiſſet tranſire, ut inquit Moyſes. Conſequenter ergo hi, etiam non tale damnum intendēdo, fuiſſent per factum ſuum cauſa omnium malorum ſequentium, & conſequenter rei omnium.

EXAMEN.

SI penetrare cupis, quantum hominibus ſanctis, & conſequenter Deo diſpliceat ſcandalum, inſpice, quæſo, quantum hic contra iſtos monſtrat ſe Moyſes exacerbatum. Hicque aduerte, quòd nondum euenerat ſcandalum; ſed tantùm in periculo ueniendi erat. Quantum igitur magis Moyſen zelo Dei uidiſſes contra iſtos ardentem, ſi ſcandalum de facto accidiſſet? Maximi momenti eſſe ſcandalum etiā de propinquo imminens iudicauit Moyſes, ea quo ad ſolum auditum tantis rationibus, increpationibus, cōminationibus, ut ipſum impediret, uſus eſt. De quibus ſupra in ration. concl. 5. capitis huius. Iterum aduertas ex littera, quòd nolentes laboribus Chriſti capitis communicare nolunt per hoc intrare terram promiſſam. Suadere hoc alijs nihil aliud eſt, niſi uelle illos alios à terra promiſſionis arcere. Vide ergo, quantum uenenum lateat in hac Lutheri doctrina, cum dicit; quòd Chriſto paſſo, non eſt neceſſe, ut conformemur in paſſionibus. Quid ergo? Ipſe, ſic docendo, nec intrare uult regnum cœlorum; nec alios. Ipſe, tali ſuo dogmate, oſtendit, quòd ſimilis (nam miniſter eius in hoc eſt) exiſtit draconi, qui è cœlo cadens traxit ſecum tertiam partem ſtellarum. Ab oppoſitis quoque huius arguere memento, quòd qui docet, nos Chriſto capiti in paſſionibus conformari debere, is noſtram ingreſſionem in patriam cœleſtem deſiderat. Et conſequenter is intrat per oſtium, non (ut Lutherus) aliundè; ac proinde non lupus (ut ipſe) ouium mactationem quærens, ſed paſtor de ouibus curam ſaluberrimam gerens. Sancta igitur Eccleſia Romana doctrinam præmiſſam contra Lutheri dogma nobis afferens pro matre pijſſima habenda eſt: Lutherus verò cum ſuo dogmate impijſſimo procul ab orbe pellendus.

S In autem quod dicitis non feceritis; nulli dubium eſt, quin peccetis in Deum. Text.

Concl. 3. *Peccatum certiſſimè eſt promittere aliquid momenti notabilis maximè prælato (in hoc intellige etiam confeſſorem); & poſtmodum non adimplere.* [Ex eo.] Ratio.

R v b e n i t æ, & Gaditę promiſerant Moyſi id, quod habet littera. Vndè ait Moyſes: Si uos, quod promittitis, nō facitis, proculdubio in Deum peccabitis. Nō in me (inquit) ſed in Deum. Nam qui offendit miniſtrum, offendit illum, cuius miniſter eſt. Et quia promiſſio facta miniſtro intelligitur facta ei, cuius eſt miniſter: ideò & offenſio, qua tranſgreditur promiſſionem miniſtro factā, uniuerſorum iudicio, eſt offenſio facta contra miniſtri dominum.

S Citote, quoniam peccatum ueſtrū appræhendet uos. Text.

Concl. 4. *Impoſſibile eſt effugere pœnam peccati illi, qui peccauit.* [Ex eo.]

V i d e, quid hic dicat Moyſes, & lacce darius apparebit cō- Ratio.
cluſio iſta Scitote (inquit), quoniam peccatum ueſtrum appræhendet uos. Hoc eſt: Vos credentes effugere, & facto, quantum poteritis, fugere conabimini, pœnam peccati, poſtquam peccaueritis: & tamen nihil uobis proderit.

EXAMEN.

M V l t a hic annotanda ſunt. Primò quòd proprium 1
eſt peccatoribus nolle ſubire pœnā pro peccato. Ideò enim dicitur, quòd peccatum appræhendet eos, ad inſinuandum, quòd ipſi fugient. Quare autem fugient? Quia nollent à peccati pœna inueniri. Ratio uerò, cur peccatoribus ſit proprium peccati pœnam recuſare, eſt, quia peccatum eſt ſecundum uoluntatem, pœna autem contra uoluntatem. Impoſſibile hinc fit, quòd peccator, dùm manet peccator, uelit acceptare pro peccato pęnam. Nam ſi hoc uellet; iam inciperet non eſſe peccator. Secundum namque uoluntatem ſuam eſſet id, quod opponitur peccato; tantùm abeſt, ut peccator ſecundum ſuam uoluntatem exiſteret. Cùm ergo nullus ſit formaliter peccator, niſi cui ſecundum uoluntatem peccatum placet; & nulli poſſit ſimul placere peccatum, peccatique oppoſitum, patet, quòd impoſſibile eſt peccatorem formaliter uelle peccati pœnas. Secundò cōſequenter nota, quod hinc pro- 2
cedit omnium damnatorum continua blaſphemia: Diligunt enim illi ſua peccata, & ea (ſi poſſent) reiterare uellent; iccirco oppoſitum ſuis peccatis, id eſt pœnas, non odire non poſſunt; tantū abeſt, ut ipſas pęnas uoluntariè acceptare queāt. Ipſum autē odium, quo ad pœnas, quibus afficiuntur, trahit eos in odium uerſus inflictorem pœnarum illarum, & hinc oderunt, quod Deus tātam habeat ad puniendum ſeipſos potētiam. Hæc autem uocatur blaſphemia, utpotè nolle attribui, imò uelle remouere ab ipſo Deo, quod Deo cōuenit. Non diligat itaque peccata ſua; & pœnas, conſequenter quoque pęnarum inflictorem, diligent; ac per conſequens illum non blaſphemabunt. Impoſſibile modò eſt, quòd peccatis ſuis modo dicto non afficiantur (cùm eorum uoluntas ſit obſtinata in malo. Add. q. 98. ar. 1. 2. cum Elucid.) & conſequenter impoſſibile ex ſuppoſitione eſt, quòd in blaſphemia continua non perſeuerent.

ſeuerent. Hinc etiam fit, ut pœna illa nunquam deſitura; ſed permanſura ſemper certiſſime credatur. Vide ergo, quòd uoluntas malorum damnatorum ſuam pœnam cauſat, ſuã blaſphemiam cauſat, ſuam in pœnis perpetuitatem cauſat. Ideircò S. Bernardus habet: Aufer uoluntatem, & non erit infernus.

3 Tertiò conſequenter ab oppoſitis aduerte; quòd ſignum contritionis in peccatore, idest quòd incipiat non eſſe peccator, eſt, quando pœnam pro peccato uoluntariè acceptat. Si enim diligit modo dicto peccato oppoſitum; quomodo peccatum ſimul diligere poterit? Hoc ſignum contritionis in latrone dextro uidiſti. Quid dixit ille latro? Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus. Econtrario ſiniſter ille ait: Salua temetipſum, & nos. Innuebat ergo ſiniſter, quòd pœnã inuoluntariè patiebatur (ut ex dextri reſponſione ſupradicta habes); & ideò incontritus cognitus a nobis eſt; cuius totum contrarium in dextero uidemus.

COROLARIVM MAGNVM.

ERGO non eſt alicui ſperandũ in iniquitate; ſed omnibus eſt deſperandum de iniquitate, quod tandè ſibiipſis bonum aliquod eueniat. Ergo qui facit peccatum, facit ſibimetipſi hoſtem perpetuum, & quem euadere nõ poſſit, quin ſibi noceat. Ergo peccator eſt iumento inſipientior. Licèt enim iumentum in magna miſeria exiſtat, utpotè ſemper ligamina ſecum portans; tamen nunquam iumentum ſibi ligamina facit, aut ponit. Quis autem ligat peccatorem, niſi ipſemet, & non niſi ligaminibus, quę ipſe idem operatus eſt? Taceo; quòd ligamina, quibus ſtringitur peccator ſunt abſque ulla comparatione duriora, inextricabiliora, et diuturniora, quàm ligamina iumentorum inſipientiſſimorum. Ergo peccatum dũ peccat, facit ſoſetium fugitiuum, pro tempore perpetuo. Ergò peccatum perſequitur ſemper peccatorem. Niſi enim perſequeretur continuè; hic non diceret Moyſes: Peccatum ueſtrum appręhendet uos. Niſi etenim peccatum inſequeretur peccatorem, non appręhenderet eum. Nã fugit peccator peccati ſequellam pœnalem. Quomodo autem fugientem quempiam apprehendere uales tu, niſi ipſum inſequaris; & ſemper fugientem, niſi ſemper inſequaris? Nam peccatum peccatorẽ ſemper inſequitur. Peccator enim ſemper fugit flagella peccati, cum ſemper uoluntatem ad ipſa flagella renitentẽ habeat.

EXAMEN.

1 IN littera notandum ly Scitote. Monſtratur enim hinc, quòd qui ſcit profunde conſiderat, peccatum ſuum, ſe tandem appręhenſurum niſi prouideatur in contrarium, is faciliter abſtrahet à peccato. Hoc namque uerbum (.ſ. ſcitote &c.) dixit Moyſes, tanquã ualidiſſimum medium ad retrahendum à peccato etiam præcœpto. Bonum eſt ergo conſiderare hũc finem, ſeu exitum, ſi uolumus peccata, etiam præconcepta, dimittere. Eſt ergo puniendus peccator non tantũ, quia peccat; ſed etiam quia per hanc profundam conſiderationem peccatum uitare potuit faciliter, & non uitauit. Item notandum, quòd ly Scitote dicit certiſſimã opinionem. Quaſi dicatur. Cõſideretis; quòd talis euentus certiſſimè eueniet. Scientia nanque, quam ly Scitote importat, certiſſimam cognitionem dicit. Ex hac autem, quòd certiſſimè cognoſco aliquid mali mihi euenturum, fit, ut in ea conſideratione (ut ita dicam) totaliter immergar. Duobus igitur his modis ſi ſcientis, quòd peccatum apprænendet te, non dubito, quin à peccato reſilias. Aureum

2 Secundò notandũ ly Appræhendet. Hæc nanq; apprehenſio dicit inopinatum, i. quod non credis, malum. Quaſi dicatur: Eo tempore, quo non credit peccator, à pœna peccati comprehendetur. Et de hoc habes mille teſtimonia in ſcripturis ſanctis, puta quòd dies iudicij tanquam fur in nocte (uide. Non tantùm, tanquam fur, ſed tanquam fur in nocte. Hoc fit ad denotandum inopinabilitatem iudicij tunc inſtantis) ueniet; quod neſcimus diem neque horam; quod quando dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus; & ſimilia. Hinc miſeriam peccatoris grãdem attende, quod .ſ. non tantùm a peccati ſui flagellis (de ſynderesi, reputè quam præſuppono, magna pœna non loquor) certiſſimè apprehendetur; ſed etiam tunc, quando ſe ab huiuſmodi flagellis magis immune opinabitur. Duplex itaque in hoc ſecundo (.ſ. ly Apprænendet) innuitur flagellatio. Quæ? Et poſitiua, & priuatiua. Poſitiua quidem, quia punitio (puta infirmitas mentis cęcitas &c.) aderit; priuatiua autem, quia in die peccatori iux inopinionem ſuam commodũ ueniet; hoc eſt, quando præ ſecuritate ſua (ut altera Hieruſalem Luc. 19.) ſibiipſi non timebit. Si enim in die peccatori læto ueniet, utique priuabit ipſum ſolatio tunc, nunc habito. Habebit peccator igitur bolum in bucca; & ex bucca eius peccatum illum auferet, iuxta illud Pſal. 77. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Hoc ut ſit eſt maximè priuatio; ſeu maximum priuationis malum. Magis enim dolet de bono amiſſo ille, qui propius habuit ſe ad illud, quam ille, qui ab illo ſe habuit remotius.

NOTATIO.

CONCLVSIO habet, quod pœnam peccati nullus euadere poteſt. Hoc ſic intelligas. Quomodo? Quòd per pœnam peccato debitam includes etiam contritionem de peccato, aut pœnitentiam uoluntariè aſſumptã. Si enim noſmetipſos iudicauerimus (Apoſtolo teſtante); non utique à domino iudicabimur. Hac ſententia, ut uides, innuit Apoſtolus, quòd pœnæ uoluntariè aſſumptę pro peccatis noſtris computãtur inter pœnas ex iuſtitia diuina peccatis noſtris debitas. Reſtat igitur, ut peccator non poſſit euadere, quin per ſemetipſum conteratur, affligaturque, aut a Deo per quẽcunque alium modum ſibi Deo placitum caſtigetur.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXXIII.

EGreſſi ſunt de Ægypto in manu Moyſi & Aaron. Text.

Concl. 1. *Dominus ordinariè extrahit aliquem à peccato, obedientia duce cauſa ſecunda.* [Ex eo.]

POTERAT utique Deus ſine cauſa ſecunda populum ſuum de Ægypto liberare, ſed noluit. Quare? Vt oſtenderet, quòd humilitatis uia eſt optimum medium ad hoc, ut illum tenemur. Et quid humilitas hic, niſi ſuperiori morem gerere? Vide. Iſraeliticus populus Moyſi morẽ gerendo de Ægypto educitur. Sic & nos morem gerendo prælatis noſtris, ex tenebris eruimur, & ſeruitute peccati. Ægyptus nanque tenebra interpretatur; & ibi Iſrael Pharaoni ſeruiebat. Ratio.

APENDIX.

HINC habes, quòd faciliſſima uia ad euadẽdum laqueos in tenebris poſitos demonum, eſt obedire ſuperioribus. Difficile igitur decipi poteſt is, qui obedientiam erga prælatos ſibi a Deo datos tenet. Quocontra facilè ſemper decipitur is, qui obedientia dimiſſa, ex ſe à laqueis diaboli euadere tentat. Vnde B. Antonio mundum laqueis plenum uidenti, & præ timore uiſionis clamanti; O, quis euadet iſtos laqueos? Reſponſum eſt, quòd ſola humilitas laqueos illos tranſiliebat. Audiuimus modò ſupra, quòd uera humilitas 1

eſt ſub obedientia propter Deum uiuere. Secundò habes, quòd 2

ideò obediẽs difficile cadit, quoniam eſt in manu forti, idest in manu ſuperioris, & conſequenter Dei. Conſequenter ergo Deus magnam habet prouidentiam de illo; qui obedientiæ ſemitam arripit, & in ibi perſeuerat. Nam hoc per eſſe in manu alicuius ſignificatur. Tertiò habes, quod ea obedien- 3

tia poteris, multa, quæ ſine obedientia attingere non ualebis. Quod habetur in manu ab aliquo, nonnè portatur ab illo? Vtique. Obediens (ut in littera uidemus) eſt in manu ſuperioris (Quomodo enim egrederetur de Ægypto in manu Moyſi, niſi eſſet in manu ipſius) & conſequenter in manu Dei. Quomodo ergo non poterit portari obediens in omnem locum, in quem ſibi mandatur, ut uadat? Quartò habes, quòd obediens non poteſt unquam perire. Nemo (inquiebat Chriſtus) poteſt rapere de manu patris mei id, ſcilicet quod eſt in manu ſua. Cum igitur obediens ſit in manu Dei. Quomodo rapi ab hoſte poterit, atque ideo perire? Ob hanc rationem dixerunt ſancti patres, quod ſecura, ac regia, uia obedientia eſt.

COROL-

COROLLARIVM MAGNVM.

NE expectet igitur quiſpiam illuminari à Deo immediatè, aut ſibi Angelum pro inſtructore deſtinari, ſi hominem ſuperiorem, ad cuius conſilium regi poſſit, habeat. Hoc enim eſſet quoddam tentare Deum, id eſt uelle, quòd Deus ſuccurrat homini miraculo, cùm aliundè ſibiipſi homo ex Dei ordinatione ſuccurrere ualeat, uiſibilē ſcilicet ſuperiorē audiendo. Huc pro confirmatione accedit factū Abrahę erga diuitē epulonē, atque faſtoſum. Quid ipſi roganti, ut mitteretur quis de cęlo fratribus ſuis penitus in melius commutāda, reſpōdit Abrahamus? Moysē (inquit) habēt, & prophetas; audiāt illos. Ac ſi patenter diceret. Vanum eſt illi, cui de uiuis rectoribus prouiſum à Deo eſt, alterum uitam degentes pro directoribus expetere. Si namque uiuos ſibi aſſignatos non audit, neque mortuos ad ſui ſalutem audiet. Scis, quid ex his innuere Abrahamus uoluerit? Quod ille, qui Deū propter Deū ſeruit, à quocunque ſibi Dei uoluntas intimetur, non diſcernit. Quòd ſi hoc diſcreuerit, ſignum dat, ſe Deo propter Deum non obedire. Quid enim intereſt, ſi mihi Deus uoluntatem ſuam ſanctam, uel per nobilem, uel per ignobilem, uel per ignobiliſſimam, uel per uiuam, uel per mortuā, creaturam declaret? Nolebat Apoſtolus, quòd Chriſtiani diſcernerent cibos; & prædicabat, quod, ſi quis diſcreuerit eſcas, prope interitum eſt. Quid à ſimili, ſeu à fortiori, huiuſcemodi uerbis intimabat? Quòd circa ſeruitiū Dei, quod præſertim in obedientia ad ſuperiores conſiſtit, ſimpliciter ambulandum eſt; non autē tali pacto circa obedientiam diſcernendum; uidelicet ſi mihi Angelus de cœlo, uel aliquis defunctus, apparens hoc eſſe ſecundum Dei uoluntatem intimaret, continuò id facerem: nunc autem ſolus hic homo ſuperior, de quo multa mihi ſuſpicio; utrum ſcilicet id mandatum benè conſiderarit, an ſubitò, ac præmeditatus id iniunxerit; utrum ſcilicet uel à ſeipſo; uel à neſcio quo alio conſultore ad id mandandum moueatur; utrum, ſi meas nouerit ad id implendum uires, me uideo difficilem ad obediendū exhibeo. Nunquid non in his, & ſimilibus, diſcretionē ſubdit mala, & magnam uides circa mandatum? Et ſcias, pro certò, quòd quanto maior eſt iſta diſcretio, tantò deteſtabiliores, atque omni periculo periculoſiores ſunt. Habent (inquit) Moyſen, & prophetas, audiant illos. Hoc eſt. Habent homines uiuos, puta prædicatores, lectores, ſuperiores, qui aliis, ipſis exponunt uoluntatem diuinam in Moſaycis, propheticiſque libris, digeſtam; homines illos uiuos audiant, id eſt illis obediāt. Quòd ſi noluerint, hinc agnoſce, quòd nec è cęlo uenienti nuncio credent, id eſt obedientiam præſtabunt.

¶ Quid præſumptuoſius, quam uelle ſeire magis expediens tui, quam ſciat Deus? Poſuit te Deus in manu alterius; Et tu te uis ponere in manu alterius, atque ex manu illius à Deo tibi dati eximere? Aduertas, quòd ut primum è manu ſuſten tātis teipſum abſtuleris, ruinam uis eius des. Quo enim magis puer è manibus matris exit, hoc magis, utpote non ualens per ſe ſubſiſtere, caſui appropinquat. Idem ſentias de uaſe fictili: Ab his exemplis edoctus, litteram hanc ſecreta præmiſſa nobis innotuiſſe, uidebis, dum ait, Iſraelitas in manu Moyſi fuiſſe eductos, & conſequenter omnes inferiores in manu ſuperiorum exiſtere. Tunc enim fuit, ac ſi dixiſſet ſubditorum cuique. Nè à mandato prælati declines, quoniā (tanquam uas è manu, aut puer tenellus) ſubitò decides, & forſitan confringeris in totum.

Text. QVòd ſi nolueritis interficere habitatores terræ, &c. erunt uobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur uobis in terra habitationis ueſtræ, & quicquid illis cogitaueram facere, uobis faciam.

Concl. 2. *A ſcandaloſis hominibus, & malis ſocietatibus, debemus totaliter abſtinere; aut (ſi fieri, abſque periculo noſtræ infectionis, poteſt) eos ad bonam frugem reducere. Alioquin erunt ruina noſtra, & corporalis, & ſpiritualis.* [Ex eo.]

ISTI, qui occidi iubentur à Domino, erant mali homines; & malæ ſocietates, atque ſcandaloſæ. Per occiſionē uerò nunc tēporis reſpectu cuiuſq; quid intelligere debes, niſi occiſionis effectum? Occiſionis modò effectus eſt ſeparare occiſum totaliter à conuerſatione humana. Ille ergo interficit aliquem ſcandaloſum, aut ſocietatem malam, qui ab illius, uel iſtius, commercio totaliter abſtinet. Illi enim mortuus eſt hoc; ac ſi homo hic ſcandaloſus, aut mala hæc ſocietas, non inueniretur. Licèt namque adhuc in ſe uiuat illa mala ſocietas, tamen illi uiro non amplius uiuit. Quare? Quia nullum negocium uir ille cum hac ſocietate habet. Alio etiam modo poteſt quis (ut tangit concluſio) malam ſocietatem licitè admodum interficere. Quomodo? Formaliter illam ſumendo, id eſt ut peccatum continet in ſe. Si enim deſtruxeris illius peccatum, iam ſocietatem illam formaliter deſtruxiſti. Peccatum namque eſt, tanquam forma, à quo peccatrix iſta ſocietas peccatrix, ſeu mala, uocatur. Tunc autem huiuſmodi fit deſtructio ab aliquo; quando homines mali prædicti ad bonam frugem, malo dimiſſo, reducuntur. Quis iſtū modum interfectionis non approbet, & interfectione hanc non tantum bonam, ſed etiam primo illo meliorem, dicat? Melius eſt enim non tantum ſe in bono conſeruare (quod prior interficiendi modus agebat) ſed etiam cum hoc alios à malo ad bonum reducere. At prior modus magis imperfectis conuenit, poſterior uerò perfectioribus; & ideo in concluſione appoſita eſt conditio hæc: Si fieri abſque &c. Nam imperfecti facilius à malis peruertentur, quam conuertant malos eo, quòd in ſpiritualibus exercitijs parùm fixi ſunt. Perfectiores uerò uerìſimilius malos conuertent, quam ab illis peruertantur. Erunt (inquit) uobis, quaſi claui in oculis &c. Ecce ruina ſpiritualis, & corporalis. Per oculos intellige uitā ſpiritualem, per latera corporalem, cum utique oculi ſpiritualiores ſint lateribus. Intelligitur ergo ſic, quod ſcilicet ſi altero modorum præmiſſorum interfecerimus malas ſocietates; paulatim ex talium commercio mentales oculos amittemus, atque obcæcabimur. Hæc eſt ruina (ut patet) ſpiritualis, & maxima, quantò oculi ſunt nobis cæteris ſenſibus chariores. Item niſi altero modorum occiderimus illas ſocietates, corporalium rerum ſubſidijs paulatim priuabimur. Lateribus enim homo ſuſtentatur, atque his utrinque nè diſſoluatur, conſtringitur. Quocirca per laterum lanceationem inſinuatur rerum ſuſtentantium diſſolutio. Et aduerſabuntur (inquit) uobis in terra habitationis ueſtræ. Hoc eſt: Societates huiuſmodi præcludent uobis regnum cęlorum, & uiam ad illud peruertent in uobis. Et quicquid (inquit) cogitaueram illis facere, uobis faciam. Hoc eſt. Ob tales ſocietates ira mea contra uos excitabitur, nec conquieſcet? donec uos in miſeriam illis conſimilem, meo iuſto iudicio ſic exigente, adducat. Quid peius, quam uiuere ſub ira Dei? Nihil ergo ſocietate mala peius, damnoſius, deteſtabilius.

APPENDIX.

HInc habes primò duos modos bonos occidendi aliquem, quos quælibet perſona priuata licitè exequi ua- 1
let. Prior tamen (ut diximus) ſecurior eſt, ac magis à quouis amplectendus: licèt poſterior melior ſit, ac in re à perfectioribus aſſeruandus. In re, inquam, quia in uoto poſteriorem hunc modum etiam imperfecti quique ſeruare debent; quāuis in re non tutò poſſint. Deſiderare namque debent, & eo deſiderio orare; ut mali illi, quorum conſortium dimittunt, conuertantur. Sicque fiet liquidiſſimè, ut non ex ſuperbia, qua malos deſpiciant, eorum commercia deuitent; ſed ex charitate tùm ad ſeipſos nè auertantur, tùm ad eos ut conuertantur. Secundò habes, quòd ex charitate magna proce- 2
dunt optiones illæ, quibus propheta aduerſa multa malis deſiderare, leguntur. Formaliter namq; (uti poſterior ſupradictus ſenſus) acceptæ huiuſmodi imprecationes uniuerſæ dilectionem hominum, & odium uitiorum, important. Verbi gratia. Confundantur omnes, qui me perſequuntur, id eſt à peccato illo, cum ſe illuſos uiderint, reſipiſcant. Sic enim peccatum in illis confundetur; ſeu illi, peccatores, formaliter ſumpti, confundentur. Tertiò ab oppoſitis, habes, quod 3
ſocietas bona multam utilitatem affert. Sicut enim mala cæcitatem mentalem cauſat, ita bona illuminationem; ſicut illa temporalis ſubſidij defectū, ita iſta talis ſubſidij (dummodo ad ſalutem animæ conferat) profectum; ſicut illa regni cœleſtis præcluſionem, ita iſta regni talis apertionem; ſicut

illa Dei indignationem, pro iſta Dei placationem.

¶ Applica ad ly (Apoſtolus) Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Si colloquia tantum, quid ſocietates malæ? Non enim tales ſolum colloquuntur, ſed etiam cooperantur, mores malos edocent; imo quodammodo illos mores uiolentia quadam in ſocium intrudunt, ac potiùs inferunt. Vel ad ly (Apoſtolus) Videte, quomodo cautè ambuletis; quoniam dies mali ſunt. Si dies mali ſunt, id eſt ſi qui reputantur boni quandoque mali inueniuntur eſſe; quantò magis noctes malæ erunt, id eſt mali inueterati, nocumentum apportabunt? Cautela ergo magna opus eſt.

NOTATIO TEXT.

ADVERTAS, litterâ non dicere ditioribus latiorem, & pauperibus anguſtiorem; ſed pluribus latiorem, pauciotibus anguſtiorem. Contra iuſtitiam itaque apud homines etiam eſſet, dare latiorem terram diuitibus, anguſtiorem uerò pauperibus. Eſſet enim addere afflictionem afflicto; & minus egeno plura, magis verò egenti pauciora præſtare. Quod an rectum ſit, aliorum eſto iudicium. Quod autem dico de diuiſione terræ, idem intelligitur de litibus terminandis, de audientia præſtanda, de beneficijs pro uictu neſtituque donandis, atque id genus reliquis. Acceptio namque perſonarum eſt prædicta, Diuo que Iacobo nimiû exoſa: & tamen in mundo a quibuſdam in uſum quotidianum executioni mandata. Quæ omnia ſupradicta, cum ſimilibus, hic a Deo reprobantur, cum Moyſi ait: Pluribus dabitis latiorem, & pauciotibus anguſtiorem. Bene ſententiam iſtam Dei attende, & huic diuino mandato pro rerum diuerſarum partitione & te, & alios conformare, ſtudeas.

CONCLVSIONES EX NVMERI.

CAPITVLO XXXIIII.

Text. IN poſſeſſionem uobis ſorte ceciderit.

Concl. 1. *Præſcio meritorum noſtrorum non eſt cauſa prædeſtinationis.* [Ex eo.]

Ratio. CONSECVTIO terræ promiſſionis uocatur ſors quædam. Hoc autem intelligitur reſpectu noſtri; cùm reſpectu Dei nihil euenire ſorte dicendum ſit. Quomodo uerò id reſpectu noſtri eſſe poteſt, ut l. talis conſecutio ſors appellari ualeat? Non quidem comparando effectus prædeſtinationis ſingillatim ad inuicem; ſed cõparando omnia poſt prędeſtinationem ſequẽtia, uelut unum effectum, ad prędeſtinationem, uelutì ſuã cauſam. Si enim primo modo comparatio fiat, tunc non ſorte homo terram promiſſionis intrat; ſin autem ſecundo, tunc non niſi ſorte reſpectu ſui illã ingreditur. Hæc autem ut notiora, ſolidioraque, ſint; declarationem ex Diuo Thoma Eccleſiæ Sanctæ fideliſſimo Doctore mutuatam. 1. q. 23. ar. 5. attende, quæ eſt ſequens.

NOTATIO I.

PRAESCIENTIAM meritorum non eſſe cauſam prædeſtinationis in primis notato; quia quicquid (inquit Sãctus ille) eſt in homine ordinãs ipſum in uitam ęternam, totum comprehenditur ſub effectu prædeſtinationis; etiam ipſa præparatio ad gratiam. Cum igitur impoſſibile ſit, quòd ex parte noſtra aliquid ſit cauſa reſpectu totius effectus prædeſtinationis; quid dicendũ relinquitur; quòd totus prædeſtinationis effectus eſt ſors reſpectu noſtri. Quare? Quia ſicut illud dicitur ſors, quod ita huic, quemadmodũ illi poteſt cõtingere, eo quòd nihil magis ibi habet hic, quàm ille; ſic quoniam nihil ad totam prædeſtinationem (ut præfatum eſt) unus magis aliò appoſitat; ideò iure optimo reſpectu noſtri tota prædeſtinatio nuncupatur ſors. Hinc a Pſalmiſta inuenis dictum: In manibus tuis (ò Deus) ſortes meæ. Hinc à Paulo Apoſtolo: In partem ſortis ſanctorum in lumine. Ob hoc mandatur hic a Deo, ut diuidatur terra promiſſionis p ſortes. Ad hoc innuendum ſancti Apoſtoli elegerũt Matthiã per ſortes. Ad quod innuendum ſunt hæc omnia? Quòd præſcientia meritorum noſtrorum, uel boni uſus liberi arbitrij non eſt cauſa prædeſtinationis in communi acceptæ; id eſt q Deus prędeſtinet Petrum ad dandam illi gratiam, & gloriã.

NOTATIO II.

DIXI ly In communi acceptæ; quia in particulari habet cauſam, prout. ſ. unus effectus prædeſtinationis eſt cauſa alterius. Exemplũ. Deus præordinauit, ſe daturum Petro gloriam ex meritis, & ipſi gratiam, ut mereatur gloriam. En gloria, quæ eſt effectus prædeſtinationis, eſt cauſa finalis meritorum; gratia quæ eſt effectus prædeſtinationis, eſt cauſa effectiua meritorum; merita ſunt cauſa finalis gratiæ, & ſunt cauſa meritoria, reſpectu gloriæ. Omnium autem iſtorum effectuum ſimul nihil eſt cauſa (ut prima notatio uoluit); niſi ſola uoluntas diuina. Ad hoc ultimum deſignandum inuenis in pſalmo; Saluum me fecit (ſcilicet Deus) quoniam uoluit me: & in Euangelio; Abſcondiſti &c. reuelaſti &c. quoniam ſic placitum fuit ante te. Videas (rogo) Angelicum Doctorem, ubi ſupra totum cum Elucidat, ut clarior, & abundantior in hac materia fias.

NOTATIO III.

IVSTISSIMA tamen eſt Dei uoluntas hunc, non illum, prædeſtinando, licèt & nobis occultiſſima, & non ex meritis ſit. Quomodo autem poſſit eſſe iuſtiſſima, cùm non ſit ex meritis, ad hoc nos attingere non poſſumus. Si nanque intellectus noſter ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ (philoſopho teſte), ſicut oculus noctuæ ad lumen ſolis; quantò minus, & ferè nihil, imò nihil, ſuapte ui capere poterit de abſtruſiſſimis iudicijs Dei? Hac ergo auctoritate philoſophi curioſitates omnes de ſobrietate Chriſtiana non contentę confundantur: Et deriſibiles appareant. Eandem quoque auctoritatem, quando contra hæreticos inciderit tibi ſermo, in promptu habere ſemper ſtudeas; quoniam multum ad intellectus eorum ſupercilium contundendum, eorumque ueſaniam oſtendendam, facit.

¶ Voluntatem nihilominus Dei iuſtiſſimam eſſe tàm hic, quam alibi, unica ratione, etiam apud philoſophum, notiſſima, cognoſcere quiſque poteſt. Quæ eſt illa ratio, et am in philoſophia tradita? Quòd uoluntas Dei cum intellectu ſuo eſt unum, & idem, realiter. Si eſt ergo unum, & idem; non poteſt fieri, quòd Deus uelit aliquid iniuſtè, imo nec fingere quis idipſum poteſt. Quare? Quia illud iniuſtè fit, quòd ſine ratione fit, uel ſine uero intellectus iudicio fit. Modò in Deo hoc ipſum neque eſt, neque eſſe poteſt. Quomodo enim ſine ratione, aut ſine uero intellectus iudicio, aliquid Deus uelle poteſt, cuius uoluntas nunquam á ratione, ſine intellectu, ſeparatur; imò cuius uoluntas, & ratio, ſiue intellectus, unum ſunt, & idem? Non igitur poſſibile eſt, q Deus uelit, aut uelle poſſit, aliquid; quod iuſtiſſimum non ſit: quandoquidem ex eo, quod aliquid uult, fit, ut hoc iuſtitiam ſapiat.

APPENDIX.

HINC (ex tertia ſcilicet notatione) habes, q illi, qui ad præmiſſam rationem non quietantur totaliter, deridendi admodum ueniunt. Nam ſi cui dicatur; Ille homo uoluit ſic cum ratione, uel habuit rationem ad ſic uolendum; is (inquam) cui hoc dicitur, ſtatim quieſcit. Sufficit enim ſibi audire, quòd ad ſic uolendum tale homo rationabiliter motus fuerit, etiam quòd in particulari non cognoſcat hanc illius rationabilitatem. Cur ergo idipſum agnoſcere chriſtianò nõ ſufficiat de Deo prædeſtinante, etiam ſi in particulari rationabilitatem huius prædeſtinationis ignoret? Quid ſi dicatur, rationabilitatem hanc non niſi ex meritis poſſe pendere? Erratur. Nam infinitis modis, & iis iuſtiſſimis, poteſt Deus uelle hoc, etiam quòd nos intellectu noſtro noctuaticis oculis reſpectu hoc minori conicctare id nequeamus. O Bellum hominem. Velle iuſtitiam uolitionis diuinæ ex humani intellectus, imò & angelici, captu metiri. Nunquid non eſt ſic in propoſito? Nam ex eo, quòd imaginari quis non poteſt iuſtitiam hanc niſi ex meritis, naſcitur, quòd dicat, merita noſtra (ſi uolumus, prędeſtinationem eſſe iuſtè uolitam reſpectu huius, non illius) eſſe cauſam prædeſtinationis. Abeat ergo iſta opinio; & Auguſtini meminerimus, ob huius opinionis excluſionem ſuper Ioan. 6. f. nemo uenit ad me niſi pater meus traxerit eum, dicentis: Quare hunc trahat, uel non trahat, noli uelle iudicare, ſi non uis errare. Sciebat utique. B. Augu- Aure.

Auguſtinus, facillimum eſſe hac in re iudicium, ſi ex meritis noſtris prædeſtinatio penderet, ſed quia talem opinionem, tanquam falſam abhorrebat, & periculoſam; ideò hoc modò locutus eſt, prędeſtinationẽ nõ eſſe ex meritis, apertiſſimè conteſtante. Quare periculoſiſſimã B. Aug. nouerat communiã opinionem, quòd ſcilicet ex meritis prædeſtinatio fiat? Quia illam uidit multum ſuffragari pelagiano hæretico dogmati.

¶ Vis noſſe hoc dogma? Aiebat hæreticus ille, quod principiũ boni operis ex nobis eſt; ſed conſummatio ex Deo. Dic modo ſodes. Si prædeſtinatio eſt ex meritis noſtris pręuiſis (ideſt ſi Deus non prædeſtinat quenquam, niſi uideat ipſum benè uſurum libero arbitrio), nõne principium boni operis, ideſt noſtræ ſalutis, eſt ex nobis; licet conſumatio ſit ex prædeſtinante Deo? Hinc enim, ſcilicet a meritis noſtris præuiſis, incipiet tunc prædeſtinatio, & conſequenter noſtra ſalus. At ſi forſan aliundè ſemetipſam gloſare, & conſequenter a talis hæreſis odore purgare, deſudet iſthæc opinio; noſtra non refert; dummodò, ſalua fide, conſiſtat, id quod & D. Augu. & D. Thomas difficillimum iudicaſſe (ut ſupra) uidetur. Scrupulos igitur, more naturarum, pro uirili noſtra declinantes, opinionem iſtam contra Sanctum Thomam (cuius doctrinam quicunque impugnauit ſemper fuit de ueritate ſuſpectus, iuxta Innocentium Papam.) relinquamus in totum; & hanc à concluſione literæ huius allatã, quã a ictu ſcripturarũ ſimili Angelico ſuo intellectu Sanctus Doctor extraxit, cordiali manu ſumamus in æuum. Secundò conſequenter habes, quid reſpondeas illis, qui opinionem huiuſcemodi periculoſam Beato impingunt Ambroſio, propterea quòd ſuper illud Rom. 9. Miſerebor cui miſerebor, ait; Miſericordiam illi dabo, quem præſcio, toto corde reuerſurum ad me. Faciunt hic næ intelligendo (quod aiebat comicus ille) ut nihil intelligãt. Scis quare? Quia B. Ambroſius in literis ſuis profundiora ſeruiãs eſt, quam iſti in hac re ſcioli eius ſyllabis aſcribant, ſuperficialem tantummodò B. Ambroſij ſenſum attendentes. Quid uoluit inſinuare profundius Doctiſſimus iſte uir, atque ſanctiſſimus? Id quod D. Thomas (1.q.25.a1.5.ad 1m) fideliſſimus Doctorum expoſitor, atque catholicus, ingenij ſui acie Ambroſianæ cõſimili exculpſit, nobiſque pro charitate ſua communicare ſolicitus extitit. Ibi nãque habes, quòd D. Ambroſius de finali cauſa locutus eſt, non de efficiente. Vide tu ibi cũ Elucid. Vel (ſi adhuc protetutas) Ambroſium ſeruo locutum de prædeſtinationis effectibus partialibus, non de effectu totali. Quid iſti effectus ſint, & quantũ inter ſe differant uide ſupra D. Thomam, aut notationes noſtras primam, & ſecundam. Tertiò conſequenter habes, quòd non ſine cauſa factũ eloquium fuit ſolicitiſſimum explicare millies, quòd iſta promiſſionis terra, quæ prædeſtinationem cœleſtis figurabat, diuidenda erat ſorte. Vide in calce capituli præcedentis; & ibi hoc bis exaratum inſpicies. Vide hic in principio; idem reperit. Vide alibi de hac terra diuidenda loquentem Deum, idem comperies. Quid eſt, diuidere terram illam, pro nunc? Eſt iſtum, non illum, prædeſtinare. Hoc ſorte fit, ſorte accidit, modo tamen, quo in notationibus, & cõcluſionis ratione, ſupra legis. Quare toties replicauit hoc idem Deus? Vt hinc noſces futuram eſſe unam illi cõtrariam (ut ſupradiximus) opinionem, & hanc futuram opinionem Deo forè odibilem ualde; ut quæ antequam in actum prodiret à Deo ipſo pluries illa probati loquellę (.ſ. ly Sorte, ſors, in ſortem, uel huiuſmodi) excluſa ſit. Pro firmiori captu antedictorum uide Elucid. prim. pat. num. 516. not. poſt appen. ubi adducitur Concilium Valẽtinum definiens iſta.

¶ Applica ad ly (Euagelium), Sic placitum eſt ante te. Vel (Pſal.) Saluum me fecit, ideſt me ad ſalutem prædeſtinauit, quoniã uoluit me. Vel (Apoſtolus) Qui prędeſtinauit nos ſecundum propoſitum uoluntatis ſuę, ut eſſemus (Ecce ſenſus Ambroſianus ſupra) ſancti. Non ergo (Auguſtinus) quia futuri eramus ſancti, prædeſtinauit nos; ſed prædeſtinauit nos, ut eſſemus ſancti. Sanctitatem igitur noſtram nunquid non uides (ſecundum Apoſtolum) ſubſequi prædeſtinationem, ut eius effectum, nõ autẽ pręcedere, ut eius cauſam? Vel ad ly &c.

¶ Eſto tamen cautus, & ſobrius, in loquendo coram promiſcuis auditoribus de prędeſtinatione non ratione dictorũ (ſi tamen à prædictis non diſcedas), ſed ratione auditorum, uel huiuſmodi quæſtiones à concionibus popularibus totaliter ſecludas iuxta monitũ S. Concilij. Tri. Seſſ. 25. Decr. de purgatorio. Non enim omnes capiunt uerbum iſtud. Omnia mihi licent, inquiebat prædicatorum norma; ſed non omnia expediũt. Vniuerſa igitur ad ædificationem fiant; non ad gloriã propriam, uel curioſitatem, maximè in tanto negotio.

NOTATIO TEXTVALIS.

VIDE hic, quod & ſupra (in capitulis præmiſſis) notauimus, quòd ſcilicet ſacerdos dignitate præſtat, & officio cuicunque principi ſeculari; & quòd ſine illo nihil debet attẽtare huiuſmodi princeps. Quid ait littera? Quòd Eleazar ſacerdos, & Ioſuè filius Num &c. diuident terram. Ecce. Loquitur dominans Deus, qui ipſum Ioſuè primum populi principem loco Moyſis iam conſtituerat; & tamen ante dilectiſſimum ſibi principem poſuit Eleazarum. Et, ut ſcias quare, audi quare. Eleazar (ait littera) ſacerdos. Ac ſi dicat. Præpono Eleazarum ipſi principi totius multitudinis, non quia eſt Eleazar, ſed quia eſt ſacerdos. Et nota, quod hic agebatur de terrena poſſeſſione diuidenda, id quòd eſſe uidetur principale officiũ pertinens ad regimen ſeculare. Quantò igitur magis in cæteris quibuſcunque ſacerdoti ſummo debet quicunque princeps deferre? Imperator Romanorum ergo ſummum Pontificem in omnibus agendis ueneretur, tantoque magis ad hoc obligatum ſe nouerit; quantò plus Eleazaro antiquo ſacerdoti præſtat ſummus Pontifex, & ut ſacerdos nouus, & ut uerus uicarius Chriſti.

¶ Applica ad ly (Euangelium) Paſce oues meas. Ergo quicunque princeps ſe, ut Papæ ouem, recognoſcere debet, & cõſequenter, ut ei ſubditum in omnibus. Vel ad &c.

IN poſſeſſionem ſorte &c.

Concl. 2. *Principium, & conſummatio boni eſt à Deo in nobis*.. [Ex eo.]

VIDE concluſionis præmiſſæ appendicem, & ſatisfactus eris.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXXV.

PRæcipe filijs Iſrael; ut dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum &c. *Text.*

Concl. 1. *Populi tenẽtur de temporalibus prouidere his qui ſpiritualia eis largiuntur; & non ſolum de mobilibus, ſed etiam (ſi opus fuerit) de immobilibus*.. [Ex eo.]

Ratio. TAM clarus eſt circa hoc textus, ut ampliori declaratione non egeat. Præcipe (inquit Deus). Ergo magna hic filiorum Iſrael erga Leuitas pro dandis temporalibus clauditur obligatio. Filijs (inquit) Iſrael. Ergo nullus exemptus à tẽporalibus offerendis; niſi propter impotentiam. Ad hoc autẽ deſignandum non ſolum hic dicitur abſolutè ly Filijs Iſrael; ſed etiam infra eodem capitulo dicitur ly Ab his, qui plus habent, plures offerentur, & qui minus pauciores. Quid eſt ly Qui plus habent plures, & qui minus pauciores; niſi monſtrare, quòd etiam pauperes (iuſtitia tamẽ proportionali ſeruata) ad huiuſmodi res erogandas clericis obligantur?

NOTATIO I.

MVLTA de temporalium ſubſidijs clericis à populo dandis (ultra quæ diximus alias) nunc pro ueritate catholicos laicos edocenda, proque hæreticorum inuida bucca claudenda occurrunt annotanda: ex quo de huiuſmodi ſubſidijs littera nobis præſens occaſionem, eamq; magnam, offert. Quid magnam illam de talibus anſam dixerim: cum etiam de poſſeſſionibus proprijs in clericorum commoda transferendis mandatum diuinum hic ſumant uniuerſi populi? Primo igitur notabis, quòd millies in diuerſis textibus claris ſcripturarum de clericorũ annona à laicis ſubminiſtrãda mentio facta fuit. Ex hoc autem & maximam Dei curam, & maximã populi obligationem, & maximam clericorum ſuper populum poteſtatem elicito. Quid amplius? Et magnitudinem ſolicitudinis, quam clerici circa ſpiritualia laicis administranda habere tenentur, ex hac multiplici annonæ repetitione

ſtione deſumito. Quare? Quia ſi laici clericis propter ſpiritualia data reddere temporalia debent, patet, quòd clericis oſtenditur ſolicitudo habenda circa populum, dùm populo de recognoſcendis clericis mandatur. Quoties igitur de huiuſmodi recognitione iubetur laicis; toties de huiuſmodi ſolicitudine habenda iubetur clericis. Hoc autem tanto uerius eſt, quantò Deus principalius ſpiritualem curam circa populum intendit, quàm tẽporale erga clericos ſtipendium. Anima enim plus eſt, quã eſca. Nec prędicamus, ut mãducemus; ſed manducamus, ut prædicare poſſimus.

2 ¶Secundò notabis id, quod circa huiuſmodi materiam alibi (ſcilicet in Exodo) ponderauit Deus. Quid ibi ponderandũ edocuit? Feſtinantiam præmiſſæ oblationis; ac per hoc hilaritatem reddentis illam. Decimas (inquit), & primitias, non tardabis offerre. Quantum ergo Deo odibiles ſunt, qui omnino clericis talia dare nolunt; ſi et odibiles exiſtunt, qui talia illis dare morantur? Poſtquam uero et odibiles illos eſſe ex pręmiſſa litera fateri cogeris, qui a clero res mobiles uel immobiles, in parte, uel in toto abſque authoritate exigunt. Hinc, hinc (ex lege.ſ.diuina) originatæ ſunt illæ tremendæ excommunicationes in quoſcunque clerum quomodocũque grauantes, non (ut mentiuntur hæretici ſacratum literarum ignar.) ex auaritia clericorum.

3 ¶Annotabis tertiò, quòd clericis licitum eſt poſſeſſiones habere, ab offerentibus accipere, ac poſſidere. Hic enim a populo ciuitates plures (ut ex 1. Paral. 6. habetur) quàm ſexaginta cum ſuis ſuburbanis datę ſunt Leuitis, uel ſcilicet ſimul

4 uel ſucceſſiue, iuxta pinguiorem fortunam. Quartò conſiderabis, ad quid huiuſmodi temporalia dantur clericis à populo. Hoc expreſſit liber ſecundus Paralipomenon 31. capitulo, quando dixit, quod Ezechias præcepit populo, ut darent partes Leuitis, ut poſſent uacare legi Domini. Dantur ergo temporalia clero, ut uacet legi domini; intelligendæ ſcilicet meditandæ, uerbo ac opere alios edocendæ. Seminat ergo clerus ſpiritualia & indè metit temporalia, hincque ad ſeminanda magis inuitatur ſpiritualia. Qui ergo temporalia dari pro recognitione clero nolunt, aut dolent (huiuſmodi ſunt antichriſti), hi populo ſeminari ſpiritualia cum ſaducæis ac phariſæis (ut habes in actibus Apoſtolorum) nolunt per hoc & dolent. Ecce, quantum uaffrè depilant omnem populum, hæretici prædictis contraria docentes, & ſe dicentes populo rum eſſe patronos. Dicunt cum diabolo plebi; Mitte te deorſum. Ac ſi apertius dicant; Tene tua, & mitte te. Adhuc clarius cum Rege Sodomorum (in Geneſi) ad Abraham: Da (inquit) animas, cætera tolle tibi. Nonne animas iſti ſodomorũ regi ſimiles a plebe expoſcunt, quãdo plebi nõ dãda clericis tẽporalia ſuadent? Vtique. Nã ex negatione tẽporaliũ fit, ut minus poſſint uacare legi Domini ad plebis utilitatem; ſicuti e conuerſo ex datione temporaliũ (teſte Paralipomenon) fiebat, ut legi domini magis uacare poſſent. Priuant ergo diabolici iſti plebẽ ſpiritualibus bonis, dùm plebi dicunt: Cætera idest temporalia, tolle tibi. Vtinã dicerent: Animas tolle tibi: cætera da mihi. Verum ſic dicendo non eſſent filij ſodomitici regis, cuius, contrariũ dicendo, deſideria ſua uolunt perficere. Damnum animarum audiſti a ſerpentibus hiſce callidita te nimia conquiſitum. At nondum finis. Attende.

NOTATIO II.

SIcut Deus, pro ſancta Eccleſia ad temporalia clero danda hortando, totũ hominem ſanum facit: ita diabolus, per malignantiũ horum Eccleſiam ad tẽporalia clero neganda ſuadendo, totũ homine infirmum facit. Quare totũ? Quia & animam (ut audiſti), & corporalia bona (ut audies), homini tales ſuaſiones acceptanti aufert. Loquuntur ergo ſic Antichriſti pacem cum proximo ſuo; mala autem, & ea maxima, in cordibus eorum. Deus itaque (Malach. 3.) populo (ſi inquit) affigit homo Deum, quia uos configiſtis me, & dixiſtis, in quo configimus te? In decimis, & primitijs. Et in penuria (inquit) uos maledicti eſtis. Quid hinc habes? Duo. Primum, q̃ nõ tradens temporalia debita clero aſſimilatur crucifixoribus Chriſti; & conſequenter iniuriã facit Deo, non tantum ſacerdoti. Secundum, quòd qui temporalia huiuſmodi non dant, temporalium penuria caſtigantur. Hanc autẽ ſcientiam (Reor) aut ſimilem uoluit innuere Auguſtinus, ubi ait. Cùm decimas dando cęleſtia & terrena poſſis promereri, pro auaritia tua duplici benedictione fraudaris. Hęc eſt enim domini iuſtiſſimi conſuetudo, ut, ſi tu illi decimã non dederis, tu ad decimã reuoceris. Dabis impio militi, quod nõ uis dare ſacerdoti (16. q. 1. c. Decimæ). Hæc auguſtinus. Hinc ergo, ſcilicet ex negatione temporaliũ debitorum clero, uenit omniũ rerũ inopia. Nota igitur, ab oppoſito, id, quod (Malac. 3.) idẽ Dominus ait. Inferte (inquit) omnẽ decimã in horreũ meũ, ut ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus; ſi (inquit) nõ aperuero uobis cataractas cęli, & effudero uobis benedictionẽ uſque ad abundantiã, & increpabo pro uobis deuorãtẽ, & non corrũpet fructũ terræ ueſtræ, nec erit ſterilis uinea in agro. Vide ergo, q̃ ſtultũ eſt timere ne minus habeamus, ſi decimas, oblationes, uel huiuſmodi, clero demus. Huic propoſito applicatur id, quod Auguſtinus dicit. Ideo (inquit) antiqui patres omnibus copijs abundabant, quia decimas dabant. Si (iterum ait) decimam dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies; ſed etiam ſanitatem corporis, & animæ conſequeris. Nunquid non uides tu, quòd ditiſſimi fuerunt, & nobiles Germaniæ principes, quando abũdanter dabant Eccleſijs, & monaſterijs: Nunc uerò omnium rerum egeſtas eſt apud principes, atque plebem. Carolus factus eſt magnus; quòd in dotando Eccleſias fuit largus. Conſtantinus item magni cognomen promeruit eò, q̃ Eccleſias temporalibus bonis adauxit. Hanc ob rem, ob tuitionem, ſcilicet Eccleſiæ, ab Aug. & Ambroſio dictus eſt fælix. Hinc à ſimili, argue tu, q̃ ex hoc; quòd Deo tãptũ quippiã damus non tm̃ nihil deperdimus; ſed etiam ab hoc in reſiduo tempore proſperamur. Id notabis pro his qui ſua negocia parũper intermittunt, ut ad conciones uadant, pro his, qui chorũ lectionẽ ſuã parumper intermittentes, frequentant, & pro alijs ſimilibus. Nã ſi pp temporalia data ſic Deus, ut dictũ eſt, munificus eſt nobis: multò utiq; amplius pro aliquo ſpirituali dato, uel etiam minimo, talis nobis Deus erit.

¶Applica ad ly (Euangeliũ) Dignus eſt operarius mercede. Vel ad ly (Apoſtol.) Nõ alligabis os boui triturãti. Is.n. (ut ex littera ad litterã habetur) alligat os boui triturãti, qui clericis ſpiritualia ſeminatib⁹ nõ uult dare tẽporalia. Vel &c.

DE ipſis autem oppidis, quæ Leuitis dabuntur, ſex erunt fugitiuorum, &c. *Text.*

Concl. 2. *Prouentuum cleri una pars pauperibus erogari debet, maximè deſolatis. Vel aliter. Dantur prouẽtus clericis, ut intendere ſtudio ſancto poſſint, ut poſt ad cõſolandum deſolatos, & huiuſmodi, ualeant.* [Ex eo.]

VIDES ne, q̃ de oppidis Leuitarum dãtur pro fugitiuorum recurſu? Nunquid non poterat Deus dare fugitiuis de oppidis aliarum tribuum? Vtique. At ſic facere maluit, ut ad præmiſſi documenti notitiam nos reuocaret. *Ratio.*

¶Ergo tenentur clerici ex præbenda habita uacare ſtudio legis dñi (ut habet ex 2. paralip. 31.) & eleemoſynis pauperum. Quo enim deſolatos confortare, & miſeris opem ferre poterunt, niſi legem dñi, quę quibuſcunq; deſolatis medetur, addiſcant, & de corporali ſubſtãtia indigentibus tribuãt? Tenent ergo eleemoſynã ſpiritualem, rõne primi; & corporalem, ratione ſecundi. Clericum debere eſſe modo prędicto aut ſimili eleemoſynarium expreſſit Pſ. ubi de Iſraelitis, quaſi de clericis, ait: Et tradidit (.ſ. Deus) illis regiones gentiũ, & labores populorum poſſederũt; ut cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Non ergo ad ociandũ, ſed ad negotiandum pro ſe atque alijs, dantur clero prouentus. Infideliter ergo agit clericus finis præmiſſo præbendarũ nõ attẽdẽs. *Coroll.*

EXules, & profugi ante mortem põtificis, &c. *Text.*

Concl. 3. *Mors Chriſti aperuit nobis regna cælorum, & conſequenter non ex Chriſto, ſed ex nobis eſt ſi in paradiſum non ingrediamur.* [Ex eo.]

NVLLVS profugus ad ciuitatem, uel habitationem, ſuam reuerti poterat, niſi ſacerdos magnus, qui oleo ſancto unctus erat, moreretur. Poſtquam autem talis ſacerdos mortuus fuerat, poterat licitè quilibet exul ad propria loca remeare. Quis eſt ille ſacerdos magnus? Ieſus Chriſtus dominus noſter. Eſt enim hic, à quo ſacerdotes oẽs, & nomen, & officium deſumunt. Nomen quidem; qm̃ oẽs dicuntur ſacerdotes ab illo, qui eſt ſacerdos ſm ordinem Melchiſedech. Officiũ uerò; qm̃ oblationem, quam Chriſtus ſemel fecit in cęna ultima, faciunt ipſi quotidie in miſſa. Oleo ſancto unctus eſt iſte ſacerdos magnus, ideo præ cęteris abſolutè uocatus eſt Chri-

ſtus

ſtus ſiue meſſias.i. vnctus iuxta Pſ. 44. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Antequam ergo moreretur iſte ſacerdos magnus oēs profugi manebant in ciuitatibus refugij.i.in limbo patrū, nec ciuitatē ſuā, ideſt cęlū, ingredi ualebant. Poſtquam autē mortuus eſt, omnes in limbo exiſtētes ad ciuitatem propriam liberè conſcenderūt. Imò nō ſolum eis data eſt ſacultas per mortem pontificis talis intrandi in propriam ciuitatem: ſed etiam intrādi ſimul cū tali Pontifice, id quod ut vulgare gaudiū, cum tanto.ſ. Pōtifice aſſociari in cōſcendendo cęlū habuit plus figuratus ſuis. Hoc Pōtifex, q̄ figuralis, q.d.non tantùm moriendo illos liberaret ab exilio, ſed & ut uiuendo illos introduceret in regnum.

EXAMEN.

HOc factum de Pontifice legali q figura ſit illius, quod factum eſt in nouo teſtamento, innuit littera. Quid ibi legis? Quòd hæc ſempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus veſtris. Si erunt ſempiterna, ergo etiam in noua lege uerificabuntur. Aliter quoque exponi poteſt præſens factum quoad generationes omnes chriſtianos. Quare? Quia nos omnes per mortem Pontificis Chriſti ab iniquitatibus noſtris liberamur quotidie. Nam in ſacramentis operatur meritum paſſionis Chriſti, & nullum efficacius medium ad dolendum de peccatis noſtris; & conſequenter ad redeundum in patriam noſtram (ad quod.ſ.creati ſumus).i.ad gratiam diuinam, niſi conſideratio mortis Chriſti Pontificis. Hoc inde habetur, ubi dicitur Chriſto ab homine: Memoria memor ero (.ſ.mortis tuę), & tabeſcet (.ſ. per continuum dolorem cauſæ illius, ideſt peccatorum) in me anima mea.

¶ Applica ad ly (Euāgelium) Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Vel ad ly Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert. Ecce uſque ſub terra operatur mors Pontificis; & uſque ad finem ſeculi, imò ab initio mundi cum ideò ſcribātur, quòd agnus occiſus eſt ab origine mundi. Niſi enim mors Pontificis crederetur futura, nullus exul.i. peccator ex antiquis in gratiam Dei, tanquam in patriam ſuam, reciperetur, & ab exilio peccati reuocaretur unquam. Vel ad ly.

Text. NOn accipietis pretium ab eo, qui reus eſt ſanguinis: ſtatim morietur.

Concl.4. *Iudices, uel huiuſmodi, qui propter pecuniam datam diminuunt de iuſtitia (puta non occidunt occidendum &c.), tales contra iuſtitiam, cùm mandatum Dei prauaricentur, faciunt.* [Ex eo.]

Ratio. IN textu ordes expreſſe mandatum à Deo, nè tale quid cōmittatur, ſed ut iuſtitia ſeruet ad unguē. Qui meretur (inquit) mori, moriat, nec pro morte cōpenſanda ſumes preciū.

APPENDIX.

HInc habes, q inter omnia corruptiua iuſtitiæ magnū locum obtinet pecunia. Non enim ſine cauſa magis de pecunia meminit, dum iuſtitiæ corruptiua uocauit quam de alia re. Secundò habes, q qui pro precio dato, aut ſimili, diminuit iuſtitiam, iniuſtitiam committit, tātùm abeſt, ut ſit bonus iudex. Tertiò habes, quòd iuſtitiam maiorem pro precio uel ſimili, in minorē commutare eſt polluere terram habitationis ſuę, ubi.ſ.talis iudex habitat. Deſtruit ergo terram ſuam, & nō regit talis malus princeps. Vide pro huius intellectu, quid ſequitur in littera. Nè (inquit) polluatis terram habitationis ueſtræ. Quare? Quia (inquit) nō aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit, atque ita emundabitur poſſeſſio ueſtra. Quaſi dicat. Ideo cō mādaui, ne precium accipiatis pro compenſatione mortis; quia aliter facientes polluunt terram, tantū abeſt, ut emundent eā. Scis quare? Experientia docet, quanta hinc mala naſcantur, quot malefactores erigantur, quot boni ſcandalizentur, quā ſine multo freno omnia ſcelera a quibuſdam in pecunia redemptrice confidentibus perpetrentur. Nònne illud eſt polluere terram, & non emundare? Omnium autem iſtorum ſequentium talis iudex pecuniarius reddet rationem; & conſequenter pro una morte pecunijs relaxata infinitis ferè mortibus iudex ipſe merito punietur. Veh ergo iudicibus taliter auaris. Ad hoc propoſitum intelligi poteſt illa ſcriptura. Quę? Auaro (.ſ.iudice; modo dicto) nihil ſceleſtius. Et item. Radix omnium malorum eſt cupiditas, ſcilicet iudicis iuſtitiam modo dicto comutantis.

NOTATIO.

ADVERTANT, hunc litteræ paſſum omnes principes terræ, ut ſciant, iuſtitia mediante ſuas terras à malis emundare, & terras ſuas a pollutione immunes conſeruare, adiſcant. Nec uelint ipſi eſſe Deo ſapientes magis, aut magis miſericordia pleni.

CONCLVSIONES EX NVMER.

CAPITVLO XXXVI.

Text. NVbant, quibus uolunt; tantùm ut ſuæ tribus hominibus.

Concl.1. *Beata Virgo Dei mater fuit de tribu Iuda.* [Ex eo.]

Ratio. A DOMINO lex iſta promulgata erat (ut in littera dicitur), quòd mulieres, quibus debebatur hæreditas, hominibus de ſua tribu tantùm nuberent; & econuerſo.i. uiri mulieribus de ſua tribu tantùm coniugio iungerētur. Cum igitur & B. Virgo, & Ioſeph fuerint iuſti, ac per hoc mandatorum Dei zelatores, ex parte utriuſque patet, quod huic diuinæ ordinationi de matrimonio iungendis non contrauenissent. Quòd ſi non contrauenerunt, utique ex eadem tribu eos fuiſſe dicendum eſt. Clarum autem eſt ex primo Matthæi, quòd Ioſeph uir B. Virginis fuit de tribu Iuda. Reſtat igitur & clarum, quòd B. Virgo ſua coniunx (quandoquidem ei debebatur hæreditas) fuerit de tribu Iuda.

APPENDIX.

HInc habes, quòd Euangeliſta ſufficienter narrauit genealogiam B. Virginis, more tamen ſcripturarum ſeruato. Quia eſt mos ſcripturarum? Vt mulierum genealogiæ non texantur, ſed tantummodo uirorum ſuorum. Nè igitur propter morem hunc dubiæ remanerēt apud nos ſtirpes mulierum ordinauit Deus, quòd omnes cōiuges ad inuicem eſſent eiuſdem tribus. Hoc namque ordine ſtante fit, ut generationis fęminarum ſeries, etiam more illo ſcripturarum ſeruato, ſufficienter indubia nobis relinquatur, ut patet.

¶ Applica ad ly (Matthæi primo) Virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui uocatur Chriſtus. Vir ergo Mariæ fuit Ioſeph, cōſequenter igitur Maria fuit cōtribula ipſi Ioſeph. Mitto, q aliundè clare habetur, B. Virginem fuiſſe de tribu Iuda. Ad Hebręos enim dicit B. Apoſtolus Paulus Manifeſtum eſt, quòd dominus noſter eſt de tribu Iuda, nō Leui. Cuius filius uerus eſt dominus noſter? Non quidem ipſius Ioſeph, ſed B. Virginis Mariæ. A matre igitur tribum determinat Ieſus, ſicut & carnē, non a Ioſeph. Cū ergo Chriſtus ſit de tribu Iuda (ex Apoſtolo ſupra), quid relinquit plusquā apertiſſimū hinc? Quod B. Virgo Chriſti mater eiuſdemq; Dei fuerit de tribu Iuda.

Finis Numerùm, ideſt Numerorum.

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S:

Omnes ſunt Terniones, præter S Quaternum.

Tabula per ſe patet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE